JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA VI. 2

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

VI. 2

1968

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Anmerkung des Verlages:
Die falsche Paginierung der Originalvorlage wurde beibehalten.

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101858

R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS,
ORDINIS MINORVM,
QVÆSTIONES
IN LIB. II. SENTENTIARVM,

Nunc denuò recognitæ, Annotationibus marginalibus, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ, & Scholijs per textum insertis illustratæ.

Cum Commentariis R.mi P. F. FRANCISCI LYCHETI Brixiensis, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ olim Ministri Generalis,

Et Supplemento R.P.F. IOANNIS PONCII *Hiberni, eiusdem Ordinis, in Collegio Romano Hibernorum Theologiæ primarij Professoris.*

TOMI SEXTI PARS SECVNDA.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



DISTINCTIO VII.

A SVPRA dictum eſt, quòd Angeli qui perſtiterunt per gratiam confirmati ſunt, & qui ceciderunt, à gratia Dei deſerti ſunt. Et boni quidem intantum confirmati ſunt per gratiam, quòd peccare nequeunt. Mali verò per malitiam adeò ſunt obſtinati, quòd bonam voluntatem habere, ſiue benè velle non valent, etſi bonum ſit quod aliquando volunt. Volunt enim aliquando aliquid fieri quod Deus vult fieri, & vtique illud bonum eſt & iuſtum fieri: nec tamen bona voluntate illud volunt, nec benè illud volunt.

Quales facti ſunt Angeli confirmatione & obſtinatione. Diſt. 5. lit. a.

Quod vtrique liberum arbitrium habent, nec tamen ad vtrunque flecti poſſunt.

B SEd cùm nec boni peccare poſſint, nec mali benè velle, vel benè operari, videtur quòd iam non habeant liberum arbitrium: quia in vtranque partem flecti non poſſunt, cum liberum arbitrium ad vtrunque ſe habeat. Vnde Hieronymus in tractatu de prodigo filio dicit: Solus Deus eſt, in quem peccatum cadere non poteſt: cætera cùm ſint liberi arbitrij in vtranque partem flecti poſſunt. Hîc videtur dicere quòd omnis creatura in libero arbitrio conſtituta, flecti poteſt ad bonum & ad malum. Quod ſi eſt, ergo & boni Angeli & mali ad vtrunque flecti poſſunt: ergo & boni poſſunt fieri mali, & mali boni. Ad quod dicimus, Quia boni tanta gratia confirmati ſunt, vt nequeant fieri mali; & mali in malitia adeò obdurati ſunt, vt non valeant fieri boni: & tamen vtrique habent liberum arbitrium: quia & boni non aliqua cogente neceſſitate, ſed propria ac ſpontanea voluntate per gratiam quidem adiuti bonum eligunt, & malum reſpuunt; & mali ſimiliter ſpontanea voluntate à gratia deſtituti bonum vitant, & malum ſequuntur: & mali habent liberum arbitrium, ſed depreſſum atque corruptum, adeò quòd ſurgere ad bonum non valent.

Luc. 15. d. Hier. in tom. 3. ad Damaſum Papam in fine tractatus de filio prodigo.

Quòd boni poſt confirmationem liberius arbitrium habent quàm antè.

C *Aug. cap. 105.* BOni verò arbitrium habent multò liberius poſt confirmationem quàm antè. Vt enim Auguſtinus tradidit in Ench. [Non ideò carent libero arbitrio, quia malè velle non poſſunt: multò quippe liberius eſt arbitrium quod non poteſt ſeruire peccato. Neque culpanda eſt voluntas, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, qua beati eſſe ſic volunt, vt eſſe miſeri non ſolum nolint, ſed nec prorſus velle poſſint.] Non poſſunt itaque boni Angeli velle malum, vel velle eſſe miſeri, neque hoc habent ex natura, ſed ex gratiæ beneficio. Ante gratiæ namque confirmationem potuêre peccare Angeli: & quidam etiam peccauerunt, & dæmones facti ſunt. Vnde Auguſtinus in libro contra Maximinum. [Creaturarum natura cœleſtium mori potuit, quia peccare potuit. Nam Angeli peccauerunt, & dæmones facti ſunt: quorum diabolus eſt princeps: & qui non peccauerunt, peccare potuerunt: & cuicunque creaturæ rationali præſtatur vt peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ. Ideóque ſolus Deus eſt, qui non gratiâ cuiuſquam, ſed naturâ ſuâ non potuit nec poteſt, nec poterit peccare.] Ecce hîc inſinuatur quod Angeli ante confirmationem peccare potuerunt, ſed poſt confirmationem non poſſunt. Et quod potuerunt fuit eis ex libero arbitrio, quod eſt eis naturale: quod verò modo non poſſunt peccare, non eſt eis ex natura, id eſt, libero arbitrio, ſed ex gratia, ex qua gratia etiam eſt vt ipſum liberum arbitrium iam non poſſit peccato ſeruire.

Aug. lib. 3. cap. 12. tomo 6. Iob. 41. d.

Quod poſt confirmationem Angeli non poßint ex natura peccare ſicut antè: non quòd debilitatum ſit eorum liberum arbitrium, ſed confirmatum.

D *Quòd boni Angeli poſt confirmationem non poſſunt peccare, eſt ex gratia, nõ natura.* NOn ergo poſt confirmationem Angeli de natura ſicut antè peccare potuerunt: non quòd liberum arbitrium eorum debilitatum ſit per gratiam: ſed ita potiùs confirmatum, vt iam per illud non poſſit bonus Angelus peccare, quod vtique non eſt ex libero arbitrio, ſed ex gratia Dei. Quod ergo Hieronymus ait, [Cætera cùm ſint liberi arbitrij poſſunt flecti in vtramque partem:] accipi oportet ſecundùm ſtatum in quo creata ſunt. Talis enim & homo & Angelus creatus eſt, qui ad vtrumque flecti poterat: ſed poſtea boni Angeli ita per gratiam ſunt confirmati, vt peccare non poſſint: & mali ita in vitio obdurati, vt benè viuere nequeant. Similiter etiam illud Iſidori intelligendum eſt, [Angeli mutabiles ſunt naturâ, immutabiles ſunt gratiâ:] quia ex natura in primordio ſuæ conditionis mutari potuerunt ad bonum, ſiue ad malum: ſed pòſt per gratiam ita bono addicti ſunt, vt inde mutari nequeant. Ad hoc enim repugnat gratia, non natura.

Aperit quomodo prædicta verba Hier. ſint intelligenda.

Iſid. l. 1. de ſummo bono 1. c. 12.

Quòd Angeli mali viuacem ſenſum non perdiderunt, & quibus modis ſciant.

E ET licèt mali Angeli ita per malitiam ſint obdurati, viuaci tamen ſenſu non ſunt penitus priuati. Nam, vt tradit Iſidorus, triplici acumine

ſcientiæ

ſcientiæ vrgent dæmones: ſcilicet ſubtilitate naturæ, experientia temporum, reuelatione ſupernorum ſpirituum. De hoc etiam Auguſtinus ait, [Spiritus mali quædam vera de temporalibus rebus noſcere permittuntur: partim ſubtilitate ſenſus, partim experientiâ temporum callidiores, propter tam magnam longitudinem vitæ: partim ſanctis Angelis, quod ipſi ab omnipotenti Deo diſcunt iuſſu eius ſibi reuelantibus: Aliquando iidem nefandi ſpiritus & quæ facturi ſunt velut diuinando prædicunt.] *Iſid. lib. 1. de ſummo bono 1. cap. 12. Aug. lib. 2. ſuper Gen. c. 17. in fine.*

Quòd magicæ artes virtute & ſcientia diaboli valent: quæ virtus & ſcientia eſt ei data à Deo, vel ad fallendum malos, vel ad monendum, vel exercendum bonos.

F QVorum ſcientia atque virtute etiam magicæ artes exercentur, quibus tamen non tam ſcientia quàm poteſtas à Deo data eſt, vel ad fallendum fallaces, vel ad admonendum fideles, vel ad exercendam probandámque iuſtorum patientiam. Vnde Auguſtinus in libr. 3. de Trin. [Video, inquit, infirmæ cogitationi quid poſſit occurrere: cur ſcilicet iſta miracula etiam magicis artibus fiant. Nam & magi Pharaonis ſerpentes fecerunt, & alia. Sed illud eſt ampliùs admirandum, quomodo magorum potentia, quæ ſerpentes facere potuit, vbi ad muſcas minutiſſimas, ſcilicet cinifes, ventum eſt, omnino defecit, qua tertia plaga Ægyptus cædebatur. Ibi certè defecerunt magi dicentes, Digitus Dei eſt hîc. Vnde intelligi datur, nec ipſos quidem tranſgreſſores Angelos, & aëreas poteſtates in imam iſtam caliginem tanquam in ſui generis carcerem ab illius ſublimis æthereæ puritatis habitatione detruſos, per quos magicæ artes poſſunt quicquid poſſunt aliquid valere, niſi data deſuper poteſtate. Datur autem vel ad fallendum fallaces, ſicut in Ægyptios, & in ipſos etiam magos data eſt, vt in eorum ſpirituum operatione viderentur admirandi, à quibus fiebant, à Dei veritate damnandi: vel ad admonendum fideles, ne tale aliquid facere pro magno deſiderent, propter quod etiam nobis in ſcriptura ſunt prodita: vel ad exercendam, probandam, manifeſtandámque iuſtorum patientiam.] *Aug. c. 7.* *Exodi 7. b. & 8. c.* *Ibidem.*

Quòd tranſgreſſoribus Angelis non ſeruit ad nutum materia rerum viſibilium.

G NEc ideò putandum eſt iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiam: ſed Deo potiùs, à quo hæc poteſtas datur, quantum incommutabilis iudicat. *Aug. lib. eod. cap. 8.*

Quòd non ſunt creatores, licèt per eos magi ranas & alia fecerint: ſed ſolus Deus.

H NEc ſanè creatores illi mali Angeli dicendi ſunt, quia per illos magi ranas & ſerpentes fecerunt: non enim ipſi eas creauerunt. [Omnium quippe rerum quæ corporaliter viſibilitérque naſcuntur, occulta *De ſeminibus omnium corporum,*

quorum creator ipse solus creator est.

quædam semina in corporeis mundi huius elementis latent] quæ Deus originaliter eis indidit. Ipse ergo creator est omnium rerum, qui creator est inuisibilium seminum: quia quæcunque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia & incrementa debitæ magnitudinis, distinctionésque formarum ab originalibus tanquam regulis sumunt.

Sicut parentes non dicuntur creatores filiorum, nec agricolæ frugum: ita nec boni Angeli nec mali, etsi per eorum ministerium fiant creaturæ.

I

Aug. Lib. c. eisdem.

SIcut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamuis eorum extrinsecus adhibitis motibus ad ista creanda Dei virtus interius operetur. Ita non solùm malos, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores. Sed pro subtilitate sui sensus & corporis semina istarum rerum nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt: atque ita & gignendarũ, rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Sed nec boni hæc, nisi quantum Deus iubet, nec mali hæc iniustè faciunt, nisi quantum iustè ipse permittit. Nam iniqui malitia voluntatem suam habent iniustam: potestatem autem non nisi iustè accipiunt, siue ad suam pœnam, siue ad aliorum, vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.]

Iniquus habet à se volũtatem malam: à Deo vero potestatem iustè accepit.

Sicut iustificationem mentis, ita creationem rerum solus Deus operatur: licet creatura extrinsecùs seruiat.

K

Aug. lib. 5. cap. 8.

SIcut ergo mentem nostram iustificando formare non potest nisi Deus, prædicare autem extrinsecùs Euangelium etiam homines possunt, non solùm boni per veritatem, sed etiam mali per occasionem, ita creationem rerum visibilium Deus interiùs operatur. Exteriores autem operationes atque contemperationes siue occasiones ab Angelis tam bonis quàm malis, vel etiam ab hominibus adhibentur.] [Sed hæc ab hominibus tantò difficiliùs adhibentur, quantùm eis desunt sensuum subtilitates, & corporum mobilitates in membris terrenis & pigris. Vnde qualibuscunque Angelis vicinas causas ab elementis contrahere quantò facilius est, tantò mirabiliores in huiusmodi operibus eorum existunt celeritates: sed non est creator, nisi qui principaliter ista format: nec quisquam hoc potest, nisi vnus creator Deus. Aliud est enim ex intimo ac summo causarum cardine condere, ac administrare creaturam: quod facit solus creator Deus: aliud autem pro distributis ab illo viribus ac facultatibus aliquam operationem forinsecus admouere: vt tunc, vel tunc; sic, vel sic exeat quod creatur. Ista quippe originaliter & primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata sunt: sed acceptis oportunitatibus postea prodeunt.

Cap. 9. eiusdem.

In principio eiusdem cap.

Quòd Angeli mali multa possunt per naturæ vigorem, quæ non possunt propter

propter Dei; vel bonorum Angelorum prohibitionem, id eſt, quia non permittuntur.

L ILlud quoque ſciendum eſt, quòd Angeli mali quædam poſſunt per naturæ ſubtilitatem, quæ tamen non poſſunt propter Dei, vel bonorum Angelorum prohibitionẽ, id eſt, quia non permittũtur illa facere à Deo, vel ab Angelis bonis: poſſent vtique feciſſe cinifes, qui ranas ſerpentéſque fecerunt. Quædam verò non poſſunt facere, etiam ſi permittantur ab Angelis ſuperioribus: quia non permittit Deus. Vnde Auguſtinus in lib. 3. de Trin. [Ex ineffabili potentatu Dei fit, vt quod poſſent mali Angeli ſi permitterentur, ideò non poſſunt, quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio, cur non poterant facere cinifes qui ranas ſerpentéſque fecerunt, niſi quia maior aderat dominatio prohibentis Dei per ſpiritum ſanctum: quod etiam magi confeſſi ſunt, dicentes, Digitus Dei eſt hic. Quid autem per naturam poſſint, nec tamen poſſint propter prohibitionem, & quid per ipſius naturæ ſuæ conditionem facere non ſinantur, homini explorare difficile eſt, imò impoſſibile. Nouimus hominem poſſe ambulare, & neque hoc poſſe ſi non permittatur: volare autem non poſſe, etiam ſi permittatur. Sic & illi Angeli quædam poſſunt facere, ſi permittantur ab Angelis potentioribus ex imperio Dei: quædam verò non poſſunt, etiam ſi ab eis permittantur: quia ille non permittit, à quo eſt illis talis naturæ modus, qui etiam per Angelos ſuos illa plerunque non permittit, quæ conceſſit vt poſſint.]

Aug. ca. 9. in med.. Quare non potuerunt producere cinifes qui ranas & ſerpentes fecerunt? Exod. 8. c.

QVÆSTIO VNICA.

An malus Angelus velit neceſſariò male?

Alenſis 3. *p. q.* 1. *mem.* 2. *art.* 1. D. Thom. 1. *p. q.* 64. *art.* 2. *& de verit. q.* 22. *art.* 1. *& hîc q.* 1. *art.* 2. D. Bon. *art.* 1. *q.* 1. Richar. *art.* 2. *q.* 1. Dur. *q.* 2. Ægid. *q.* 1. Gregor. *q.* 1. Henr. *quodl.* 8. *q.* 11. Vaſq. 1. *p. d.* 241.

CIrca iſtam diſtinctionem ſeptimam, in qua Magiſter agit de confirmatione bonorum, & obſtinatione malorum, quæritur vnum, Vtrùm malus Angelus velit neceſſariò malè? Quòd non. Iacob. 2. *Dæmones credunt, & contremiſcunt:* iſti autem, vt videtur, ſunt actus boni: ergo, &c. 1

Arg. 1.

Prætereà, in eis manet imago ſecundùm illud Pſal. *In imagine pertranſit homo*, &c in hoc ergo ſunt capaces eius, in hoc enim imago Dei eſt in anima, quo capax Dei eſt: & particeps eius eſſe poteſt, ſecundùm Auguſtinum 14. *de Trinit.* 8. non poſſunt autem Deum capere, nec participes eius fieri, niſi per actum bonum: ergo in illis poſſunt eſſe actus boni.

Arg. 2. *Pſal.* 38.

Prætereà Dionyſius 4. de Diuin. nomin. in dæmonibus manent naturalia integra: ergo liberum arbitrium integrum: ſed *poſſe peccare, nec eſt libertas, nec pars libertatis*, ſecundùm Anſelmum *de Lib. arb. cap.* 10. liberum enim arbitrium eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem propter ſe: ergo habent libertatem liberi arbitrij, quantùm ad illud, quod eſt per ſe, quod eſt benè velle: ergo poſſunt benè velle.

Arg. 3.

Prætereà, *Nullum violentum eſt perpetuum.* primo Cœl & Mun. quia eſt contra inclinationem eius, cui ineſt: & ideò ſi ipſum ſibi dimittatur, redit ad oppoſitum eius: ſicut aqua calefacta, ſi dimittatur ſibi, redit ad frigiditatem, ſed ſi malitia eſt contra naturam, ſecundùm Damaſcenum: ergo non eſt perpetua, non igitur neceſſariò ineſt voluntati.

Arg. 4. *c.* 1. *tex.* 15. *& 2. t.* 18. *Quare nullũ violẽtum perpetuum.*

Prætereà, nullus intellectus eſt ita auerſus, quin poſſit intelligere aliquod verum; quia prima principia omni intellectui ſunt nota ex terminis: ergo nulla voluntas eſt ita auerſa ab vltimo fine, quin poſſit velle vltimum finem. Conſequentia patet 2.

Arg. 5.

per illam ſimilitudinem Philoſophi 2. Phyſic. & 7. Ethic. *Sicut prineipium in ſpeculabilibus, ſic finis in moralibus*, probatur etiam aliter conſequentia, quia *omnis malus eſt ignorans*, 3. Ethic. ergo non eſt malitia in voluntate, ſine errore in intellectu: ergo vbi non poteſt intellectus excæcari circa obiectum, vt intelligibile, ibi nec voluntas poterit obliquari circa idem, vt appetibile, vel amabile.

1. Peſt. t.6. Tex.89. c.12. c.3.

Item ſi neceſſariò malè volunt & ſemper ſunt in actu volendi: quia non habent aliquod impedimentum: ergo ſemper malè volunt, & ita in infinitum augent malitiam ſuam: ſed ex lege iuſtitiæ diuinæ augmento culpæ correſpondet augmentum pœnæ: ergo in infinitum creſceret pœna eorum: ergo nunquam erunt in termino malitiæ, quod eſt inconueniens.

Arg. 6.

Sequitur etiam aliud inconueniens; quòd pari ratione poſſet augeri charitas in infinitum in bonis, ſi in iſtis poſſet augeri malitia: & ita ſequitur quòd boni nunquam eſſent in termino beatitudinis: ſicut nec mali in termino malitiæ, quod eſt inconueniens.

Ad oppoſitum in Pſal. *Superbia eorum qui te oderunt*, &c. ſed hoc non poteſt intelligi intenſiuè, quia ita non eſſet aliquod malum intenſiuè, quo non eſſet maius malum: ergo debet intelligi extenſiuè, & ita ſemper peccant.

Pſal. 73.

SCHOLIVM.

Sententia D. Thomæ Angelum non poſſe mutare voluntatem, quia non poteſt mutare intellectionem. Sententia Henrici, ideò Angelum eſſe immutabilem ab actu quem ſemel elicuit, quia voluntas ſeparata ita profundè immergit ſe obiecto, quòd reſilire nequit.

D. Tho. 1. p. q. 64. art. 2.

HIc ponitur [a] duplex ratio continuationis malitiæ in eis: primò ſic, Appetitus proportionatur ſuæ apprehenſiuæ à qua mouetur, ſicut mobile motori: Angelus autem apprehendit immobiliter, ſine diſcurſu, quod intelligit: homo autem mobiliter diſcurrendo; quia per rationem, in qua viam habet diſcurrendi ad vtrumque oppoſitum: igitur voluntas Angeli immobiliter adhæret, poſt primam apprehenſionem completam: voluntas autem hominis poſt volitionem completam ſequentem rationem, adhæret mobiliter: & ideò licèt voluntas Angeli antequam firmaſſet ſe per volitionem completam fuiſſet mobilis ad oppoſita: alioquin non potuiſſet indifferenter peccaſſe, vel meruiſſe: tamen poſt primam electionem, immobiliter adhæſit ei, quod elegit: & ita radicaliter, ex immobilitate cognitiuæ, factus eſt bonus impeccabilis, & malus impœnitens.

Facta ſemel electione, Angelus eſt immobilis, ſecundum D. Thom.

Alia via ponitur ſic, quòd voluntas quantò perfectior, tantò perfectiùs immergit ſe in volibili: voluntas ſeparata à corpore, qualis eſt Angelica, eſt omnino perfectè libera: noſtra autem corpori corruptibili coniuncta, habet libertatem diminutam: & ideò licèt noſtra habeat libertatem, illa tamen maximè habet libertatem, quæ eſt omnino ſeparata à corpore. Voluntas etiam noſtra ſeparata, vel exiſtens in corpore incorruptibili immobiliter ſe immergit in obiecto, ita vt ab illo reſilire non poſſit. Modus aſſignatur [b] ex illo Prouer. *Peccator cùm in profundum peruenerit, contemnit*: quando eſt ergo voluntas perfectè libera, præcedente electione perfecta, efficaciter curritin volitum ponendo ibi finem: veniens autem ad obſtaculum, ſyntereſis non ibi ſiſtit, ſed contemnendo impingit: & in illam etiam retunditur, vt ſe retrahere, nec velit, nec poſſit velle: vt ſi ferrum impingatur oſſi retunditur, nec retrahi poteſt, nec eadem virtute, qua immittitur, nec maiori.

2. Ethic. c.10. Henric. quodl.8. q.11.

c. 18. Quando ſcilicet ſyntereſis remurmurat oſtendens malũ, de quo infrad. 39. q.1.

COMMENTARIVS.

1. [a] *Hic ponitur duplex ratio.* Hîc Doctor recitat duas opiniones, quæ in eadem concluſione ſunt concordes. Alia tamen, & alia ratione probant, quarum prima eſt Thomæ 1. *p. q.* 64. *art.* 2. qui dicit, quòd Angelus ex hoc neceſſariò continuat malitiam, quia apprehendit obiectum, quod intelligit immobiliter, ita quòd talis apprehenſio neceſſariò mouet voluntatem ad continuandum actum ſuum circa talem apprehenſum. Exemplum: Intellectus Angeli apprehendit naturam ſuam vt diligibilem vt octo, licèt in re ſit tantùm diligibilis, vt quatuor, & voluntas ſequitur talem apprehenſionem, diligendo illam naturam vt octo, & ſic peccat immoderatè diligendo; & quia talis apprehenſio valde firmatur poſt tale peccatum, & immobiliter apprehendit, & talis apprehenſio eſt cauſa neceſſaria ipſius amoris immoderati, ideò ſemper voluntas Angeli mali continuat malitiam ſuam. Alia ratio ponitur ab Henrico *quodl.* 4. *q.* 11. quæ patent in litera.

Opin. ſancti Thomæ.

Opin. Henr.

b *Modus*

Modus aſſignatur ex illo Prouerb. 18. & literaſtat in hoc, quòd voluntas Angeli ſic immoderatè vult, ſiue amat, puta ſe, quòd in tali obiecto ſic amato immergitur, ponendo ſibi finem ſuum, *veniens autem ad obſtaculum, ſyntereſis non ibi ſiſtit*, id eſt, quòd quando arguitur à ſyntereſi de tali amore ſic immoderato non aſſentit ſyntereſi, *ſed contemnendo* ſyntereſim *impingit*, *& in illam etiam retunditur*, id eſt, quòd contemnendo ſyntereſim, magis vult illud volitum, & ſic ibi retunditur, quòd ipſa voluntas non poteſt ſe retrahere ab amore talis voliti; ſicut virtus infigens clauum in lignum, licèt quando infigit, poſſit retrahere illum, tamen quando clauus retunditur in ligno, dum infigitur à tali virtute, non poteſt retrahi.

SCHOLIVM.

Refutat Doctor ſententias prædictas. Primò, ex Auguſtino. Secundò, ſecundùm eundem Auguſtinum debet aſſignari cauſa communis obſtinationis Angeli & hominis: prædictæ autem cauſæ non ſunt tales. Tertiò, voluntas vt actus primus, eſt libera: ergo per actum ſecundum ei aduenientem, non mutatur eius libertas. Quartò, nihil creatum poteſt eſſe ratio cauſæ principali, vt agat oppoſito modo ei, quem ex natura habet. Quintò, aliàs, Angelus tantùm primo peccato demereretur.

4. COntra concluſionem [c] iſtam, in qua conueniunt iſtæ duæ opiniones, videtur eſſe auctoritas Auguſtini de fide, ad Pet. c. quinto, vbi ſic ait: *Si poſſibile eſſet, vt humana natura, quæ poſtquam à Deo uerſa eſt bonitatem perdidit voluntatis: ex ſeipſa rurſus eam habere poſſet, multò poſſibilius hoc haberet natura Angelica, quæ quantò minùs grauatur corporis terreni pondere, tantò magis hac eſſet prædita facultate, & hoc habere poſſet.* Arguitur igitur ſic; ſi voluntas humana ex ſe poſſet redire ad iuſtitiam, multò magis voluntas Angelica: ergo illa; nec propter immobilitatem ſuæ potentiæ cognitiuæ (qualis non eſt cognitiua voluntatis noſtræ) nec propter plenam libertatem eius, ex hoc, quòd eſt ſeparata à corpore, eſt impoſſibilis redire ad iuſtitiam, poſtquam peccauit: imò ſecundùm eum, magis videtur poſſibilis quàm noſtra.

Augu. contra D. Thom. & Henr. Hoc fuit motiuum Origenis in 3. Periarcon.

Præterea, contra [d] concluſionem iſtam arguo primò ſic: Non tantùm voluntas Angeli damnati eſt obſtinata, ſed etiam hominis damnati: & oportet vtriuſque aſſignare cauſam communem, ſecundùm quòd videtur Auguſtinus dicere *de fide ad Pet.* paulò poſt literam præallegatam, vbi vult, quòd ſit vna cauſa communis: quare Deus iudicabit ſimul ſpiritus humanos, & Angelos damnatos, & idem videtur velle *de Ciuit. Dei*, ſed neutra iſtarum poteſt poni cauſa obſtinationis hominis damnati: ergo nec Angeli. Probatio aſſumpti, quia anima coniuncta non habet cognitiuam immobiliter apprehendentem, ſicut Angelus, ſecundùm primam viam: nec vt ſe immergat in volitum, & immobiliter, ſecundùm perfectam libertatem, iuxta ſecundam viam: ergo oportet aſſignare cauſam iſtius obſtinationis in anima, quando eſt ſeparata: aut ergo tunc ante omnem actum elicitum, eſt obſtinata, & per conſequens neutra prædictarum cauſarum eſt cauſa obſtinationis ſuæ: quia antequam velit aliquid ſecundùm actum intellectus immobiliter apprehendentis, vel ex plena libertate, quam habet ſeparata, eſt obſtinata: aut fit obſtinata per aliquem actum, quem elicit ſeparata; qui ſecundùm primam viam, ſequitur apprehenſionem intellectus ſeparati immobilem; vel iuxta ſecundam viam, ex ſua libertate immergit ſe in volitum, ſed hoc ſecundum videtur inconueniens; quia ſeparata non demeretur: ſed tantùm per actus quos habuit in via recipit quod meruit, vel quod demeruit: ergo nullum actum habet præcedentem obſtinationem, per quam reddatur obſtinata.

Obſtinationis hominis damnati, & diaboli, communis cauſa danda eſt.

ADDITIO. *Vel ſic oſtenditur; anima peccatoris in inſtanti ſeparationis eſt obſtinata: quia eſt in termino, & non per actum, quem tunc elicit: quia in eodem inſtanti in quo ſeparatur, totum compoſitum corrumpitur, & in illo non intelligit: nec etiam per actum præcedentem illud inſtans eſt obſtinata, quia tunc fuit viator: igitur, &c. Vel ſic, ſi voluntas hominis propter hoc quod habet apprehenſionem immobilem, reddit ſe obſtinatam; vel hoc eſt dum eſt in corpore, vel dum eſt extra corpus: non dum eſt in corpore, quia tunc non habet apprehenſionem immobilem, cùm ſit viator, nec ſecundo modo: quia in inſtanti ſeparationis, anima obſtinatur, & damnatur; non habet autem tunc apprehenſionem, quia illud eſt inſtans corruptionis: igitur, &c.*

Et poſſet confirmari de Lazaro, quo mortuo intellectus habuit apprehenſionem animæ ſeparatæ, & eius voluntas habuit plenam libertatem, quia tunc ſepa- *Ioan. 11.*

Lazari voluntas in morte, non habuit volitionem immobilẽ.

rata: & tamen ex neutro iſtorum immobiliter voluit: quia tunc fuiſſet impeccabilis, ſi bonus; vel obſtinatus ſi malus: quorum vtrunque eſt falſum, quia adhuc erat viator, niſi fingatur, quòd Deus miraculosè ſuſpendit eum ab operatione: qualis conſequitur animam ſeparatam, pro tanto, quia præordinauerat eum reſurrecturum: ſed hoc non videtur probabile: quia multa dicitur narraſſe quæ viderat.

Prætereà ſecundò, [e] cauſa totalis non aliter cauſat, niſi ipſa ſecundùm quòd cauſa, aliter ſe habeat: & hoc quando non ponitur aliqua diuerſitas ex parte paſſi, vel aliquorum impedimentorum extrinſecorum: ſed voluntas vt prior naturaliter actu ſuo, non vt exiſtens actualiter ſub actu, eſt cauſa actus ſui, quod eſt manifeſtum ex hoc, quòd eſt cauſa libera actus ſui: quæ libertas non eſt eius, niſi vt prior actu ſuo: quia vt eſt ſub actu, habet actum, vt formam naturalem. Patet etiam, quia aliquid, vt eſt ſub effectu tanquam forma eius, poſterius eſt: ſicut compoſitum eſt poſterius forma ſua 7. Metaphyſicæ: voluntas ergo non aliter ſe habet in eliciendo actum, niſi aliter ſe habeat inquantum eſt prior actu: ſed per hoc quòd ponitur habere actum inhærentem ſibi, ipſa non aliter ſe habet inquantùm eſt prior naturaliter actu: quia licèt aliter ſe habeat inquantùm eſt ſub actu, quantùm videlicet ad aliquod accidens: non tamen quantùm ad ſuam naturam, ſecundùm quam eſt talis actus primus, qui eſt voluntas: ergo ipſa ſub quocunque actu intelligatur, non aliter ſe habebit in eliciendo actum quemcunque: ergo per nullum actum, vel habitum, qui potuerit poni in ea ſeparata (qui non poteſt poni in ea coniuncta) erit ipſa oppoſito modo eliciens actum bonum, vel malum illi modo, quo priùs eliciebat: & ita ſi priùs contingenter egit, per nihil tale in ea poſitum neceſſariò eliciet. 5.

Non mutatur libertas, niſi voluntas vt prior actu, aliter ſe habeat. Tex. 7.

ADDITIO. *Confirmatur, quia cauſa, quæ ſecundùm ſe vniformiter ſe habet ad plures effectus, per hoc quòd cauſat vnum, non aliter ſe habet reſpectu alterius, vt patet de calore reſpectu plurium calefactionum: ſed voluntas eſt cauſa reſpectu plurium volitionum: igitur per hoc, quòd vnam elicit, non aliter ſe habet ad eliciendum aliam: igitur ſi primam liberè eliciebat, ita quòd reſpectu illius non fuit impeccabilis: nec per illam reſpectu alterius eſt impeccabilis.*

Confirmatur ſecundò, voluntas Angeli reſpectu illius actus, qui ponitur cauſa obſtinationis, contingenter ſe habet, & ſolùm neceſſariò, neceſſitate ſecundùm quid: *quia eſt cauſa illius, vt prior naturaliter, & vt ſic contingenter elicit: ſed talis actus non magis neceſſitat voluntatem reſpectu alterius, quàm reſpectu ſui: igitur, &c.*

Actus non poteſt eſſe ratio volendi voluntati, oppoſito modo naturæ eius.

Et confirmatur ratio, [f] quia nulla cauſa ſecunda poteſt eſſe ratio principalis cauſæ agendi, oppoſito modo illi, qui conuenit principali agenti ex ſua cauſalitate: ſic enim cauſa principalis non eſſet principalis, quia determinaretur ad oppoſitum modum à cauſa ſecunda ad agendum ſuo proprio modo agendi: ergo cum voluntas ſit cauſa principalis ſui actus, quodcumque ponatur in voluntate reſpectu actus eius, vel non, erit cauſa actus ſic eliciendi: vel ſi ſit cauſa, eſt ſecunda cauſa reſpectu voluntatis, & non cauſa principalis: ſequitur ergo, quod voluntas per nihil aliud determinatur ad agendum. 6.

Ordo actuum angeli.

Prætereà [g] ſicut fuit dictum *diſt. 5. & 6.* tam bonus quàm malus Angelus habuit tempus viæ: ita quòd non tantùm per inſtans fuit viator: ſed habuit malus Angelus diuerſa peccata ordinata, puta ex actu amandi ſe eliciebat actum concupiſcendi ſibi ſummum commodum: & ex illo actum excellentiæ, quo voluit habere illud commodum non ſub regula voluntatis ſuperioris, ſed contra eam: & tandem actum odiendi Deum, qui reſiſtit ſibi in illud appetendo: & non habuit omnes iſtos actus diſtinctos ſimul: ergo quando demerebatur ſecundo peccato, adhuc fuit in via, & tamen peccauerat iam primo peccato ex prima electione: ergo non qualiſcumque immobilis apprehenſio, vel quodcunque primum peccatum, vel plena immerſio in obiectum, fecit ipſum impœnitentem, quandocunque enim aliquo iſtorum peccatorum peccauit, ſiſtebat in via, & non fuit idem peccatum cum peccato præcedenti.

Ex D. Thom. & Henr. Angelus non demeretur niſi primo peccato.

COMMENTARIVS.

1. [c] *Contra concluſionem.* Hîc Doctor probat multis rationibus concluſionẽ Thomæ, & Henrici non eſſe veram, & præſertim non eſſe veram per rationes quas ipſi faciunt. Et prima ratio tenet per argumentum à minori, quia minùs videtur quòd anima corpori coniuncta poſſet redire ad iuſtitiam poſt peccatum, quàm Angelus, vt patet per Auguſtinum *de fide ad Petrum cap. 5.* Sed anima dum eſt in via poſt peccatum ad iuſtitiam redire poteſt; ergo & Angelus poſt peccatum;

peccatum; ergo ipſa natura Angelica, &c.

d *Præterea, contra concluſionem iſtam arguo.* Hæc ratio eſt ſatis euidens, quia oportet aſſignare cauſam communem tam in Angelo, quàm in anima ſeparata reſpectu obſtinationis. Patet, quia ex hoc ſolo ponitur differentia inter Angelum, & animam reſpectu obſtinationis poſt peccatum, quia anima vt coniuncta non apprehendit immobiliter, vt dicit Thomas nec immergitur in obiecto, &c. vt dicit Henricus; ſeparata ergo à corpore: iſtæ rationes non verificantur de ipſa. Pono ergo caſum, quòd anima Iudæ ſit actu ſeparata, & damnata, & per conſequens obſtinata in peccato. Quæro, per quem actum eſt obſtinata? non per actum elicitum ante ſeparationem, patet per Thomam & Henricum: aut ergo ſeparata ante omnem actum elicitum eſt obſtinata, aut per actum elicitum. Non primò, quia tam Thomas quàm Henricus per rationes priùs factas dicunt, quòd Angelus eſt obſtinatus per actum elicitum, videlicet per actum elicitum ſequentem apprehenſionem immobiliter, vt dicit Thomas; vel per actum elicitum ſequentem perfectam libertatem, quo immergitur in obiectum, vt dicit Henricus. Non ſecundò, quia vt ſeparata, ſicut non poteſt elicere actum merendi, ita non poteſt elicere actum demerendi, oportet ergo aſſignare aliam cauſam obſtinationis communem tam Angelo, quàm animæ ſeparatæ.

Nota hæc omnia.

2. e *Præterea ſecundò cauſa totalis, &c.* Hæc ratio ſtat in hoc, quia poſito quòd voluntas Angeli ſit actu ſub aliquo actu, tamen vt elicit actum, eſt prior actu; pono ergo caſum, quòd anima, ſiue coniuncta, ſiue ſeparata, habeat actum peccati ſibi inhærentem, puta dilectionem alicuius obiecti inordinatam, & ipſa anima coniuncta poteſt elicere actum amandi ordinatum; patet, quia licèt ſit ſub actu peccati, adhuc tamen eſt prior, etiam vt elicit ipſo actu amandi ordinato, non dico tamen quòd ſimul ſit ſub actu amandi inordinatè, & ordinatè, ſed dico quòd actus amandi inordinatus non ſic impedit voluntatem, quin in illo priori poſſit elicere actum amandi ordinatum: quia in illo priori attenditur libertas voluntatis; ſicut ergo ipſa voluntas coniuncta contingenter elicit actum amandi ordinatum poſt actum amandi inordinatum; ergo & ſeparata, quantùm eſt ex parte ſua poſt actum peccati ſibi inhærentem, contingenter poteſt elicere actum ordinatum; & ſic oportet aſſignare aliam cauſam obſtinationis, quàm aſſignetur à Thoma & Henrico. Et hoc eſt, quod Doctor principaliter intendit in iſta ratione. Expono tamen aliqua dicta in iſta litera; primum eſt ibi; *Cauſa totalis non aliter cauſat niſi ipſa, &c.*

Cauſam aliter cauſare poteſt multipliciter intelligi.

Hîc nota, quòd cauſam aliter cauſare poteſt multipliciter intelligi. Primò, quòd alium, & alium effectum cauſet, & ſic non requiritur, quòd in ſe aliter ſe habeat; patet, quia Sol non aliter ſe habendo in ſe poteſt producere plures effectus, non tantùm numero, ſed etiam ſpecie diſtinctos. Secundò, quòd alio, & alio modo cauſet, puta maiori, vel minori conatu, vel intenſiùs, aut minùs intenſè; & hoc etiam modo non oportet cauſam aliter ſe habere, præcipuè loquendo de cauſa libera, vt ſatis patet à Doctore *in 1. d. 17.* Tertiò, quòd neceſſariò cauſet, vel quòd contingenter, & hoc modo intelligitur hæc propoſitio, ſcilicet quòd cauſa totalis circa idem obiectum æquè diſpoſitum non poteſt aliquando contingenter cauſare, & aliquando neceſſariò, niſi ipſa cauſa aliter ſe habeat; patet, quia iſti duo modi *contingenter cauſare, & neceſſariò cauſare*, ſunt ſimpliciter oppoſiti, præcipuè circa idem obiectum. Et de hoc vide Doctorem *in primo, diſt. 2. parte 2. quæſt. 4. & diſt. 10.* & hoc modo intendit in iſta propoſitione, cùm dicit, *cauſa totalis non aliter cauſat, &c.*

Et ſi dicatur, quòd eadem voluntas diuina eſt cauſa, vel quaſi cauſa neceſſaria reſpectu amoris eſſentiæ diuinæ, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 10.* & eſt cauſa contingens reſpectu *creare*, vt patet ab ipſo *in primo, diſt. 2. 8. 10. & alibi.* Dico, quòd non eſt ſimile, quia voluntas diuina non comparatur ad idem obiectum: Sed de hoc vide quæ expoſui *in primo, diſt. 1. quæſt. 4. & diſt. 10.* 3.

Si etiam dicatur, quod ſuprà dixit Doctor *diſtinct. 5.* quòd eadem voluntas, vt eſt in via, vult mutabiliter, & vt eſt in termino, vult immutabiliter; & tamen eſt eadem, & prior vtroque actu. Dico, quòd hoc ſolutum eſt ibi, quia iſta neceſſitas volendi, non eſt ſimpliciter ab ipſa, & vide ibi quæ diffusè expoſui. Deinde ſequitur in litera iſta; *Sed voluntas, vt prior naturaliter actu ſuo*, &c. Et vult dicere (vt infra patebit) quòd ex quo ipſa voluntas, vt cauſa eſt prior actu; ergo per actum ſibi inhærentem non aliter ſe habebit in cauſando, quia ille actus ſibi inhærens nullo modo eſt ei ratio cauſandi actum, ſed ſola voluntas, vt ſic prior eſt ratio formalis cauſandi.

Quomodo voluntas vt cauſa eſt prior actu.

Aduerte etiam, quòd hæc litera non contradicit illi, quod dixit ſuprà, *diſt. 5. quæſt. 2.* quòd voluntas non elicit actum liberè, antequam eliciat; ſic ergo dicitur libera, quando actu elicit actum, ergo, vt ſic, non erit prior, quia quando elicit actum, actus eſt: actus enim tandiu eſt, quandiu voluntas elicit actum, & quando actum non elicit, actus non eſt, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. quæſt. vltima, reſp. ad vltimum arg. principale.* Et ſic videtur falſum dicere, quòd libertas competat voluntati, vt eſt prior actu. Dico, quòd nulla eſt contradictio, quia hîc intelligit quòd voluntas ſit prior actu elicito, & vt elicit, eſt etiã prior ipſo actu natura, vt infrà patebit, *diſt. 35.* & ſuprà declaratum eſt, *diſt. 1. quæſt. 2. & d. 5. q. 2.* quòd cauſa, vt cauſat eſt ſemper prior cauſato, & ſic intelligit quòd libertas non ineſt voluntati, niſi vt prior actu, id eſt, quòd liberè elicere non ineſt ſibi, niſi vt ipſa eliciens ſit prior natura actu elicito, & quòd ſic intelligat, patet per verba ſequentia ibi; *quia vt eſt ſub actu, habet actum, vt formam naturalem*, &c. nam voluntas, vt eſt ſub actuali volitione, ſicut ſubiectum ſub forma informante, non dicitur elicere illam, quia tunc elicita eſt; ergo vt elicit, prior erit, imò vt eſt ſubactum talis actus videtur poſterius ea, ſicut compoſitum eſt poſterius forma ſua, 7. *Metaph. tex. comm.* 7. vbi ſic habetur: *Quare ſi ſpecies materia eſt prior, & magis ens, & ipſo quod ex vtriſque prior erit.* Hæc ille, id eſt, quòd ſicut forma eſt prior materia, ita eſt prior compoſito conſtituto ex materia, & forma; quia licèt homo abſolutè ſit prior albedine, tamen homo albus eſt poſterior albedine: ſic dico, quòd voluntas, vt eſt formaliter volens, eſt poſterior ipſa volitione, licèt abſolutè ſumpta, & vt eliciens actum ſit prior. Et quod dicit ibi, *habet actum, vt formam naturalem*, vult dicere, quòd ipſa voluntas, vt ponitur ſubiectum ſui actus, habet ipſum tanquam perfectionem, ad quam

Cauſa eſt prior cauſato.

Compoſitum eſt poſterius forma.

quam inclinatur; inclinatio autem naturalis eſt reſpectu receptiui, vt infrà patebit *diſt.18.huius* 2. & aliqualiter patebit in quarto, diſt.49.

4. f *Et confirmatur ratio*, &c. Hæc ratio ſtat in hoc, quòd ex quo ille actus ſupponeretur cauſa obſtinationis (quòd tamen falſum eſt) eſſet tantum cauſa ſecunda, & minùs principalis, & voluntas erit cauſa principalis: modò cauſa ſecunda non poteſt determinare cauſam primam ad agendum oppoſito modo, qui competit primæ: puta prima agit liberè, & ſecunda neceſſariò, illa ſecunda non poteſt determinare primam, vt agat neceſſariò, & ſic ille actus, poſito quòd ſit cauſa obſtinationis minùs principalis, non poterit determinare voluntatem, vt neceſſariò ſit obſtinata.

Prima cauſa agit liberè.

Sed hîc videtur difficultas, quia tunc meritum non erit voluntarium: nam dicit Doctor *in primo, diſt.17.* quòd charitas eſt cauſa magis principalis meritorij, quàm voluntas, & tamen ipſa voluntas agit de neceſſitate naturæ, vt patet à Doctore: ſi ergo cauſa minùs principalis non poteſt determinare cauſam magis principalem, ſequitur quòd actus meritorius erit neceſſariò elicitus, & ſic non liberè.

Charitas quomodo ſit cauſa magis principalis actus meritorij.

Dico, quòd actus meritorius dicitur meritorius principaliter à charitate, & hoc nõ eſt à ratione charitatis, quòd ipſa ſit cauſa principalior talis actus, ſed ex ſola acceptatione diuina, quæ magis acceptat illum actum, vt procedit à charitate, quàm vt à voluntate, vt patet à Doctore vbi ſuprà.

Dico etiam, quòd quando charitas, & voluntas comparantur ad actum meritorium, puta ad acceptabilitatem paſſiuam, quòd vltra ſubſtantiam actus, & intenſionem eius, nihil cauſat, quia acceptatio paſſiua eſt à ſola volũtate diuina ſic, vel ſic acceptante, vt patet *in 1.diſt.17.* Reſpectu tamen ſubſtantiæ actus, & intenſionis eius, voluntas eſt cauſa magis principalis, vt patet à Doctore *vbi ſuprà*. Et de hac materia vide quæ prolixè expoſui ſuper *17.diſt.primi.*

5. Si etiam dicatur, quòd eſſentia diuina, & ipſa voluntas diuina reſpectu productionis Spiritus ſancti ſic ſe habent, quòd eſſentia diuina eſt ratio magis principalis producendi Spiritum ſanctum, quàm voluntas: patet, quia ratio magis vniuerſalis: nam ipſa concurrit ad productionem Filij, & Spiritus ſancti: ergo videtur ſequi ex iſto dicto Doctoris quòd productio Spiritus ſancti magis deberet dici neceſſaria, & per modum naturæ, quàm libera, quod tamen eſt communiter contra Doctores & præcipuè contra Doctorem *in primo, diſt.10.*

Eſſentia diuina eſt ratio magis principalis producendi Spiritũ ſanctum, quàm voluntas.

Reſpondet Franciſcus de Mayr. *in primo, diſt.2.* quòd effectus ſequitur deteriorem partem, & ſic quando effectus eſt à duabus cauſis ab vna per modum naturæ, & ab alia per modum libertatis, talis effectus dicitur liberè produci. Sed ego non intelligo hoc dictum, ſalua tamen reuerentia tanti viri. Nam voluntas diuina, & ignis concurrunt, puta ad aliquem effectum, & tamen abſolutè ille effectus dicitur contingenter ſit productus, licèt neceſſariò ab ipſo igne, quia cauſa principalior eſt volũtas diuina, & hoc patet à Doctore *in primo, diſt. 2. parte 1. quæſt.1. & in ſecundò, diſt.1.* immò cauſa ſuperior magis aſſimilat effectum cauſæ ſecundæ, quàm ipſa cauſa ſecunda aſſimilat, vt patet *in primo, diſt.3.q.8.* Diceretem ergo pro nunc (ſaluo meliori iudicio) quòd quamuis eſſentia diuina ſit vniuerſalior ratio producendi, non tamen perfectior: voluntas enim diuina eſt ita formaliter infinita, ſicut eſſentia diuina. Doctor autem intelligit de cauſis, quarum vna ſit principalior, & perfectior alia. Dico ſecundò, quòd ad habendum effectum liberum, ſufficit quòd vna cauſa liberè agat, & tota contingentia ipſius effectus ſumitur à tali cauſa libera.

g *Præterea ſicut fuit dictum, &c.* In iſta ratione ſupponit ſecundùm primam viam, quòd Angelus in primo peccato habuit immobilem apprehenſionem reſpectu obiecti, circa quod peccauit, & ſecundùm ſecundam viam, quòd voluntas Angeli in primo peccato fuerit perfectè libera. 6.

Ex hoc infert Doctor, quòd tam ſecundùm primam viam, quàm ſecundùm ſecundam viam, non potuerit peccare ſecundo peccato, cuius oppoſitum oſtenſum eſt ſuprà, *diſt.5. & 6.* Et quòd non potuerit peccare ſecundùm iſtos ſecundo pecato, patet, quia voluntas ſequens immobilem apprehenſionem, immobiliter adhæret poſt illam apprehenſionem, ſecundùm primam opinionem, & ſimiliter voluntas perfectè libera immobiliter ſe immergit in obiecto, ita vt ab illo reſilire non poſſit ſecundùm ſecundam opinionem. Si dicatur, quòd potuit peccare ſecundo peccato; contrà, quia tunc eſt in ſtatu merendi, & demerendi, & per conſequens poſt primum peccatum Angeli non immobiliter inhæret. Si dicatur, quòd ſecundum peccatum non fuit aliud à primo peccato, ſed idem continuatur: contrà, quia oppoſitum eſt oſtenſum ſuprà, *diſt.6.quæſt.2.* vide ibi, & hoc eſt, quod dicit Doctor in fine huius rationis, ſcilicet *& non fuit idem peccatum cum peccato præcedenti.* Primum enim peccatum Angeli fuit ex immoderato amore amicitiæ reſpectu ſui, & ex illo actu amandi ſe, immoderatè eliciebat actum concupiſcendi ſibi ſummum commodum, & ex illo actu excellentiæ, quo voluit habere illud commodum, non ſub regula voluntatis ſuperioris, ſed contra eam, vt ſuprà patuit *diſt.6. quæſt.2.*

Quodnam fuerit primum peccatum Angeli.

SCHOLIVM.

Impugnat ſpecialiter opinionem D. Thomæ per tria abſurda ad eam ſequentia. Primum, quòd non poſſet Angelus apprehendere minùs rectè. Secundum, quod neceſſitaretur ad primam volitionem per intellectum, quia eodẽ modo mouet ad primam, & cæteras, ſcilicet per modum naturæ. Tertium, quod Angeli poſt primum bonum actum fuiſſent impeccabiles. Quartò, reiicit differentiam D. Thomæ inter Angelum & hominem quoad diſcurſum.

PRætereà, contra a primam viam arguitur ſpecialiter, primò, quia ipſa ſupponit falſum, ſcilicet, quòd intellectus ſit ſufficiens motor voluntatis, ſicut declarabitur *diſt.25.* 7.

Ex Diuo Tho. Angelus non potuit peccare.

diſt. 25. huius 2. Secundò hoc falſum repugnat dictis eorum in iſta poſitione, dupliciter. Primò, quia cùm intellectus Angelorum ante primum peccatum fuit rectus in apprehendẽdo (non enim pœna præceſſit culpã) ergo mouit voluntatem ad aliquid rectè appetendum, nec potuit aliter mouere: quia intellectus mouet per modum naturæ, & per conſequens non poteſt mouere niſi ſecundùm modum cognitionis quam habet: ergo mouit voluntatem ad recte volendum: ergo voluntas illa nunquam potuit peccare.

Intellectus eodem modo mouet ad primam volitionem; & ad ſequentes.

Secundò contradicit [b] illud falſum poſitioni eorum: quia ſi ex ratione motoris, & mobilis, ſit talis proportio, voluntas non tantùm eſſet immobilis poſt primam electionem voluntatis; ſed in ipſa prima, vel ante primam, quia intellectus eorum ſicut immobiliter oſtendit aliquid poſt primam electionem, ita & ante eam: ſi ipſe immobiliter apprehendens, moueat appetitum immobiliter: ergo in primo actu mouebitur immobiliter, & per conſequens non tantùm poſt primum actum.

Angelus ſecundum D. Tho. non poſſet peccare poſtquam elicuit bonum actum.

Prætereà, ex illa via [c] videtur ſequi, quòd cùm ſecundùm eos, Angelus fuerit creatus in gratia, & ſic habuit aliquem actum in gratia (quia non eſt veriſimile, quòd in primo inſtanti fuerit ocioſus, quia non fuit impeditus: & ſi fuiſſet tunc ocioſus, peccaſſet forte peccato omiſſionis) nec ſimul cum gratia peccauit, planum eſt: ergo aliquando ſecundùm gratiam habuit bonam electionem, & plenam, quia ſequentem perfectam apprehenſionem intellectus: quia ſecundùm eos non eſt niſi talis apprehenſio in eis, & hoc immobiliter, & non per diſcurſum: ergo quilibet in illa electione prima bona firmauit ſe, & factus eſt impeccabilis.

Differentia quam ponit D. Tho. inter hominem & Angelum, quoad diſcurſum, refutatur, q. 3. prol num. 2.

Prætereà, differentia [d] de voluntate hominis, & Angeli, non valet: quia etſi intelligat Angelus ſine diſcurſu, quòd ſecundùm eos, homo intelligit per diſcurſum: tamen intellectus hominis non mobiliter adhæret illi, ad quod diſcurrit: ita enim certitudinaliter, hoc eſt, non dubitando, tenet concluſionem, ad quam diſcurrit, ſicut Angelus tenet eam videndo eam in principio ſine diſcurſu: ergo iſta immobilitas intellectus humani, hoc eſt, certitudo, haberet æque immobilem voluntatem, ſicut illa alia quæ ponitur in Angelo.

Quod etiam negatur [e] ab Angelis omnis diſcurſus, non videtur probabile; ſicut probatur ſuprà in procemio primi libri quæſtione illa, *Vtrùm Theologia ſit ſcientia.*

COMMENTARIVS.

1. a *Prætereà, contra primam viam.* Poſtquam Doctor ſimul improbauit vtramque viam, nunc ſpecialiter arguit primò contra primam viam, & ſecundò contra ſecundam. Contra primam primò dicit, quòd illa via ſupponit falſum, ſcilicet quòd intellectus ſit ſufficiens cauſa mouendi voluntatem ad operationem, vt patebit *in iſto 2. diſt. 25.* vbi Doctor probabit quòd nihil aliud à voluntate eſt ſufficiens cauſa mouendi ipſam ad operationem.

Secundò dicit, quòd poſito quòd intellectus ſit ſufficiens cauſa mouendi voluntatem, adhuc ſequuntur duo, quæ repugnant dictis eorum. Primum, quòd Angelus nunquam potuerit peccare: patet, quia intellectus Angeli ante primum peccatũ fuit rectus in apprehendẽdo, aliter pœna præceſſiſſet culpam, puta cæcitas, vel ignorantia; ergo mouit voluntatem Angeli ad aliquid rectè appetendum, & immobiliter; patet, quia intellectus eſt mouens merè naturale, & per modum meræ naturæ. Sicut ergo immobiliter apprehendit rectè, ita immobiliter mouet voluntatem ad aliquid rectè appetendum, & ſic ſequitur, quòd voluntas Angeli nunquam potuerit peccare.

b *Secundò contradicit illud falſum poſitioni eorum.* Hìc Doctor adducit ſecundum repugnans dictis opinionibus, quod ſequitur ex illo falſo, videlicet, quòd intellectus ſit ſufficiens cauſa mouendi voluntatem. Dicit enim opinio, quòd poſt primam electionem intellectus mouet voluntatem immobiliter, ſed non in ipſa prima electione, ſiue ante primam electionem, quia tunc mouet mobiliter; ſed hoc videtur repugnare, quia intellectus Angeli, ita eſt mouens per modum naturæ ante primam electionem: igitur ita immobiliter mouet ante primam electionem, ſicut poſt primam. Patet etiam, quia ita immobiliter apprehendit ante primam electionem, ſicut poſt primam, cùm in vtraque apprehendat per modum naturæ, igitur ita immobiliter mouet voluntatem ante primam electionem, ſiue in ipſa prima electione, ſicut & poſt primam, quod contradicit opinioni eorum.

c *Prætereà ex illa via.* Hìc Doctor deducit ad aliud inconueniens, quod ſequitur ex dictis opinionibus, videlicet quòd in prima electione fiat omnino impeccabilis. Et quòd hoc ſequatur ex dictis eorum, patet, quia ipſi dicunt, quòd voluntas ſequens apprehenſionem immobilem, vult immobiliter, vt patet per ipſum Thomam *1. p. quæſt. 63. artic. 2.* Ex hoc dicto infert Doctor propoſitum, quia tenendo opinionem eorum, ſcilicet quòd Angelus fuerit creatus in gratia, tunc ſic in illo inſtanti, quo fuit creatus in gratia, plenè & perfectè apprehendebat. Patet, quia ſine diſcurſu; ipſi enim negant omnem diſcurſum in Angelo; ergo immobiliter apprehendebat, & pro illo inſtanti voluntas fuit perfecta in gratia, & ſic immobiliter volebat. Patet etiam, quia intellectus, ſecundùm eos, eſt ſufficiens cauſa mouendi voluntatem: ergo in illo inſtanti, quo apprehendit immobi

2. *Opinio Diui Thomæ.*

immobiliter, mouet voluntatem immobiliter, & talis actus elicitus in gratia eſt actus rectus, & meritorius, non enim cum gratia potuit eſſe actus peccati: ſi ergo ille actus immobiliter fuit elicitus, ergo ſimpliciter fuit impeccabilis.

3. d *Præterea differentia*, &c. Hîc Doctor improbat aliud dictum Thomæ vbi ſuprà. Dicit enim Thomas quòd ideò intellectus Angeli apprehendit immobiliter, quia ſine diſcurſu, intellectus verò hominis mobiliter, quia cum diſcurſu, vt ſuprà patuit. Sed hæc differentia videtur nulla, quia intellectus hominis immobiliter adhæret concluſioni, ad quam diſcurrit, ſicut & intellectus Angeli, ad quam non diſcurrit; patet, quia intellectus hominis ita certitudinaliter adhæret concluſioni, ad quam diſcurrit, & immobiliter, quia neceſſariò, & per modum naturæ, ſicut intellectus Angeli, & ſic videtur ſequi quòd ita voluntas hominis in eliciendo immobiliter ſe habeat, cùm ſequatur apprehenſionem immobilem, ſicut & voluntas Angeli.

e *Quòd etiam negatur ab Angelis*, &c. Sequitur *in proœmio primi libri quæſt. illa: Virùm Theologia ſit ſcientia.* Dictum eſt enim ibi, quòd diſcurſus non requirit neceſſariò ſucceſſionem, ſiue ordinem temporis, ſed ſufficit ordo naturæ, vide quæ ibi expoſui. *In Angelo eſt diſcurſus naturæ, non temporis.*

SCHOLIVM.

Reiicit ſpecialiter ſententiam Henrici, primò, quia cauſa libera habet actum & modum eius in ſua poteſtate, naturalis neutrum habet. Nec contradicit 1. d. 2. qnæſt. 2. quia ibi tantùm negat modum videndi eſſentiam ſine perſonis ſubeſſe voluntati, nec idem eſt de aliis modis. Secundò, aliàs omnes Angeli mali ſummo conatu peccaſſent. Tertio, tendens liberè in obiectum, liberè in eodem quieſcit. Quartò, per nullum actum extra viam obſtinatur anima, nec aſſignari poteſt, quo actu viæ, obſtinetur. Quintò, ducit exemplum Henrici de ferro acuto ad oppoſitum.

Vide ſuprà diſt. 1. huius q. 6. & d. 1. q. 4.

Agens naturale non dominatur actui nec modo actus: liberum vtroque modo dominatur. 1. d. 1. q. 4.

Mali Angeli an ſummo conatu peccauerunt?

Tendens libere in obiectum quieſcit libere in ipſo, de hoc ſupra d. 2. q. 10.

Per quid fit obſtinatio anima? Tex. 15.

Quare ferrum infixum corpori non poteſt extrahi ab infigente?

COntra ſecundam f viam arguitur ſpecialiter, quia ſicut agens naturaliter non dominatur actui, ſic nec modo agendi: & per oppoſitum ſicut agens liberum dominatur ſuæ actioni, ſic & modo agendi, & per conſequens in poteſtate eius eſt intensè, vel remiſsè agere: igitur non oportet quòd ex hoc, quòd voluntas eſt perfectè libera, quòd cum ſummo conatu ſe immergat in obiectum: imò ipſa magis dominatur ſibiipſi, cùm quantocumque conatu tendat in obiectum: & ita liberè fertur in quodcumque obiectum fertur, & poſſet etiam de abſoluta eius libertate non ſic ferri in illud. 9.

Hoc etiam confirmatur, quia non videntur omnes Angeli mali ex ſummo conatu peccaſſe, ſicut nec omnes boni ex ſummo conatu meruiſſe: aut ſaltem poſſibile fuit non ſecundùm totam facultatem naturæ ſuæ elicere actum.

Prætereà, eodem principio g tendit aliquid, vel mouetur in terminum, & quieſcit in termino: ergo ſi voluntas perfectè libera ex perfecta libertate ſua tendat in obiectum, ex eadem libertate quieſcit in obiecto: ergo ex tali plena libertate tendendi in obiectum, quali Angeli mali peccauerunt, non neceſſariò ſequitur quietatio eius in illo, ſed tantùm voluntaria, & contingens: ſicut contingenter tendit in illud.

Prætereà, ſicut tactum fuit h ſuprà contra ambas vias, non poteſt dici quòd voluntas animæ ſeparatæ per aliquem actum, quem tunc eliciat, reddat ſe obſtinatam: quia priùs naturaliter quàm ipſa ſeparata aliquem actum eliciat, eſt obſtinata, quia eſt in termino: ergo per aliquem actum, quem eliciebat in corpore, reddit ſe obſtinatam impingendo tunc in ſyntereſim. Sed hoc eſt falſum: tum, quia viator: tum, quia poteſt aliquis ex minori conatu peccare illo peccato, propter quod damnetur, ſi non ſequatur pœnitentia, quàm quo alius peccat, vel ipſemet alio peccato, quod deletur per pœnitentiam. 10.

Prætereà, contra exemplum eius de ferro acuto impingendo in os, quamuis videatur exemplum illud, & tota poſitio ſimilis poſitioni Heſiodi 3. *Metaphyſ.* quia immortales facti ſunt, quia guſtauerunt nectar, & manna, quos ibi deridet Philoſophus, quia deſpexerunt intellectum noſtrum. Non enim poteſt intelligi, ſecundùm Philoſophum ibi, quid dicitur per tales ſermones parabolicos, vel metaphoricos, nec eſt modus Philoſophi, vel ſcientifici ſic loqui, tamen accipiendo exemplum pro quanto poteſt eſſe ad propoſitum, poteſt reduci ad oppoſitum. Quare enim ferrum acutum infixum duro corpori, non poteſt extrahi à cauſa, vel virtute illa, quæ ipſum infixit; ratio eſt, quia partes corporis magis concurrunt in quas impinxit: & ideò magis coarctatur illud infixum, quàm in principio, quando infigebatur: ſed ſi augmentaretur virtus motiua, ſecundùm augmentationem, quam addit illa coarctatio partium, & illud infixum remaneret in ſua natura æquè rectum, poſſet iam extrahi: ergo cùm voluntas impingens in quodcunque, remaneat recta in naturalibus, licèt habeat curuitatem,

curuitatem, hoc eſt quandam deformitatem, quaſi priuationem inhærentem: & illud cui ſe immergit, non habeat maiorem virtutem includendi ipſam, cùm in ſe immergit, quia non eſt in obiecto aliquis talis concurſus: ſequitur quòd voluntas actiua poteſt ſe retrahere.

COMMENTARIVS.

1. a *Contra ſecundam viam arguitur ſpecialiter.* Hîc Doctor arguit contra opinionem Henrici & primò contra illud quod dicit, quòd voluntas perfecta, cuiuſmodi eſt ſeparata, vel exiſtens in corpore incorruptibili, immobiliter ſe immergit in obiecto, ita vt ab illo reſilire non poſſit, &c. Et Doctor intendit probare oppoſitum hîc, quia quantò voluntas eſt perfectior, tantò magis liberè agit, etiam ponendo quòd agat omni conatu, & arguit ſic: quia ſicut agens per modum naturæ ſic de neceſſitate agit, quòd non eſt in poteſtate eius modus agendi, puta intensè, vel remiſsè, cùm agat omni conatu, ita agens liberum ſic liberè agit, quòd non tantùm in poteſtate eius eſt actio libera, ſed etiam modus agendi, quia poteſt intensè, & remiſsè agere, ergo quantocunque voluntas eſt perfecta, tantò eius actio eſt in poteſtate eius: & poſito quòd velit aliquod obiectum omni conatu, adhuc liberè vult illud, & nullo modo de neceſſitate. Et addit Doctor quòd voluntas ex perfecta & abſoluta eius libertate poſſet non ſic ferri in illud obiectum, vt ſuprà patuit *in primo, diſt.* 1. *quæſt.* 4. vide ibi multa bona.

2. b In iſta litera Doctoris occurrunt aliqua dubia, primò, Contra hoc, quòd dicit, quòd *ſicut actio eſt in poteſtate voluntatis, ita & modus agendi.* Hoc enim videtur contradicere ſibi ipſi: nam *in primo, diſt.* 1. *quæſt.* 2. expreſsè dicit quòd licèt voluntas poſſit habere actum abſolutè, ſiue elicere, ſiue non elicere, non tamen eſt in poteſtate ſua ſic, vel ſic elicere circa quodcunque obiectum.

Secundò occurrit dubium in hoc, quod dicit, quòd *voluntas quanto eſt perfectior magis ſibi ipſi dominatur.* In hoc videtur ſibi contradicere, quia ipſe probat *in primo, diſt.* 10. quòd voluntas diuina ex ſua infinita perfectione neceſſariò vult eſſentiam diuinam.

Reſpondeo ad primum dubium. Et dico quòd non eſt ibi contradictio. Tum, quia hîc accipit modum agendi pro intensè, vel remiſsè agere, ita quòd ſicut eſt in poteſtate voluntatis velle aliquid, ita eſt in poteſtate eius velle intensè, vel remiſsè, quod non conuenit agenti naturali. In diſtinctione autem prima primi non negat quin in poteſtate voluntatis ſit velle, & modus volendi, ſcilicet intensè, vel remiſsè, concurrente ſemper influentia generali primæ cauſæ; ſed dicit quòd non eſt in poteſtate eius talis modus volendi, vt poſſe frui, puta eſſentia clarè viſa non fruendo perſonis; vel frui vna perſona clarè viſa non fruendo alia. Dico ſecundò, quòd modus volendi eſt duplex, quidam eſt in poteſtate voluntatis, qui conſequitur operationem eius. Alius non eſt in poteſtate eius, quia talis modus ex ſe non ſequitur operationem talem, niſi inquantùm agens ſuperiùs ſic, vel ſic refert actum illum. De primo modo loquitur Doctor non autem de ſecundo. Et de hoc vide *in primo, diſt.* 1. *quæſt.* 2. *art. vlt.* & vide quæ ibi notaui.

Modus volendi eſt duplex.

3. Ad ſecundum dico, quòd voluntas diuina reſpectu cuiuſcunque obiecti, ſemper liberè agit, & quanto perfectior, tantò magis liberè agit: ſed quòd velit eſſentiam diuinam neceſſariò, licèt liberè, hoc eſt ex infinita perfectione tam voluntatis diuinæ, quàm eſſentiæ, ſed reſpectu cuiuſcunque obiecti merè contingenter agit. Et de hoc vide Doctorem *in primo, diſt.* 10. & vide quæ notaui *in* 1. *d.* 1. *q.* 2. contra opinionem Ocham.

Voluntas liberè agit.

h *Prætereà eodem principio*, &c. Exemplum ponitur, quomodo eodem principio aliquid mouetur in terminum, & quieſcit in termino, nam grauitas in lapide eſt ratio tendendi, ſiue mouendi lapidem ad centrum, & etiam eſt ratio quieſcendi in illo, quia grauitas illa eſt cauſa motus ad centrum, & quietis in illo, vt ſuprà patuit *in iſto* 2. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 10. & ſicut grauitas eſt cauſa mouendi ad centrum, ita eſt cauſa neceſſaria quieſcendi in illo; ſic voluntas ex quo eſt cauſa liberè volendi obiecti, ita eſt cauſa liberè quieſcendi in illo, ita quòd ſicut liberè vult obiectum, ſic liberè quieſcit in illo.

Exemplum

Sed occurrit aliqualis difficultas, quia videtur ſequi quòd voluntas damnati liberè & contingenter continuet malitiam; patet, quia ex quo in via liberè vult malitiam, ita & in termino, per te, liberè quieſcit in illa, & ſic, videtur ſequi quòd poſſit reſilire ab illa.

Difficultas.

Reſpondeo, quòd ſicut in via liberè vult actum ſubſtratum, in quo fundatur deformitas, concurrente tamen influentia generali voluntatis diuinæ, ita in termino ſic liberè quieſceret, quòd poſſet reſilire ab illa, ſi influentia cauſæ primæ concurreret ad talem reſilitionem: de hoc ſatis dixi *in iſto* 2. *diſt.* 5. & clariùs vide quæ dicit Doctor *in* 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 2.

Reſponſio.

4. h *Prætereà, ſicut actum fuit ſuprà*, &c. Patet, quia demerentes vſque ad vltimum inſtans mortis de neceſſitate puniuntur, & in illo vltimo inſtanti ſunt in termino, vt ſuprà patuit, *diſt.* 4. Tum etiam, quia in illo vltimo inſtanti, in quo ſunt in termino, ſicut non poſſunt elicere actum meritorium, ita nec actum demeritorium. Si ergo in illo vltimo inſtanti eſt obſtinata, hoc erit per aliquem actum, quem eliciebat dum eſſet in via impingendo ſe in ſyntereſim. Sed hoc eſt falſum: tum, quia viator, & per conſequens non obſtinatus. Tum, quia poteſt aliquis ex minori conatu, &c. & per conſequens per nullum actum quem eliciebat in via poteſt ſe reddere obſtinatam.

Reliqua patent.

SCHOLIVM.

Explicat optimè quomodo in volitione, præter eius entitatem naturalem, detur triplex bonitas moralis, ſcilicet obiectalis, circumſtantialis, & gratuita: & ponit ſingulorum exempla, ac etiam malitiam triplicem triplici bonitati oppoſitam. Docet exquiſitè, quomodo duæ malitiæ harum aliquando ſint priuatiuè, aliquando contrariè, & quando actus quoad tertiam bonitatem, ſcilicet meritoriam, eſt neuter.

AD ſolutionem iſtius [a] quæſtionis, duo ſunt videnda. Primò ſcilicet de gradibus bonitatis, & malitiæ. Secundò, quæ bonitas poſſit ineſſe volitioni Angeli damnati, vel ſi aliqua malitia neceſſario inſit. 11.

De primo dico, quòd vltra bonitatem naturalem volitionis, quæ competit ſibi inquantùm eſt ens poſitiuum, quæ etiam competit cuicunque enti poſitiuo, ſecundùm gradum ſuæ entitatis magis & minus, præter illam eſt triplex bonitas moralis, ſecundùm ordinem ſe habens, prima dicitur bonitas ex genere: ſecunda poteſt dici bonitas virtuoſa, ſiue ex circumſtantia: tertia bonitas meritoria, ſiue bonitas gratuita, ſiue bonitas ex acceptatione diuina in ordine ad præmium.

Bonitas moralis triplex prima ex obiecto, ſecunda ex circunſtantiis, tertia ex gratia. Vide 16. quodl.

Prima competit [b] volitioni ex hoc, quod ipſa tranſit ſuper obiectum conueniens tali actui, ſecundùm dictamen rectæ rationis, & non ſolùm quia eſt conueniens tali actui naturaliter, vt Sol viſioni: & hæc eſt prima bonitas moralis, quæ ideò poteſt dici ex genere, quia eſt quaſi materialis reſpectu omnis boni vlterioris, in genere moris. Nam actus tranſiens ſuper obiectum, eſt quaſi formalis per quamcunque aliam circumſtantiam moralem: & ita quaſi potentiale non omnino extra genus moris (ſicut fuit ipſe actus in genere naturæ) ſed in genere moris: quia iam habet aliquid de illo genere, puta obiectum conueniens actui.

Bonitas circumſtantialis.

Secunda bonitas conuenit [c] volitioni ex hoc, quòd ipſa elicitur à voluntate cum omnibus circunſtantiis dictatis à recta ratione, debere ſibi competere in eliciendo ipſam. Bonum enim eſt ex cauſa integra, ſecundùm Dionyſium 4. de Diui. nom. & illud eſt quaſi bonum in ſpecie moris, quia iam habet quaſi omnes differentas * morales contrahentes bonum ex genere.

al. formales.

Bonitas gratia.

Tertia bonitas [d] conuenit actui ex hoc, quòd præſuppoſita duplici bonitate iam dicta, ipſa elicitur conformiter principio merendi, quod eſt gratia, vel charitas, ſiue ſecundùm inclinationem charitatis. Exemplum de primo, dare eleemoſynam. Exemplum de ſecundo, dare eleemoſynam de proprio pauperi, qui eget: & in loco, quo meliùs poteſt ſibi competere, & propter Dei amorem. Exemplum tertij, iſtud opus facere non tantùm ex inclinatione naturali (ſicut potuit fieri in ſtatu innocentiæ, vel fortè modo poteſt fieri à peccatore, ſi adhuc peccator exiſtens, & non pœnitens, ex pictate naturali moueretur ad proximum) ſed ex charitate, ex qua faciens eſt amicus Dei, inquantùm reſpicit opera eius. Hæc triplex bonitas eſt ita ordinata, quod prima præſupponitur ſecundæ, & non è conuerſo, ſecunda tertiæ: & non è conuerſo.

Malitia triplex oppoſita triplici bonitati.

Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia. Prima quidem malitia ex genere, quando ſcilicet actus, qui tantùm habet bonitatem naturæ, ex quo deberet conſtitui in genere moris, habet malitiam: quia tranſit ſuper obiectum diſconueniens, puta ſi odire tranſit ſuper Deum. Secunda eſt malitia ex aliqua circunſtantia deordinante actum: licèt tranſeat ſuper obiectum conueniens ſecundùm rectam rationem actui. Tertia eſt malitia in demerito. 12.

Vt ſi quis det eleemoſynam propter libidinem.

Malitia ex obiecto, contrarie & priuatiuè eodem modo opponitur bono.

Quælibet iſtarum malitiarum [e] poteſt accipi contrariè, vel priuatiuè reſpectu ſuæ bonitatis: & vt priuatiuè accipitur, tantùm priuat ipſam bonitatem: vt accipitur contrariè, ponit aliquid vltrà carentiam illã, repugnans tali bonitati: hæc diſtinctio apparet per Boëtium ſuper Prædicamenta, *cap. de Qualitate.* Sed malitia [f] ex genere contrariè accepta, & priuatiuè conuertuntur: & ideò ſicut inter priuationem, & habitum immediatum, non eſt medium; ita bonum ex genere, & malum ex genere ſunt contraria immediata. Ratio eſt, quia actus non poteſt eſſe quin tranſeat ſuper obiectum, & illud neceſſariò eſt conueniens, vel diſconueniens actui: & ita neceſſariò actus bonus ex genere, ex obiecto conuenienti; vel actus malus ex genere, ex obiecto diſconuenienti

Malitia priuatiuè accepta in ſecundo modo & contrariè non conuertuntur: poteſt enim

enim aliquis actus carere circunſtantia requiſita ad perfectionem actus virtuoſi:& tamen non elici cum circumſtantia repugnante, quæ redderet illum actum vitioſum; pura, ſi det eleemoſynam pauperi non ex circumſtantia finis:quia non conſiderat,nec ſecundum alias circunſtantias requiſitas ad actum virtuoſum, iſte quidem actus non eſt bonus,vel virtuoſus moraliter, quia non eſt circunſtantionatus: nec tamen malus contrariè,quia non ordinatur ad finem indebitum:ſicut faceret, qui daret eleemoſynam pauperi propter vanam gloriam,vel propter aliquem alium finem indebitum.

Aliæ duæ malitiæ ſumptæ priuatiuè, & contrariè non conuertuntur.

13. Malitia tertio modo contrariè [g] & priuatiuè accepta, non conuertuntur:quia actus poteſt eſſe malus priuatiuè,ita quòd non eliciatur ex gratia,& tamen non erit demeritorius. Quod patet ex ſecundo membro, quia ille actus, qui eſt bonus ſimpliciter in genere moris,non eſt meritorius:& tamen non omnis actus talis eſt demeritorius, & ita tam in ſecundo membro, quàm in hoc tertio, videtur poni actus indifferens, qui licèt ſit malus priuatiuè,non tamen contrariè,quia indifferens,& de hac indifferentia dicetur aliàs.

Datur quoad circumſtantias actus neuter & quoad meritum.

Similiter non ſolùm propter neutralitatem actus in ſecundo modo,poteſt eſſe neuter in tertio modo, id eſt, nec bonus, nec malus,accipiendo iſta contrariè: ſed propter diſpoſitionem ipſius operantis, puta ſi in ſtatu innocentiæ abſque gratia aliquis rectè egiſſet, fuiſſeet quidem ille actus perfectè bonus ſecundo modo: & tamen non bonus tertio modo, quia non habuiſſet principium merendi, nec malus contrariè. Fortè tamen in ſtatu [h] iſto non eſt aliquis actus neuter inter bonum & malum,ſumptum, tertio modo, niſi in vno caſu; quando ſcilicet actus eſt bonus ex circunſtantia,ad quem non inclinat charitas. Et ratio eſt, quia modò quilibet vel eſt in gratia, vel in peccato: ſi in gratia, & habet actum bonum ſecundo modo: ergo gratia inclinat ad illum, & ita eſt meritorius. Si autem habet actum malum, ſecundo modo, planum eſt quòd ille eſt demeritorius. Semper enim malitia prior infert ſecundam,non è conuerſo. Si eſt malus, & habet actum malum ſecundo modo,peccat illo actu.Si eſt malus, & habet actum bonum ſecundo modo, ille non eſt bonus tertio modo, nec malus tertio modo: ergo neuter quantum ad bonum, & malum vt ſunt contraria tertio modo,nec tamen eſt neuter,loquendo de ſecundo modo.

Infr.d. 41.huius 2.

Ex inclinatione charitatis id eſt, ex virtuali ſaltem relatione in Deum. De actibus neutris vide infrà d.41. & d.25. & 4. d.6.q.6.

COMMENTARIVS.

1. *His habes multa bona de triplici bonitate actus voluntatis.*

a *AD ſolutionem iſtius quæſtionis.* Pro clariori intelligentia primò præmitto vnum. Secundò exponam literam Doctoris incipiendo ibi:*prima competit & volitioni*,&c. Quantum ad primum.Dico, quòd Doctor hîc loquitur de bonitate actus,quæ competit actui,primò, & per ſe, & non ex participatione tantùm;nam ſolus actus voluntatis elicitus poteſt dici primò,& per ſe bonus moraliter,actus verò alterius potentiæ participatiuè tantùm poteſt dici bonus moraliter pro quanto imperatur à voluntate conformiter ſe habente dictamini, vt patet à Doctore *in quæſt. vlt.prolo.& diſt.17.primi, & in iſto 2. diſt.42. & in 3.diſt.34.& in 4.diſt.14.& in quodlib quæſt.17. & 18.* Quantùm ad ſecundum declarandum, dicit Doctor quòd prima bonitas moralis,quæ conuenit actui elicito voluntatis, quæ eſt bonitas ex genere, ex hoc dicitur bonitas ex genere, quia tranſit ſuper obiectum conueniens ſecundùm rectum dictamen rationis:exemplum, voluntas poteſt diligere bonum dupliciter,primò,quia diligit illud vt obiectum ſibi conueniens ex natura rei, & ad quod naturaliter inclinatur talis dilectio, vt ſic,non poteſt dici bona ex genere,ſiue ex circumſtantia generis:quia ſic viſio, quæ tranſit ſuper obiectum viſibile, ſibi conueniens ex natura rei, poſſet dici bonum moraliter ex circumſtantia generis, quod tamen eſt falſum, cùm nullus actus poſſit cenſeri bonus moraliter, loquendo etiam de circunſtantiis ex genere, niſi conformiter eliciatur rationi rectè dictanti de tali circumſtantia ex genere,vt ſuprà patet *in prologo, quæſt. vltima.* Secundò voluntas poteſt diligere bonum, recta à ratione dictante,id eſt,ſi intelligo aliquod bonum,quod verè eſt diligibile,hæc cognitio dictat voluntati, vt diligat illud, tunc ſi voluntas conformiter tali cognitioni, ſiue rationi eliciat actum amandi, talis actus erit bonus ex genere, cùm tranſeat ſuper obiectum conueniens ſecundùm dictamen rationis. Si verò voluntas odiret illud obiectum, quod eſt verè diligibile ſecundùm dictamen rationis, tunc talis actus odij diceretur malus ex genere;ex hoc, quòd tranſit ſuper obiectum diſconueniens ſecundùm dictamen rationis. Si verò actus odij tranſiret ſuper malum, & hoc ſecundùm dictamen rationis, talis actus eſſet bonus ex genere, quia illud obiectum ſecundùm dictamen rationis eſt verè odibile.

Bonitas ex genere.

b Et hoc eſt, quod dicit Doctor *prima competit volitioni*,&c.Et addit parum infrà, quòd *hæc bonitas prima, quæ eſt ex genere* ſolum; *eſt quaſi materialis reſpectu omnis boni vlterioris in genere moris.* Nam actus volendi poteſt ordinatè habere plures rationes bonitatis,ita quòd prima eſt quaſi materialis reſpectu ſecundæ, & ſecunda reſpectu tertiæ;nam prima bonitas, quæ eſt bonitas entitatiua,eſt in potentia ad bonitatem ex genere, vt quando actus volendi habet illam circunſtantiam,quæ eſt tranſire ſuper obiectum conueniens, ſecundùm dictamen rationis. Secundò idem *velle* cum iſta prima circumſtantia eſt in potentia, & quaſi materia ſubiectiua reſpectu aliarum circumſtantiarum,inter quas prima erit circunſtan-

2.

tia cauſæ, ſupple, quòd ille actus volendi tranſeat ſuper obiectum conueniens merè liberè, id eſt, quòd voluntas velit illud obiectum liberè; ſecunda eſt circumſtantia finis, & ſic de aliis, de quibus infrà patebit in iſto ſecundo, diſt. 40.

Bonitas virtuoſa.

c *Secunda bonitas conuenit volitioni*, &c. Quomodo hoc intelligatur, vide quæ prolixè dicit Doctor in primo, diſt. 17. de habitu morali, & ea ibi quæ diffusè expoſui.

Bonitas gratuita.

d *Tertia bonitas conuenit actui ex hoc, quòd ſuppoſita duplici bonitate*, ſcilicet ex genere, & perfectè morali, *ipſa elicitur conformiter principio merendi quod eſt gratia, & charitas, ſiue ſecundum inclinationem charitatis*, Actus enim meritorius, loquendo ſemper de potentia Dei ordinata ex hoc ſolo dicitur meritorius, quia elicitur à voluntate, & charitate, vel vt cauſa partiali concurrente, vel ſaltem inclinante voluntatem ad huiuſmodi actum eliciendum. De quo actu meritorio, vide Doctorem in primo, diſt. 17. & multa quæ ibi expoſui.

3. e *Quælibet iſtarum malitiarum poteſt accipi*, &c. Accipitur enim malitia priuatiuè ex hoc, quòd priuat tantùm aliquam circumſtantiam; exemplum, cùm quis dat eleemoſynam pauperi, nó conſiderando finem, nec alias circumſtantias, tunc illa operatio eſt mala priuatiuè, id eſt, quòd non habet actu omnes circumſtantias facientes illam operationem perfectè moralem. Malitia verò contrarie non tantùm dicit priuationem alicuius circumſtantiæ requiſitæ ad actum perfectè moralem; ſed etiam ponit circumſtantiam repugnantem circumſtantiæ requiſitæ ad actum perfectè moralem: vt cùm quis dat eleemoſynam pauperi propter libidinem, ſeu propter inanem gloriam, talis enim circumſtantia repugnat circumſtantiæ debiti finis.

f *Sed malitia ex genere contrariè accepta*, &c. Vult dicere Doctor quòd malitia ex genere priuatiuè, & contrariè ex hoc conuertuntur; quia non poteſt dari aliquis actus malus ex genere, quin neceſſariò tranſeat ſuper obiectum diſconueniens, & vt ſic tranſit, neceſſariò priuatur obiecto conuenienti; & ſimiliter non poteſt eſſe actus malus ex genere, qui careat obiecto conuenienti, quin neceſſariò tranſeat ſuper obiectum diſconueniens. Exemplum, odire Deum eſt actus malus ex genere, quia tranſit ſuper obiectum diſconueniens, & vt ſic tranſit, priuatur obiecto conuenienti, puta malo, quod eſt obiectum conueniens odij.

4. *Nota.* Aduerte, quòd cùm dicit ibi, *actus non poteſt eſſe quin tranſeat ſuper obiecto*, &c. hoc non debet abſolutè intelligi, quia tunc ſibi contradiceret. Vult enim *in quodlib. quæſt.* 14. quòd poſſit dari actus abſolutè ſumptus ſine relatione ad obiectum. Sed debet ſic intelligi, quòd non poteſt dari actus voluntatis, quin tranſeat ſuper obiectum, loquendo tantùm de potentia creaturæ, vel quòd non poſſit dari actus malus ex genere, vel bonus ex genere, quin neceſſariò tranſeat ſuper obiectum conueniens, vel diſconueniens actui.

Quæ ſit malitia.

g *Malitia tertio modo contrariè, & priuatiuè accepta non conuertuntur*; patet, quia malitia hoc tertio modo contrariè accepta, eſt actus demeritorius; vt cùm quis dat eleemoſynam pauperi ſimpliciter propter libidinem, nam hoc eſt demeritorium, & eſt malitia, quæ contrariè opponitur bonitati morali ſecundo modo acceptæ, & etiam bonitati tertio modo acceptæ, ſcilicet bonitati meritoriæ. Malitia verò priuatiuè accepta tertio modo eſt illa, quæ non eſt meritoria nec demeritoria, & eſt ibi ſola priuatio, vel gratiæ, quæ eſt principium merendi inclinationis gratiæ ad talem actum. Exemplum, ſi Franciſcus ſit in puris naturalibus, ita quòd nec in gratia, nec in peccato poſſet elicere aliquem actum perfectè circunſtantionatum omni circumſtantia morali, ille actus nec eſſet meritorius vitæ æternæ: patet, quia non eſſet à gratia, nec demeritorius, cùm ſit perfectè moralis; ergo erit actus neuter inter actum meritorium, & demeritorium, quia nec meritorius, nec demeritorius. *Exemplum.*

Nota. Similiter ſi aliquis eſſet in peccato mortali, hoc eſt obligatus ad pœnam æternam, & daret eleemoſynam pauperi amore Dei, & cum aliis circumſtantiis requiſitis ad actum perfectè moralem, ille actus non eſſet meritorius, cùm non ſit à gratia; nec demeritorius, cùm non ſit contra aliquod præceptum, nec iuris diuini, nec naturæ, ergo actus neuter. Similiter ſi exiſtens in gratia daret eleemoſynam pauperi cum omni circunſtantia requiſita ad actum moralem; eſſet tamen ibi priuatio inclinationis gratiæ, id eſt, quòd ſi gratia non inclinaret ad hoc, ille actus non eſſet meritorius, cùm actus meritorius ſit principaliter à gratia, vel vt inclinante voluntatem ad huiuſmodi actum; vel vt à cauſa partiali concurrente principali, vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 17. nec etiam eſſet demeritorius, quia actus demeritorius de potentia ordinata non poteſt ſtare cum gratia; ergo actus neuter; & ſic poteſt dari aliquis actus perfectè circumſtantionatus omni circumſtantia morali, qui tamen nec eſſet meritorius, nec demeritorius, ſed ſimpliciter neuter. Et licèt aliqui nitantur improbare Doctorem de actu neutro, vt Gregorius de Arimino, & quidam alij. Sed vide quæ notaui in primo, diſt. 1. quæſt. 3: contra Greg. de Arimino.

5. h *Fortè tamen in ſtatu iſto*, &c. Eſt enim credendum, quòd quando voluntas informata charitate elicit aliquem actum conformiter dictamini recto, & hoc naturali, vel fidei, quòd charitas in tali voluntate exiſtens (quæ eſt principalis ratio merendi) ſemper concurrat ad huiuſmodi actum, & ſic omnis actus perfectè moralis elicitus à voluntate, charitate informata, eſt meritorius vitæ æternæ; & talis actus meritorius ſemper eſt ex deliberatione, quæ ſupponit in intellectu perfectum dictamen, cui conformiter elicitur: nec credo, vt aliqui Prædicatores minùs quàm doctè, qui aſſerunt, quòd quando aliquis eſt in charitate, quòd ſiue dormiat, ſiue comedat, ſiue aliquid aliud faciat, quòd ſemper mereatur. Actus enim meritorius, vt dicit Doctor *hic*, & *in quodlib. quæſt.* 18. præſupponit actum perfectè moralem, qui actus præſupponit dictamen practicum, cui conformetur: benè verum eſt, quòd quando aliquis actus, licèt non actus circunſtantionatus omni circumſtantia, vt puta, cùm quis vadit ad officiū, & actu non dicit illud propter Deum, quod talis actus erit meritorius, ſi eliciatur in virtute alterius actus perfectè circumſtantionati, vt cùm intrat eccleſiam, & ratio dictat, vt voluntas velit dicere officium amore Dei ſimpliciter, & cum omni alia circumſtantia, tunc voluntas ſi determinat ſic dicere, vt ratio dictat, talis determinatio eſt meritoria, & officium actu celebratum, licèt tunc non ſit in memoria finis, propter quem celebretur: de hoc vide in quarto. *An quando aliquis eſt in charitate, ſemper mereatur.*

SCHO

SCHOLIVM.

Reſolutio huius literæ ſtat in aliquot dictis. Primum, malus Angelus poteſt velle obiectum bonum, ſeu actum ex obiecto bonum elicere. Secundum, habet potentiam receptiuam actus meritorij. Tertium, habet potentiam actiuam partialem eiuſdem actus, tamen in poteſtate eius non eſt mereri. Quartum, non poteſt acquirere aliam concauſam meriti, ſcilicet gratiam. Quintum, non poteſt ſe diſponere ad gratiam. Sextum, habet potentiam remotam vt opponitur actui, non proximam ad meritum. Septimum, habet potentiam logicam, id eſt, non repugnantiam ad meritum ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, ſeu ex compoſitione, impotentiam habet Logicam. Octauum, de potentia ordinata repugnat eum mereri.

14. DE ſecundo dico [a] quòd Angelum malum non poſſe habere volitionem bonam, poteſt intelligi de iſta triplici bonitate, & de illa prima, quæ eſt ex genere, non eſt dubium quin habere poſſit & habeat multas volitiones tranſeuntes ſuper obiectum conueniens tali actui, puta amando ſe, odiendo pœnam, & ſic de aliis multis. Sed de aliis duobus [b] modis bonitatis, ſcilicet virtuoſæ, & meritoriæ eſt difficultas. Et primò videndum eſt de bonitate meritoria.

Vbi dico, quòd nón poteſt habere volitionem ſic bonam, intelligendo in ſenſu compoſitionis: quia non ſtant ſimul quòd ſit malus, & habeat volitionem ſic bonam: ſicut nec album poteſt eſſe nigrum in ſenſu compoſitionis: quia tunc idem ſimul eſſet album, & nigrum. Sed in ſenſu diuiſionis poteſt ibi negari, aut potentia logica, aut potentia realis: ſi realis, aut illa, quæ dicit rationem principij, aut illa, quæ eſt differentia entis, quæ dicit ordinem ad actum.

De hac duplici potentia 1. d. 2. 2. p. q. 3. n. 10. & d. 7. & infra d. 12. & 16. Voluntas Angeli mali eſt receptiua actus meritorij.

De potentia igitur [c] reali videndum eſt quomodo non habet potentiam, quæ eſt principium ad ſic volendum. Vbi dico, quòd hoc principium, aut intelligitur eſſe paſſiuum, aut actiuum: ſi paſsiuum, dico, quòd illud habet: quia voluntas eſt quoddam receptiuum rectæ volitionis. Quod enim de ſe eſt receptiuum alicuius rectæ volitionis, quamdiu idem in ſe manet, non eſt non receptiuum illius: illa autem voluntas fuit aliquando receptiua bonæ volitionis: quia ante damnationem potuit meruiſſe, & fuiſſe beatus.

15. De principio actiuo reſpectu rectæ volitionis poſſumus loqui, aut de principio totali volitionis, aut principio partiali: voluntas quidem reſpectu rectæ volitionis, eſt principium actiuum partiale, ſicut tactum fuit diſt. 17. primi, & tangetur infrà diſt. 25. & illam habet integram ſecundùm Dionyſium & eandem, quam habuit in ſtatu innocentiæ: & per conſequens non eſt verum negare ab eo potentiam, hoc eſt, principium actiuum partiale volitionis meritoriæ: ſed iſtud principium non eſt totale, quia non ſufficit ſola voluntas ad meritoriè volendum: ſed requiritur gratia tanquam principium cooperans, nec iſta voluntas eſt partiale principium principale, vel ſufficiens ad ponendum partiale principium, ſcilicet gratiam in *eſſe*. Quamuis enim gratia iam habita voluntas vtens, ſit principale agens reſpectu actus: tamen gratia, [d] non habita, ipſa non eſt ſufficiens ad ponendum gratiã in *eſſe*: quia gratia non poteſt ineſſe niſi à ſolo Deo creante, & ita Angelus non habet totale principium actiuum ad agendum talem actum, nec eſt principale partiale principium actiuum, in cuius poteſtate ſit producere reliquum principium actiuum partiale in *eſſe*, & amouere impedimentum [e] vſus ſui, & ſui principij ad eliciendum actum, & effectum communem eorum.

q. 2. Voluntas principium partiale meriti, non potens ex ſe habere comprincipium, ſcilicet gratiã.

Exemplum accommodatiſſimũ. Videtur prater gratiam inhærentem ponere auxilium neceſſarium ad meritum.

Exemplum iſtius eſſet, ſi quis habens viſum, eſſet in tenebris: licèt tunc habeat principium partiale actus videndi, & principale principium videndi, quando concurrunt lumen, & potentia viſiua; non tamen habet tunc totale principium, nec principium principale ſufficiens ad ponendum illud, quod requiritur ad effectum iſtorum duorum principiorum partialium: nec etiam poſſet amouere impedimenta, & ideò licèt iſte habeat potentiam viſiuam, pro quanto habet principium diminutum reſpectu viſionis, non tamen in poteſtate eius eſſet videre. Ita dico, quòd in poteſtate Angeli non eſt meritoriè velle, quia non eſt in poteſtate eius habere gratiam, nec per conſequens vti gratia: nec etiam vti voluntate ſua cum gratia iſta, ad actum ſuum eliciendum, & omnes hæ negatiuæ ſunt veræ: quia non eſt in poteſtate eius, habere formam, qua vtatur, nec amouere impedimenta.

An Angelus malus poteſt ſe diſponere ad gratiã

16. Sed hîc eſt dubium, quia quod dictum eſt de principio actiuo, etſi verum ſit comparãdo ad effectum principalem, qui eſt meritoriè agere ex gratia, qua meritoriè velit;

poteſt ſe diſponere ad gratiã:

reſtat dubium de principio diſpoſitiuo, ſiue actiuo ad diſpoſitionem reſpectu principalis agentis, an ſcilicet habens voluntatem tanquam principale principium actiuum, poſſit ſe diſponere ad gratiam, & ſi hoc videtur, quòd in poteſtate eius ſit benè velle, ſicut in poteſtate peccatoris viatoris, non plus enim poteſt peccator viator malus niſi ſe diſponere; & tunc dabitur ſibi gratia à Deo, qua bene poſtea agit.

Vtrùm autem f viator poſſit habere aliquem motum attritionis ex puris naturalibus, exiſtente influentia generali, vel requiratur aliqua operatio ſpecialis, de hoc in quarto. Sed ſuppoſito, quòd ſic, g negaret aliquis iſtam potentiam diſpoſitiuam ab Angelo damnato: & diceret eam conuenire poſſe peccatori viatori.

d. 14. q. 2. ar. 2.

** rectiùs Fulgentij.*

Sed huic videtur obuiare auctoritas * Auguſtini, ſuprà allegata *de fide ad Petrum*, quæ magis concedit poteſtatem Angelo lapſo, redeundi ad bonum ex puris naturalibus, quàm homini lapſo: ergo ſi homo viator poteſt ex naturalibus ſuis habere iſtam potentiam diſpoſitiuam, multò magis Angelus.

Secundùm hoc ergo h quantùm ad omnia membra de potentia, vt eſt principium, non videtur negandum ab Angelo poſſe meritorie velle, niſi quia non habet principium merendi totale: nec principale partiale reſpectu volitionis bonæ: nec reſpectu gratiæ ſpecialis, quæ requiritur ad bonam volitionem: nec tamen eodem modo poteſt ipſe benè velle, quo viator peccator, ſicut poſteà dicetur. Si autem intelligatur de potentia, quæ eſt differentia entis, quæ ſcilicet ordinatur ad actum; concedi poteſt de potentia remota, quæ ſcilicet conſequitur rationem potentiæ actiuæ, & paſſiuæ, licèt partialis ſecundariæ & diminutè: non tamen poteſt concedi de potentia propinqua, quia illa non exit in actum, niſi amotis omnibus impedimentis, ita quòd habens eam, ſtatim poſſet exire in actum: qualis non eſt ex illa potentia paſſiua ſola, quam habet Angelus: nec ex illa cauſa partiali, quæ eſt voluntas, deficit enim vna cauſa partialis, quæ requiritur ad agendum. 17.

Diabolus quomodo in potentia remota ad meritum.

Si intelligatur de potentia Logica, quæ dicit modum compoſitionis formatæ ab intellectu, hoc modo impoſſibilitas poteſt eſſe in compoſitione, vel ex repugnantia intrinſeca extremorum inter ſe, vel ex aliquo intrinſeco, quod requiritur ad hoc, quòd extrema ſint vnita. Exemplum primi, homo eſt irrationalis; exemplum ſecundi, ſi oculus eſſet in tenebris, & impoſſibile eſſet illud opacum cauſans tenebras amoueri; impoſſibile eſſet talem oculum videre: non quidem ex repugnantia intrinſeca terminorum, quæ eſt oculi ad *videre*: ſed ex repugnantia alicuius extrinſeci ad alterum extremorum, ſcilicet illius opaci ad *videre*.

Inter diabolum & meritũ non eſt repugnãtia intrinſecã.

Ad propoſitum ergo applicando, dico quòd non eſt hîc impoſſibilitas ex repugnantia intrinſeca extremorum: imò in ſubiecto non eſt repugnantia intrinſeca ad prædicatum: ſi qua ergo ſit impoſſibilitas, erit ex repugnantia alicuius extrinſeci ad vnionem iſtorum extremorum, illud extrinſecum non poteſt eſſe niſi cauſa, cuius actio requiritur ad hoc vt extrema vniantur: talis cauſa reſpectu vnionis gratiæ ad aliquod ſubiectum, non eſt nata eſſe alia, niſi ſolus Deus: igitur erit impoſsibile Angelum benè velle, vel gratiam habere, quia impoſsibile eſt Deum ſibi gratiam dare. 18.

Potentia abſoluta & ordinata differunt, de quo 1. d. 44.

Impoſsibilitas autem ex parte Dei aſsignatur duplex ſcilicet ex parte potentiæ Dei abſolutæ, & potentiæ ordinatæ. Abſoluta eſt reſpectu cuiuſlibet, quod non includit contradictionem, & patet quòd ſic non eſt impoſsibile Deum dare gratiam illi naturæ: cùm enim illa natura ſit capax gratiæ, ſicut tactum fuit ſuprà in materia de potentia paſsiua, ſequitur quòd nulla ſit contradictio in hoc, quod eſt gratiam actu informare illam naturam. Potentia ordinata Dei, ſicut tactum fuit *in primo lib. d. 44* eſt illa, quæ conformis eſt in agendo regulis prædeterminatis à diuina ſapientia, vel magis à diuina voluntate.

c. 66. De potẽtia ordinaria damnati non poſſunt habere gratiam.

Et quantùm ad creaturam rationalem beatificandam, vel puniendam, ſunt regulæ iuſtitiæ ordinatæ. Hæ regulæ ex ſcriptura colliguntur, inter quas eſt illa auctoritas Eccleſiaſt. 11. *Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit.* Hoc eſt, in cuiuſcunque creatura rationalis amore permanſerit, in illo permanebit, & Iſa. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur*, & Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſtia autem in vitam æternam.* Et ex talibus regulis ſcripturæ concludit Auguſtinus 21. *de Ciuit. Dei, cap.* 23 & 24. quòd certum eſt Deum nunquam daturum eis gratiam. Secundùm hoc ergo impoſsibile eſt eos benè velle: quia impoſsibile eſt Deo (de potentia dico ordinata) eis gratiam dare.

COMMENTARIVS.

1. a *De ſecundo dico.* Nunc Doctor intendit declarare ſecundum principale, ſcilicet quæ bonitas poſſit ineſſe volitioni Angeli damnati, vel ſi aliqua malitia neceſſariò inſit. Et primò dicit, quòd non eſt dubium quin Angelus malus poſſit habere, & habeat multas volitiones tranſeuntes ſuper obiectum conueniens actui, puta amando ſe, odiendo pœnam, & ſic de aliis, & ſic habere multas volitiones bonas ex genere.

b *Sed de aliis duobus modis bonitatis*, &c. Dicit duas concluſiones.

Prima, quòd non poteſt habere volitionem meritoriam in ſenſu compoſitionis, quia iſta non ſtant ſimul, quòd ſit malus, & habeat volitionem meritoriam, quia tunc ſimul eſſet in merito, & demerito, vel ſimul eſſet in merito, & in pœna correſpondente, quæ ſunt abſurda.

Secunda concluſio eſt de ſenſu diuiſionis, an videlicet Angelus malus poſſit habere volitionem meritoriam in ſenſu diuiſionis, ſicut dicimus, an album poſſit eſſe nigrum: & dicit, quòd in tali ſenſu diuiſionis poteſt ibi negari, aut potentia Logica, aut realis. Et quid ſit potentia Logica, vide *in primo, diſtin. 2. parte 2. quæſt. 3. reſp. ad principalia argumenta*, & clariùs *diſtin.* 7. In propoſito, cùm quæritur, an Angelus malus poſſit habere volitionem meritoriam? ſenſus eſſet, An Angelo malo ſimpliciter repugnat, poſſe habere volitionem meritoriam. Sequitur in litera, *ſi eſt potentia realis, aut illa, quæ dicit rationem principij*, &c. De iſtis potentiis patebit infrà *diſtin.* 16. & ſatis dictum eſt in primo, *diſt.* 7.

2. c *De potentia igitur reali videndum eſt*, &c. Hîc Doctor dicit duo.

Primò, quòd loquendo de principio reali paſſiuo, ſiue receptiuo, Angelus malus habet huiuſmodi principium reſpectu actus meritorij; patet, quia ſemper manet eadem voluntas, quæ ex ſe eſt receptiua, non tantùm actus meritorij, ſed etiam præmij correſpondentis actui meritorio.

Secundò dicit, quòd loquendo de principio reali actiuo Angelus malus habet principium reale actiuum actus meritorij, loquendo tantùm de actiuo partiali. Actiuum enim totale actus meritorij eſt voluntas, & gratia, vt ſuprà patet *in primo*, *diſtin.* 17. modo Angelus malus caret gratia. Et addit Doctor quòd voluntas Angeli mali, quæ eſt partiale principium actus meritorij non habet in poteſtate ſua aliud partiale principium ſcilicet ipſam gratiam, non enim voluntas creata poteſt ponere gratiam in *eſſe*, cùm tantùm ſit creabilis ab ipſo Deo. Addit etiam dicens, quòd quamuis gratia iam habita voluntas vtens ſit principale agens reſpectu actus.

Angelus malus caret gratia.

3. *Difficultas.* In iſta litera occurrit aliqualis difficultas in hoc, quod dicit, quòd *gratia iam habita, voluntas vtens* ſupple ipſa gratia, *eſt principale actiuum actus meritorij*; videtur enim ſibi contradicere, quia in primo, diſtin. 17. ſic dicit: *accipiendo actum ſecundùm rationem meritorij, poteſt dici, quòd principaliter illa acceptatio conuenit actui ab habitu, & minùs principaliter à voluntate: magis enim acceptatur actus vt dignus præmio, quia eſt elicitus à charitate, quàm quia eſt à voluntate liberè elicitus.* Hæc ille. Vult enim ibi quòd gratia reſpectu actus meritorij ſit principalis cauſa, hîc verò oppoſitum dicit.

Reſponſio. Reſpondeo, & dico, quòd nulla eſt hîc contradictio, ſi rectè Doctor intelligatur. Nam vt loquitur de principio verè actiuo actus meritorij, voluntas eſt principale actiuum, & gratia minùs principale, & effectiuum, ſiue productum ab vtroque, eſt actus tantùm quo ad ſubſtantiam, & intenſionem, non autem ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam dicitur meritorius, quòd enim actus ſit meritorius, ſiue acceptus formaliter, ſiue dignus vita æterna, hoc non eſt effectiuè, neque à voluntate, neque à charitate, ſed ſolùm à voluntate diuina ſic, vel ſic acceptante, vt patet à Doctore *in primo, diſtin.* 17. & ideò apertè dicit, quòd *voluntas vtens ipſa gratia eſt principale agens*, quia vtitur ipſa tantùm quo ad ſubſtantiam, & intenſionem actus, non autem quantùm ad illam rationem, ſecundùm quam dicitur meritorius.

Actus meritorius dignus eſt vita æterna ſolum à voluntate diuina ſic acceptante.

Si dicatur, quòd etiam ipſa voluntas eſt principale agens non tantùm reſpectu ſubſtantiæ, & intenſionis actus, ſed etiam reſpectu acceptationis paſſiuæ, qua actus formaliter dicitur acceptus, ſiue meritorius. Et quòd ſic poſſit dici cauſa actiua, probatur, ſupponendo quod dicit Doctor *in quarto, diſt.* 1. *q.* 4. vbi ſic dicit: *producens diſpoſitionem ad aliquem effectum, licèt in ſe non attingat illum effectum, tamen poteſt dici cauſa ipſius, quia producit diſpoſitionem, ad quam ſequitur talis effectus.* Hoc idem poteſt patere *in* 4. *diſt.* 14. *&* *in* 2. *diſt.* 18. *&* *in tertio, diſt.* 4. Cùm ergo actus quo ad ſubſtantiam, & intenſionem productus à voluntate, & gratia ſit diſpoſitio ad acceptationem paſſiuam (patet, quia Deus ab æterno diſpoſuit actum à voluntate, & à gratia productum acceptare, vt dignum vita æterna, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 17.) ſequitur quòd cum voluntas ſit cauſa principalis reſpectu illius actus, quia eſt diſpoſitio, &c. quòd etiam erit cauſa principalis reſpectu acceptationis paſſiuæ. Et ſi ſic falſum videtur, quod dicit Doctor *in* 1. *diſt.* 17. quòd talis acceptatio ſit principalius à gratia, quàm à voluntate.

Reſpondeo. Et dico, quòd diſpoſitio eſt duplex: quædam eſt ex natura rei, quâ poſitâ, effectus ex natura rei, & de neceſſitate ſequitur, ſicut calor, & ſiccitas in ligno erit diſpoſitio ex natura rei, quâ perfectè poſitâ neceſſariò ſequitur forma ſubſtantialis ignis, quia ignis agens in lignum, introducto vltimo gradu diſpoſitionis, de neceſſitate producit formam ſubſtantialem ignis. Alia eſt diſpoſitio, quæ non eſt ex natura rei, ſed eſt ex ſola voluntate ſic, vel ſic acceptante. Primo modo verum eſt quòd ſi aliquid eſt principalis cauſa diſpoſitionis, ad quam ſequitur effectus, ſed ſecundo modo non eſt verum, non enim ſequitur, quòd ſi aliquid eſt cauſa principalis alicuius actus, quòd etiam ſit cauſa principalis effectus ſequentis à voluntate alterius, quia & quòd talis effectus producatur, & quòd talis actus ſit diſpoſitio ad illum effectum, eſt ſimpliciter ex voluntate acceptantis. Dico ergo, quòd nulla eſt operatio noſtra etiam intenſiſſima, quæ ex natura ſua ſit acceptabilis ad vitam æternam, nec etiam quæ ſit diſpoſitio ad huiuſmodi acceptationem

Diſpoſitio duplex.

Nulla eſt operatio noſtra quæ ſit acceptabilis ad vitam æternam.

paſſiuam, ſed hoc totum eſt à voluntate diuina; quòd enim operatio elicita à voluntate acceptetur ad vitam æternam, hoc eſt à ſolo Deo acceptante,& ſimiliter, quòd ſit diſpoſitio ad huiuſmodi *acceptari*, eſt à ſolo Deo; & tunc dico, quòd quamuis operatio, quantùm ad ſubſtantiam, & intenſionem ipſius ſit principaliter à voluntate; tamen quòd ipſa ſit diſpoſitio ad acceptari ad vitam æternã eſt principaliter à gratia, quia Deus diſpoſuit ab æterno, quòd operatio, quæ procedit à volũtate principaliter quoad ſubſtãtiã,& intenſionẽ,& minùs principaliter à gratia,ſit principaliter ab ipſa gratia, vt diſpoſitio.

d *Tamen gratia non habita*,&c. Pro clariori intellectione eſt conſiderandum, quòd aliquid eſt principium partiale alicuius effectus, quod habet in virtute ſua, poſſe producere aliud principium partiale,& hoc,vel totaliter, vel partialiter; patet, quia intellectus agens eſt principium partiale intellectionis,puta lapidis,vt patet à Doctore *in quodlib. quæſt.*15. & poteſt ponere aliud principium partiale in *eſſe*, partialiter tamen,puta partialiter cauſando ſpeciem intelligibilem lapidis(nam ſpecies intelligibilis pro ſtatu iſto cauſatur ab intellectu agente, & à phantaſmate, licèt principaliter ab intellectu agente, vt patet à Doctore *in primo,diſt.*3.*q.*8.) quæ ſpecies intelligibilis erit principium partiale intellectionis abſtractiuæ ipſius lapidis,vt patet à Doctore *in primo,diſt.*3.*quæſt.*6.7.& 8.& *in diſt.*17.& *in ſecundo,diſt.*3. & *in quodlib.* Et quòd aliquod agens partiale poſſit totaliter ponere aliud principium partiale,patet, quia ſuſtinendo quòd voluntas ſit cauſa totalis volitionis ſuæ, poteſt producere vnam volitionem ita intenſam, ad quam ſequitur habitus perfectus, cùm habitus cauſetur ex frequentatis actibus,vel ſaltem ex vno valde intenſo; & ſi eſt cauſa totalis talis actus, & actus ſit productiuus habitus in virtute voluntatis, ſequitur quòd ipſa voluntas ſit cauſa totalis illius habitus, quia *quicquid eſt cauſa cauſæ*, &c. Et tamen ille habitus poterit poſtea eſſe cauſa partialis alterius actus producti à voluntate, vt à cauſa partiali,& principali,vt patet à Doctore *in* 1.*diſt.* 17. In propoſito autem voluntas creata nullo iſtorum modorum poteſt cauſare gratiam,neque totaliter, neque partialiter, cùm tantùm immediatè creetur à Deo.

5. *An voluntas ſit cauſa totalis volitionis ſuæ.*

e *Et amouere impedimentum vſus ſui*, &c. Nam impedimentum, quòd voluntas non eliciat actum meritorium eſt carentia ipſius gratiæ, quam carentiam non poteſt amouere à ſe, quia priuatiò non poteſt tolli per quamcunque potentiam, niſi per habitum, cui opponitur. Si enim voluntas creata poſſet amouere carentiam gratiæ,poſſet cauſare gratiam, quod eſt falſum, imò ipſa voluntas non poteſt ſuper carentiam ſiue gratiæ priùs habitæ,vt clarè patet à Doctore *in* 4.*diſt.*1.*q.*1.*reſp.ad princip.arg.* & *diſt.*16. *q.*2.

6. *An peccator poſſit ſe diſponere ad gratiam ex puris naturalibus.*

f *Vtrum autem viator poſſit habere aliquem motum attritionis ex puris naturalibus*,&c. Licèt hoc declarandum non ſit præſentis ſpeculationis, nimia tamen diſcipulorum victus dilectione, aliqua (ea qua potero breuitate) dicam. Doctor enim 14. *diſt.*4. *q.*2. *art.*2. ſic dicit; *Peccator in peccatis exiſtens eo modo, quo dictum eſt in præcedenti quæſt.art.*1.*peccatum manere poſt actum,poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, vt offenſiuum Dei,* &c. Vide ibi. Vult enim, quòd homo peccator ex puris naturalibus poteſt ſe diſponere ad gratiam, quia poteſt cognoſcere illud, vt offenſiuum Dei, quod videtur repugnare dictis ſuis, quia *in prolog. quæſt.* 1. probat, quòd homo ex puris naturalibus non poteſt cognoſcere finem vltimum ſuum; & hîc dicit, quòd ex puris naturalibus poteſt cognoſcere peccatum,vt eſt impeditiuum præmij. Similiter eſt contra illud, quod dicit *in illa quæſt. quarti*, quòd in intellectu peccatoris poteſt eſſe duplex regula,Vna naturalis, quæ dictat peccatum eſſe deteſtandum, vt eſt vitium quoddam; & alia ſupernaturalis, quæ dictat peccatum eſſe deteſtandum, vt eſt offenſiuum Dei, & impeditiuum præmij, multis etiam aliis dictis repugnat, quæ breuitatis cauſa omitto.

7. Reſpondeo: Et dico nullam eſſe repugnantiam in dictis Doctoris. Nam expreſsè vult, quòd homo ex puris naturalibus non poſſit cognoſcere peccatum, vt offenſiuum Dei, & impeditiuum præmij, & inductiuum ſupplicij, vt patet in loco præallegato quarti, de regula ſupernaturali; hoc enim eſt reuelatum in ſacra Scriptura: ſtante ergo reuelatione Scripturæ ſacræ, & quòd peccator cognoſcat, vel per Scripturam, vel per prædicationem, quòd peccatum eſt deteſtabile ſub huiuſmodi conditionibus, tunc ex ſuis puris naturalibus poteſt conſiderare peccatum cum illis conditionibus, ita quòd non eſt neceſſe, quòd talis conſideratio immediatè ſit à Deo, licèt prima reuelatio immediatè fuerit à Deo. Exemplum: quamuis ex puris naturalibus non poſſem cognoſcere Deum eſſe trinum, & vnum, facta tamen reuelatione mihi à Deo, vel mihi immediatè, vel alicui, cui firmiter credo, poſſum poſtea bis, ter, quater conſiderare Deum eſſe trinum,& vnum, ita quòd talis conſideratio erit ex puris naturalibus meis, generali influentia concurrente: ſic dico de peccato,& ſicut homo ex puris naturalibus non poteſt ſe diſponere, quia ex puris naturalibus non poteſt cognoſcere peccatum ſub illis conditionibus, poteſt tamen ſe diſponere ex puris naturalibus, ſic intelligendo, quòd poſtquam credidit peccatum eſſe deteſtandum ſub illis conditionibus, poteſt ex puris naturalibus non tantùm conſiderare illud,ſed etiam deteſtari, & hoc eſt quod intendit Doctor ibi. Dico etiam, quòd ex puris naturalibus non tantùm poteſt conſiderare peccatum, vt dixi, ſed etiam ex puris naturalibus poteſt habere primam credulitatem credendo Scripturæ ſacræ,vel alicui Doctori, vt ſatis patet à Doctore *in* 3. *diſt.*23. de fide acquiſita,ſi tamen illud peccatum cum illis circumſtantiis non fuiſſet alicui reuelatum, nunquam firmiter poſſet cognoſcere illud ſub illis circunſtantiis. Sed de iſta materia prolixè dicturus ſum in quarto, diſt.14. quæſt.2. *Exemplum.*

8. g *Sed ſuppoſito,quòd ſic negaret aliquis*, &c. Quantùm ad hoc poſſet pariformiter concedi de Angelo lapſo, & homine lapſo, quia ſi homo peccator dum eſt in via, poteſt ſe diſponere ex puris naturalibus ad gratiam, multò magis Angelus poteſt ſe diſponere, dum eſt in via. Et ſi vterque eſſet in termino, ſi homo ex puris naturalibus poſſet ſe diſponere, multò magis Angelus, ſed quare nec homo, nec Angelus, vt ſunt in termino, poſſunt ſe diſponere? Hoc non eſt, quia ſimpliciter repugnat eis, ſed quia volun

voluntas diuina determinauit nunquàm concurrere ad actum attritionis ſufficienter diſponentem ad gratiam reſpectu eorum qui ſunt damnati, vt hic patebit in quarto, aliqualiter diſt. 44. quæſt. 2. & 49.

De potentia vt eſt differentia entis.

h *Secundum hoc ergo*, &c. Pro intellectione huius literæ eſt notandum, quòd hæc potentia, quæ eſt differentia entis, accipitur pro *poſſibili*; ſicut dicimus quòd ens diuiditur per ens in actu, & per ens poſſibile, ſiue in potentia; & tale ens poſſibile poteſt comparari ad cauſam, quæ poteſt producere illud in actu; & dicitur poſſibile potentia propinqua, quando comparatur ad cauſam totalem diſpoſitam, & dicitur poſſibile potentia remota, quando comparatur ad cauſam partialem, quæ non poteſt producere illud, niſi ſit vnita alteri partiali; exemplum, intellectio lapidis, antequam producatur in *eſſe*, dicitur poſſibilis potentiâ propinquâ, ſi comparatur ad intellectum habentem ſpeciem intelligibilem lapidis, ex quibus integratur vna cauſa totalis; dicitur verò poſſibilis potentiâ remotâ, vt comparatur ad intellectum non habentem ſpeciem intelligibilem lapidis qui intellectus eſt altera cauſa partialis. Sic dico in propoſito de actu meritorio, qui actus meritorius dicitur poſſibilis potentiâ propinquâ, vt comparatur ad voluntatem gratiâ informatam, quæ integrant vnam cauſam totalem reſpectu actus meritorij: & dicitur poſſibilis potentiâ remotâ, vt comparatur ad voluntatem carentem gratia. Similiter aliquid poteſt dici poſſibile, vt comparatur ad potentiam paſſiuam receptiuam; & dicitur poſſibile potentiâ propinquâ, quando receptiuum eſt diſpoſitum ad recipiendum illud. Poſſibile verò potentiâ remotâ dicitur, quando receptiuum eſt indiſpoſitum; & ſic actus meritorius dicitur poſsibilis potentia propinquâ, vt comparatur ad receptiuum diſpoſitum, quale eſt voluntas informata charitate, non quòd charitas ſit ratio formalis recipiendi talem actum, ſicut quantitas eſt ratio formalis recipiendi colorem: ſed quia Deus determinauit nunquam actum meritorium ineſſe alicui voluntati, niſi vt informatæ charitate, ſed dicitur poſsibilis potentiâ remotâ, quando comparatur ad receptiuum indiſpoſitum, cuiuſmodi eſt voluntas ſine charitate, & ſic patet iſta litera. Reliqua ſunt clara.

Quomodo actus meritorius dicatur poſſibilis.

SCHOLIVM.

Mouet duo dubia: primum, ſi ex denegatione gratiæ dæmon non poteſt pœnitere, idem videtur de finaliter impœnitente: de quo nihil reſoluit, & ſanè ſi omnis gratia denegaretur finaliter impœnitenti, ratio eſſet eadem, ſed proculdubio datur tali gratia aliqua, quæ negatur damnato, de quo ſuo loco, & ſic tenet Scotus infra verſ. Ex dictis.

19. SEd contra iſtud arguitur: quia tunc videretur eodem modo eſſe impoſſibile de peccatore viatore, qui tamen finaliter non pœnitebit: nam Deus non præordinauit dare illi gratiam: & ſi tantùm ſit impoſſibilitas ex parte iſta propter talem ordinationem, non videtur impoſſibilius dæmonem pœnitere, quàm talem viatorem pœnitere.

Reſpondeo, potentia ordinata Dei non reſpicit actus particulares diuerſos, de quibus non ſunt leges vniuerſales: ſed reſpicit leges, vel regulas vniuerſales operabilium: talis eſt lex de damnatis, non autem de malis dum ſunt in via, licèt finaliter remaneant mali. Exemplum huius, ſi quis ſtatuiſſet, quòd omnis homicida occideretur; non poſſet de potentia ordinata ſecundùm illum ordinem iam poſitum, ſaluare iſtum homicidam: ſi tamen ipſe poſſet illum occidere, non propter aliquam talem legem vniuerſalem, illum poſſet ſaluare, ſiue non occidere, etiam de potentia ordinata: ita viator, qui non ſaluabitur, poteſt ſaluari, quia contra hoc non eſt aliqua lex vniuerſalis iam ſtatuta, qualis eſt contra ſaluationem damnati.

Tangitur hic punctũ altum an habeant finaliter impœnitentes gratiã ſufficientem ſed humiliter Doctor ſilet.

Si obiiciatur contra hoc, quòd ſicut lex eſt de vniuerſali: ita iudicium conforme legi eſt de vniuerſali: & illud iudicium ſequitur ex lege: ergo qua ratione non poteſt contra legem, pari ratione nec contra iudicium ex lege: ſed iſte viator, ſi damnabitur, erit ſecundum iudicium conſonum legi: ergo, &c.

Reſpondeo, lex eſt de illo, qui eſt malus in termino: & ideò quando ad aliquem particularem applicatur illa lex, puta ad hunc, vel illum iam iudicatum, quia eſt in termino, non magis reuocatur iudicium, quàm lex: ſed de iſto malo adhuc exiſtente in via, non eſt iudicium per legem aliquam, ſicut nec lex illa in communi ſe extendit ad viatorem.

SCHOLIVM.

Secundum dubium, an obſtinatio malæ voluntatis ſit à Deo. Reſpondet Deum nullo modo eſſe cauſam eius qua mala eſt, eſt tamen cauſa non dans gratiam, qua tolleretur obſtinatio: & ſic ait Aug. ep. 105. & 1. ad Simpl. q. 2. circa med. Deum obdurare, & ſimiliter loquuntur Iren. l. 4 c. 48. Cyril. Ieroſ. catecheſ. ſexta. Chryſoſt. hom. 3. in ad Rom. & alij Patres: de quo 4. d. 44. q. 2. & d. 46. q. 4.

Aliud

Vide D. Bon. d. præſ.q.1.

ALiud dubium eſt,ſi illa obſtinatio voluntatis malæ ſit à Deo,vel ab ipſa voluntate mala ? Si enim ſit à voluntate, videtur quòd ipſa poſſit reſilire ex ſe ab ea, ſicut ipſa potuit ex ſe illud malum malè velle:qua enim virtute mouet ſe ad aliquid, eadem quieſcit in illo, & æquali poteſt ſe retrahere ab illo. & mouere in aliud magis inclinans, quale eſt oppoſitum illius. Si autem iſta obſtinatio ponatur à Deo,ergo iſta malitia erit à Deo:& ſic Deus eſt cauſa peccati,quod videtur inconueniens. 20.

* *rectius Fulg. Sco.1.d.34. & 41.confitetur ſe non cognoſcere ſenſũ Domini.*

De iſto, quamuis videatur * Auguſtinus dicere *de fide ad Petrum* auctoritate ſuprà allegata, quod Deus ordinauit auerſionem voluntatis in malum ſemper manere, & obſtinatio ſit ſignificatum voluntatis malæ; tamen quia actus, dum manet, [i] habet quaſi continuè cauſam (quia eius *eſſe*, eſt quaſi in continuo *cauſari*) ſicut Deus non poteſt eſſe cauſa mali, inquantùm malum, in prima electione ſui: ita nec in *eſſe* ſuo continuato,quod eſt continuè elici:ergo ſola voluntas erit cauſa:à Deo tamen eſt illa pœna ignis,quod eſt malum puniens.

Malitia peccati eſt à Deo tantùm permiſſiuè. De quo. infr.d.37. q.2.

Hæc etiam obſtinatio,vt dicit malitiam peccati in voluntate,poteſt dici eſſe à Deo non poſitiuè volente eam,ſed deſerente, & nolente dare gratiam. Sicut enim illum gratificat, cui diſpoſuit dare gratiam: ita illum non gratificat, quem derelinquit, hoc eſt,reſpectu gratificationis eius habet *nolle*.

Cùm ergo arguitur, quòd ſi iſta eſt à voluntate ſola, ergo voluntas ſola poteſt in oppoſitum reſilire,ſcilicet,ab illo obiecto,in quod inordinatè ſe inclinauit. 21.

Reſpondeo, [k] & dico,quòd ad reſiliendum meritoriè,requiritur aliud principium à voluntate,puta gratia:quam Angelus malus non poteſt ex ſe habere,& Deus,ſecundùm quod deſeruit ipſum,diſpoſuit ſibi eam non dare.

Sed ſi arguas,quòd ſaltem poteſt habere *velle* circunſtantionatum circa illud,quod inordinatè voluit,licèt illud *velle* non ſit ſibi meritorium;hoc pertinet ad membrum ſequens,ſcilicet de bonitate morali.

Epilogus eorum quæ dicta ſunt de obſtinatione Angeli.

Ex dictis,ergo videtur,quòd non ſit negatio potentiæ, hoc eſt, principij actiui,niſi accipiatur actiuum principium totale, vel partiale principale: nec potentiæ, quæ eſt ordo ad actum,niſi propinquæ:nec potentiæ Logicæ,niſi ex extrinſeco,ex cuius parte non eſt impoſſibilitas ad vniendum extrema; loquendo de potentia eius abſoluta:ſed de potentia ordinata,quæ colligitur ex ſcriptura, ſicut priùs dictum eſt de Aug. quòd non diſpoſuit Deus illa extrema vnire, & quòd non ſit aliqua cauſa permanentiæ eorum in malo,niſi derelictio diuina, ſiue quòd diſpoſuit eis non dare gratiam,cùm ſint in termino: quomodo non diſpoſuit de viatoribus malis. Et videtur etiam hoc poſſe probari,per auctoritates Sanctorum. Primò,per Damaſcenum capit. 18. *Quod eſt Angelis caſus,hoc eſt hominibus mors,* ſecundò, per Auguſtinum 21. de Ciuit. Dei. *In ſcriptura nihil eſt certius,quàm ſententia ſcripturæ.*

Vide 21. diſt. 4. q.1. ad finem. c.23. ſcilicet de damnat. æterna.

COMMENTARIVS.

9. i *Aliud dubium eſt,ſi illa obſtinatio,*&c. Doctor in iſta litera cùm dicit, quòd ſicut actus malus non poteſt eſſe à Deo, ita nec continuatio illius, hoc ſic debet intelligi, quòd licèt Deus ſit prima cauſa, puta amoris, quo malus Angelus amat ſe, cùm talis amor ſit ens abſolutum, & etiam ſit cauſa quantùm ad ſubſtantiam, & intenſionem illius amoris quantumcunque intendatur & ſit cauſa continuationis, continuè concauſando voluntati Angeli mali; non tamen eſt cauſa nec effectiua, nec defectiua deformitatis fundatæ in tali amore, puta quòd dilectio ſic intenſa ordinetur ad Angelum ſimpliciter propter ſeipſum, nam tunc eſt ibi carentia debiti finis: quantùm ergo ad hoc non eſt cauſa nec effectiua,nec defectiua,nec quo ad *eſſe*, nec quo ad continuationem, vt infrà patebit *diſt.* 37. & 44. Et quod dicit Doctor hîc quòd Deus eſt cauſa effectiua pœnæ ignis,de iſta pœna habet diffusè videri *in* 4.*diſt.*44. *q.*2. & *diſt.*46. Quod etiam dicit quòd Deus poteſt dici cauſa obſtinationis deſerendo, non dando ſcilicet ſibi gratiam, hoc eſt,quia Deus ordinauit nunquam dimittere peccatum, niſi dando gratiam, & hoc loquendo de peccato, ſcilicet de obligatione illa ad pœnam æternam, quæ poſt peccatum remanet in anima.vt patebit *in quarto, diſt.*14. *q.prima.* Sed hæc obligatio non vocatur propriè obſtinatio, nam propriè obſtinatio reſpicit continuationem actus mali,& quòd poſſit reſilire à tali continuatione, non poteſt eſſe niſi ex ſpeciali gratia Dei, quia voluntas diuina determinauit non concurrere ad actum bonum reſpectu exiſtentis in termino damnationis, & ſic deſerit. Sed de iſta obſtinatione,vide clariùs in quarto, diſt. 44. q. ſecunda,& diſtin.49.q.quarta art 2.

Quid propriè ſit obſtinatio.

Quomodo Deus dicatur cauſa obſtinationis.

k *Reſpondeo,* &c. Hîc Doctor adhuc negat, quòd malus Angelus ex ſe poſſit reſilire à peccato obſtinationis, & hoc meritoriè, poſito quòd talis obſtinatio ſit à voluntate mali Angeli. Eſt aduertendum,quòd quando quis reſilit à peccato communiter meritoriè reſilit; actus enim, quo quis de congruo meretur liberari à peccato, eſt actus meritorius, vt patebit *in* 4. *diſt.* 22. Eſt etiam aduertendum, quòd ex determinatione diuinæ voluntatis damnatus, & per conſequens 15.

obſti

obſtinatus in peccato nec meritoriè, nec non meritoriè poteſt reſilire à peccato, vt patet *in* 4. *diſt.* 46. *q. vltima, art.* 2. Vltrà eſt notandum, quòd obſtinatio in peccato in damnatis eſt principaliter à voluntate diuina ſic deſerente voluntatem in tali peccato vt habet videri in quarto vbi ſuprà.

SCHOLIVM.

D. Thomas 1. *p. q.* 64. *art.* 5. *& alij negant dæmonem poſſe vllum actum moralem elicere, quia omnes vitiat relatione ad ſe: alij idem dicunt, addentes non poſſe ceſſare à malo, propter vehementem inclinationem ad illud: primum impugnat tribus rationibus, & ſecundum totidem.*

22. REſtat nunc [l] dicendum de bonitate morali, & malitia, ſibi oppoſita. Vbi dicitur, quòd non poſſunt habere volitionem moraliter bonam: quia omnem volitionem deformant ex aliqua circunſtantia inordinata, referendo illud inordinatè ad amorem ſui. Similiter habitus in eis eſt perfectè malus in termino: & ideò perfectiſſimè inclinat in malum: nunquam ergo benè volunt propter primum: ſed ſemper malè volunt propter ſecundum, videlicet propter vehementem inclinationem in malum. Ad primum iſtorum, adducitur Auguſtinus ſuper Pſalm. *Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum.* *Pſal.* 118.

Contra primum [m] habent naturalia integra, ſecundùm Dionyſium *de Diuin. nom.* ergo eſt in eis inclinatio naturalis ad bonum: ergo, ſecundùm illam inclinationem poſſunt aliquid conformiter velle: quia potentia, vt in natura ſua merè conſideratur, poteſt aliquem actum elicere conſonum inclinationi naturali: ergo poſſunt habere actum non malum, quia non eſt contrarium naturæ eorum. *Impugnat negantes dæmones poſſe habere actum bonum moralem.*

Præterea, habent vermem, qui eſt remorſus, de peccato eorum: remorſus iſte, eſt aliqua diſplicentia: hæc diſplicentia non eſt actus malus moraliter, quia licèt poſſet deformari per circunſtantiam inordinatam: tamen ſiſtendo in hoc, quod eſt nolle ſe peccaſſe, non videtur eſſe formaliter malitia moralis. *ralem.*

Præterea, ſi nolunt pœnam, inquantùm eſt læſiua naturæ, ſiſtendo tantùm in hoc, abſque aliqua circunſtantia, non videtur actus malus moraliter: quia ſicut poteſt amare naturam ſuam non malè moraliter; ita poteſt odire contrarium ſibi. *Dæmonem nolle pœnã quomodo non malum eſt?*

23. Contra ſecundum, [n] arguo tripliciter. Primò, quia videtur quòd voluntas, ex libertate ſua poſſet non velle, & ita nullum actum habere: quod probatur, quia ſecundùm Auguſtinum lib. 1. retractationum cap. 22. *Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas.* Quod non intelligitur de voluntate quantùm ad *eſſe* eius primum: quia quantùm ad *eſſe* eius primum, magis eſt in poteſtate eius non voluntas, quàm voluntas: ſed intelligitur, quantùm ad operari: ergo voluntas magis eſt in poteſtate eius quantùm ad operari, quàm alia potentia inferior: ſed voluntas poteſt aliquam potentiam inferiorem ſuſpendere ab omni actu: ergo ſeipſam, ergo non neceſſariò vult malum. *Idem c. 9. eiuſdem 1. lib. Voluntatẽ dæmonis ceſſare poſſe à malo.*

Præterea, [o] quod etiam adducitur de habitu, improbatur dupliciter. Primò, quia omnis habitus inclinat ad aliquem actum, in eadem ſpecie: ille ergo habitus, qui ponitur cauſa peccandi, aut inclinat tantùm ad actum ſuperbiendi: aut tantùm ad actum odiendi: ad quemcunque actum ponatur inclinare, videtur probabile quòd poſſit aliquando illum actum non habere: quia poteſt habere alium diſtinctè, & ex toto conatu: & non poteſt ſimul habere duos actus perfectos ſimul: ergo nullus vnus actus eſt, qui neceſſariò ſit perpetuus, ex vehementi inclinatione ad ipſum: & per conſequens, nec in communi neceſſariò ineſt actus malus ex habitu. *Non poſſe dæmonem inclinari ad male operandum ſemper, per habitum.*

Præterea ſecundò, [p] habitus non eſt ratio agendi potentiæ, modo oppoſito proprio modo ipſius potentiæ: quod probatur ſicut fuit ſuprà probatum, contra duas opiniones in illa ratione, de prioritate cauſæ, inquantùm cauſa: quia cauſa ſecunda non determinat modum agendi cauſæ primæ, ſed è conuerſo: ergo ſi voluntas non habituata poſſit non neceſſariò velle hoc; & hoc eſt libertatis in ea: ergo voluntas habituata non neceſſariò volet hoc. Et tunc quod dicit Ariſtoteles 7. *Ethic.* quod malus eſt impœnitens: oportet, quòd exponatur, id eſt, de difficili pœnitens, quia nullus actus poteſt ita eſſe intenſus in voluntate, quòd tollat omnino eius potentiam ad oppoſitum. *n. 6.* *c. 10. & 12.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

RESTAT *nunc videndum de bonitate morali.* Hîc Doctor primò recitat opinionẽ S. Bonauenturæ *lib. 2. diſt. 7. art. 1. quæſt. 2. & 3.* qui dicit quòd Angelus malus non poteſt habere volitionem moralem bonam, quia omnem deformat ex aliqua circunſtantia inordinata, refetendo illud inordinatè ad amorem ſui, ſimiliter habitus in eis eſt perfectè malus in ꝺ, ideò perfectiſſimè inclinat in malum; nunquam ergo benè volunt propter primum, ſed ſemper malè volunt propter ſecundùm, videlicet propter vehementem inclinationem in malum.

m *Contra primum. Habent naturalia*, &c. In iſta litera occurrit aliqualis difficultas ſpecialiter circa hoc, quod dicit Doctor quòd inclinatio naturalis eſt ad bonum, ideò voluntas eliciens actum conformiter tali inclinationi habet volitionem illam non malam; nam in hoc videtur ſibi contradicere, quia *in 4. diſt. 49.* dicit quòd inclinatio naturalis eſt ad perfectionem, ad quam ordinatur ſummè intenſa, & per conſequens ſi natura aliqua ſummè inclinatur ad bonum ſibi commodum, voluntas eliciens conformiter tali inclinationi videtur mala, & ſimiliter volitio elicita. Prætereà *diſt. 50. quarti* dicit quòd appetitus naturalis eſt ad ſummam beatitudinem, & tamen volitio elicita conformiter erit mala, vt patet à Doctore ibi. Prætereà *in hoc 2. diſtin. 23.* probat quòd ideò Deus non poteſt facere voluntatem creatam impeccabilem ex natura, quia appetitus naturalis poteſt eſſe ad ſummum commodum, ordinando illud ad ſe, & voluntas poteſt conformiter agere illi appetitui, & ſic peccare. Prætereà, *in iſto 2. diſt. 6. q. 2.* dicit quòd voluntas, vt conformiter agit regulæ naturali, hoc eſt inclinationi naturali, non rectè agit; & tamen hîc dicit, quòd actus elicitus conformiter inclinationi naturali, non erit malus.

Difficultas mirabilis.

Reſpondeo quòd ſi Doctor rectè intelligatur nulla apparebit contradictio.

Nam in hoc loco intendit probare, quòd voluntas eliciens actum conformiter inclinationi naturali, non peccat; ſic tamen intelligendo, quòd inclinatio naturalis poteſt eſſe ad bonum & voluntas abſolutè amans bonum non peccat; ſtando ergo in tali amore abſolutè, ille actus non eſt malus contrariè. Cùm verò voluntas refert bonum illud ad quod non debet referre, puta amando illud tantùm in ordine ad ſe, tunc peccat; vel ſi ſit bonum infinitum, amando illud non propter ſe; amando ergo bonum abſolutè non peccat; imò ille actus eſt bonus ex genere, vt ſuprà patet in præſenti quæſt. & ſic intendit Doctor hic, quòd ſi voluntas volens bonum abſolutè, ad quod naturalis appetitus valdè inclinatur, actus conformiter elicitus non erit malus.

Si dicatur, naturalis appetitus inclinatur ad bonum, tanquam ad ſummè bonum ſibi; ergo actus voluntatis conformiter elicitus tali appetitui, erit malus.

Dico quòd ſi voluntas vellet illud bonum eo modo, quo appetitus appetit, tunc peccaret, quia tunc referret illud poſitiuè, ad quod referre non debet; ſed volendo bonum abſolutè ſiſtendo ibi, illa volitio non erit mala.

Et quòd ſic intelligat Doctor, ſcilicet de actu non malo contrariè, patet in ſimili per tertiam rationem contra Bonauenturam, in qua ſic dicit: *Si nolunt* (inquit) *pœnam, inquantùm eſt læſiua naturæ, ſiſtendo tantùm in hoc abſque alia circunſtantia, non videtur actus malus moraliter, quia ſicut poteſt amare naturam ſuam non malè moraliter, ita poteſt odire contrarium ſibi.* Hoc idem patet per ſecundam rationem in qua dicit; *Habent* (inquit) *vermem, qui eſt remorſus de peccato eorum; remorſus iſte eſt aliqua diſplicentia*, &c. imò talis diſplicentia eſt ſaltem bona ex genere, cùm tranſeat ſuper obiectum conueniens actui ſecundùm dictamen rationis. Vult ergo Doctor, quòd actus elicitus à voluntate conformiter appetitui naturali, quòd non ſit malus moraliter, imò vt ſic, ſemper erit bonus ex genere, licèt poſtea poſſit deformari circunſtantiis oppoſitis circunſtãtiis requiſitis ad actum perfectè moralem.

Contra D. Bonauenturam diſtinctione præſenti q. 1.

Et vult hîc quòd voluntas mali Angeli poſſit abſolutè elicere actum circa bonum, ad quod inclinatur eius naturalis appetitus, volendo illud abſolutè, & ſic patet quomodo in dictis Doctoris nulla ſit contradictio.

n *Contra ſecundum.* Hîc improbat aliud dictum D. Bonauenturæ videlicet quòd Angeli mali ſemper malè volunt propter habitum malum in termino. Et primò improbat hanc concluſionem, quòd ſemper malè velint: & ratio clara eſt, & ſtat in hoc: Angelus malus poteſt non velle aliquid, quia poteſt ſuſpendere actum volendi; ergo non ſemper malè vult. Conſequentia patet, Antecedens probatur per Auguſtinum 1. Retract. cap. 2. *Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas*, id eſt, quàm actus eius, quia in poteſtate voluntatis, eſt velle, & non velle, vt patet intuenti. Et addit quòd ſi voluntas poteſt ſuſpendere potentiam inferiorem ab omni actu ſuo, multò fortiùs poteſt ſuſpendere ſe ab actu ſuo. Et hæc ratio fuit declarata ſuprà *in primo, diſt. 1. quæſt. 4.*

Scotus improbat aliud dictum contra D. Bonauenturam.

o *Prætereà, quod etiam adducitur de habitu.* Hîc Doctor probat duplici ratione, quòd habitus malus in Angelis malis non facit eos de neceſſitate ſemper malè agere: & iſtæ rationes ſunt ſatis claræ, aliqualiter tamen pro iunioribus expono literam. Cùm dicit primò, quòd *omnis habitus inclinat ad aliquem actum in eadem ſpecie*, hoc debet intelligi de habitu acquiſito ex frequentatis actibus, vel ex vno valdè intenſo: habitus enim acquiſitus ſemper inclinat ad ſimiles actus, ex quibus generatur.

Aduerte etiam, quòd vnus habitus non poteſt generari ex actibus ſpecie diſtinctis, quia actus ſpecie diſtincti nati ſunt tantùm generare habitus ſpecie diſtinctos.

Nota etiam quòd Doctor intendit hîc de inclinatione poſitiuè, quæ inclinat ad aliquid proſequendum; non autem de inclinatione, quæ inclinat ad oppoſitum fugiendum: ſemper enim habitus, qui inclinat ad aliquid proſequendum, inclinat etiam ad oppoſitum fugiendum, vt patet à Doctore *in 4. diſt. 14. q. 2.* Sequitur, *ille ergo habitus, qui ponitur cauſa peccandi, aut inclinat tantum ad actum ſuperbiendi, aut tantùm ad actum odiendi*: patet, quia non poteſt inclinare ad actus ſpecie diſtinctos, cuiuſmodi ſunt actus odiendi, & actus ſuperbiendi: videtur ergo probabile, quod

Angelus

Angelus malus poſſit aliquando illum actum non habere, puta actum odiendi; patet, quia poteſt habere alium actum diſtinctè, & ex toto conatu, puta actum ſuperbiendi, & non poteſt ſimul habere duos actus perfectos, vt ſuprà expoſui *in primo, diſt. 2. parte prima.* Sequitur, *ergo nullus vnus actus eſt, qui neceſſariò ſit perpetuus.* Hæc conſequentia patet, quia ſi ponantur duo tantùm habitus in Angelo malo, quorum vnus ſummè inclinat ad actum ſuperbiendi, & alius ad actum odiendi, ſi Angelus malus habeat actum ſuperbiendi perfectum, tunc non habebit actum odiendi, & per conſequens non vult ſemper malè ex habitu, qui inclinat ad actum odiendi.

Nullus actus eſt neceſſariò perpetuus.

Et ſimiliter ſi habet actum odiendi perfectum, tunc non habet actum ſuperbiendi, nec per conſequens ſemper vult malè ex habitu ſuperbiendi; ergo nec ex habitu ſimpliciter ſemper vult malè, quia da oppoſitum, ſi neceſſariò vult malè ex habitu in communi, ergo neceſſariò vult malè ex habitu in ſpeciali. Patet conſequentia, quia quod neceſſariò determinat ſibi aliquod genus, neceſſariò determinat ſibi aliquam ſpeciem, & vltimò aliquod indiuiduum.

Hæc propoſitio patet à Doctore infrà *diſt. 12.* ergo ſi Angelus malus neceſſariò vult malè ex habitu in communi, ergo neceſſariò vult malè ex iſto habitu, cuius oppoſitum ſuprà patuit.

p *Præterea ſecundò, habitus non eſt ratio, &c.* Patet iſta propoſitio, quia modus agendi naturalis potentiæ non poteſt variari per quemcũque habitum, nullus enim habitus in intellectu poſſet facere intellectum agere non modo naturali, modus enim agendi intellectus eſt naturalis.

Similiter modus agendi voluntatis eſt liberè agere; ergo nullus habitus in voluntate quantumcunque intenſus poſſet facere voluntatem velle aliquid neceſſariò.

SCHOLIVM.

Putat Doctor primò, Angelos malos non habere neceſſariò vllum actum malum contrariè, quia poteſt non apponere circunſtantiam poſitiuè deformantem actum. Secundò, non eſſe improbabile poſſe eos habere actum completè bonum moraliter. Tertiò, probabile tamen eſſe, quòd non exeant in actum huius potentiæ, propter vehementem malitiam.

24. QVantùm [a] ergo ad iſtum articulum, videtur poſſe dici, quòd non neceſſariò habent aliquem actum malum, nec loquendo de aliquo actu determinato, vel indeterminato, ſiue vago: & de determinato videtur ſatis patere, quia ſi tantùm habeant habitum determinatum, ille inclinat ad certum actum, vnum in ſpecie, & patet quòd poteſt habere aliquem alium actum ab illo in ſpecie: & pro tunc non habere illum, & per conſequens, non habere quemcunque alium, ad quem non eſt talis habitus inclinans. Si etiam habeat plures habitus inclinantes ad diuerſos actus, in ſpecie: aliquis tamen habitus non vehementiſſimè inclinat, & poteſt non habere actum illius habitus, non maximè inclinantis: ergo poteſt non habere actum cuiuſcunque alterius. De indeterminato, ſiue vago, probatur idem, vel quòd poſſit ſe ſuſpendere ab omni volitione, ſicut proceſſit vna ratio, quæ tamen aſſumit dubium (quia non videtur quòd poſſit ſe ſuſpendere ab omni actu, ſine volitione) vel quia aliquando poteſt habere volitionem non malam malitia contraria bonitati morali, licèt non habeat bonam bonitate morali completa, quæ eſt ex omnibus circunſtantiis, licèt in hoc non appareat impoſſibilitas, quin poſſit habere completè bonum moraliter; ſaltem hoc videtur probabile quòd actum bonum ex genere poteſt habere, hoc eſt, ſiſtendo ibi, non deformando per circunſtantias contrarias circunſtantiis bonæ volitionis: vel ſi habeant illum actum circunſtantionatum quibuſdam bonis, & deordinatum quibuſdam malis, non tamen oportet quòd ille ſit ſemper malus. Mirum enim videtur, negare potentiam naturalem, in natura illa excellente, vbi non apparet aliquid propter quod ſit neganda: probabile eſt tamen quòd ſecundùm hanc potentiam non exeant in actum, propter vehementem malitiam, ſecundùm quam magis probabile eſt quòd agunt, quàm ſecundùm poteſtatem naturalem: ſecundùm quam poſſent in actus aliquo modo oppoſitos.

Hoc dicit D. Bon. vbi ſuprà: Dæmonem non neceſſariò habere vllum actũ malũ determinatum, vel indeterminatum. Suſpenſio ab omni actu, an ſit ſine actu. Poteſt dæmõ habere actum bonum ex genere, ſed probabile quod non vtitur hac potentia.

25. Ad primum [b] argumentum dicitur, quòd licèt credant; ille tamen actus credendi, eſt in eis malus, quia odiunt illud creditum.

Ad arg. 1. D. Bon. ſuprà.

Sed contra hoc, actus intellectus, vt præcedit actum voluntatis, non habet deformitatem ab actu voluntatis ſequente: ſed in illo priori poſſunt aliquod verum concipere, & hoc tam ſpeculabile, puta Deum eſſe trinum, quàm agibile, puta, Deum eſſe diligendum.

Poteſt ergo dici, quòd hoc argumentum probat verum, ſcilicet quòd habent aliquem bonum actum diminutè bonitate morali: quia non malum malitia contraria, puta non habentem aliquam circunſtantiam contrariam circunſtantiæ debitæ, licèt careat aliqua circunſtantia debita: non enim credunt propter illum finem, propter quem credendum eſt: & circunſtantia finis eſt neceſſaria ad bonitatem moralem.

Credere dæmonum, an ſit bonum?

Ad 2. Ad ſecundum dico [c], quod Angelum, vel voluntatem eius eſſe capacem, vel participem, ſonat, in potentiam remotam, loquendo de potentia ad actum, vel loquendo de potentia, quæ eſt principium, ſonat, in principium paſſiuum, vel actiuum partiale diminutum.

Ad 3. Poſſe peccare, & potentia ad peccandum an differũt? de quo infrà d. 44.

Ad tertium concedo [d], quod in eis ſit liberum arbitrium, & cùm arguis, quòd poſſe peccare non eſt pars libertatis, ſecundùm Anſelmum dico, quòd aliud eſt, loqui de poſſe peccare, aliud de potentia ad peccandum. Primum dicit ordinem ad actum difformem; ſecundum dicit rationem principij, quo poteſt elici actus difformis. Primus ordo non eſt liberi arbitrij nec aliquid eius, nec abſolutè aliquis ordo ad actum, eſt aliquod principium actiuum vel pars eius. Secundo modo dico, quòd illud, quo poteſt peccare, includit duo, quorum alterum eſt, poſſe aliud deficere, & illud, quo poteſt in illud, eſt eius *poſſe*, quod *poſſe* eſt per ſe libertatis arbitrij & potẽtia: reliquum verò non eſt eius, vnde liberum arbitriũ, ſed vnde tale, ſcilicet defectiuum: ita quòd ſicut in communi liberum arbitrium eſt, quo quis poteſt velle, & hoc accipiendo, ita in communi, ſicut Anſelmus accipit, ſcilicet vt conuenit Deo & beatis: ita liberum arbitrium hòc, ſcilicet viatoris, eſt, quo quis poteſt velle defectibiliter, tamen quantùm ad aliquid poteſt poni diſsimile: quia ad abſolutè velle, tota entitas poſitiua liberi arbitrij & ſola, eſt principium: ad illam autem difformitatem in actu nihil poſitiuum in libero arbitrio eſt principium. Et tunc ad formam dico, quòd dato, quòd ibi ſit libertas arbitrij, non ſequitur niſi quòd eſt potentia, qua poteſt in actum poſitiuum, qui actus eſt à potentia poſitiua, vnde poſitiuus: & per conſequens, vnde ad ipſum eſt liberum arbitrium non eſt peccatum, tamen ex defectu concomitante illum actum, poteſt eſſe peccatum.

Liberum arb. qua tale, nõ eſt potentia ad peccandũ.

Aliud habere potentiam ad nõ eſſe in peccato, aliud ad non peccandum.

Poteſt tamen concedi totum argumentum, ſcilicet quòd ipſi habent potentiam non peccandi, quia habent potentiam, quæ non eſt formaliter peccatum, licèt non habeant potentiam non peccandi, hoc eſt non eſſe in peccato: quomodo peccator dicitur eſſe in peccato, poſtquam tranſiuit actus, quem commiſit: & priuatus gratia, remanet reatus vſque ſcilicet ad pœnitentiam de peccato commiſſo, hoc modo, non poſſunt ex ſe non peccare, id eſt, non eſſe in peccato: nec oportet liberum arbitrium eſſe potentiam ad non peccandum, hoc eſt, ad non eſſe in peccato. 26.

Et ſi arguas, ſecundùm Anſelmum *liberum arbitrium eſt poteſtas ſeruandi rectitudinem propter ſe*; ergo ex ipſa, habens eam poteſt ſeruare rectitudinem: & ita non eſſe in peccato. Reſpondeo, quòd ſeruare eam cùm ineſt, poteſt quis per liberum arbitrium non aliter, & hoc modo exponitur Anſelmus.

Ad 4. Loquitur de rectitudine quæ ineſt actui nõ de omni alia.

Ad aliud dico, [e] quòd in agentibus merè naturalibus ceſſantibus impedimentis, reditur ad diſpoſitionem naturalem, non prohibente actione violenta, & ratio eſt, quia principium intrinſecum, eſt neceſſarium reſpectu bonitatis naturalis, quantum eſt ex ſe: & ideò ſemper cauſat eam, niſi vincatur per dominans. Hoc modo voluntas non eſt cauſa, reſpectu ſuæ bonitatis in actu ſuo: ſed tantùm habet inclinationem quandam naturalem, quaſi paſſiuam ad bonitatem in actu: quam licèt poſſet dare actui, non tamen inclinatur ad dandum eam neceſſitate naturali, ſicut graue ad deſcendendum deorſum.

Quare violentum non perpetuũ? Peccatum quomodo contra naturam.

Aliter poteſt dici, [f] quòd peccatum eſt contra naturam hoc eſt, contra illum actũ, qui natus eſt elici concorditer, & conformiter inclinationi naturali: ſed ex hoc non oportet, quod contrarietur voluntati, ſecundum ſe: ſicut non oportet illud, quod contrariatur effectui, vel accidenti, contrariari cauſæ, vel ſubiecto; maximè quando talis cauſa non eſt cauſa naturalis effectus ſed libera.

Ad 5. Ad aliud [g] de ſimili dico, quòd licèt concluderet illud contra illos, qui dicunt intellectum eſſe motiuum ſufficiens voluntatis: quia oportet eos dicere intellectum primi Angeli, nullum principium practicum rectè concipere, quia ſi rectè conciperet, moueret voluntatem conformiter ſibi, & ita rectè, tamen credo hoc eſſe falſum, quia ſicut principia ſpeculabilia ſũt vera ex terminis, ita & principia operabilia, & per conſequens intellectus, qui poteſt concipere quiditates terminorum primi principij practici, & illos componere, habet ſufficiens motiuum, & per modum naturæ mouens ad aſſentiendum illi principio: ergo per voluntatem, cuius actus eſt poſterior, non poteſt impediri, vel ſaltem, non ferretur in contrarium. 27.

Cap. 3. infr. d. 22. Intellectus cogitur ab obiecto, voluntas non.

Quomodo autem hoc ſit verum, quod dicitur tertio Ethicor. quòd *omnis malus eſt ignorans*, habet aliàs tractari: poteſt tamen dici ad argumentum, quòd ſimile nihil valet: quia intellectus poteſt cogi ad aſſentiendum, ita quòd non poteſt eſſe

ita

ita cæcus, quin apprehendens aliquos terminos ex euidentia eorum, poteſt concipere veritatem complexionis compoſitã ex eis: voluntas autem [h] non cogitur ex bonitate obiecti; ideò poteſt eſſe ita auerſa, quòd quantumcunque bonum ſibi oſtenſum non mouet ipſam ad amandum ipſum, ſaltem ordinatè.

Ad 6. Actus intenſiſſimi non augẽt habitum ſi eſt in termino.

Ad aliud dico; quòd habitu exiſtente perfecto, vel in ſummo, quantum poteſt perfici in tali ſubiecto, vel ſecundùm terminum ſibi præfixum à ſapientia diuina, omnes actus ſequentes nihil augent: ſed tantùm procedunt ex habitu iam generato, quemadmodum actus Angeli boni non augẽt habitum charitatis eius, nec effectiuè, nec meritoriè, quia ille eſt in termino, vel ſecundùm naturam habitus; vel ſecundùm capacitatem ſubiecti; vel ſaltem ſecundùm terminum ſibi præfixum à Deo: ſed omnes illi actus procedunt ex plenitudine illius habitus, ſic perfecti: ita in propoſito perfectio iſtius habitus eſt in termino ſecundùm regulam diuinæ ſapientiæ, quæ non permittit eos creſcere in malitia intenſiuè: & ideò actus ſequentes tantùm ſe habent, ſicut effectus habitus mali, & non ſicut cauſæ agentes.

Pœna dãnati non creſcit, ſicut nec gloria beati intenſiue loquendo.

28. Per idem, ad illud, de pœna: quia ſicut præmium ſubſtantiale, in primo inſtanti, in quo aliquis Angelus eſt beatus, eſt determinatum: nec ex tunc creſcit, quia actus boni qui ſequuntur, non ſunt meritorij, licèt ſint boni: ita etiam in Angelo damnato, in primo inſtanti ſuæ damnationis, determinatur ad certam pœnam, quæ non creſcit intenſiuè, nec tamen erunt mali actus eius, quos elicit, impuniti: ſicut nec boni Angeli boni actus, erunt irremunerati: illi quidem boni actus includuntur in primo actu, quia procedunt ex perfectione actus beatifici: ſed quantùm ad accidentale præmium, quod poſſunt habere, quilibet actus eſt ſibi præmium: ita etiam iſti mali actus, quos elicit damnatus, includuntur in prima pœna, ſibi certitudinaliter determinata, & quilibet, ſicut poſſet habere pœnam accidentalem & propriam, habet ſeipſum pro pœna. *Iuſiſti Domine* (inquit Auguſt. libro confeſſionum) *& ita eſt, vt ſit ſibi pœna omnis peccator.* potiſſima enim, & maxima pœna eſt priuatio maximi boni: qualis eſt formaliter in actu malo, malitia culpæ peccatorem auertẽte à Deo: creſcet ergo pœna eorum in infinitum extenſiuè, ſicut & malitia, & neutrum intenſiuè.

Quatenus datur ſtatus ad quẽ iſti actus ſequuntur non quod Deus velit illos actus ſicut alias pœnas ipſorum.

Et ſi obiicias quòd ſecundum malum eſt actus demeritorius: ergo correſpondet ſibi propria pœna. Reſpondeo, etſi concedi poſſit eſſe culpa: non tamen propriè demeritoria: quia non elicitur à viatore, cuius ſolius eſt mereri, & demereri, qui magis propriè poteſt dici eſſe actus damnatorius, ſiue damnati: ſicut ex alia parte actus beati, licèt ſit acceptabilis Deo, non tamen propriè eſt meritorius, ſed magis actus beatificus, vel actus beati, vel ex beatitudine procedens.

1. c. 12. *Hoc ſenſit Origin. in ſuo periarch. con. de igne & pœna animarum.*

Pecoata dæmonum non ſunt demerita.

COMMENTARIVS.

1. *Scotus reſpondet ſecundum intentionem propriam.*

a *Quantum ergo ad iſtum articulum.* Hîc Doctor reſpondet ſecundùm intenſionem propriam ad illum articulum, in quo quærebatur de bonitate morali, & malitia oppoſita in Angelo malo, & dicit aliquas concluſiones.

Prima eſt iſta, quòd *Angelus malus non neceſſariò habet aliquem actum malum*, loquendo de actu determinato, puta de actu ſuperbiendi vel de actu obediendi determinatè, & probat, quia ſi tantùm habeat actum determinatum, ille inclinat ad certum actum, vnum in ſpecie, & patet quòd poteſt habere aliquem alium actum, puta actum odiendi, & pro tunc non habere actum ſuperbiendi, & per conſequens poteſt non habere quemcunque alium actum, ad quem habitus ſuperbiendi non inclinat, puta non habere actum amoris amicitiæ circa ſe immoderatum, vel amoris concupiſcentiæ inordinatum, & ſic patet quomodo non neceſſariò vult aliquem actum malum determinatum, ponendo tantùm vnum habitum malum in Angelo malo.

Secunda concluſio eſt, quòd *Etiam ponendo plures habitus malos inclinantes ad diuerſos actus malos in ſpecie, adhuc non ſequitur, quòd Angelus malus neceſſariò velit actum malum determinatè*, patet, quia certum eſt quod illi plures habitus non vehementiſſimè inclinant; patet, quia tunc Angelus malus vel nullum actum malum haberet, vel ſimul haberet tot actus malos ſpecie diſtinctos, quot eſſent habitus in eo ſpecie diſtincti; patet, quia ſi æquè inclinant, non eſt maior ratio de vno, quàm de alio.

Sequitur ergo quòd aliquis habitus in eo non vehementiſſimè inclinat, ſi ſic, ergo Angelus malus, poterit non habere actum illius habitus, non vehementiſſimè inclinantis; ergo poteſt non habere actum cuiuſcunque alterius habitus.

2. Tertia concluſio eſt de actu indeterminato, ſiue vago, & eſt talis: *Angelus malus non neceſſariò habet actum malum moraliter.* Quam concluſionem probat, quia aliquando poteſt haberẽ volitionem non malam, malitia contraria bonitati morali, licèt non habeat bonam, bonitate morali completa, quæ eſt ex omnibus circumſtantiis: videtur enim probabile, quòd actum bonum ex genere poſſit habere, hoc eſt ſiſtendo ibi, non deformando per circunſtantias contrarias circunſtantiis bonæ volitionis.

Quarta concluſio: *Nulla apparet impoſſibilitas, quin Angelus malus poſſit habere completè bonum*

bonum moraliter. Hanc concluſionem aliter non probat; poſſet tamen probari ex ſuprà habitis, quia in Angelo malo ſunt naturalia lucidiſſima, & per conſequens in intellectu eius poteſt eſſe veriſſimum, & certiſſimum dictamen, & non repugnat voluntati eius poſſe elicere aliquem actũ conformem tali dictamini. Et addit Doctor, *mirum* (inquit) *videtur negare potentiam naturalem in natura illa excellente, vbi non apparet aliquid, propter quod ſit neganda.*

Quinta concluſio. *Probabile eſt* (inquit) *quòd Angeli mali ſecundùm hanc potentiam, ſecundùm quam poſſunt velle bonum moraliter non exeant in actum propter vehementem malitiam, ſecundùm quam magis probabile eſt quòd agunt, quàm ſecundùm partem naturalem, ſecundùm quam poſſent in actus aliquo modo oppoſitos.*

3. b Ad argumenta principalia. Ad primum reſpondetur primo à Bonauentura vbi ſuprà, quòd ille actus credendi in eis eſt malus, quia odiunt illud creditum.

Contra hanc reſponſionem arguit Doctor dicẽs, quòd actus intellectus, vt præcedit actum voluntatis, non determinatur ab actu voluntatis ſequente; patet, quia talis actus, vt præcedit non ſubeſt imperio voluntatis, nam nullus actus intellectus poteſt dici malus formaliter, niſi pro quanto imperatur à voluntate inordinatè ſe habente, vt infrà patebit *in iſto 2. diſt.* 42. Angelus verò malus in illo priori poteſt aliquod verum concipere tam ſpeculabile quàm agibile.

Dat ergo Doctor aliam reſponſionem, concedendo quòd habent aliquem actum bonum bonitate morali, diminutè tamen, quia non malum. malitia contrariè, vt ſuprà patuit.

4. c *Ad ſecundum dico, quod Angelum eſſe capacem*, &c. Sed hæc reſponſio, licèt euadat argumentum quantùm ad actum bonum meritorium; quia in Angelis malis non eſt aliud principium partiale actus meritorij, ſcilicet gratia, vt ſuprà patet, non tamen euadit de actu bono morali, quia imago ſecundum Doctorem *in primo, diſtinct.* 3. *quæſtione vltima*, non tantùm ſonat potentiam, ſiue principium, ſed etiam includit actum; & tunc in malis Angelis erit imago Trinitatis, cùm actu intelligunt Deum, & actu diligunt.

Reſpondeo, quòd *imago* ſecundùm Auguſtinum aliquando accipitur pro ipſa anima includente tantùm intellectum, & voluntatem, quæ ſunt principia actuum ſecundorum, & talis imago eſt in dæmonibus. Aliquando accipitur *imago*, vt includit tam actus primos, quam ſecundos, vt expoſui *in primo, diſt. tertia, quæſt. vlt.* & talis imago imperfectè poteſt eſſe in dæmonibus, quia poſſunt cognoſcere Deum, & diminutè amare, puta amando, vt bonum commodum ſibi, non poſſunt ergo exire in actum perfectè moralem.

d *Ad tertium*. Reſponſio ſtat in hoc, quòd aliud eſt loqui de potentia peccandi, quæ nominat principium productiuum; & aliud eſt loqui de poſſe peccare, quod dicit ordinem ad peccatum.

Primo modo nominat intellectum, & voluntem, quæ ſunt partes liberi arbitrij, & tale liberum arbitrium eſt principium effectiuum reſpectu actus ſubſtrati, & defectiuum reſpectu deformitatis, vt infrà patebit *diſtinct.* 37. Secundo modo non eſt liberum arbitrium nec pars liberi arbitrij, quia talis ordo ad actum dicit tantùm reſpectum, ſiue relationem, quæ nullo modo pertinet ad liberum arbitrium; & ſic concedo quòd mali Angeli habent liberum arbitrium, & tamen poſſunt peccare deficiendo à rectitudine danda actui. *Ordo ad peccatum multipliciter capitur.*

Hanc litteram declaro. Cùm diſtinguit, *aliud eſt loqui de poſſe peccare, aliud de potentia ad peccandum. Primum dicit ordinem ad actum diſformem*, & talis ordo poteſt multipliciter conſiderari; quia vel terminatur ad actum ſubſtratum deformitati, & fundatur in libero arbitrio, & tunc talis ordo dicit relationem realem; aut terminatur ad ipſam deformitatem & fundatur in libero arbitrio, & tunc tantùm dicit relationem rationis: patet, quia omnis relatio, quæ terminatur ad non ens, eſt relatio rationis, vt infrà patebit, *diſt.* 44. ſed deformitas eſt tantùm priuatio rectitudinis, quæ deberet ineſſe actui, vt infrà patet *diſt.* 35, 36. & 37. Sequitur: *Secundum dicit rationem principij, quo poteſt elici actus deformis.* Patet, quia dicit ipſum liberum arbitrium, quod eſt principium, quo poteſt elici actus deformis, ſic intelligendo, quòd eſt principium *quo*, vt productiuo reſpectu actus ſubſtrati, & *quo* vt defectiuo reſpectu deformitatis inhærentis actui. Sequitur: *Primus ordo non eſt liberi arbitrij, nec aliquid eius*: patet, quia talis ordo tantùm dicit relationem vel realem, vel rationis. Sequitur: *nec abſolutè aliquis ordo ad actũ eſt aliquod principium actuum, vel pars eius.* Patet, quia omne principium actiuum ſemper dicit entitatem abſolutam, nulla enim relatio poteſt poni de genere actiuorum, vt patet 5. *Phyſ. tex. com.* 10. Sequitur: *Secundo modo dico quòd illud, quo illud poteſt peccare includit duo, quorum alterum eſt poſſe, aliud deficere.* Patet, quia potentia peccandi, vt eſt principium *quo* eſt productiua alicuius actus ſubſtrati, & vt ſic, includit *poſſe*, & eſt defectiua deficiendo à rectitudine danda, & vt ſic includit *deficere*. Sequitur: *& illud eſt quo poteſt in illud eſt eius poſſe*, id eſt, illud principium formale productiuum quo poteſt in ſubſtratum peccati, vocatur *poſſe*. 5.

Sequitur, *quod poſſe, eſt per ſe libertatis arbitrij & potentiæ*. Patet, quia voluntas eſt principium productiuum quo homo, vel Angelus verè poteſt producere ſubſtratum peccati, & talis voluntas, vel eſt liberum arbitriuum, vel ſaltem pars liberi arbitrii, dicitur etiam potentia productiua. Sequitur, *reliquum verò non eſt eius vnde liberum arbitrium, ſed vnde tale ſcilicet defectiuum*, id eſt, quòd ipſum deficere à rectitudine danda actui, nec eſt liberum arbitrium, nec pars liberi arbitrii, inquantum liberum arbitrium, vel inquantùm pars, quia vt ſic, dicitur potentia productiua: ſed benè deficere pertinet ad liberum arbitrium, non inquantùm liberum arbitrium eſt effectiuum; ſed inquantùm eſt defectiuum, ſupple inquantùm deficit à rectitudine danda actui. Sequitur; *ita quòd ſicut in communi liberum arbitrium eſt quo quis poteſt velle*, &c. Dicit Doctor quod accipiendo liberum arbitriũ, vt tantùm eſt cõmune Deo, & beatis, tũc eſt principiũ productiuũ, quo tam Deus, & beati poſſunt abſolutè velle. Accipiẽdo verò liberum arbitriũ in particulari prout cõuenit viatoribus, tunc eſt id quo viator, non tantũ poteſt abſolutè *velle*, ſed etiã poteſt defectibiliter, velle, quia eſt id, quo 6. *Liberum arbitrium conſideratur duobus modis.*

id,quo viat or poteſt deficere à rectitudine,danda. Sequitur, *tamen quantùm ad aliquid, poteſt poni diſſimile, quia ad abſolutè velle tota entitas poſitiua liberi arbitrij, & ſola eſt principium* ſupple *productiuum: ad illam autem deformitatem in actu nihil poſitiuum in libero arbitrio eſt principium.* Patet, quia reſpectu non entis, nihil poteſt eſſe principium productiuum, quia principium productiuum, tantùm reſpicit ens poſitiuum pro producto; ſed illa deformitas, quæ ineſt actui eſt ſimpliciter non ens; ergo.

7. Sequitur, *& tunc ad formam dico, quòd dato quòd ibi ſit libertas arbitrij*, &c. Vult dicere quòd inquantum liberum arbitrium eſt potentia productiua actus poſitiui, vt ſic, ad liberum arbitrium non pertinet peccatum, quia peccatum propriè reſpicit potentiam defectiuam,& non vt poſitiuè productiuam. Sequitur, *tamen ex defectu concomitante illum actum poteſt eſſe peccatum*, hoc clarum eſt, ex ſupradictis. Sequitur, *poteſt tamen concedi totum argumentum.* &c. Hîc dat aliam reſponſionem,& concedit quòd Angeli mali habent potentiam non peccandi,quia habent liberum arbitrium, quod non eſt formaliter peccatum, vt patet. Siue etiam accipiatur potentia vt dicit ordinem ad actum, talis potẽtia non eſt formaliter peccatum; ſiue accipiatur potentia, vt nominat principium, ſiue actiuum, ſiue paſſiuum, talis potentia non eſt formaliter peccatum. Patet, quia peccatum formaliter eſt ſola carentia rectitudinis debitæ quæ deberet ineſſe actui, vt infrà patebit *in iſto 2. diſt.34.* Sequitur, *licèt non habeant potentiam non peccandi, hoc eſt, non eſſe in peccato, quomodo peccator dicitur eſſe in peccato poſtquam tranſiuit actus, quem commiſit*, id eſt, quòd loquendo de peccato, ſiue de obligatione ad pœnam æternam,quæ manet in anima poſt actum peccati, vt patet *in 4. diſt.14. queſt. prima.* Nulla voluntas creata eſt potens ſe liberare à tali obligatione, ſolus enim Deus poteſt liberare ab huiuſmodi obligatione,vt patet à Doct. in *4.diſt.14. & 22.*

An ad libertũ Arbitrium pertineat peccatum.

8. c Ad quartum reſpondet, quòd *in agentibus merè naturalibus, ceſſantibus impedimentis, redditur ad diſpoſitionem naturalem.* Vt patet de aqua calefacta, quæ redit ad priorem frigiditatem ceſſante impedimento,quia principium frigiditatis eſt neceſſarium,& eſt actiuum per modum naturæ in ipſa aqua:ſed non eſt ſic de agente libero.

f *Aliter poteſt dici*,&c.Sed hîc occurrit non parua difficultas. Si enim Doctor intelligat, quòd quando voluntas elicit actum carentem iſta conformitate, ſcilicet quòd eſt elicitus conformiter inclinationi naturali, illud eſt peccatum. Contrà,& pono caſum, voluntas mea ſecundum inclinationem naturalem ſummè inclinatur ad ſummam beatitudinem poſſibilem creari, vt patet ex Doctore *in 4. diſt. 50.* & tamen voluntas vult beatitudinem actu elicito ſecundùm merita, & non vult tantam beatitudinem, quanta ab appetitu naturali appetitur, vt patet *vbi ſuprà in 4.*

Quare peccatum dicatur cõtra naturam.

Dico, quòd peccatum dicitur contra naturam, quia eſt contra actum natum elici conformiter naturali inclinationi, accipiendo *naturalem inclinationem* pro dictamine naturali: & ſic omnis peccans elicit actum contra rectum dictamen naturale rationis. Vel ſi volumus dicere quod ſit contra inclinationem naturalem, poteſt dici ſic, quòd natura magis inclinatur ad actum perfectum, quàm imperfectum;actus autem perfectè circunſtantionatus eſt perfectior actu carente debitis circunſtantiis. Vel tertiò dici poteſt, quòd ideò peccatum eſt contra naturam quia dicit tantùm carentiam & priuationem: natura autem inclinatur ad bonum abſolutè, & ad actum, quo attingit illud bonum.

g Ad quintum reſpondet ibi: *Ad aliud de ſimili*,&c.Dicit primò quòd illud argumentum, concluderet contra eos, qui dicunt intellectum eſſe ſufficiens motiuum voluntatis,quia ex quo talis intellectus per modũ naturæ & de neceſſitate intelligit obiectum præſens, tunc de neceſſitate mouebit voluntatem ad volendum illud obiectum; ſi enim intellectus Angeli mali rectè intelligeret aliquod principium practicum, vel concluſionem practicam, puta quòd ſummum bonum eſt ſummè diligibile, & per conſequens Deus eſt ſummè diligibilis, tunc de neceſſitate moueret voluntatem ad ſic diligendum. Et ſi iſti volunt euadere argumentum hoc, oportet eos dicere intellectum primi Angeli nullũ principium practicum rectè concipere, quod tamen eſt falſum; patet, quia ſicut principia ſpeculabilia ſunt vera ex terminis, ita principia operabilia,vt patet *in quæſtion.vltima, prologi.* Ad illam ſimilitudinem Philoſophi 2.Phyſ. quomodo intelligatur,reſponſum eſt ſuprà à Doctore *in primo, diſt.1. q.4. & in 4.diſt.49.* vide ibi. 9. *tex.88.*

h *Voluntas autem non cogitur ex bonitate obiecti*, &c. Similis reſponſio de intellectu & voluntate data eſt à Doctore *in primo, diſt.prima, q. quarta*, vbi dicit, quòd non eſt ſimile,de primo vero reſpectu intellectus; & de primo bono reſpectu voluntatis. Et quod dicit hîc quod maximum bonum non mouet voluntatem ad amãdum ſaltẽ ordinatè, videtur quaſi innuere, quòd ſaltem moueat voluntatem ad amandum abſolutè, ſed hoc aliàs pertractabitur in materia de Beatitudine.

Ad ſextum, reſpondet ibi: *Ad aliud dico, quòd habitu exiſtente perfecto*, &c. Iſta litera eſt ſatis clara, in qua tamen nota aliquas ſingulares propoſitiones, quarum prima eſt, quòd 10.

Habitu exiſtente in ſummo actus ſequentes non augent ipſum habitum, ſed tantùm procedunt ex habitu iam generato, procedunt enim ex ſumma perfectione habitus.

Secunda. *Actus Angeli boni non augent habitum charitatis eius, nec effectiuè, nec meritoriè, quia eſt in termino.*

Tertia.*Præmium ſubſtantiale in primo inſtanti, in quo aliquis eſt beatus,eſt determinatum,nec ex tunc creſcit,quia actus boni ſequentes non ſunt meritorij, licèt ſint boni.*

Quarta propoſitio eſt: *Angelo damnato in primo inſtãti ſuæ damnationis determinatur pœna, quæ non creſcit intenſiuè cùm ſit in termino.*

Quinta propoſitio: *Mali actus damnati quos continuè elicit non ſunt impuniti, quia includuntur in prima pœna ſibi determinata, & quilibet ſicut poſſet habere pœnam accidentalem, habet ſe ipſũ pro pœna,iuxta* illud Auguſtini: Iuſtiſti domine, & ita eſt, vt pœna ſit ſibi omnis peccator.

Sexta propoſitio.*Potiſſima & maxima pœna eſt priuatio maximi boni, qualis eſt formaliter in actu malo malitia culpæ peccatorem auertente.*

Septima.*In dãnato creſcet eiꝰ pœna in infinitũ extẽſiua,ſicut & malitia,neutrũ tamẽ creſcet intẽſiuè.* *Non omnes culpæ ſunt meritoriæ.*

Octaua: *Non omnis culpa eſt propriè demeritoria, quia ſola illa eſt demeritoria, quæ à viatore elicitur; illa verò quæ elicitur à damnato, magis propriè dicitur damnatoria.* Decima propoſitio eſt de beato.

Boni actus beati includuntur in primo actu beatitudinis, cùm procedant ex perfectione actus beatifici, & quantùm ad accidentale præmium quilibet actu eſt ſibi præmium.

Vndecima, *Præmium accidentale beati creſcet in infinitum, ſicut actus boni creſcent in infinitum extenſiuè, neutrum tamen creſcet intenſiuè.*

Duodecima, *Actus beati non propriè dicuntur meritorij, ſed magis actus beatifici ex beatitudine procedentes.*

DISTINCTIO VIII.

A

De corporibus angelorum.

SOLET etiam in quæſtione verſari apud doctos, vtrùm Angeli omnes, boni ſcilicet ac mali corporei ſint, id eſt, corpora habeant ſibi vnita. Quod aliqui putant, innitentes verbis Auguſtini, qui dicere videtur, quòd Angeli omnes ante confirmationem, vel lapſum corpora aërea habuerint de puriori ac ſuperiore aëris parte formata, ad faciendum habilia, non ad patiendum: & Angelis bonis, qui perſtiterunt, talia ſunt conſeruata corpora, vt in eis poſſint facere & non pati; quæ tantæ ſunt tenuitatis, vt à mortalibus videri non valeant, niſi ſuperueſtita aliqua groſſiori forma, quâ aſſumptâ videntur, depoſitâque videri deſinunt. Angelis verò malis mutata ſunt in caſu corpora in deteriorem qualitatem ſpiſſioris aëris. Sicut enim à loco digniori in inferiorem locum, id eſt, caliginoſum aërem, deiecti ſunt: ita illa corpora tenuia mutata ſunt & transformata in deteriora corpora & ſpiſſiora, in quibus pati poſſunt à ſuperiori elemento, id eſt, ab igne. Et hoc Auguſtinus ſenſiſſe videtur ſuper Geneſim, ita dicens, [Dæmones dicuntur aërea animalia, quia corporum aëreorum natura vigent; nec per mortem diſſoluuntur, quia præualet in eis elementum aptius ad faciendum quàm ad patiendum. Ad patiendum enim humor & humus; ad faciendum aër & ignis aptitudinem præbent. Tranſgreſſores verò Angeli cum principe ſuo nunc diabolo, tunc archangelo, non mirum, ſi poſt peccatum in hanc caliginem detruſi ſunt. Neque etiam hoc mirum eſt, ſi conuerſi ſunt ex pœna in aëream qualitatem, qua poſſunt ab igne pati. Caliginoſa tamen aëris loca tenere tantùm permiſſi ſunt, qui eis quaſi carcer ſit vſque ad tempus iudicij.] Ecce his verbis videtur Auguſtinus id tradere, quod quidam opinantur de corporibus Angelorum. Hoc autem eum alij dixiſſe aſtruunt non ita ſentiendo, ſed opinionem aliorum referendo, quod ex ipſius verbis diiudicare volunt: quibus ait, Dæmones dicuntur aërea animalia: non ait, ſunt. ita enim quidam dicebant. De habitatione verò caliginoſi aëris in quem detruſi ſunt non opinando, ſed rei veritatem aſſerendo eum tradidiſſe dicunt, quod ipſius locutionis diſtinctio oſtendit: Dicunt quoque plurimos Catholicos tractatores in hoc conueniſſe, atque id concorditer docuiſſe, quod Angeli incorporei ſint, nec corpora habent ſibi vnita: aſſumant autem aliquando corpora Deo * præparante, ad impletionem miniſterij ſui ſibi à Deo iniuncti, eadémque poſt expletionē deponunt, in quibus corporibus, hominibus apparuerunt atque locuti ſunt. Et aliquando quidem locuti ſunt ex perſona Dei,

De Geneſ. ad literam Lib. 3. c. 10.

Aug. ſententiā ſuā ponit lib. 21. de ciu. ca. 10.

al. præſtant.

Dei, ſine diſtinctione alicuius perſonæ, aliquando ex perſona Patris, vel Filij, ſiue Spiritus ſancti.

Quòd Deus in corporalibus formis illis antiquis apparuit.

B NEc dubitandum eſt Deum in corporalibus formis apparuiſſe hominibus, ſicut Auguſtinus in lib.2. de Trinit. oſtendit, conferens diuerſa Scripturæ teſtimonia, ex quibus Deum in corporeis figuris hominibus apparuiſſe probat: & aliquando ex perſona Dei, ſine perſonarum diſtinctione, aliquando ſub diſtinctione perſonarum ſermonem eis factum eſſe. *Cap.5.6.& 7.& pluribus ſequẽtibus.*

De perplexa quæſtione quam ponit Auguſtinus quærens: an ad exhibendum has corporales apparitiones creatura noua ſit formata, an Angeli, qui antè erant miſſi: & ſi ipſi miſi ſunt, vtrùm ſeruata ſui ſpiritualis corporis qualitate, aliquam ſpeciem corporalem de corpulentiori materia aſſumpſerint, an proprium corpus ſuum mutauerint in ſpeciem actioni ſuæ aptam.

C SEd vbi Deum hominibus in corporalibus imaginibus apparuiſſe aſſerit: perplexam quæſtionẽ proponit, quam nec abſoluit, quærẽs, [vtrùm in illis corporalibus apparitionibus creatura aliqua crearetur ad illud opus tantùm, in qua Deus hominibus appareret: an Angeli, qui antè erant, ita mitterentur, vt manentes in ſuis ſpiritualibus corporibus aſſumerent ex corpulenta inferiorum elementorum materia aliquam ſpeciem corporalem, quam coaptatam quaſi aliquam veſtem mutarent in quaſlibet ſpecies corporales veras quidem, an corpus ſuum proprium verterent in ſpecies aptas actionibus ſuis, ſed per virtutem ſibi à Deo datam.] Ait enim ita Auguſtinus in lib.3. de Trin. [Quærendum eſt in illis antiquis corporalibus formis, & viſis, vtrùm ad hoc opus tantùm creatura formata ſit, in qua Deus ſicut tunc oportuiſſe iudicauit, humanis oſtenderetur aſpectibus: an Angeli qui iam erant ita mittebantur, vt ex perſona Dei loquerentur, aſſumentes corporalem ſpeciem de creatura corporea in vſum miniſterij ſui, aut ipſum corpus ſuum, cui non ſubduntur, ſed ſubditum regunt mutantes, atque vertentes in ſpecies quas vellent accommodatas, atque aptas actionibus ſuis, ſecundùm attributam à creatore ſibi potentiam. Sed fateor excedere vires intentionis meæ, vtrùm Angeli manente ſpirituali ſui corporis qualitate, per hanc occultiùs operantes aſſumant ex inferioribus elementis corpulentioribus corpus quod ſibi coaptatum, quaſi aliquam veſtem mutent, & vertant in quaſlibet ſpecies corporales, & ipſas veras: ſicut aqua vera in vinum verum conuerſa eſt à Domino An ipſa propria corpora ſua transforment in id quod volunt, accommodatum ad id quod agunt. Sed quod horum ſit (quoniam homo ſum) nullo experimento comprehendere valeo, ſicut Angeli qui hoc agunt.] Attende lector quia quæſtionem propoſitam non ſoluit, ſed indiſcuſſam reliquit, vtrùm Angeli qui mittebantur ſeruatis ſuis propriis ſpiritualibus corporibus ſuperueſtirentur aliqua corpulentiori ſpecie, in qua poſſent videri, an ipſum corpus mutarent, & transformarent in quamcunque vellent ſpeciem in qua poſſent cerni. In quibus verbis videtur *Aug.lib.3. de tri.ca.2. & lib.2 cap. 7.* *Capite 2.* *Ibidem.* *Ioan. 2. b.*

Auguſtinus atteſtari Angelos eſſe corporeos, ac propria & ſpiritualia habere corpora.

Quòd Deus in ſpecie qua eſt Deus nunquam mortalibus apparuit.

D

Exodi. 33, d. Ioan. 1. b. Aug. lib. 3. de Trin. c. 10. & 11.

CÆterùm hæc velut nimis profunda, atque obſcura relinquentes illud indubitanter teneamus, quòd Deus in ſpecie eſſentiæ ſuæ nunquam mortalibus apparuit, ſicut famulo ſuo Moſi dicit: Non videbit me homo, & viuet. Et in Euangelio Ioannis legitur, Deum nemo vidit vnquam. [Viſibile enim quicquam non eſt, quod non ſit mutabile. Ideò ſubſtantia, ſiue eſſentia Dei, quoniam nullo modo mutabilis eſt, nullo modo poteſt eſſe per ſe ipſam viſibilis. Proinde illa omnia, quæ Patribus viſa ſunt, cùm Deus illis præſentaretur, per creaturam facta eſſe manifeſtum eſt. Et ſi nos latet quomodo ea miniſtris Angelis fecerit Deus, per Angelos tamen facta eſſe dicimus. Audeo ergo fiducialiter dicere, nec Deum Patrem, nec Verbum eius, nec Spiritum eius, qui eſt vnus Deus, per id quòd eſt, atque id ipſum quod eſt, vllo modo eſſe mutabilem, ac per hoc multò minùs eſſe viſibilem.]

Vtrùm dæmones intrent corpora hominum ſubſtantialiter, an illabantur mentibus hominum.

E

Matt. 8. d. Marci 1. c.

ILlud etiam conſideratione digniſſimum videtur, vtrùm dæmones, ſiue corporei, ſiue incorporei ſint, hominum ſubſtantialiter intrent corpora, eorúmque animabus illabantur: an ideò intrare dicantur, quia malitiæ ſuæ ibi effectum exercent, Dei permiſſione, opprimendo atque vexando eas, vel in peccatum pro voluntate ſua trahendo. Quòd in homines introëant, atque ab eis expulſi exeant, Euangelium apertè declarat, commemorans dæmonia in quoſdam ingreſſa, & per Chriſtum eiecta: ſed vtrùm ſecundùm ſubſtantiam fuerint ingreſſa, an propter mali effectum dicantur ingreſſa, non adeò perſpicuum eſt. De hoc autem Gennadius in

Gennadius cap. 82. in tomo 3.

definitionibus Eccleſiaſticorum dogmatum ait [Dæmones per energiam & operationem non credimus ſubſtantialiter illabi animæ: ſed applicatione & oppreſſione vniri. Illabi autem menti, illi ſoli poſſibile eſt, qui creauit, qui natura ſubſiſtens incorporeus capabilis eſt ſuæ facturæ.] Ecce hîc videtur inſinuari, quod ſubſtantialiter non illabantur dæmones, vel introëant corda hominum. Beda quoque ſuper illum locum Act. Apoſt. vbi Petrus ait Ananiæ, Cur tentauit Satanas cor tuum? dicit: Notandum quod

Actuũ 5. a.

mentem hominis iuxta ſubſtantiam nihil implere poſſit, niſi creatrix Trinitas: quia tantummodo ſecundùm operationem & voluntatis inſtinctum anima de his quæ ſunt creata impletur. Implet verò Satanas cor alicuius, non quidem ingrediens in eum, & in ſenſum eius, neque introïens aditum cordis (ſiquidem poteſtas hæc ſolius Dei eſt) ſed callida & fraudulenta deceptione animam in affectum malitiæ trahens per cogitationes, & incentiua vitiorum quibus plenus eſt. Impleuit ergo Satanas cor Ananiæ non intrando, ſed malitiæ ſuæ virus inſerendo. Idem: Spiritus immundus

Super cap. 28. Act. circa illud, vipera cũ proceſſiſſet à calore.

flamma virtutum de cordibus fidelium expulſus, doctoribus veritatis luctantibus venenum perſecutionis infundit. His auctoritatibus oſtenditur, quod dæmones non ſubſtantialiter intrant corda hominum, ſed propter malitiæ effectum: de quibus pelli dicuntur, cùm nocere non ſinuntur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm Angelus poßit aſſumere corpus, in quo exerceat opera vitæ?

Alenſ. 52. *p.q.*34. *m.*2. & 3. D.Thom.1. *p.q.*51.*a.*2. & *hic.q.*1.*a.*3. D.Bon.*hic a.*1.*q.*2.Richard.*q.*2. Ægid. *q.*2.*a.*2. Gabr. *q.*1. *a.*2. Durand. *q.*1. Vaſq.1.*p.d.*184. & *duabus ſeq.*

1. CIRCA diſtinctionem octauam, in qua Magiſter agit de poteſtate Angelorum, per comparationem ad creatu am corporalem, quæritur. Vtrùm Angelus poſſit aſſumere corpus, in quo exerceat opera vitæ?

Quòd non, videtur, quia ſi aſſumat, ergo habet maiorem vnitatem ad corpus aſſumptum, quàm ad non aſſumptum: quia aſſumere, eſt ad ſe ſumere: ſed hoc non videtur poſſibile, quia non poteſt eſſe illius corporis forma: patet, quia eſt forma ſeparata naturaliter: nec illud poteſt ſumi ab eo in vnitatem ſuppoſiti, quomodò Verbum aſſumpſit naturam noſtram; ergo erit tantùm vnitas, ſicut motoris ad mobile: ſed talis vnitas, poteſt eſſe eius ad corpus non aſſumptum, vt ad cœlum, quod mouet: ergo, &c. *Arg.* 1.

Præterea ſecundò, ſi aſſumeret corpus, aut aſſumeret corpus elementare, quòd non apparet: quia illud non habet accidentia, vt colorem, & huiuſmodi qualitates, quæ apparent: aut corpus miſtum, quod non videtur; tum, quia non poteſt habere virtutem actiuam, ad miſcendum elementa omnia ſecundùm commiſtionem talis corporis: tum, quia à tota natura agente non poteſt generari corpus miſtum ita perfectum ſicut eſt corpus humanum: nec aſſumit corpus cæleſte, planum eſt, quia illud non recipit peregrinas impreſſiones, & per conſequens nec operationes vitales. *Arg.* 2.

Præterea tertiò, ſi poteſt in corpore aſſumpto exercere opera vitæ: igitur eſt ibi aliquid viuum: conſequens eſt falſum, quia corpus non eſt viuum, niſi per formam vitalem informantem: talis autem non eſt ibi. Conſequentia probatur, quia operationes vitales ſunt compoſiti, *primo de Anima, & de Senſu & Senſato.* Probatur etiam, quia forma ſeparata à materia, non poteſt tranſmutare materiam, ſecundùm Comment. 7. *Metaph.* in iſtis actibus vitæ: ſaltem in actibus vitæ vegetatiuæ, tranſmutatur materia: ergo, &c. *Arg.*3. 1.*Ca.*1. 5. & *inde.* *t.c.*14.&64 *Com.*28. & 31.

Ad oppoſitum Gen. 18. de tribus Angelis apparentibus Abrahæ, & Tobiæ per totum de Raphaële, & in pluribus aliis locis ſcripturæ.

SCHOLIVM.

Angelum aſſumere corpus, eſt illud ſibi vnire ad operationes ſuas ipſo explendas: non aſſumit corpus elementare, quia incapax accidentium, quæ experiuntur homines in aßumptis, ſed miſtum, vt cadauer, vel ſi de nouo fiat, habebit imperfectam quandam miſtionem.

2. IN iſta[a] quæſtione (ſicut tangunt tria argumenta) tria ſunt videnda. Primò quid ſit Angelum aſſumere corpus. Hoc quidem non eſt informare corpus, nec etiam hypoſtaticè ſibi vnire: ſed tantùm eſſe intrinſecus motor corporis: nam tunc aſſumit, id eſt, ad ſe ſumit: quia ad operationes proprias ſibi explendas vtitur illo, ſicut inſtrumento. Nec dicitur iſta aſſumptio fieri, quando corpus aſſumptum mouetur motu progreſſiuo: quia talis motus non cogruit fini, propter quem aſſumitur tale corpus. *Corpus miſtum aſſumit Angelus.*

3. Secundò dico,[b] quòd non aſſumit corpus cæleſte, nec corpus elementare, in quibus appareat: quia in elementari non viſibiliter appareret; nec corpus elementare eſt ſuſceptiuum illorum accidentium, in quibus apparet. Corpora autem miſta iam à natura generata poteſt aſſumere; ſicut eſt cadauer mortui, vel lapis, vel aliquid tale, & quando aſſumit aliquod corpus, quod non videtur priùs cauſatum, vel formatum à cauſis naturalibus, ſed quaſi formari tunc, & ſubitò completa operatione diſparere, ſicut fuit de Raphaële, & Samuële, tunc videtur probabile, quòd illud ſit corpus *Tobiæ* 5. 1. *Reg.* 28

corpus miſtum propter accidentia, quæ apparent in corpore: ſed non miſtum plena miſtione: tum quia ex generatione, tale miſtum non poſſet ita ſubitò formari, quia non eſſet natum generari, niſi ſecundùm determinatum proceſſum naturæ: qualis non eſt ibi, puta ſi appareat in corpore hominis non priùs geniti per naturam, illud corpus non eſſet natum, vel aptum generari niſi in matrice.

Non poteſt Angelus ſubito formã corpori inducere, ſed paulatim applicãdo actiua paſſiuis.

Nec poteſt dici, quòd Angelus ſubitò inducat illam formam in materia: quia non poteſt naturalem formam inducere, ſed tantùm elementa actiua, & paſſiua poteſt conuenienter ſimul adhibere, & corporibus cæleſtibus, in ſitu conuenienti approximare, vt inducatur forma particularis, qualis nata eſt talibus agentibus particularibus induci. Itaque corpus, quod ita quaſi ſubitò formatur, & reſoluitur, eſt miſtum imperfecta miſtione, qualis poteſt induci ab agentibus naturalibus, quaſi ſubitò facta approximatione elementotum: ita quòd magis tale corpus aſſimilatur impreſſioni, quæ eſt imperfectè miſta, & ſignum huius eſt quia quãdo diſparet tale corpus, non remanet aliquid talis corporis, in quod naturaliter eſſet immediatè reſolubile corpus illud aſſumptum, ſi perfectè fuiſſet miſtum, corpus enim humanum ſi eſſet perfectè miſtum, non eſſet natum redire niſi ad cadauer: ſed tale imperfectè miſtum, reſoluitur ſtatim in elementa, ſicut ex eis potuit ſtatim generari, propter eorum imperfectam miſtionem.

Quod ſignum corporis imperfectè mixti aſſumpti?

COMMENTARIVS.

1. a IN iſta quæſtione tria ſunt *videnda.* Primò, quid ſit Angelum aſſumere corpus. Secundò, quale corpus aſſumit, ſcilicet an cœleſte, an elementare, an miſtum. Tertiò, quas operationes poteſt exercere in corpore.

Quid ſit Angelũ aſſumere corpus.

De primo dicit Doctor quod *Angelum aſſumere corpus non eſt informare corpus, nec etiam hypoſtaticè ſibi vnire; ſed tantùm eſſe intrinſecus motor corporis.*

De primo patet, quia ſi Angelus informaret corpus, tunc ex Angelo, & corpore fieret compoſitum per ſe, quia ex per ſe actu, & per ſe potentia, vt patet 8. *Metaph. tex. com.* 15. & 16. hoc autem repugnat Angelo poſſe informare corpus, vt probat Doctor *quæſt.* 9. *quodl.* Sequeretur etiam compoſitum illud eſſe perfectius ipſo Angelo, vt patet à Doctore in ſimili *in quarto diſt.* 43.

De ſecundo patet, quòd quando aſſumit corpus non vnit illud ſibi hypoſtaticè, nam vnire ſibi aliquid hypoſtaticè eſt terminare dependentiam illius naturæ, & ſuppoſitare illam in ſeipſo, vt patet à Doctore *in tertio, diſt.* 1. *quæſt.* 1. & *q.* 19. *quodl.* eſt enim impoſſibile Angelum propria virtute poſſe aſſumere aliquod corpus in vnitate ſuppoſiti, vt patet à Doctore *in tertio, diſt.* 1.

De tertio patet, quia ex hoc Angelus aſſumit corpus, quia intrinſecè mouet illud, applicando ſe illi.

2. b De ſecundo principali dicit Doctor duas concluſiones; vnam negatiuam; aliam affirmatiuam. Negatiua eſt iſta; *Angelus non aſſumit corpus cœleſte, nec elementare, in quibus appareat.* De cœleſti apparet, quia quando apparet nobis, non aſſumit Solem, nec Lunam, imò in tali corpore non poſſet exercere operationes, quas exercet, dum apparet nobis. De elementari patet. Tum, quia corpus elementare non eſt viſibile, vt patet, ſed apparet in corpore viſibili. Tum etiam, quia apparet nobis in aliquibus accidentibus, quæ non ſunt nata ſuſcipi in corpore albo, vel rubeo vel aliquo alio colore colorato.

Angelus non aſſumit corpus cœleſte.

Secunda concluſio affirmatiua eſt iſta, quòd *Angelus poteſt aſſumere corpus miſtum à natura generatum, & ſimiliter poteſt aſſumere corpus non natura priùs genitum, ſed ſtatim generandum.* Prima pars concluſionis patet, quia poteſt aſſumere cadauer mortui, vel lapidem vel aliquid tale. Secunda pars patet de corpore impefectè miſto, quod completa operatione ſtatim diſparet, vt patet de Raphaële, &c Et dicit Doctor quòd quando aſſumit tale corpus, quod ſubitò diſparet completa operatione, tale corpus videtur miſtum propter accidentia, quæ apparent in corpore, puta colores, vel aliqua alia, quæ non poſſunt ineſſe, niſi corporibus miſtis, illud tamen non erit miſtum plena miſtione: patet, quia corpus tale ſubitò videtur formari; perfectum autem miſtum non ita ſubitò formatur. Patet de homine, qui non eſt natus generari, niſi ſecundùm determinatum proceſſum naturæ, & hoc in matrice. Cætera patent.

SCHOLIVM.

In hac litera ſunt aliquot dicta. Primum, Angelus poteſt mouere corpus localiter, & motu qui apparet progreſsiuus. Item motu inſpirationis, reſpirationis, &c. Secundum, non poteſt exercere operationes vitales in corpore aſſumpto. Tertium, cognitio, quam videtur habere viſu vel auditu, eſt intellectio, quam verbis vel ſignis exprimit. Quartum, comedit & augetur, ſed verè non nutritur, de quo 4. *d.* 44. *q.* 1. *Quintum, non generat, ſed opera dæmonis, primò ſuccubi, & poſtea incubi, fit poſitio ſeminis in matricem, vnde naſcitur proles: de quo D. Thom. D. Bon. hîc & Aug.* 15. *ciu.* 23.

4. De tertio dico [c] quòd motum localem poteſt cauſare in corpore aſſumpto, & ita motum, qui videtur eſſe progreſſiuus: motum etiam, qui eſſet inſpirationis, & reſpirationis, motionem palpebrarum, & manuum, & ſimilium. Et ratio eſt, quia non eſt aliquod corpus ita imperfectum in vniuerſo, quin habeat in virtute ſua actiua aliquod *vbi* (patet de graui reſpectu centri) ergo multò magis habet hoc Angelus reſpectu corporis.

Non poteſt Angelus exercere operationes vitæ in corpore aſſumpto. De hoc 4. d. 15. & d. 44. q. 1.

Sed operationum naturalium, quæ conſiſtũt in agere, & pati; cuiuſmodi ſunt operationes ſenſuales, in illas non poteſt: quia illæ non ſunt natæ recipi niſi in compoſito ex organo, ſaltem perfectè miſto, & ex anima, inquantùm habet potentiam perfectiuam: quorum neutrum eſt ibi, nec ſcilicet talis miſtio, nec anima perficiens: & ideò ſimpliciter in tali corpore compoſito, quod aſſumit, nulla eſt ſenſatio. Operationes etiam, quæ conſiſtunt in verè agendo, cuiuſmodi ſunt operationes vegetatiuæ, non competunt illi compoſito: quia, vel illæ operationes natæ ſunt eſſe compoſiti animati, quale non eſt ibi: vel natæ ſunt eſſe corporis perfectè miſti, puta ſi caro generaret carnem; neutrum autem eſt ibi.

Quid comeſtio?

Quantùm autem ad cognitionem [d] quam videtur habere de particularibus factis, audiendo vel videndo, nihil aliud eſt quàm intellectio: & illam intellectionem ſuam poteſt exprimere, formando verba, & mouendo linguam localiter. Quantùm etiam ad actus vegetatiuæ, qui apparent; ſi loquamur de vera nutritione, nihil ibi poteſt nutriri: ſed ſi loquamur de comeſtione, quæ præcedit nutritionem, illa non eſt niſi diuiſio cibi, per motum localem maxillarum, & traiectio eius in ventrem, per motum localem: & tunc poteſt fieri exhalatio, & reſolutio in humores, vel elementa: & iſti motus locales poſſunt fieri circa corpus, virtute actiua Angeli.

Sicut autem dictum eſt de nutritiua, ita dicendum eſt de augmentatiua: quia ibi nulla eſt nutritio, vel augmentatio. Poteſt tamen eſſe vera iuxtapoſitio, ſi ipſe velit ſubitò alia elementa, quæ poſſunt imperfectè miſceri ad talem imperfectam miſtionem, apponere corpori ſuo, vt videatur creſcere.

5. Et ſi dicas, ſi comeſtio non ſit operatio vitalis: ergo non valet argumentum ad probandum veram Chriſti reſurrectionem, de comeſtione eius cum diſcipulis ſuis: quod eſt contra Sanctos. Reſpondeo, ad probandum reſurrectionem eius, ſunt multa alia argumenta in Euangelio efficaciora iſto, & ita cum aliis benè probat, etſi non per ſe tantùm.

Luc. 24. & Ioan. 21.

Corpus glorioſum poteſt conuertere corpus nõ glorioſum in ſe ipſum.

Vel dico, quòd erat comeſtio ordinata ad veram nutritionem: quia non eſt inconueniens quod corpus glorioſum poſſit conuertere corpus non glorioſum in ipſum, ſicut eſſe ſimul poteſt cum corpore non glorioſo: nec propter hoc eſt corruptibile, quia poteſt aliud conuertere in ſe. Poſſet enim Deus facere corpus glorioſum, in minima quantitate, & illud augere per comeſtionem: nec tamen aliquid corrumperetur de nutrito, & aucto: in corporibus autem talibus aſſumptis non eſt nutritio, ſed tantùm additio, vel appoſitio.

Dæmones nõ generãt, ſed ipſorũ opera naſcitur proles. Sic Merlinus, ex Vinc. Bell. 11. hiſtor. & Polydor. Virg.

Sed quantùm ad generationem, dicendum, quòd illa fit virtute ſeminis deciſi à mare in feminam, in qua ſeruatur virtus patris: ſicut communiter dicunt. Si ipſe poteſt illud ſemen ab aliquo ſuccumbendo recipere, & ſeruare illud in ſua naturali qualitate, conueniente ſuæ generationi naturali, quouſque illud transfundat: ipſe nihil facit ibi, niſi quia primò recipit in corpore illo aſſumpto illud, quod poſtea mouet localiter in aliquam, cui eſt incubus: & ſi illud ſemen, antequam fit receptum in matrice, non amittat ſuam qualitatem naturalem; poteſt per ipſum fieri generatio, ſicut ſi immediatè transfunderetur à primo decidente, in eandem matricem. Et hoc modo attribuitur, non quidem Angelo bono (quia abſit, quòd talibus vilibus ſe immiſceat) ſed dæmoni, generare, quia idem primò ſuccubus, & poſtea incubus, ſemen à decidente primò transfuſum recipit: & deinde transfundit illud in matricem.

6. Ad argumenta. Ad primum dico, quòd cœlum non dicitur aſſumi: quia ad nullam ſpecialem aſſumptionem vel formam, & maximè in qua Angelus intendat apparere viſibiliter nobis: ad ſe aſſumit cœlum. Similiter, qui mouet cœlum, perpetuò mouet: & ita non temporaliter aſſumit corpus; hæc enim aſſumptio appropriata eſt corpori, quod ad tempus mouetur: & mouetur propter aliquem effectum viſibiliter appariturum hominibus.

Ad arg. 1.

Ad ſecundum dico, quòd iam apparet per ea, quæ dicta ſunt, quod aſſumit corpus imperfectè miſtum: quod quidem ipſe non producit ad *eſſe*, virtute propria; ſed tantùm

Ad 2.

tantùm naturaliter miſcibilia, vnit inter ſe, & reſpectu cœli, in tali proportione in qua, virtute cæli & miſcibilium poſſit talis forma induci,

Ad 3. Ad tertium, patet quòd nullus actus vegetatiuæ, vel cognitiuæ competit propriè Angelo in corpore, vel etiam corpori aſſumpto: ſed tantùm actus potentiæ motiuæ organicæ (qualis eſt potentia motiua animati) quia eius actus eſt actus compoſiti, ſicut & actus cognitiuæ, ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, ſed potentiæ motiuæ ſuperioris: qua Angelus poteſt corpus mouere de loco ad locum, quod non improportionabiliter excedit ipſius virtutem motiuam.

COMMENTARIVS.

1. ¶ *De tertio* principali dicit aliquas concluſiones, quarum aliquæ ſunt affirmatiuæ, aliquæ negatiuæ.

Angelus poteſt cauſare motum localem.

Prima affirmatiua eſt hæc: *Angelus poteſt cauſare motum localem in corpore aſſumpto.* Patet, quia poteſt mouere totum illud corpus, non mouendo partem poſt partem: poteſt etiam mouere illud corpus motu, qui videtur progreſſiuus, ſed non erit propriè progreſſiuus; quia corpus moueri progreſſiuè eſt propriè moueri organicè, ibi enim in tali motu vna pars mouetur motâ alia, & ideò Angelus non propriè mouebit illud motu progreſſiuo, ſed alio motu, qui apparet progreſſiuus.

Secunda concluſio affirmatiua eſt, quòd *Angelus poteſt mouere corpus aſſumptum motu inſpirationis, & reſpirationis, & mouere palpebras, & manus, & ſimilia*, nam omnes iſti motus ſunt motus locales. Et Doctor aſſignat rationem horum motuum, per argumentum à minori, quia non eſt aliquod corpus ita imperfectum in vniuerſo, quin habeat in virtute ſua aliquod *vbi*, vt patet de graui reſpectu centri, quod habet virtutem mouendi ſe, vt ſuprà patet *in iſto ſecundo, diſt. 2. q. vlt.* ergo à fortiori Angelus poterit cauſare motum localem in corpore aſſumpto.

Prima concluſio negatiua eſt iſta: *Angelus in corpore aſſumpto non poteſt cauſare aliquam operationem ſenſualem.* Puta nec viſionem, nec auditionem, & hujuſmodi. Patet, quia tales operationes non ſunt natæ recipi, niſi in compoſito ex organo ſaltem perfectè miſto, & ex anima, inquantum habet potentiam perfectiuam illius organi, vt patuit *in primo, diſt. 3. q. 6.* ſed in corpore ſumpto ab Angelo non eſt talis miſtio organi, nec anima perficiens ipſum organum, & ideò ſimpliciter in tali corpore compoſito, quod aſſumit, nulla eſt ſenſatio.

Secunda concluſio negatiua: *Operationes, quæ verè conſiſtunt in verè agendo, cuiuſmodi ſunt operationes negatiuæ, vt generare, & huiuſmodi, non competunt illi compoſito aſſumpto:* quia illæ operationes natæ ſunt eſſe compoſiti animati, quale non eſt ibi, vel natæ ſunt eſſe corporis miſti, puta, ſi caro generaret carnem, neutrum autem eſt ibi. De hoc habet videri *in quarto, diſtin. 13.* & multò clariùs *diſt. 44. quæſt. 1.*

2. d Tertia concluſio negatiua: *Cognitio quam videtur habere de particularibus factis audiendo, vel videndo, non eſt vera auditio, neque viſio, ſed tantùm intellectio, & illam intellectionem ſuam poteſt exprimere, formando verba, & mouendo linguam localiter*, vt infrà patebit diſtinctione vndecima.

Angelus non poteſt cauſare veram nutritionem.

Quarta concluſio negatiua: *Angelus in corpore aſſumpto non poteſt cauſare veram nutritionem, cùm tale corpus non ſit nutribile:* vt patet, quia tantùm corpus animatum poteſt nutriri; poteſt tamen cauſare in tali corpore comeſtionem, quæ non eſt niſi diuiſio cibi, &c.

Quinta concluſio negatiua: *Angelus non poteſt augmentare corpus, quod aſſumit*, loquendo de augmentatione propriè dicta, de qua Doctor *in quarto, diſt. 44. quæſt. prima*, quæ augmentatio fit per aggenerationem, vt infrà patebit, virtute tamen Angeli in tali corpore poteſt eſſe vera iuxtapoſitio, ſi ipſe velit ſubitò alia elementa, quæ poſſunt imperfectè miſceri ad talem imperfectam miſtionem apponere corpori ſuo, vt videatur creſcere. Cætera patent.

DISTINCTIO IX.

A POST prædicta ſupereſt cognoſcere de ordinibus Angelorum quid Scriptura tradat; quæ in pluribus locis nouem eſſe ordines Angelorum promulgat, ſcilicet Angelos, Archangelos, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim, & Seraphim. Et inueniuntur in iſtis ordinibus tria terna eſſe, & in ſingulis tres ordines, vt Trinitatis ſimilitudo in eis inſinuetur impreſſa. Vnde Dionyſius tres ordines Angelorum eſſe tradit, ternos in ſingulis ponens. Sunt enim tres ſuperiores, tres inferiores, tres medij. Superiores; Seraphin, Cherubin, Throni. Medij; Dominationes, Principatus, & Poteſtates. Inferiores; Virtutes, Archangeli, Angeli.

De ordine Angelorum.

Lib. 2. de cœl. hier. cap. 6. Dionyſ. tamen non habet ordinem hic poſitum ſed Gre. ſuper 15. c. Lucæ homil. 34

Quid appelletur Ordo, & quæ ſit ratio nominis cuiuſque.

B HIc conſiderandum eſt, quid appelletur *Ordo*. Deinde, vtrùm ab ipſa creatione fuerit diſtinctio illorum ordinum. Ordo Angelorum autem dicitur multitudo cœleſtium ſpirituum, qui inter ſe in aliquo munere gratiæ ſimilantur, ſicut & in naturalium donorum munere conueniunt. Vt verbi gratiâ [Seraphim (vt beatus ait Gregorius) dicitur, qui præ aliis ardent charitate. *Seraphim* enim interpretatur ardens, vel ſuccendens. Cherubim, qui præ aliis in ſcientia eminent. *Cherubim* enim interpretatur plenitudo ſcientiæ. Thronus dicitur ſedes. Throni autem vocantur, qui tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis ſedeat Deus, & per eos iudicia ſua decernat, atque informet. Dominationes verò vocantur, qui Principatus & Poteſtates tranſcendunt. Principatus dicuntur, qui ſibi ſubiectis quæ ſunt agenda diſponunt, eíſque ad explenda diuina myſteria principantur. Poteſtates nominantur hi, qui hoc cæteris potentiùs in ſuo ordine acceperunt, vt virtutes aduerſæ eis ſubiectæ eorum refrænentur poteſtate: ne homines tantùm tentare valeant quantum deſiderant. Virtutes vocantur illi, per quos ſigna & miracula frequenter fiunt. Archangeli, qui maiora nunciant. Angeli, qui minora.]

Greg. ſuper cap. Luc. 15. homilia 34. Idem Ber. lib. 5. de conſid. ad Eugenium.

Quòd hæc nomina non propter ſe, ſed propter nos eis data ſunt, quæ ſumpta ſunt à donis gratiæ, quæ non habent ſingulariter, ſed excellenter, & à præcipuis nominantur.

C HÆc nomina illis non propter ſe, ſed propter nos eis data ſunt. Qui enim ſibi noti ſunt contemplatione, nobis innoteſcunt cognominatione. Et nominantur ſinguli ordines à donis gratiarum, quæ non ſingulariter, ſed excellenter data ſunt in participatione. In illa enim cœleſti curia, vbi plenitudo boni eſt, licèt quædam data ſint excellenter, nihil tamen poſſidetur ſingulariter. Omnia enim in omnibus ſunt, non quidem æqualiter: quia alij aliis ſublimiùs poſſident, quæ tamen omnes habent.

Cúmque omnia dona gratiarum ſuperiores ordines ſublimiùs & perfectiùs perceperint, tamen ex præcipuis ſortiti ſunt vocabula, inferioribus cætera reliquentes ordinibus ad cognominationem: vt *Seraphim*, qui ordo excellentiſſimus æſtimatur: tam dilectionem, quàm cognitionem diuinitatis, & cætera virtutum dona cæteris omnibus ſublimiùs & perfectiùs percepit, & tamen ab excellentiori dono, id eſt, à charitate nomen accepit ille ſuperior ordo. Maius enim donum eſt ipſa charitas, quàm ſcientia. Item: Maius eſt ſcire, quàm iudicare: ſcientia namque informat iudicium. Ideóque ſecundus ordo, à ſecundo dono, id eſt, cognitione veritatis, appellatus eſt, ſcilicet *Cherubim*: ita & de aliis intelligendum eſt. Aſſignatur ergo excellentia ordinum ſecundùm excellentiam donorum: & tamen (ſicut Gregorius ait) illa dona omnibus ſunt communia. Omnes enim ardent charitate, & ſcientiâ pleni ſunt: ſic & de aliis. Sed ſuperiores aliis excellentius, vt iam dictum eſt, ipſa acceperunt: à quibus & nominantur. Vnde Gregorius: In illa ſumma ciuitate quiſque ordo eius rei cenſetur nomine, quam pleniùs accepit in munere.

1. Cor. 13. a.

Greg. Homilia. 34. Euangeliorum. Ibidem.

Quæſtio ex verbis Gregorij orta.

D SEd oritur hîc quæſtio talis: Si quiſque ordo ab illo dono nominatur, quod pleniùs poſſidet, tunc Cherubim in ſcientia præeminet omnibus, quia à ſcientia nominatur. Sed qui magis diligit, plus cognoſcit. Tantùm enim (vt tradit auctoritas) cognoſcit ibi quiſque, quantùm diligit. Itaque Seraphim non ſolùm in charitate, ſed etiam in ſcientia præeminent. Ideóque auctoritas illa ſic videtur intelligenda, vt comparatio non referatur ad omnes ordines, ſed ad quoſdam ſcilicet inferiores. Ille enim ordo, non pleniùs Seraphim accepit ſcientiam in munere; ſed plenius aliis ordinibus, qui ſunt inferiores. Nec nominatur quiſque ordo ab omni re quam pleniùs aliis accepit, ſed ab aliqua rerum, quam pleniùs accepit. Vel poteſt comparatio referri non ad ipſos ordines, ſed ad alia dona, nec ad omnia alia dona, ſed ad quædam. Sicut enim homines cùm plura habeant dona, quædam aliis excellentiùs poſſident: ita fortè & Angeli quibuſdam muneribus magis pollent, & aliis quibuſdàm minùs.

Explanatio illius auctoritatis.

Alia determinatio eiuſdem.

Vtrùm ordines ab initio creationis ita diſtincti fuerint.

E IAm nunc inquirere reſtat, vtrùm & iſti ordines à creationis initio ita fuerint diſtincti. Quod ita fuerint diſtincti à primordio ſuæ conditionis, videtur teſtimonio auctoritatis inſinuari, quæ tradit de ſingulis ordinibus aliquos cecidiſſe. De ordine namque ſuperiori Lucifer ille fuit, quo nullus dignior conditus fuit. Apoſtolus etiam Principatus & Poteſtates tenebrarum nominat, oſtendens de ordinibus illis cecidiſſe; qui cum in malis miniſterium exerceant, non tamen penitùs nominibus ordinum ſuorum priuati ſunt. Sed non videtur illud poſſe ſtare: Non enim tunc charitate ardebant, nec ſapientiâ pollebant, neque in eis Deus ſedebat: ſi enim hoc habuiſſent, non cecidiſſent. Non ergo tunc erant Cherubim, vel Seraphim, vel Throni. Ad quod dicimus, quia ante caſum quorundam non erant iſti ordines: quia nondum habebant dona, in quorum participationibus conueniunt. Sed quibuſdam cadentibus, aliis appoſita ſunt: eíſque qui ceciderunt

Ezec. 28. c. Epheſ. 6. b.

runt collata fuiſſent eadem dona, ſi perſtitiſſent. Ideóque Scriptura dicit de ſingulis ordinibus aliquos cecidiſſe: non quia fuiſſent in ordinibus, & poſtea corruerint, ſed quia ſi perſtitiſſent, eorum aliqui in ſingulis fuiſſent ordinibus, qui & in naturæ tenuitate, & in formæ perſpicacitate differentes gradus habebant, ſicut illi qui perſtiterunt. Alij enim, vt prædiximus, ſuperiores, alij inferiores conditi ſunt. Superiores, qui naturâ magis ſubtiles, & ſapientia magis perſpicaces. Inferiores, qui naturâ minùs ſubtiles, & intelligentia minùs perſpicaces facti ſunt. Has autem inuiſibiles differentias inuiſibilium ſolus ille ponderare potuit, qui omnia in numero & menſura, & pondere diſpoſuit, [id eſt, in ſe ipſo, qui eſt menſura omni rei modum præfigens, & numerus omni rei ſpeciem præbens, & pondus omnem rem ad ſtabilitatem trahens.] id eſt, terminans & formans & ordinans omnia.

Diſt. 3. lit. b. Sap. 11. d. Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 3.

Vtrùm omnes Angeli eiuſdem ordinis ſint æquales.

F PRætereà conſiderare oportet, Vtrùm omnes Angeli eiuſdem ordinis æquales ſunt. Ita eſſe quibuſdam placuit: ſed non eſt hoc probabile, nec aſſertione dignum: quia Lucifer, qui fuit de collegio ſuperiorum, ipſis etiam dignior extitit, qui aliis excellentiores creati fuerant. Ex quo percipitur, quòd ſi perſtitiſſet, in ordine ſuperiori fuiſſet, & aliis eiuſdem ordinis dignior extitiſſet. Si enim vnus eſt ordo Apoſtolorum, & alter Martyrum, & tamen in Apoſtolis alij aliis ſunt digniores: ſimiliter & in Martyribus alij aliis ſunt ſuperiores: ita & in ordinibus Angelorum rectè creditur eſſe.

Per ſimile oſtendit non omnes eiuſdem ordinis pares eſſe.

Quomodo dicat ſcriptura decimum ordinem ex hominibus compleri, cùm non ſint niſi nouem ordines.

G NOtandum etiam, quòd decimus ordo legitur de hominibus reſtaurandus. Sed cùm non ſint niſi nouem ordines, nec plures fuiſſent, etiamſi illi qui ceciderunt perſtitiſſent, mouentur lectores quomodo Scriptura dicat decimum ordinem compleri ex hominibus. Gregorius namque ait homines aſſumendos in ordine Angelorum: quorum alij aſſumuntur in ordine ſuperiorum, qui ſcilicet magis ardent charitate: alij in ordine inferiorum, qui ſcilicet minùs perfecti ſunt. Ex quo apparet non eſſe de hominibus formandum decimum ordinem, tanquam nouem ſint Angelorum, & decimus hominum: ſed homines pro qualitate meritorum ſtatuendos in ordinibus Angelorum. Quod verò legitur decimus ordo complendus de hominibus, ex tali ſenſu dictum fore accipi poteſt, quia de hominibus reſtaurabitur, quod in Angelis lapſum eſt: de quibus tot corruerunt, vt poſſit fieri decimus ordo. Propter quod Apoſtolus dicit reſtaurari omnia in Chriſto quæ in cœlis, & quæ etiam in terris ſunt, quia per Chriſtum redemptum eſt genus humanum, de quo fit reparatio ruinæ Angelicæ; tamen non minùs ſaluaretur homo, etſi Angelus non cecidiſſet.

Greg. hom. 34. ſuper 15. caput Luc.

Eph. 1. b. 1. Cor. 6. d. 1. Petri 1. c.

Quòd homines aſſumuntur iuxta numerum ſtantium non lapſorum.

H *Loco prę-allegato. Deu.32.d. Sic legitur ſecundum 70.interpretes non ſecundum vulgarem editionem.*

NOn enim iuxta numerum eorum qui ceciderunt, ſed eorum qui permanſerunt, homines ad beatitudinem admittuntur. Vnde Gregorius, Superna illa ciuitas ex Angelis & hominibus conſtat: ad quam credimus tantos humani generis aſcendere, quantos illic contingit Angelos remanſiſſe, ſicut ſcriptum eſt in Cantico Deuteronomij, Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei.

Quidam dicunt ſecundùm numerum lapſorum Angelorum homines reparandos.

I *Cap.29.& lib.22.de ciuitate Dei cap.1. Galat.4.& Eſaia 54.*

AQuibuſdam tamen putatur, quòd homines reparentur iuxta numerum Angelorum qui ceciderunt: vt illa cœleſtis ciuitas nec ſuorum ciuium numero priuetur, nec maiori copia regnet. Quod Auguſtinus in Ench. ſentire videtur, non afferens de hominibus plus ſaluari quàm corruit de Angelis, ſed non minùs, ita dicens, [Superna Ieruſalem, mater noſtra ciuitas Dei nulla ciuium ſuorum numeroſitate fraudabitur, ſed vberiore etiam copia fortaſſe regnabit. Neque enim numerum aut ſanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus: in quorum locum ſuccedentes filij Catholicæ matris, quæ ſterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, ſine vllo temporis termino permanebunt. Sed illorum ciuium numerus ſiue qui eſt, ſiue qui fuit, ſiue qui futurus eſt, in contemplatione eius artificis eſt, qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ *Rom.4.c.* ſunt.] Ecce apertè dicit non minùs de hominibus ſaluari, quàm corruit de Angelis: ſed plus non aſſerit.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Angelus ſuperior poſſit illuminare inferiorem?

Alenſis *1.p.q.38.mem.3.* D. Thom. *1.p.q.106.art.4.* D. Bon. *2.d.10. art.2. q.2.* Richard. *hîc art.1.q.2.* Capr. *ibi q.2.art.1.* Occham *2.q.20.* Vaſq. *1.p.d.216.217.* Vide Scot. 8. *Met. q.3.* Mayr. *hîc d.12. q.2.& d.9.10.& 11.queſt.2.* Dur. *diſt.2.q.3.*

CIRCA diſtinctionem nonam, vbi Magiſter tractat de ordinibus Angelorum, vbi dicit, quòd ad ſuperiores Angelos pertinet inferiores illuminare; quæro primò, Vtrùm Angelus ſuperior poſſit illuminare inferiorem? Quòd non; illuminare, vel eſt lumen cauſatum intendere; neutrum autem poteſt aliquis Angelus. Primum non, quia lumen cauſare in alio non poteſt niſi per creationem: Angelus autem non poteſt creare, vt dicit Damaſcenus *libro ſecundo, cap.17.* Secundum non, quia ab eodem cauſatur habitus, & intenditur, ſecundùm Philoſophum *2. Ethic.*

Prætereà ſecundò, omnis mutatio eſt inter oppoſita: ergo omne illud, quod illuminatur, priùs fuit tenebroſum: in Angelis autem beatis non eſt aliqua tenebra: ergo, &c.

Prætereà tertiò, Angelus ſuperior, eſt lumen ſuperius reſpectu inferioris: ſed in corporibus, maius lumen obfuſcat minus lumen, vel ſaltem impedit effectum ſuum, ſicut patet: quia de die non videntur ſtellæ in præſentia Solis: ergo à ſimili in propoſito, Angelus ſuperior impedit inferiorem ab operatione: ergo non perficit eum ipſum illuminando. Contra Damaſcenus *lib.2. cap.17.& 18. &c.*

SCHO

SCHOLIVM.

Quia huius quæſt. reſolutio dependet ex q. ſeq. de locutione, ibi n. 9. 10. & 25. de ea tractatur, & ſoluuntur argumenta hîc poſita, ibi n. 26.

QVÆSTIO II.

Vtrùm vnus Angelus poßit intellectualiter loqui alteri?

Alenſ. 2.*p.q.*27.*mem.*1.& 2. D.Thom. 1.*p.q.*107.*art.*3. Richard. *hîc art.*1.*q.*1. Gabr. *q.*2. Occham 2.*q.*20. & *quodl.*1. *q.*7. Vaſq. 1.*p.d.*211. D. Bonau. 2.*d.*10.*art.*3.*q.*1.& 2.

1. VLTRA hoc quæro de locutione Angelorum, quia ſimilis eſt præcedenti, Vtrùm vnus Angelus poſſit intellectualiter loqui alteri. Quòd non; eſſentia Angeli eſt ſibi intimior, quàm ſua intellectio: & tamen non obſtante illa intimitate, vnus Angelus videt eſſentiam alterius: ergo & ſuam intellectionem: ſed fruſtrà fit locutio de hoc, quod ante locutionem fuit manifeſtum: ergo, &c. *Arg.* 1.

Præterea ſecundò, ſi Angelus poſſet loqui, ita poſſet alicui diſtanti, ſicut præſenti, quia & hoc conuenit hominibus, in quibus eſt imperfectior virtus: ſed conſequens eſt falſum, propter duo. Primò, quia tunc oporteret quòd primò immutaret medium, & poſtea Angelum: quia omni actione in extremum, prior eſt actio in medium: ſed hoc eſt inconueniens: quia nec ab intellectuali gignitur aliquid in medio corporali, nec vlterius à medio corporali, poteſt aliquid gigni in ipſo Angelo. Secundò, quia tunc oportet eum loqui omnibus Angelis æquè præſentibus, & priùs oporteret eum loqui Angelo propinquiori, quàm diſtantiori, in eadem linea recta: quorum vtrunque videtur inconueniens: videtur enim quòd poſſit vnicuique loqui ſine alio. *Arg.* 2.

2. Præterea tertiò, Angelus non intelligit niſi per ſpecies innatas: ſed illas habet quilibet Angelus, de quocunque ſibi intelligibili: ergo quilibet Angelus, quodcunque intelligibile habet ſibi præſens, eo modo quo poteſt eſſe præſens: ergo ſuperflua eſt locutio. Probatio primæ propoſitionis multipliciter. Primò, quia ſi poſſent intelligere per ſpecies acquiſitas: ergo haberent intellectum agentem, per quem potentia intelligibile, fieret in eis actu intelligibile: ſed hoc eſt falſum, quia cùm obiectum eorum ſit de ſe actu intelligibile, non oportet quòd fiat de potentia intelligibili, actu intelligibile. Similiter non videtur in eis eſſe intellectus poſſibilis: ergo nec intellectus agens. Probatur antecedens, quia intellectus eorum, non eſt aliquando in actu, aliquando in potentia ad actum primum. *Arg.* 3.

*3. de Anima, t.c.*18.

Secundò, ſicut ſe habent ad *eſſe*, ſic & ad operari: ſed Angeli non dependent in eſſe à corpore, ergo nec in operari: ergo non accipiunt aliquam ſpeciem à corpore. Confirmatur ratio: propter hoc enim anima intelligendo dependet à corpore, quia vnitur corpori, & hæc eſt ratio vnionis eius cum corpore: quia recipit perfectionem ſuam à corpore.

Tertiò, quia ab extremo ad extremum non tranſitur niſi per medium: *eſſe* autem imaginabile eſt medium inter *eſſe* ſenſibile, & *eſſe* actu intelligibile: ergo cum Angelus non poſſit habere aliquid in *eſſe* imaginabili, quia non habet * phantaſma, nec poteſt aliquid de *eſſe* ſenſibili, ad *eſſe* intelligibile tranſire in Angelo: quare, & cætera.

al. phantaſiam, igitur nihil poteſt de eſſe, &c.

Quartò, quia ſicut ſe habent corpora cæleſtia, ad alia corpora, ſic intellectus Angelicus, ad alios intellectus: ſed illa corpora habent perfectionem ſibi concreatam, & non acquirunt eam per motum: ergo à ſimili intellectus illi habent perfectiones ſuas ſibi concreatas.

3. Quintò, quia ſi poſſunt habere ſpecies acquiſitas, ergo obiectum extra ageret ad gignitionem illius ſpeciei: & oportet ponere quòd intellectus Angeli etiam coagat, alioquin intellectus Angeli eſſet vilior, quàm intellectus noſter: ſimul igitur iſta duo agent ad gignitionem ſpeciei acquiſitæ alicuius obiecti, intellectus ſcilicet & obiectum: ſed hoc falſum eſt, quia agentia diuerſa genere, non poſſunt producere eundem

effectum:talia autem ſunt iſta: ergo, &c. Probatio maioris, quia aut requiruntur inquantùm diuerſa genere: aut non. Si ſic, ergo correſpondet eis in effectu aliqua diuerſitas proportionabilis,& ſic effectus non eſſet ſimplex & homogeneus, ſed heterogeneus. Si non, igitur ſine tali diſtinctione, poſſet eſſe virtus ita intenſa,quòd alterum coagentium ſufficeret ad talem actionem producendam.

Hoc probatur, quia vbi accidit diſtinctio in duobus mouentibus, poteſt virtus in vno ita intendi, quòd poteſt ſupplere vicem vtriuſque: ergo obiectum corporale poſſet ita intendi in actione ſua, quòd ipſum ſolum poſſet gignere illam ſpeciem in intellectu Angeli: ſed hoc eſt falſum: tum, quia agens eſt præſtantius patiente, ſecundùm Auguſtinum 12. ſuper Geneſ. nullum autem corpus eſt præſtantius ſpiritu: ergo nullum corpus agit in ſpiritum, ſecundùm eum:hoc videtur verius poſſe intelligi,de agente virtute propria,quàm de agente virtute alterius: ergo corpus non agit in intellectum Angelicum, virtute ſua, ſed virtute intellectus Angeli: non ergo iſta duo erunt duæ cauſæ partiales,quarum neutra agat virtute alterius.

q.26.& 29.

Præterea,ſimile cognoſcitur per ſuum ſimile; ſingulare igitur ſi gigneret ſpeciem ſuam in intellectu Angeli: ergo intellectus aſſimilatus per illam ſpeciem, cognoſceret ſingulare per rationem propriam,quod eſt abſurdum:ergo,&c.

Oppoſitum vult Damaſcenus vbi priùs,quære eum.

SCHOLIVM.

Quòd Angeli loquantur omnes tenent,& ſcriptura habet expreſsè Zachar.2. Angelus qui loquebatur,&c. *Apoc.7.* Angelus clamauit,&c. *ſed quomodo loquantur, Deus & ipſi tantum certò norunt. Quatuor ſunt hîc examinanda,& quoad primum,ſententia Henrici & aliorum eſt,iſtam loquutionem eſſe de ſingularibus tantùm, & hæc cognoſci non per rationes propriàs,ſed ſub ratione vniuerſali,,quod probatur quatuor rationibus,de quo ſupr.d.3.q.8.à n.3. & d.10.princ. & 1.d.3.q.6.*

Vide D. Aug.15. Tri.c.10. Clamabat alter ad alterum. Iſa.6.

CIrca iſtas quæſtiones, primò videndum eſt de locutione Angelorum: & prætermiſſis multis opinionibus, vna opinio tantum recitabitur, vbi quatuor ſunt videnda. Primò, videlicet quomodo loquens cognoſcat illud, de quo loquitur, quod ponitur eſſe ſingulare,ſecundùm illam opinionem. Secundò, quomodo illud ab vno cognitum, poſſit alium latere. Tertiò, quomodo fit ei patens per aliquam rationem, quando loquendo ei exprimit illud. Et quartò de illuminatione. 4.

Vide Var. hic. Henr. quodl.5.q. 15.& quodl. 2.q.8. Tex.com.4.

Quantum ad primum [a] dicitur,quòd Angelus cognoſcit ſingulare,non primò,nec per aliquam rationem propriam,ſed per vniuerſale concreatum ſuo intellectui. Quod probatur quadrupliciter. Primò quia *vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad cognitionem*, ſecundo Metaph. forma autem ſingularis nihil addit ſuper *eſſe* vniuerſalis, niſi negationem:ergo nec in cognitione.

Secundò,quia ſi non cognoſceret ſingulare ſub ratione ſui vniuerſalis,cùm non ſit alia ratio ſibi intrinſeca,qua cognoſcatur:quia nec eſſentia Angeli, nec habitus, quia habitus eſt primò reſpectu vniuerſalis, ſequitur quòd ipſum ſingulare præſentaretur ipſi intellectui Angeli, ad mouendum ipſum, tanquam primum, & per ſe obiectum eius,ſub ratione ſingularitatis,quod eſt falſum: quia quæ ſunt per ſe obiecta, & non primò non mouent niſi per rationem eorum,quæ ſunt per ſe, & primò obiecta, ſicut magnitudo,& figura,non mouent viſum,niſi ſimul cũ colore:ſingulare autem non eſt primum obiectũ intellectus,quia nihil eſt obiectum primũ intellectus,niſi vniuerſale.

2. de Anima,t.63. & 64.

Tertiò ſic; omnem virtutem cognitiuam oportet in apprehendendo eſſe determinatam proportionabiliter illi, quod debet apprehendere: ergo intellectus intelligens ſingulare,eſt determinatus proportionabiliter determinationi illius ſingularis:& tũc, vel ex natura ſua eſt determinatus; vel determinabilis ea ſpecie, quam recipit, vt per ſpeciem illius ſingularis:& tunc intellectus ille eſſet magis determinabilis,quàm intellectus noſter;imò vtroque modo ſequitur determinatio, vel determinabilitas intellectus Angelici,magis quàm ſenſus noſtri:quia ſenſus noſter,nec ex natura ſua eſt limitatus,vel determinatus,vel determinabilis ex ſpecie quam recipit: ſpecies enim ſingularis,non recipitur in ſenſu primò; ſed in organo. Vltrà deducitur tunc quòd talis determinatio ad ſingulare obiectum, eſſet quædam limitatio,& impedimentum ad intellectionem vniuerſalis, ſicut impedit eam in ſenſu: & multò magis hîc quàm in ſenſu; quia non recipit ſpeciem ſingularis.

Quartò,

Quartò, quia ſicut per apprehenſionem vniuerſalium ad extrà, generatur in intellectu noſtro habitus ſcientialis, ſic in intellectu Angeli ſi primò cognoſceret ſingularia, poſſet eſſe habitus ſcientiæ acquiſitus, præter ſcientiam vniuerſalium ſuorum: quod eſt contra Ariſt.7.Metaph. vbi vult, quòd non eſt alius habitus ſcientialis vniuerſalium,& ſingularium. *Tex.53.*

COMMENTARIVS.

Vantum ad primum. Hîc Doctor primò recitat opinionem Henrici quodlib. 2. quæſt.8. & quodlib. 5. quæſt. 15. qui dicit, quòd Angelus cognoſcit ſingulare, non primò, nec per aliquam rationem propriam; ſed per vniuerſale concreatum ſuo intellectui, quod probat quadrupliciter, quæ probationes exponentur, ſoluendo illas.

SCHOLIVM.

In hac litera, quæ obſcura ſatis eſt, habetur, & ſi vnus Angelus cognoſcat omnes quiditates, quæ ſunt in intellectu alterius, ſuo habitu Henriciano, non tamen cognoſcere ſingularia exiſtentia, vel reuelata: quia licèt cognoſcat conceptum quo hæc ab alio cognoſcuntur, quia eodem conceptu concipiuntur, ſecundùm eum, ac vniuerſalia: tamen non nouit reſpectum particularem illius conceptus ad hæc, & ſic quod vnus nouit, alium latet, & per conſequens debet loquutione manifeſtari ignoranti.

5. QVantùm ad iſtum articulum [a] modus cognoſcendi ſingulare, ab Angelo loquente ponitur iſte: Intellectus Angeli apprehendit formam per rationem vniuerſalis, à ſuo habitu: ſed poſtquam ſuppoſitum habet *eſſe* in re, vel in imaginatione, ſtatim apprehendit formam in illo, ſub ratione vniuerſalis primò, & per ſe, eadem apprehenſione, qua eam apprehendit antequam fuit participata in illo: & accidit intellectui Angelico, quòd eam apprehendat in illo, ſicut accidit eſſentiæ rei, quòd ſit in illo, quod eſt inferius. *Henr. vbi ſupr.*

Primò ergo & per ſe, cognoſcit in ſingulari formam ſub ratione vniuerſalis, id eſt, ſub ratione indeterminata, & confuſa, & indeſignata: ſed quia ipſa eadem forma, vt eſt in ipſa re, determinata eſt, & deſignata; intellectus ſecundariò intelligit hanc deſignationem: & eſt eadem cognitio vniuerſalis, & ſingularis, addito ſolo reſpectu, & negatione: quia intelligitur, vt in hoc deſignata: non enim differunt ex parte rei cognitæ, neque ex parte actus cognoſcendi, ſed ſolummodo in modo cognoſcendi indeſignatè, & deſignatè, quorum vnum ſuper aliud non apponit, niſi rationem negationis, vt dictum eſt.

6. Et ex hoc apparet, [b] quomodo intellectus Angelicus, quaſi ſecundùm lineam protenſam intelligit ſingulare. Primò quidem eſſentia in habitu mouet, non ſub ratione obiecti, ſed ſub ratione alicuius inhærentis: terminat autem actum cognoſcendi ſub ratione cogniti, & non alicuius inhærentis: & ita ab obiecto in habitum, non eſt circumflexio propriè, ſed quaſi linea protenſa à puncto in punctum: deinde ab obiecto in vniuerſali cognito, procedit intellectus ad vniuerſale in ſuppoſito, ſub ratione vniuerſalis: & tandem ab eodem cognitio in ſuppoſito ſub ratione vniuerſalis, procedit ad cognoſcendum idem, ſub ratione ſingularis: ita quòd eſt quaſi linea recta ab obiecto in habitum, quaſi à primo puncto, ad ſingulare, quaſi ad vltimum punctum, per duo puncta media.

7. Et ex hoc etiam [c] apparet ſecundum, quomodo ſcilicet poteſt Angelum aliquem latere, intellectio huius Angeli de ſingulari. Nam ſecundùm iſtam poſitionem, eadem apprehenſione antiqua, qua apprehendebat priùs quiditatem ſibi obiectam, in habitu abſolutè, comprehendit eam modò in quocunque fuerit, ſiue exiſtens, ſiue reuelata, quia in nullo poteſt eum latere: ſed ſolùm priùs conceptum, modò concipit ſub nouo reſpectu. *Quomodo lateat Angelum, quod alius Angelus nouit?*

Exemplum, [d] ſi in omnibus eſſet vnus intellectus numero, à cuiuſcunque phantaſmate abſtraheret vniuerſale, poſtquam ſemel haberet abſtractum illud, & in illo, à quo abſtraxit illud, intellexerit, ſi ſtante illo intellectu, in alio incipit illud intelligere; non nouo intellectu, nouum vniuerſale perciperet: ſed ſolum antiquum, quod priùs perceperat ſub antiquo reſpectu, modò perciperet ſub nouo reſpectu, vt in hoc phantaſmate, ſic eſt de intellectu Angelico, quod non innouando aliquid ſub conceptu

vniuerſali: ſed renouando conceptum, multoties concipiendo vniuerſale in diuerſis particularibus, concipitur hoc ſingulare, & illud: & quia iſte videt ſingulare, quod priùs non vidit, ſine omni innouatione conceptus: ideò licèt alius videat in iſto formas vniuerſales, quæ ſunt rationes cognoſcendi particularia: per illas tamen non videt particularia, quæ ille videt, ſiue exiſtentia, ſiue reuelata; aut ſaltem ſi exiſtentia poſſet videre per habitum ſuum, & per vniuerſalia relucentia in illo; non tamen reuelata: nec etiam poſſet videre, quod ille videt ſingularia illa, quia videt ea ſine omni innouatione conceptus.

Quomodo notum ab vno Angelo alterum lateat.

Breuiter igitur [c] quantùm ad iſtum articulum, ideò ponitur ſingulare intelligi ab illo, & latere alium: quia licèt intellectio huius, & vniuerſale, quod eſt ratio intelligendi huic, pateat illi: non tamen patet ei conceptus huius, vt eſt de illo ſingulari, quia per hoc, quod iſte vtitur forma vniuerſali, ad concipiendum ſingulare; nihil innouatur in intellectu iſtius: & ſi ſingulare non ſit exiſtens, non poteſt alius videre, etiam ipſum cognitum per habitum ſuum, nec per habitum alterius. Si autem ſit exiſtens, & poſſit illud videre per habitum ſuum proprium, non tamen poteſt videre actus illius propter ſingulare cognitum vel non cognitum: & ideò vel eſt neceſſaria locutio, propter ſingulare cognitum, quod latet, ſicut quando eſt ſingulare reuelatum, non exiſtens: vel propter ipſum actum cognoſcendi, latentem alium Angelum, & hoc, ſiue de ſingulari reuelato, ſiue naturaliter cognito.

COMMENTARIVS.

1. *Primus articulus.*

a *Quantùm ad iſtum articulum.* Hîc Doctor ponit modum cognoſcendi ſingulare ab Angelo loquente, ſecundùm opinionem Henrici *vbi ſuprà*. Et quia hæc litera eſt aliqualiter difficilis, ideò expono eam ſecundùm opinionem Henr. ſic dicentis; *Intellectus* (inquit) *Angeli apprehendit formam per rationem vniuerſalis à ſua habitu*, id eſt, quod intellectus Angeli apprehendit ipſam quiditatem vniuerſalem per rationem vniuerſalis, id eſt, quòd apprehendit illam ſecundùm rationem communem, & indifferentem, ſine indeterminatam à ſuo habitu, id eſt, quòd habitus concreatus eſt Angelo ratio formalis cognoſcendi omnem quiditatem creatam aliam ab Angelo, vt ſuprà patet diſt. 3. q. 10. vbi recitatur opinio Henrici quodlib. 5. q. 14. Sequitur in litera, *ſed poſtquã ſuppoſitũ habet eſſe in re, vel in imaginatione, ſtatim apprehendit formã in illo, ſub ratione vniuerſalis*, &c. vult dicere, quòd quando Angelus apprehendit aliquod ſingulare, puta Franciſcum, primò apprehendit humanitatem in ſe, & indifferentem, & ſi Franciſcus habet *eſſe* in re extrà, puta quòd actu exiſtat, vel tantùm in imaginatione, puta in nobis, vel vt habet *eſſe*, puta reuelatum, vel vt habet *eſſe* tantùm ſecundùm *quid* in alio repræſentatiuo, tunc intellectus Angeli cognoſcit ipſam humanitatem in Franciſco, ſub ratione tamen indeterminata, & vniuerſali, & tertiò apprehendit ipſã deſignationem, ſiue ſingularitatem, quæ tamen includit duplicem negationem additam naturæ, quia ipſe vult, quòd ſingularitas dicat tantùm duplicem negationem, ſcilicet negationem diuiſionis in ſe, & negationem identitatis cum alio, vt patet ab ipſo Henrico *quodlib. 5. quæſt. 8. & 15.* & ſic Angelus apprehendit humanitatem, vt eſt ſub iſta duplici negatione, quod eſt diſtingui à quodlibet alio quod non eſt Franciſcus, & non diuidi in plura, & cognoſcendo ſic humanitatem ſub tali deſignatione, vel vt includit talem deſignationem, tunc cognoſcit ſingulare ſub ratione ſingularitatis. Et addit quòd eſt ſimpliciter eadem cognitio, quâ cognoſcit humanitatem in ſe, & quâ cognoſcit humanitatem in Franciſco in vniuerſali, & quâ cognoſcit ipſã humanitatẽ ſub tali vltimata deſignatione, ſic quòd tantùm in ſe eſt vna cognitio, licèt diuerſimodè determinata, quia primò determinatur ad quiditatem in ſe. Secundò ad quiditatem in ſuppoſitis, ſub ratione tamen vniuerſali, ita quòd tunc cognoſcitur Franciſcus, vt tantùm eſt homo, & non vt in ſe. Tertiò terminatur ad ipſam, vt vltimatè includit determinationem, ſiue deſignationem, & ſic terminatur ad ſingulare ſub ratione ſingularitatis. Et dicit, quòd accidit intellectui Angelico, quòd ipſam quiditatem apprehendat in ſingulari, ſicut etiam accidit ipſi quiditati, vt ſit in illo, quod eſt inferius.

2. *An intellectus Angelicus intelligat ſingulare.*

b *Et ex hoc apparet, quomodo intellectus Angelicus quaſi ſecundùm lineam protenſam intelligit ſingulare.* Nos enim dicimus, quòd in cognitione abſtractiua intellectus, Primò terminatur ad naturam, vt in ſingulari vago. Secundò ad naturam in ſe. Tertiò ad naturam in ſingulari ſignato, puta humanitatem in Franciſco, & ſic cognoſcit ipſam in Franciſco ſecundùm lineam reflexam: ſi enim cognoſceret ſecundùm lineam rectam, ſiue protenſam, primò cognoſceret naturam in ſe; ſecundò in ſingulari vago; tertiò in ſingulari ſignato. Sed Henricus dicit hîc, quòd intellectus Angeli cognoſcit ipſam naturam in ſingulari ſignato ſecundùm lineam rectam, ſiue protenſam, vt patet in litera, quæ ſic exponitur: Cùm dicit; *Primò quidem eſſentia in habitu mouet, non ſub ratione obiecti, ſed ſub ratione alicuius inhærentis*, id eſt, quòd ipſa humanitas, gratiâ exempli, mouet intellectum Angelicum, ſupple cauſando cognitionem ſui in tali intellectu, non ſub ratione obiecti, ſed ſub ratione alicuius inhærentis, id eſt, quòd ratio formalis cauſandi huiuſmodi cognitionem in intellectu Angelico, eſt habitus concreatus Angelo, in quo habitu relucet quiditas, puta humanitas, quia formaliter inhæret intellectui Angelico. Sequitur; *terminat autem actum cognoſcendi ſub ratione cogniti, & non alicuius inhærentis*, id eſt, quòd ratio formalis terminandi huiuſmodi cognitionem, eſt quiditas cognita, & non

non eſt aliquod inhærens intellectui, puta habitus qui inhæret, quia talis habitus non eſt ratio formalis terminandi cognitionem, qua cognoſcitur quiditas; ſed ipſa quiditas cognita eſt ratio formalis terminandi. Sequitur, *& ita ab obiecto in habitum non eſt circumflexio propriè*, &c. Vult dicere, quòd ipſe intellectus Angeli habet habitum, qui habitus eſt primò ratio formalis cauſandi cognitionem quiditatis. Secundò illa cognitio terminatur ad quiditatem ſub ratione vniuerſali. Tertiò à quiditate vniuerſali terminatur ad humanitatem in ſingulari ſub ratione vniuerſalis. Quartò à quiditate in ſingulari ſub ratione vniuerſalis terminatur ad quiditatem in ſingulari ſub ratione propria, id eſt, vt includit vltimam determinationem, ſiue deſignationem; & ſic patet quòmodo cognoſcit ſingulare ſecundùm lineam protenſam. Sequitur, *ita quòd eſt quaſi linea recta ab obiecto in habitum à primo puncto ad ſingulare, quaſi ad vltimũ punctũ per duo pũcta media.* Vult dicere, quòd primus pũctus eſt motio ipſius obiecti in habitum; quod ſic debet intelligi, quòd primus punctus eſt motio ipſius habitus, in quo relucet obiectum, ita quòd talis habitus primò cauſat intellectionem: ſecundò talis intellectio terminatur ad naturam ſub ratione vniuerſali: & tandem ad naturam ſub ratione ſingulari.

3. *Secundus articulus.*

c *Et ex hoc etiam apparet ſecundum.* Hîc Henricus declarat ſecundum articulum, quomodo intellectio alicuius ſingularis cogniti ab vno Angelo poſſit latere alium Angelum. Et tota iſta litera conſiſtit in hoc, quia Raphaël eadem cognitione ſimpliciter, quâ cognoſcit naturam humanam, abſolutè cognoſcit ipſam, vt in Antichriſto, & ſic cognoſcit Antichriſtum, ita quòd eſt eadem cognitio reſpectu naturæ humanæ, & reſpectu Antichriſti, ſed in tali cognitione poteſt eſſe alius, & alius reſpectus, quia alia, & alia determinatio, vt ſuprà patet: licèt ergo Angelus Gabriel videat in Angelo Raphaële huiuſmodi cognitionem Antichriſti, non tamen ſequitur quòd videat illam ſub illo reſpectu, qua terminatur ad Antichriſtum, & ideò huiuſmodi cognitio ſub tali reſpectu poteſt latere Angelum Gabrielem, & per conſequens ipſe Antichriſtus latere poteſt. Si dicatur, quòd ſi Gabriel videt huiuſmodi cognitionem, ergo videt ipſam, vt terminatur ad Antichriſtum, & ſic Antichriſtus non poſſet latere Gabrielem: & hoc eſt, quod intendit Henricus, & quia difficultas eſt percipere, quomodo eadem cognitio non variata in ſe poſſit eſſe alterius, & alterius obiecti, puta naturæ humanæ, & Antichriſti, tamen ſub alio, & alio reſpectu, Henricus hoc intendit oſtendere exemplo.

Nota.

Si in omnibus eſſet vnus intellectus numero, &c. Vult dicere, quòd talis cognitio, quâ concipitur ipſum vniuerſale, nullo modo variatur in ſe, ſed renouatur ſecundùm alium, & alium reſpectum multoties, concipiendo vniuerſale, id eſt, quòd concipiendo ipſam humanitatem in ſe habet vnum reſpectum, & concipiendo eandem in Franciſco habet alium reſpectum, & eandem in Ioanne habet alium, & ſic de aliis. Sequitur, *& quia iſte videt ſingulare, quod prius non vidit ſine omni innouatione conceptus.* Cùm dicit ſine omni innouatione conceptus, id eſt, quiditatis in ſe, quia ipſa quiditas, vt comparatur ad quodcunque ſingulare, nullo modo variatur, cùm nihil reale ſibi adueniat, quia ſingulare ſecundùm iſtam nihil addit naturæ, ſupple poſitiuum, ſed tantùm duplicem negationem, vt dixi ſuprà. Sequitur, *ideò licèt alius videat in iſto formas vniuerſales*, &c. Vult dicere, quòd licèt Gabriel videat iſtas quiditates in Raphaële, quæ ſunt rationes cognoſcendi particularia, per illas tamen non videt particularia, quæ ipſe Raphaël videt, &c. id eſt, quòd licèt Gabriel videat in Raphaële cognitionem, puta humanitatis, non tamen videt ipſam cognitionem ſub illo reſpectu, quo terminatur ad humanitatem, vt in Franciſco, cùm illa cognitio non ſit variata in ſe, nec humanitas in quocunque ſit variata, non ſequitur quòd cognoſcat ipſam vt in Franciſco. Sequitur, *nec poſſet videre, quòd ille videt ſingularia illa, quia videt ea ſine omni innouatione conceptus*, id eſt, quòd Gabriel videndo huiuſmodi cognitionem in ſe, non ſequitur quòd videat Franciſcum, ad quem terminatur, nec etiam ſequitur quòd videat Raphaëlem, videre Franciſcum, ſecundùm talem cognitionem, quia non videret Raphaëlem ſub illo reſpectu, quo vteretur huiuſmodi cognitione, vt terminata ad Franciſcum. Sequitur

e *Breuiter igitur, quantum ad iſtum articulum*, &c. Vult dicere in ſententia, quòd ideò eſt neceſſaria locutio, vel quia ſingulare cognitum à Raphaële poteſt latere Gabrielem; vel quia actus, quo Raphael videt ipſum ſingulare, poteſt latere ipſum Gabrielem, loquendo de actu ſub illo reſpectu, quo terminatur ad ſingulare, vt dixi ſuprà.

4. *Expoſitio literæ.*

Expono tamen iſtam literam aliqualiter. Cùm dicit, *licèt intellectio huius, & vniuerſale, quod eſt ratio intelligendi huic, pateat illi, non tamen patet ei conceptus huius, vt eſt de illo ſingulari*; id eſt, licèt cognitio ſingularis, & ipſum vniuerſale, pateat Gabrieli, non tamen patet ei conceptus, ſiue cognitio, vt eſt de illo ſingulari, id eſt, ſub illo reſpectu, quo terminatur ad tale ſingulare. Sequitur, *quia per hoc, quod iſte vtitur forma vniuerſali ad concipiendum ſingulare, nihil innouatur in intellectu iſtius.* Id eſt, quamuis Gabriel vtatur, puta humanitate ad concipiendum ſingulare, nihil innouatur in intellectu Gabrielis, vt ſuprà expoſitum eſt; & ideò quia nihil innouatur, non ſequitur quòd ſi videat in Raphaële cognitionem ſingularis, quòd ex hoc videat ipſum ſingulare. Sequitur, *& ſi ſingulare non ſit exiſtens, non poteſt alius videre, etiam ipſum cognitum per habitum ſuum, nec per habitum alterius.* Id eſt, quòd ſi ſingulare cognitum à Raphaële non ſit actu exiſtens, tale ſingulare non poteſt videri à Gabriele, neque per habitum inhærentem Gabrieli, neque per habitum inhærentem Raphaëli. Sequitur, *ſi autem ſit exiſtens, & poſſit illud videre*, &c. Id eſt poſito quòd Gabriel videat ſingulare exiſtens cognitum à Raphaële, & hoc per habitum ſuum proprium, non tamen propter ſingulare cognitum, vel non cognitum poteſt videre actus Raphaëlis, quibus ſic, vel ſic cognoſcit tale ſingulare, quia (vt dixi ſuprà) non poteſt videre actum cognoſcendi in Raphaële ſub illo reſpectu, quo terminatur ad ſingulare. Sequitur, *& ideò, vel eſt neceſſaria locutio propter ſingulare cognitum, quod latet, ſicut quando eſt ſingulare reuelatum non exiſtens*: vt cùm reuelatur alicui Angelo aliquod ſingulare hominis fore naſciturum, tale ſingulare latet alterum Angelum, & non poteſt illud cognoſcere, niſi vel ſit ſibi reuelatum à Deo, vel quòd audiat hoc ab alio Angelo. Sequitur, *vel propter ipſum actum*, &c. Id eſt quòd ideò

locutio

locutio eſt neceſſaria, quia licèt Raphaël cognoſcat ſingulare, ſiue quia actu exiſtit, ſiue quia ſibi reuelatum, non tamen cognoſcit actum cognoſcendi in Raphaële ſub illo reſpectu, quo Raphaël cognoſcit ipſum ſingulare, ſiue actu exiſtens, ſiue reuelatum.

SCHOLIVM.

Sicut nos non poſſumus notificare ſingulare determinatum, niſi per vagum cum proprietatibus, vel accidentibus, vt dicendo, Petrus eſt vir procerus, rufus, criſpus, &c. ita (inquit Henr.) Angelus non poteſt notificare ſingulare ſignatum alteri, niſi formando in ſe conceptum ſingularis vagi, & per hoc loquitur, & alius intuens eius conceptum, quaſi in libro, audit. Cum Henrico conueniunt Maior hic quæſt. vlt. Heru. diſt. 11. quæſt 1. & videtur D. Thom. 1. p. q. 107. a. 1.

Quomodo Angelus alteri exprimat, quod nouit, ſingulare.

8. DE tertio dicitur [f] quòd ſicut ſignata ſingularia à nobis cognita, nos alteri loquendo, exprimere non poſſumus, niſi exprimendo ſingularia vaga, cum quibuſcunque proprietatibus, & accidentibus deſignantur; ſic nec poteſt vnus Angelus, ſub eadem ſignatione, ſub qua ei reuelatum eſt, alteri loquendo manifeſtare: ſed format alteri conceptum nouum realiter alium, de ſingulari vago, quem quidem conceptum, alius intellectus Angelicus videt in intellectu ipſius Angeli, quaſi legens in libro, quo immutatur intellectus Angeli videntis, ad percipiendum illud: non tamen vt eſt aliquid in ſe, ſed vt eſt aliquid latens, ſicut eſt in ſermone noſtro: vnde & Angelus format ſimilem conceptum vagum in ſuo intellectu, de illo particulari, ſub ratione vniuerſalis: & per hoc ille dicitur audire, quia in Angelo * videre, & audire non differunt: & quia ille ſecundus conceptus non ordinatur, niſi ad videndum conceptum occultum mentis, ideo non dicitur propriè intelligere, ſed loqui; licet intelligere in ſe, ſit quoddam loqui.

al. dicere.

COMMENTARIVS.

Tertius articulus.

[f] *DE tertio*, Henricus vbi ſuprà exponit tertium articulum, videlicet, quomodo obiectum particulare ab vno Angelo cognitum, fiat notum alteri Angelo per locutionem: & dicit, quòd *ſicut ſignata ſingularia à nobis cognita, nos alteri loquendo, exprimere non poſſumus*, &c. Hoc patet, quia ſi cognoſco aliquod ſingulare ſub ratione propria, loquendo non exprimo illud ſub ratione propria ipſi audienti: ſed loquendo vtor ſingularibus vagis cum multis accidentibus, vt cùm dico, Pontifex eſt talis ſtaturæ, talis accidentis, & huiuſmodi. Sequitur, *Sic nec poteſt vnus Angelus ſub eadem ſignificatione*, &c. Patet, quia talis reuelatio fit cauſando in Angelo cognitionem ſub tali reſpectu, quo terminatur ad tale ſingulare ſub ratione propria. Sequitur, *Sed format alteri conceptum nouum realiter alium de ſingulari vago.* Patet ſecundùm iſtum, quia non poteſt formare eundē conceptū, quē habet de ſingulari ſignato, ſed tātùm nouū conceptū de ſingulari vago. Sequitur, *Quē conceptū alius intellectus Angelicus videt in intellectu Angeli loquentis, quaſi legēs in libro, quo ſupple cōceptu immutatur*, &c. Vult dicere, quòd intellectus Angeli audiētis immutatur à conceptu illo nouo *ad percipiendum illud*, ſcilicet obiectum, de quo loquitur, *non vt eſt aliquid in ſe*, id eſt, quòd non percipit illud, de quo loquitur ſecundùm rationem propriam, & ſecundùm ſe, ſed vt eſt aliquid latens. Sequitur; *Vnde & Angelus format ſimilem conceptum*, &c. Id eſt, quòd poſtquam Angelus loquens formauit nouum conceptum de ſingulari vago in intellectu ſuo, intellectus Angeli audientis, & videntis illum conceptum vagum, format ſimilem conceptum vagum in ſuo intellectu de illo ſingulari vago, id eſt, de illo ſingulari ſub ratione vniuerſalis. Sequitur, *& per hoc ille dicitur audire, quia in Angelo audire, & videre non differunt*, Id eſt, quòd Angelus, dum dicitur audire, cùm format in ſe ſimilem conceptum vagum de illo ſingulari, &c. Videndo enim in Angelo loquente conceptum vagum de illo ſingulari, &c. per alium conceptum vagum in ſe formatum, illud videre dicitur audire. Sequitur, *& quia ille ſecundus conceptus*, ſcilicet nouus ab Angelo loquente cauſatus *non ordinatur, niſi*, &c. Id eſt, quòd quandò Angelus loquens format conceptum vagum de ſingulari vago, quamuis per illum conceptum vagum dicatur verè intelligere ſingulare vagum, quia tamen ille conceptus vagus ordinatur ad videndum conceptum occultum mentis (qui conceptus occultus mentis eſt de ſingulari ſub ratione propria) ideò propriè dicitur loqui, & non propriè intelligere.

SCHOLIVM.

Ponuntur quatuormodi illuminandi, & ſecundùm Henricum vnus Angelus tribus modis ex eis illuminat alium.

Angelus quomodo alium illuminet.

9. DE quarto articulo dicitur, quòd poteſt quadrupliciter intelligi Angelum ſuperiorem illuminare inferiorem, videlicet, lumen infundendo, vel luminoſum offerendo, vel obſtaculum amouendo, vel aliquid faciendo, quo facto, cauſetur lumen

in

in receptiuo. Primo modo,Sol illuminat medium. Secundo modo, deferens candelam illuminat domum de nocte. Tertio modo aperiens feneſtram de die. Quarto mõdo,ſanans oculum,qui priùs infirmus, non erat capax luminis,& modò eſt capax, dicitur illuminare oculum.

Primo modo dicitur,quòd ſolus Deus illuminat: & hoc ſiue cauſando lumen naturale, ſiue imprimendo lumen ſupernaturale creatum gratiæ,vel gloriæ, vel increatum:ſiue dicat rationem videndi, ſiue obiectum viſum:& hoc vel tranſitorie, ſicut in raptis: vel permanenter, ſicut in beatis. Secundo modo, vnus Angelus illuminat alium, de vero perfectiuo intellectus, loquendo ei modo præ icto. Tertio modo etiam illuminat, ſicut probatur per Auguſtinum ſuper illud Pſalm. *Da mihi intellectum. Poteſt*,inquit,*Angelus agere aliquid in mentem hominis, vt ſit capax Dei, quemadmodum quiſque dicitur illuminare domum,qui feneſtram apperit.* Quarto etiam modo,poteſt Angelus illuminare,& probatur per Auguſtinum ibidem: *Deus*,inquit, *Angelum talem fecit, vt operari tale aliquid poſſit, vnde ad capiendum lumen Dei, mens iuuaretur humana.* *Pſal.118.*

Et hoc etiam probatur per rationem, quia omnia ſunt ordinata,& ad inuicem connexa, ſecundùm Philoſophum *duodecimo Metaph.* & Dionyſium *de Diuin. nomin.* & attenditur iſte ordo, non tantùm ſecundùm eſſentias, ſed etiam ſecundùm operationes. Et ex hoc arguitur, Angelus inferior,per naturalem influentiam Angeli ſuperioris in ipſum, reducibilis eſt in ſtatum ſuæ vltimatæ perfectionis naturalis: vltima autem perfectio eius, eſt opus vltimum, ſiue in opere vltimo: vltimum autem, & perfectiſſimum opus Angeli, eſt intelligere aliquid, vt opus diuinum ſupra communem curſum intelligendi, lumine intellectus naturalis: ergo per influentiam ſuperioris Angeli,reducitur inferior,de potentia ad actum:ergo aliquid facit in eo,vt quo, reſpectu talis cognitionis,illuminetur. *Tex.52.*

SCHOLIVM.

Refutat primum articulum Henrici poſitum num. 4. ſex rationibus, conuincens ſingulare non intelligi per rationem vniuerſalis. de quo ſuprà diſt.3.quæſt.8.à num.3. & quæſt. 10. & 1.diſt.3.quæſt.6.

10. CONtra iſta, [a] & primò contra primum articulum, *ſicut vnumquodque ſe habet ad eſſe,ſic ad cognitionem*, ſecundo Metaphyſ.ſed ſingulare addit aliquam entitatem, ſupra entitatem vniuerſalis, ex diſtinctione tertia huius ſecundi, quæſt. de indiuiduatione:ergo vniuerſale cognitum,non eſt ratio perfecta cognoſcendi ſingulare, ſecundùm totam cognoſcibilitatem ſingularis:quod eſt contra opinantem. *Tex.4. De hoc ſuprà d.2. q.2.& 6.*

Prætereà,vbi pluralitas numeralis [b] concludit maiorem perfectionem,infinitas numeralis concludit infinitam perfectionem:ſic autem eſt in rationibus repræſentatiuis, quia poſſe repræſentare plura concludit maiorem perfectionem(concludit enim hanc vnam rationem, includere perfectionem duarum propriarum rationum repræſentatiuarum) poſſe igitur repræſentare infinita diſtincte, concludit rationem repræſentantem eſſe infinitè perfectam,vel eſſe infinitæ perfectionis.

Prætereà, [c] ratio repræſentans vniformiter in ſe, & in intellectu, non repræſentat difformiter aliquid: imò nec ideæ diuinæ, quia ſunt rationes naturaliter repræſentantes, poſſunt repræſentare intellectui diuino aliquam diuerſitatem in obiectis, niſi ipſam naturaliter neceſſariò repræſentent, ſicut tactum fuit *diſt.39. primi*, de futuris contingentibus: ergo iſta ratio vna, quæ ponitur, vel repræſentabit ſimul oppoſita pertinentia ad exiſtentias rerum,& hoc naturaliter:& tunc ſemper repræſentabit oppoſita,& ita Angelus intelliget oppoſita, & ita nihil: vel repræſentabit alterum iſtorum determinatè,& ita nunquam reliquum. Si igitur quandoque habebit certam, & determinatam cognitionem de vno oppoſito,quantùm ad exiſtentiam;nunquam per eandem rationem habebit notitiam determinatam,& certam de alio oppoſito. *Suprà d.3. q.10. & q.8.& 1.d.2. q.1. Habitus Henrici, vel nihil vel oppoſita repræſentaret.*

11 Prætereà [d] quartò arguitur ſpecialiter, quòd non poteſt Angelus per iſtum habitum cognoſcere ſingulare reuelatum. Ponitur enim, quòd ſingulare non cognoſcatur per vniuerſale relucens in habitu, niſi quia ipſum vniuerſale, participatum eſt ab ipſo ſingulari:hoc ſuppoſito arguo ſic:Prius naturaliter, ſingulare eſt in reuelatione, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud: ergo priùs naturaliter ſingulare cognoſcitur diſtinctè, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud: ergo habitus non eſt ratio *Singulare reuelatum non poſſe cognoſci per habitũ Henrici.*

ratio primæ cognitionis diſtinctæ, ipſius ſingularis: & ita propoſitum. Probatio antecedentis ex dictis eorum: quia vniuerſale relucens in habitu, non eſt ratio cognoſcendi ſingulare, niſi per hoc, quòd vniuerſale eſt in ſingulari, vel exiſtente in ſe, vel in reuelatione: priùs ergo naturaliter ſingulare habet *eſſe* tale, vel tale, & ita vniuerſale in eo, abſtractum ab eo, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud ſingulare.

Quid eſt eſſe in reuelatione.

Probatio primæ conſequentiæ: *eſſe* in reuelatione, non eſt niſi *eſſe* actu cognitum in eo, cui fit reuelatio: non enim eſt *eſſe* in intellectu reuelantis, quia hoc eſt æternum, & perpetuum: nec eſt *eſſe* in aliqua exiſtentia alia à cognitione illius, cui fit reuelatio: quia tunc per hoc, quod eſſet in tali *eſſe*, fieret naturaliter cognitum cuilibet alij: ſicut ponit iſta opinio quòd de quodlibet exiſtente, poteſt quilibet per habitum ſuum habere diſtinctam notitiam.

Prætereà, [c] ex iſta poſitione ſequitur quòd quodlibet ſingulare exiſtens, ſtatim eſſet naturaliter notum cuilibet alteri Angelo: & ita diſtantia localis non impediret intellectionem Angeli: quod à multis negatur, & videtur eſſe contra Auguſtinum *lib. de cura pro mortuis agenda.*

Iuxta hẽ. diſtantia localis non impediret intellectionem.

Prætereà, [f] rationes ſuæ, quibus probat non poſſe ſingulare intelligi ab Angelo, videntur procedere ex hoc, quòd imperfectionis eſt in intellectu cognoſcere ſingulare: ſed hoc eſt falſum: quia tunc intellectus diuinus, non intelligeret ſingulare: ergo rationes illæ non concludunt, nec concluſio eſt concedenda: niſi rationes neceſſariæ inducantur. Probabile enim eſt, quòd ſicut ſenſus communis aliquis, poteſt ſentire omne ſenſibile; quod ſic intellectus creatus aliquis, poteſt intelligere omne per ſe intelligibile: cuiuſmodi eſt ſingulare.

Perfectionis eſt intelligere ſingulare.

COMMENTARIVS.

1. *Improbatio primi articuli.*

a *Contra iſta.* Hic Doctor arguit contra opinionẽ Henrici & primò contra primũ articulũ expoſitum ab Henrico & primò contra hoc, quod dicit quòd vniuerſale cognitum eſt perfecta ratio cognoſcendi ſingulare ſub ratione propria, & arguit ſic Doctor, ſupponendo quod probauit ſuprà, *diſt. 3. in quæſt. de individuatione,* quòd ſingularitas dicit entitatem poſitiuam additam naturæ, & per conſequens natura ſingularizata nobilior eſt ſeipſa, vt præſcindit à ſingularitate; patet quia ſingularitas eſt actus perficiens naturam, vt innuit Doctor *in primo, diſt. 5. quæſt. 2.* Hoc ſuppoſito arguitur ſic: Imperfectius non poteſt eſſe ratio cognoſcendi perfectius. Patet iſta, quia quod eſt ratio formalis cognoſcendi aliud, continet illud virtualiter; vt ſuprà expoſui, *diſt. 3. quæſt. 10. huius ſecundi, & diſt. 3. quæſt. 1. & diſt. 8. quæſt. 1. primi,* ſed natura, vt præſcindit à ſingularitate eſt imperfectior ſeipſa, vt ſingularizata, ergo. Prætereà ex iſto medio arguit ſic: Singulare habet propriam cognoſcibilitatem aliam à propria cognoſcibilitate naturæ; ergo vniuerſale cognitu non eſt perfecta ratio cognoſcendi ipſum ſingulare. Antecedens probatur ſic: Singulare habet aliam entitatem, & propriam ab entitate naturæ, vt ſuprà patet *diſt. 3.* ergo propriam cognoſcibilitatem. Patet conſequentia auctoritate Philoſophi, 2. *Metaphyſ. tex. commen* 4. Sicut vnumquodque ſe habet ad eſſe, ſcilicet ad entitatem, ſic ad cognoſcibilitatem.

Imperfectius non poteſt eſſe ratio cognoſcendi perfectius.

2.

b *Prætereà, vbi pluralitas numeralis,* &c. Hic Doctor deducit Henricum ad hoc inconueniens, quòd ſi vniuerſale, ſiue habitus ipſius vniuerſalis eſſet perfecta ratio cognoſcendi, vel repræſentandi omnia ſingularia, tale vniuerſale, vel talis habitus, eſſet actu infinitus, quod eſt inconueniens. Et deduco ſic rationem, ſupponendo dictum Henrici, quòd intellectus Angeli per habitum ſibi concreatum cognoſcit non tantùm vniuerſale, ſed etiam quodlibet ſingulare, vt ſuprà patet, *diſt. 3. quæſt. 11.* Vult enim ipſe Henricus quòd talis habitus concreatus ſit repræſentatiuus ipſius ſingularis, & per conſequens omnium ſingularium, cùm ſingulare nihil âddat naturæ vniuerſali poſitiuum: & quòd ſic ſit repræſentatiuus, patet ab Henrico *quodlib. 5. quæſt. 14.* & vide quæ expoſui ſecundum Henricum ſuprà *in iſto ſecundo, diſtinct. 3. quæſt. 10.* Hoc ſuppoſito arguit ſic Doctor contra Henricum, quòd ſi tale vniuerſale, vel habitus poſſet repræſentare infinita, eſſet actu infinitus. Patet, illud quod eſt ratio formalis repræſentandi plura æquè perfectè ſimul, ſicut quodlibet ſeorſum, quorum quodlibet requirit ſpecialem rationem repræſentandi, erit maioris perfectionis, & ſi ſit ratio repræſentandi infinita, erit infinitæ perfectionis. Hæc propoſitio ſuprà patet *in iſto ſecundo, diſt. 3. quæſt. 10. in primo. diſt. 2. parte 1. quæſt. 1.* vbi probatum eſt eſſentiam diuinam eſſe formaliter infinitam ex hoc, quòd eſt ratio formalis repræſentandi infinita obiecta, &c. Sed habitus, vel vniuerſale eſt ratio formalis repræſentandi infinita ſingularia, quorum quodlibet, &c. quia quodlibet ſingulare dicit propriam entitatem, & perfectionem additam naturæ; & per conſequens habet propriam rationem repræſentandi: ergo talis habitus, vel vniuerſale erit formaliter infinitus.

Scotus contra Henricum.

Sed fortè iſta ratio contra Henricum non concludit, niſi ſupponendo quòd ſingulare dicat aliquam entitem poſitiuam additam naturæ, & quòd talis entitas poſitiua dicat perfectionem propriam naturæ additam. Si enim ſingulare tantùm diceret duplicem negationem naturæ additam, vt vult Henricus, ratio Doctoris nihil concluderet contra ipſum. Et ideò Doctor in iſta ratione ſupponit, quod iam probatum eſt ſuprà, *diſt. 3. quæſt. 6.* quòd ſingularitas dicat entitatem poſitiuam, &c.

c *Prætereà ratio repræſentans vniformis,* &c. Hic Doctor quærit quomodo intellectus Angeli cognoſcit

cognoſcit Franciſcum actu exiſtere pro *A*, & actu non exiſtere pro *B*, ſi per rationem propriam *ipſius* ſingularis, habetur intentum, quia ſingulare dicit propriam rationem cognoſcendi ſe, vt actu exiſtens: ſi per rationem habitus, vel ipſius vniuerſalis, contrà, quia talis habitus, vel vniuerſale, eſt tantùm repræſentatiuus per modum naturæ, vt patet, & per conſequens eſt ratio formalis repræſentandi ſemper vniformis. Patet, quia agens naturale, & per modum naturæ ſemper vniformiter agit, niſi ſit impedimentum, & ſic ratio repræſentandi, per modum naturæ ſemper vniformiter repræſentat, tunc ſic: Franciſcus exiſtit pro tempore *A*, Franciſcus non exiſtit pro tempore *B*. vel ſic: Franciſcus poteſt exiſtere pro tempore *A*, & poteſt non exiſtere pro tempore *A*, vt deductum eſt ſuprà *in primo, diſtin.* 39. quæro tunc, aut iſta ratio repræſentandi repræſentat vtrunque oppoſitum, ſcilicet Franciſcum exiſtere, & Franciſcum non exiſtere; ſed hoc nihil eſt, quia cognoſcere oppoſita ſimul eſt nihil cognoſcere; aut repræſentat alterum oppoſitum tantum; ergo non erit ratio cognoſcendi alterum oppoſitum. Patet, ſequitur ergo quòd ipſe habitus, vel vniuerſale, non erit ratio repræſentandi, vel cognoſcendi omnia ſingularia, ſaltem ſecundùm omnem conditionem exiſtentiæ, vel non exiſtentiæ. Et quod dicit de ideis, quòd ſunt rationes vniformes repræſentandi, hoc dicit, quia repræſentant per modum naturæ, & per conſequens ideæ tantùm ponuntur reſpectu neceſſariorum, & nullo modo reſpectu contingentium, vt probat Doctor in primo, diſtinct. 39. contra opinionem Bonauenturæ.

Quomodo ponuntur ideæ.

4. *Contra Henricum.* d *Prætereà quartò.* Hîc arguit contra poſitionem Henrici ſpecialiter de ſingulari reuelato, poſito enim & non conceſſo quòd talis habitus repræſentaret naturam, & omnia ſingularia exiſtentia, & quòd ſit ratio cognoſcendi illa omnia ſingularia, tamen de ſingulari reuelato, puta quòd Antichriſtus perſequetur Chriſtianos, huiuſmodi habitus, vel vniuerſale, non erit ratio cognoſcendi tale ſingulare ſic reuelatum; & ratio Doctoris ſtat in hoc puncto, quia Henricus vult, quòd habitus non eſt ratio cognoſcendi ſingulare, niſi inquantùm vniuerſale ſit participatum à tali ſingulari; ergo priùs erit ſingulare, & ſecundò in iſto ſingulari participatur ipſum vniuerſaliter. Si ergo priùs eſt ſingulare exiſtens, & ſecundò vniuerſale eſt participatum in illo, ſequitur quòd ſingulare non participat ipſum vniuerſale, niſi ipſum ſingulare ſit priùs in ſe, vel in reuelatione; ergo priùs reuelatur Antichriſtum perſequuturũ Chriſtianos, quàm vniuerſale participetur in illo. Sed reuelari alicui, eſt ipſum reuelatum cognoſcere; ergo priùs cognoſcitur ſingulare reuelatum, quàm vniuerſale participetur in illo; ergo tale ſingulare reuelatum non cognoſcitur per habitum, quia habitus non eſt ratio cognoſcendi ſingulare, niſi inquantum vniuerſale eſt participatum ab illo; priùs ergo vniuerſale participatur in ſingulari, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud ſingulare.

Quid ſit reuelari alicui.

5. *Declaratio literæ.* Declaro tamen hanc literam, ibi. *Prius naturaliter ſingulare eſt in reuelatione, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud.* Probat hanc propoſitionem parum infrà, ibi *quia vniuerſale relucens in habitu* ſupple ſicut repræſentatum in repræſentatiuo, non eſt ratio cognoſcendi ſingulare, niſi per hoc, quòd vniuerſale eſt in ſingulari, vel exiſtente in ſe, vel in reuelatione, cùm addit, quòd *vniuerſale relucens in habitu eſt ratio cognoſcendi*, &c. debet ſic intelligi ſecundùm Henricum quòd habitus, in quo relucet vniuerſale, eſt ratio cognoſcendi; vel ſi etiam intelligatur, quòd ipſum vniuerſale relucens in habitu ſit ratio cognoſcendi, tunc habitus erit ſolùm ratio repræſentandi, & vniuerſale ratio cognoſcendi; ſed melius videtur dicendum, quòd ſicut habitus ſecundùm Henricum eſt ratio repræſentandi, ſic ratio cognoſcendi, vt ſuprà patet diſt. 3. quæſt. 11. Sequitur, *priùs ergo naturaliter ſingulare habet eſſe tale, vel tale*, puta *eſſe* exiſtens, vel reuelatum. Patet, quia ſecundùm Henricum non datur natura habens minorem vnitatem vnitate numerali priorem ipſo ſingulari, imò ipſum vniuerſale eſt poſterius ipſo ſingulari, ſiue exiſtente, ſiue reuelato, quia tale vniuerſale eſt tantùm abſtractum à ſingulari. Sequitur, *& ita vniuerſale in eo* ſupple ſingulari *abſtractum ab eo* ſupple ſingulari, *quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud ſingulare*, id eſt, quòd priùs ſingulare habet *eſſe* reuelatum, vel *eſſe* exiſtens, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud, quia habitus non eſt ratio cognoſcendi ſingulare, niſi priùs vniuerſale ſit participatum in illo, ergo in illo priori, in quo vniuerſale non intelligitur participatum in ſingulari, habitus non erit ratio cognoſcendi ipſum ſingulare. Sequitur

6. *Probatio primæ conſequentiæ*: conſequentia fuit iſta, *priùs naturaliter ſingulare eſt in reuelatione, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud*, ergo priùs naturaliter ſingulare cognoſcitur diſtinctè, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi illud. Probat hanc conſequentiam ſic; Tale ſingulare habet priùs *eſſe* reuelatum, quàm habitus ſit ratio cognoſcendi, &c. ergo ſingulare priùs cognoſcitur. Patet iſta conſequentia, quia ſingulare eſſe reuelatum alicui, eſt ipſum eſſe actu cognitum ab eo, cui fit reuelatio. Probat diuiſiuè, quia *eſſe* reuelatum non eſt *eſſe* in intellectu reuelantis, quia hoc modo habet *eſſe* æternum. Patet, quia ſingulare nobis reuelatum ab æterno fuit in Deo ſicut cognitum in cognoſcente, qui Deus reuelat illud in tempore. Simtliter eſſe reuelatum non eſt eſſe aliqua exiſtentia alia à cognitione illius, cui fit reuelatio. Vult dicere, quòd reuelatum alicui, vt in illo habet tantùm *eſſe* cognitum: ſi enim, vt in illo ſic reuelatum diceret actualem exiſtentiam, tunc tale reuelatum fieret naturaliter cognitum cuilibet alij, ſicut ponit iſta opinio, quòd de quolibet exiſtente poteſt quilibet per habitum ſuum habere diſtinctam notitiam, & ſic patet iſta ratio.

7. *Scotus deducit Henricum ad vnum inconueniens.* e *Prætereà ex iſta poſitione.* Hîc Doctor deducit Henricum ad vnum notabile inconueniens, ſcilicet quòd Angelus tunc poſſet cognoſcere quodlibet ſingulare quantumcunque diſtans, etiã ſi in infinitum diſtaret, quod eſt valde inconueniens, loquendo de cognitione inuitiua, de qua etiam Henricus intendit. Quòd tale inconueniens ſequatur; patet, quia habitus, per Henricum, eſt ratio formalis cognoſcendi quodcunque ſingulare actu exiſtẽs: ergo ſi tale ſingulare in infinitum diſtaret, actu cognoſceretur. Patet conſequentia, quia in quo eſt principium formale productiuum, non impeditum, perfectè approximatum paſſo, optimè diſpoſito, & eſt productiuum per modũ naturæ, de neceſſitate ſequitur actio: ſed habitus per Henricũ eſt tale principiũ, & eſt formaliter

maliter in intellectu Angeli perfectè diſpoſito ad recipiendum quamcunque intellectionem ; ergo neceſſariò in illo intellectu cauſatur cognitio ſingularis exiſtentis quantumcunque diſtantis.

f *Præterea ratione ſuæ*, &c. Iſtæ rationes Henrici patent ſuprà in iſto ſecundo, diſt. 3. quæſt. 11, ſiue vltima.

SCHOLIVM.

Sententiam Henrici quoad ſecundum articulum poſitam num. 6. & 7, refutat tribus rationibus ſatis claris.

Ratio ex fundamento aduerſarij.

COntra ſecundum articulum [g] arguitur ſic ; Ipſemet improbat ſpeciem in beatitudine, per hoc, quòd vnus beatus videret eam naturaliter in intellectu alterius beati: & per conſequens videret naturaliter obiectum illud, quod repræſentat illa ſpecies: ita arguitur in propoſito. Si habitus eſt ratio naturaliter cognoſcendi ſingularia, cùm vnus Angelus videat eum naturaliter in alio, non poterit eum latere obiectum, quod per iſtum habitum cognoſcit ille Angelus. 12.

Qui cognoſcit vagum indiuiduum, & determinatum, cognoſcere poteſt. Sed non reſpectiuũ terminatũ ad terminum infinitum vt patet. 14. q. quodl. Ex Henr. vel ſimul omnia ſingularia intelliguntur, vel quod eſt notum vni Angelo non latet alium.

Præterea, [h] quando duo intelligibilia comparantur ad eundem intellectum, non alligatum virtuti phantaſticæ, magis actuale, & perfectius, non excedens facultatem naturalem illius naturæ, magis eſt intelligibile ab illo intellectu : ſed per eum, conceptus vagus formatus in intellectu Angeli loquentis, eſt intelligibilis ab Angelo alio, virtute naturali : ergo multò magis ille conceptus determinatus, quem exprimit ille conceptus vagus : quia ille determinatus eſt perfectior, & magis intelligibilis, & intellectus cuiuſcunque Angeli, habet conceptum creatum quemlibet pro intelligibili non excedente ſuam virtutem, nec alligatus eſt virtuti phantaſticæ, vt patet: ergo, &c.

Præterea tertiò [i] aut eſt vnus actus intelligendi omnium ſingularium, aut alius, & alius. Si idem, & ille eſt naturaliter omnium, ipſe eſt enim eorum inquantùm præcedit actum voluntatis ipſius intelligentis, quia per actionem intelligendi, præcedentem omnem imperatam intellectionem, & volitionem : ergo non poteſt ille actus, eſſe vnius ſingularis, quin ſit alterius ſingularis : ſicut nec aliqua cauſa naturalis poteſt quantùm eſt de ſe, eſſe vnius effectus, ad quem ordinatur naturaliter, & non alterius, & ſi vna actione eſt omnium effectuum in vniuerſali, neceſſariò eſt omnium ſimul. Si ergo iſte actus non poteſt eſſe ſimul omnium, non poteſt inquantùm naturalis, eſſe vnus & idem omnium : quia tunc inquantùm talis poſſet eſſe ſimul omnium. Si eſt alius, & alius: ergo vnus videns iſtum, & illum actum eſſe alium, & alium, in intellectu Angeli: poteſt diſtinctè videre, cuius obiecti eſt iſte actus, & cuius ille: & ſic non latebit eum, quod ſingulare conſiderat iſte propter identitatem actus, in iſto non variati, eſſet enim alius, & alius.

COMMENTARIVS.

1. *Improbatio ſecundi articuli.*

g *Contra ſecundum articulũ.* Hîc Doctor arguit cõtra Henricũ quantùm ad ſecundũ articulũ expoſitũ ab Hérico & primò arguit ad rationẽ, improbando ex dictis eius concluſionem, quam tenet. Tenet enim ipſe Henricus vt ſuprà patet, quòd ſingulare cognitum ab vno Angelo poteſt latere alium Angelum, quia licèt Gabriel videat cognitionem iſtius ſingularis in Raphaële, non tamen ex hoc ſequitur quòd videat illud ſingulare, quia non videt illam cognitionem ſub illo reſpectu, quo terminatur ad tale ſingulare, vt ſuprà patet. Nunc Doctor probat ex dictis Henrici quòd videndo talem cognitionem, vel habitum in Raphaële, quòd etiam videat ſingulare, &c. patet, quia Henricus ideò negat ſpeciem in beato, quia tunc vnus beatus videret eam naturaliter in intellectu alterius beati, & per conſequens, videret naturaliter obiectum illud, quod repræſentat illa ſpecies, quia ibi ſpecies eſſet ratio non tantum repræſentandi, ſed etiam intelligendi tale obiectũ; ergo ita erit in propoſito, ſi habitus ſecundum Henr. eſt ratio naturaliter cognoſcendi ſingularia.

2.

h *Præterea, quando duo intelligibilia*, &c. Hîc Doctor arguit per argumentum à fortiori ex dictis Henrici, quia dicit, vt ſuprà patet, exponendo tertium articulum, quòd Angelus, puta Gabriel, poteſt videre conceptum confuſum, ſiue vagum in Angelo Raphaële ordinatum ad conceptum diſtinctum, puta alicuius reuelati, & tamen Gabriel non poteſt videre in Raphaële huiuſmodi conceptum diſtinctum. Ex hoc arguit Doctor. Minùs videtur quòd intellectus non alligatus virtuti phantaſticæ poſſit videre conceptum confuſum ſingularis, quàm diſtinctum: patet, quia ens quantò perfectius, tantò eſt intelligibilius ab intellectu ſoluto ; cùm ergo conceptus diſtinctus ſit perfectior conceptu confuſo, & Angelus per Henricum poteſt cognoſcere confuſum, ergo à fortiori poterit cognoſcere diſtinctõ, qui diſtinctus exprimitur à tali cõfuſo.

3.

i *Præterea tertiò*, &c. Hîc Doctor improbat concluſionem Henrici ex dictis ipſius. Dicit enim Héricus vt patet in primo articulo quòd Angelus

Angelus eadem cognitione cognoſcit vniuerſale, & quodlibet ſingulare contentum ſub eo. Hoc ſtante arguit ſic Doctor quia ſi ſic eſſet, tunc de neceſſitate ille actus eſſet ſimul omnium ſingularium. Patet, quia non magis vnius, quàm alterius, & ille actus naturaliter præcedit actum voluntatis, & per conſequens, vt ſic præcedit, erit neceſſariò omnium ſingularium; ergo ſi ille actus eſt omnium ſingularium ſimul, ſequitur quòd nullum ſingulare poterit latere alium Angelum videntem illum actum in alio Angelo. Si dicatur, quòd alio, & alio actu videt aliud, & aliud ſingulare, quamuis hoc ſit cõtra Henricũ, qui vult, quòd tantùm vno actu, tamẽ adhuc hoc ſtante, ſequitur propoſitũ, quia vnus Angelus videns iſtum, & illũ actum eſſe alium, & alium in intellectu alterius Angeli, poteſt diſtinctè videre, cuius obiecti eſt iſte actus, & ille. Patet, quia actus intelligendi, neceſſariò eſt alicuius obiecti, & ſic non latebit eum ſingulare, cuius eſt talis, vel talis actus.

SCHOLIVM.

Eandem ſententiam Henrici quoad tertium articulũ poſitam n. 8. *refutat duabus rationibus.*

13. COntra tertium [k] articulum; primò ſequitur, quòd in intellectu Angeli loquentis ſunt conceptus duo de eodem, vnus vagus ſignans, & alius ſignatus determinatus: tunc enim eſt determinatus ſignatus, quando eſt ratio ſignandi illũ vagũ ſignantẽ.

Quare nos exprimimus ſingulare determinatum, per vagũ

Præterea, ſuperfluum videtur ponere illum conceptum vagum: nos enim exprimimus ſingulare determinatum nobis notum, per ſingulare vagum: quia ſcimus nos poſſe cauſare conceptum diſtinctum in intellectu illius, cui loquimur, & ſcimus ei notas eſſe conditiones vniuerſales particularis vagi: ſed ſi poſſemus facere conceptum diſtinctum de illo, de quo loqueremur, non exprimeremus ſingulare determinatum nobis notum, per vagum particulare: ergo cùm Angelus poſſit immediatè facere conceptum diſtinctum ſingularis ſibi diſtinctè noti, in intellectu alterius, vt patebit ſoluendo: fruſtrà ponit conceptum vagum indeterminatum.

COMMENTARIVS.

k *Contra tertium articulum.* Nunc Doctor improbat Henricum quo ad tertium articulum, quia ipſe Henricus dicit, exponendo tertium articulum, quod in Angelo loquente ſunt duo conceptus de eodem obiecto, ſcilicet diſtinctus, & vagus: quod videtur omnino impoſſibile, ſcilicet quòd ego cognoſcam ſimul hominem diſtinctè, & confuſè.

SCHOLIVM.

Doctrinam Henrici in 4. *articulo ſupr. num.* 9. *traditam, refutat clarè & efficaciter quatuor rationibus.*

14. COntra quartum articulum [l] primò non videtur quòd diſpoſitio illa ad formam merè ſupernaturalem, poſſit cauſari ab Angelo: quia licèt ad formam immediatè producibilem à Deo, tamen cooperante communi curſu naturæ, poſſit aliqua cauſa naturalis diſponere, ſicut de corpore organico, reſpectu animæ intellectiuæ: ad formam tamen omnino ſupernaturalem, id eſt, non cooperante communi curſu naturæ, quòd diſpoſitionem immediatam agens naturale poſſit producere, videtur inconueniens.

Cauſam naturalem non producere vltimam diſpoſitionem ad formam ſupernaturalem, cuiuſmodi eſt reuelatio.

Præterea, [m] ratio adducta ad illum articulum concluderet, quòd Angelus ſuperior poſſet facere Angelum inferiorem aliquid videre in Verbo reuelatum: hæc enim eſt perfectio vltimata intellectus, intelligere Verbum, multò magis, quàm intelligere aliquod verum reuelatum, vltra communem curſum intellectionis naturalis.

Præterea [n] contra totam illam opinionem, ſunt duo difficilia. Primò, quomodo loquens, non quilibet loquitur? ſi enim loqui eſt præcisè exprimere conceptum, qui in ipſo videtur, ſicut in libro, & hoc expreſſum à quolibet poteſt videri æqualiter: ergo exprimens illud, cuilibet æqualiter loquitur.

Ex Henr. non poteſt quis loqui vni & non aliis.

Aliud eſt, quomodo iſte loquitur illi, in quo nihil cauſat, ſed tantùm in ſe? Nulla enim videtur ratio, quare alius nunc magis intelligat, quàm prius, ſi nihil aliud fiat in eo. Et ſpecialiter videtur abſurdum hoc in illuminatione. Nam conſtat primum Angelum illuminari à Deo immediatè, & Deus illuminans nihil facit in ſe: ſed primum, quod facit eſt in intellectu, vel in Angelo illuminato: ergo ita veriſimile eſt in aliis illuminantibus inferiores, quòd illuminans non cauſat aliquid in ſe, per hoc, quod eſt illuminans, ſed primum cauſatum eſt in illuminato.

Non poteſt quis illuminari niſi aliquid in ſe recipiat.

COMMENTARIVS.

l *Contra quartum articulum.* Hìc Doctor præcipuè arguit cõtra vnum dictum Henrici in quarto articulo. Dicit enim Henricus quòd Angelus ſuperior poteſt cauſare aliquam diſpoſitionem in Angelo inferiori, ad quam ſequetur reuelatio alicuius merè ſupernaturalis. Doctor arguit contra hoc, diſtinguendo de ſupernaturali. Nam quoddam eſt ſupernaturale, ad quod poteſt eſſe aliqua diſpoſitio ſecundùm curſum naturalem, ſicut creatio animæ intellectiuæ dicitur ſupernaturalis, & tamen ad ipſam corpus organicum ordinatur, vt quædam diſpoſitio, quâ poſitâ, ſtatim creatur ipſa anima, & talis diſpoſitio cauſatur ab agente naturali. Similiter gratia gratum faciens eſt quid ſupernaturale, ad quod poteſt eſſe aliqua diſpoſitio ſecundùm curſum naturæ, vt patet, quia ablutio cum verbis exprimentibus perſonas diuinas, & cum debita intentione, eſt diſpoſitio ad gratiam gratum facientem, vt patet à Doctore *in quarto, diſt. 1. quæſt. 4.* hoc igitur ſupernaturale non dicitur merè ſupernaturale. Aliud eſt merè ſupernaturale, & eſt illud ad quod non eſt diſpoſitio præuia ſecundùm curſum naturalem, vt eſt reuelatio alicuius futuri merè contingentis, quia non dantur communiter diſpoſitiones ſecundùm curſum naturæ, ad quas ſequatur talis reuelatio. Aduerte tamen, quòd reſpectu alicuius merè creabilis non datur aliqua diſpoſitio ex natura rei, ad quam poſitam neceſſitate abſoluta ſequitur talę ſupernaturale; ſed hoc tantùm erit ex beneplacito voluntatis diuinæ, quia voluntas diuina determinauit animam creare, & infundere in eodem inſtanti, quo corpus fuerit perfectè organizatum: ad multa ergo ſupernaturalia voluntas diuina ordinauit multas diſpoſitiones, quibus ſecundùm curſum naturæ poſitis, ſequantur huiuſmodi ſupernaturalia; & quædam ſunt ſupernaturalia, ad quæ nullam diſpoſitionem præuiam ordinauit, vt quâ poſitâ, ponantur huiuſmodi ſupernaturalia, cuiuſmodi eſt reuelatio merè contingentis.

Duplex eſt ſupernaturale.

m *Præterea, ratio adducta*, &c. quæ ratio eſt talis: Angelus inferior per naturalem influentiam Angeli ſuperioris in ipſum reducibilis eſt in ſtatu ſuæ vltimæ perfectionis naturalis, vltima autem perfectio eius eſt opus vltimum: vltimũ autem, & perfectiſſimum opus Angeli eſt intelligere aliquid, vt opus diuinum ſupra omnem curſum intelligendi lumine intellectus naturalis. Dicit Doctor quòd hæc ratio concluderet, quòd *Angelus ſuperior poſſet facere Angelum inferiorem aliquid videre in Verbo reuelatum*, &c. Non enim aliquis Angelus ſuperior poteſt illuminare Angelum inferiorem, nec ad videndum Verbum in ſe, nec ad videndum reuelata in ipſo Verbo, quia tunc vltimata perfectio Angeli inferioris dependeret ab aliquo alio, quàm à voluntate diuina, vt ab Angelo ſic vidente, quod non tenetur.

n *Præterea, cõtra totã illã opinionẽ.* Hìc Doctor ſpecialiter mouet duas difficultates cõtra opinionẽ Henrici; Prima eſt, quia ſi loqui ſit tantùm exprimere conceptum, qui ab ipſo vidente in ipſo loquente videtur, vt in libro, quomodo loquitur vni Angelo, quin ſimul loquatur aliis Angelis, ſi ponantur præſentes, cùm hoc expreſſum ab Angelo loquente à quolibet videri poſſit, ſi fiat præſens, & tamen communiter ſupponitur, quòd vni poſſit loqui, & non alij?

Duæ difficultates circa opinionem Henrici.

o Secunda difficultas eſt quomodo ſit poſſibile Angelum loqui alij Angelo, ſi loquendo nihil cauſat in audiente, ſed tantùm in ſeipſo cauſet, tunc enim non videtur ratio, quare alius nunc magis intelligat, quàm prius, ſi nihil aliud fiet in eo. Et ſpecialiter videtur hoc abſurdum in illuminatione: *conſtat enim primum Angelum immediatè illuminari à Deo*, &c. Ex his patet clara improbatio Henrici.

SCHOLIVM.

Sententia Scoti, vnum Angelum loqui alteri producendo in eo conceptum obiecti, de quo loquitur. Probatur duabus rationibus. Prima, quia potens efficere aliquid in ſe, poteſt idem in quocumque alio eiuſdem rationis, approximato. Secunda (& eſt in fi. huius §.) eſſentia vnius Angeli poteſt partialiter efficere notitiam intuitiuam, in ſuo, & alieno intellectu, ex d. 3. q. 8. ergo memoria fœcunda vnius Angeli idem poteſt totaliter abſtractiuè in ſuo, & alieno intellectu.

Sententia Auctoris de locutione Angeli.

AD quæſtionem iſtam p de locutione: primò reſpondeo, quòd Angelus loquitur Angelo, cauſando in eo conceptum immediatè illius obiecti, de quo loquitur: ad quod pono duas rationes. Prima eſt talis, Omnis loquens intellectualiter, cauſaret immediatè in eo, cui loquitur, de eo, de quo loquitur, conceptum ſi poſſet: Angelus autem hoc poteſt reſpectu alterius Angeli; ergo, &c. Probatio maioris, quia quodlibet agens naturale ſtatim induceret, ſi poſſet, illud quod principaliter intendit: & loquens principaliter intendit exprimere conceptum illi intellectui, cui loquitur. 15.

Potens in effectum poteſt eum producere in quodcunque receptiuum proportionatum.

Probatio minoris: illud quod ſufficienter eſt in actu primo, reſpectu alicuius effectus, poteſt illum cauſare in receptiuo proportionato approximato: Angelus autem habens notitiam habitualem alicuius obiecti, quod ſit *A*, eſt ſufficienter in actu primo, ad cauſandum intellectionem actualem illius *A*, ergo poteſt illum effectum cauſare, in quocunque intellectu receptiuo illius effectus: intellectus autem alterius Angeli non concipientis *A* diſtinctè, receptiuus eſt: ergo in illo intellectu, poteſt Angelus talis cauſare talem conceptum. Probatio maioris q quia extrema proportionis actiui, & paſſiui, ſunt vniuerſaliſſima abſtracta, à quocunque actiuo, & à quocunque paſſiuo: & iſta proportio ineſt particularibus, ſub vtroque extremo, per rationem communem; & per conſequens extremis. Probatio minoris,

minoris, Angelus in ſe habet actum primum cognoſcendi *A*. & ſpeciem,& quæcunque ponuntur neceſſaria ad cognitionem ; & per conſequens per illud , quod habet poteſt facere intellectum ſuum in actu ſecundo, cauſando in ſe intellectionem *A* ſicut effectum,ſequitur igitur quòd in intellectu alterius paſſiuo , qui eſt eiuſdem rationis,cum intellectu ſuo,poteſt hoc cauſare.

16. Inſtatur contra rationem, [r] quia non videtur concludere niſi de Angelo, & Angelo,abſolutè ſumptis:quia ſi diſtent ab inuicem,diſtantia erit impedimentum, propter quod non poteſt vnus agere in alium. Non enim poteſt diſtans agere in diſtans, niſi priùs agat in medium , medium autem , non eſt locutionis Angeli receptiuum , nec auditiuum Angeli loquentis : ergo , &c. Confirmatur iſtud per Ariſtotelem 2. *de Anima,* vbi vult, quòd ſi eſſet vacuum, nihil videretur,quia ſpecies viſibilis non poſſet pertingere ad oculum.Item vult 7. Phyſic. [s] quòd *mouens,& motum ſint ſimul* ; & hoc loquendo de moto immediato , quod oportet priùs moueri à mouente, quàm moueatur motum mediatum.

*Tex.*74. *In vacuo an aliquid videretur? Text.*8. *&* 9.*&* 10.

COMMENTARIVS.

1. *Quid ſit Angelum loqui alij Angelo.*

p *Ad quæſtionem iſtam de locutione.* Primò reſpondet, quòd Angelus loquitur Angelo,cauſando in eo conceptum immediatè illius obiecti,de quo loquitur,& quomodo cauſet,infrà magis patebit.Hîc tamen probat duabus rationibus, quomodo vnus Angelus poſſit in intellectu alterius Angeli cauſare notitiam obiecti , de quo loquitur , ita quòd cauſans illam in audiente dicitur loqui,& alius Angelus , vt recipiens illam, dicitur audire. Prima ergo ratio eſt talis : *Omnis loquens intellectualiter cauſaret immediatè in eo, cui loquitur conceptum* , ſiue cognitionem *illius obiecti , de quo loquitur, ſi poſſet : ſed Angelus hoc poteſt reſpectu alterius* ; *ergo.* Maior patet,quia loquens principaliter intendit exprimere conceptum intellectui illi , cui loquitur : modò agens naturale ſtatim induceret , ſi poſſet , illud quod principaliter intendit.Minor probatur:*illud quod ſufficienter eſt in actu primo reſpectu alicuius effectus,* videlicet , quod habet in ſe principium formale productiuum , non impeditum reſpectu alicuius effectus, *poteſt illum cauſare in receptiuo proportionato approximato ; ſed Angelus habens notitiam habitualem alicuius obiecti,*id eſt,habens obiectum perfectè præſens,vel in ſe,vel in ſpecie intelligibili, vel per aliquam reuelationem;intellectus enim habens obiectum ſic præſens in ratione intelligibilis,non vt actu intellectum,dicitur habere memoriam de tali obiecto , vt in primo expoſitum eſt,*diſt.* 2.*parte* 2.*quæſt.vltima , & diſt.*6.Habens ergo talem memoriam ſufficienter eſt in actu primo ad cauſandum intellectionem actualem illius obiecti;ergo poteſt illum effectum cauſare in quocunque receptiuo illius;ſed *intellectus alterius Angeli non actu concipientis talem actum diſtinctè , eſt receptiuus* talis intellectionis cauſatæ ab Angelo loquente. Et dicit *non concipientis pr.ùs*,quia ſi actu conciperet,tunc eiuſdem obiecti poſſet recipere aliam intellectionem. Sequitur in litera

q *Probatio maioris* , ſcilicet huius:Illud quod ſuficiēter eſt in actu primo,&c.*quia prima extrema proportionis actiui*,&c. Hæc etiam propoſitio tracta eſt ſuprà à Doctore *in prolo. in quæſt. de ſubiecto Theologiæ art.*1.& hæc propoſitio aliqualiter declaratur; quia ſi aliquod actiuum reſpiciat aliquod paſſiuum,ita quòd inter illa duo ſit proportio actiui ad paſſiuum, & paſſiui ad actiuum, ſcilicet quòd ſicut actiuum poteſt producere effectum in paſſiuo tali,ita & paſſiuum tale ſit receptiuum illius effectus à tali actiuo,ſequitur quòd quodlibet actiuum eiuſdem rationis cum primo actiuo poſſit verè agere in verè paſſiuum , & in quodlibet paſſiuum eiuſdem rationis,cùm non ſit maior ratio de vno,quàm de alio : & ſic ſimiliter ſicut aliquod paſſiuum natum eſt pati ab aliquo actiuo,ita & quodlibet eiuſdem rationis natum eſt pati ab eodem actiuo : & ſimiliter natum eſt pati à quolibet actiuo eiuſdem rationis;ab actiuis ergo eiuſdem rationis abſtrahitur actiuum in communi , & à paſſiuis eiuſdem rationis abſtrahitur paſſiuum in communi , & ſic proportio actiui in communi ad paſſiuum in communi eſt inter extrema communia , & vniuerſaliſſima : probatur minor,videlicet iſta,*ſed Angelus habens notitiam habitualem,*&c. ex quo enim Angelus habet actũ primum cognoſcendi *A* , ſequitur quòd per illud poteſt facere intellectum ſuum in actu ſecundo,cauſando in ſe intellectionem obiecti , & per conſequens ſequitur quòd ſimilem intellectionem poſſit cauſare in intellectu alterius Angeli paſſiuo , cùm ſit eiuſdem rationis cum intellectu ſuo paſſiuo:& ſic patet iſta ratio prima.

3. *Difficultas.*

In iſta littera occurrunt aliquæ difficultates. Primo,circa hoc quod dicit,intellectus Angeli *A* poteſt cauſare cognitionẽ *B* in intellectu alterius Angeli,puta *C*. Hoc enim videtur dubium, quia ſi intellectus *A* cauſat cognitionem *B* in intellectu *C*, aut cauſat in ratione obiecti;aut in ratione potentiæ. Non primò, quia tunc non loqueretur alteri Angelo, quia intellectus ille in ratione obiecti tantùm cauſaret cognitionem ſui,& non cognitionem *B*. Tum etiam , quia de neceſſitate naturæ , & abſolutè cauſaret cognitionem ſui,& ſic non eſſet in poteſtate eius loqui vni Angelo & non alteri. Non ſecundò , quia Doctor *in quæſt.pen.prolo.artic.*1. expreſsè comparat obiectũ in ratione actiui ad potentiã in ratione paſſiui.

Dico breuiter, quòd verum eſt, quòd quando obiectum in communi in ratione actiui reſpicit potentiam in communi in ratione paſſiui , quodlibet per ſe contentum , quod eſt eiuſdem rationis in ratione actiui , reſpicit quamlibet potentiam per ſe contentam ſub potentia in ratione paſſiui , loquendo ſemper de cauſalitate competente obiecto , quia obiectum concurrit tantùm partialiter , vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.*3.*q.*7. & licèt potentia concurrat actiuè partialiter vt probat Doctor *vbi ſuprà* , *&* 5. *quæſt. quodlib.*tamen obiectum reſpicit illam in ratione receptiui,

Quomodo potentia concurrat actiu paſſiuo.

receptiui,quia cognitio talis tantùm eſt nata recipi in potentia. Hæc autem propoſitio non tantùm verificatur de cauſa partiali, ſed etiam de cauſa totali.Imò magis, nam memoria fœcunda in ratione actiui reſpicit intellectum poſſibilem in ratione paſſiui,ergo quælibet memoria fœcunda reſpicit quemlibet intellectum, ſcilicet proportionatum in ratione paſſiui:ſicut ergo intellectus Angeli cum ſpecie intelligibili obiecti *B*, (quæ duo integrant memoriam fœcundam reſpectu intellectionis abſtractiuæ ipſius *B*,)poteſt cauſare cognitionem *B* in ſe, ita & in quodlibet intellectu eiuſdem rationis.

4. Secundò occurrit dubium, circa illam propoſitionem,quòd *prima extrema proportionis actiui, & paſſiui*, &c. quia ex iſta propoſitione multa videntur ſequi inconuenientia. Primò, quia voluntas in ratione actiui reſpicit ſe ipſam in ratione paſſiui:patet, quia in ſe poteſt cauſare actum volendi,vel nolendi,vt probat Doctor *in diſt.* 25. ſicut ergo poteſt cauſare in ſe actum volendi, ita ſimilem actum poteſt cauſare in qualibet voluntate eiuſdem rationis, & ſic ſicut in ſeipſa poteſt cauſare actum amoris erga Deum,ita poterit cauſare ſimilem actum in voluntate alterius, & ſic poterit facere voluntatem illam diligere Deum: patet, quia illa voluntas actu diligit Deum,quæ actu habet amorem Dei in ſe,quod videtur valde inconueniens.

Nota. Secundò, ſequitur quòd ante beatitudinem Angelorum,dum eſſent in gratia, vnus potuit facere alium mereri;patet,quia voluntas vnius Angeli informata charitate potuit in ſe cauſare actum meritorium;ergo & ſimilem potuit cauſare in voluntate alterius Angeli, cùm ſit eiuſdem rationis in ratione receptiui, & per conſequens potuit facere alium Angelum mereri beatitudinem quod non videtur.

Tertiò, ſequitur quòd vna voluntas poterit facere peccare aliam voluntatem:probatur,quia in ſe potuit elicere actum peccati, puta actum deformem; ergo & ſimilem potuit cauſare in voluntate alterius Angeli, & ſic vnus Angelus potuit facere peccare alium Angelum.

Quartò, ſequitur quòd eadem voluntas poterit ſimul, & ſemel diligere *A*, & odire *A*, quæ ſunt repugnantia; probatur, ponendo talem caſum, quòd voluntas vnius Angeli actu diligat alium Angelum dilectione vt octo, & vnus alius Angelus eliciat actum odij vt octo, circa illum Angelum,tunc arguo ſic: Angelus poteſt cauſare in ſe actum odij circa illum alium Angelum; ergo & ſimilem actum poterit cauſare in voluntate alterius Angeli priùs diligentis illum alium Angelum;& ſic in eadem voluntate ſimul, & ſemel erunt actus odij vt octo, & actus amoris vt octo, reſpectu eiuſdem obiecti,quod eſt impoſſibile.

Quintò,ſequitur quòd intellectus vnius Angeli, & ſit *A*, poſſit cauſare viſionem Dei in intellectu alterius Angeli, & ſit *B*,ponendo quòd *B* actu non videat Deum, & ſimiliter voluntas *A* poterit cauſare fruitionem perfectam in voluntate *B* prius non fruente, vel ſi voluntas *B* fruatur tantum vt quattuor, & ſit imperfectior voluntate *A*, tunc voluntas *A* poterit cauſare fruitionem vt octo, in voluntate alterius, ſi ipſa fruatur vt octo: Patent iſta omnia, quia Doctor vult, quòd intellectus beati ſit cauſa actiua viſionis,ſaltem parrialis, & ſimiliter voluntas eius ſit cauſa actiua partialis reſpectu fruitionis; ergo ſicut illam poteſt cauſare in ſe ipſa partialiter, ita & in qualibet voluntate eiuſdem rationis. Et multa alia inconuenientia poſſunt adduci,quæ ne ſim tædio legenti omitto.

5. Reſpondeo, quòd propoſitio Doctoris eſt manifeſtè vera, nec inconuenientia adducta valent contra illam propoſitionem, cùm facillimè ſolui poſſint ſtante propoſitione illa. Ad primum ergo inconueniens,dico, quòd nullum eſt inconueniens: concedo enim voluntatem poſſe recipere ab illa voluntate actum amoris Dei, quo voluntas illa formaliter amat Deum, ſed actus ille non dicetur in poteſtate amantis, cùm tantùm ſe habeat in potentia receptiua, vt patet à Doctore *in* 1.*diſt.* 17.

Ad ſecundum concedo,quòd actus,qui dicitur meritorius,poteſt cauſari in alia voluntate, & ſimiliter actus deformis, & tamen voluntas recipiens huiuſmodi actus nec meretur, nec peccat, quia actus meritorius,quo aliqua voluntas meretur,eſt in poteſtate eius ſic, quòd ab ipſa liberè eliciatur, vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 17. non enim aliqua voluntas meretur in eo,quod euitare non poteſt, quia ſi voluntas vnius Angeli cauſet actum in voluntate imperfectiore alterius Angeli, ſic ſe habent in potentia receptiua, quòd non poteſt non recipere illum actum. Similiter dico ad aliud inconueniens de puncto, quòd quamuis recipiat actum deformem, non tamen ex hoc dicitur peccare, quia peccare ſemper eſt in poteſtate peccantis,ſic quòd eſt in facultate ſua elicere actum deformem vel non deformem, vt per Auguſtinum patet & communiter Doctores.

Ad aliud inconueniens de actu amoris,& actu odij, dico quòd nihil concludit contra propoſitionem Doctoris,cum ipſe dicat, quòd talis potentia actiua poſſit agere in paſſum ſibi proportionatũ & diſpoſitũ:modò ſi volũtas aliqua actu habeat actũ amoris vt octo,ſtãte illo actu amoris, à nulla volũtate poterit recipere actum odij, propter incompoſſibilitatẽ actuum:ſicut etiam ſuperficies aliqua, quamuis ſit receptiua caliditatis vt octo,& etiam frigiditatis vt octo,ab agente naturali, tamen vt eſt actu ſub frigiditate vt octo, à nullo poteſt recipere caliditatem vt octo,propter incompoſſibilitatem formarum, quæ & ſi non repugnent ſuperficiei, ſunt tamen adinuicem repugnantes, & incompoſſibiles ex ſuis rationibus formalibus,& non ex ratione ſubiecti,quia quæcunque repugnant ſuis rationibus formalibus repugnant,vt patet à Doctore *in* 1.*diſt.*2.*par.*1.*q.*1. *& in* 3.*diſt.*1.*q.*1.*& alibi ſæpè.*

Ad vltimũ inconueniens de viſione,& fruitione,Dico breuiter, quòd ſi intellectus Angeli, vt habens præſens obiectum beatificum, ita quòd tale obiectum concurreret de neceſſitate in ratione obiecti viſibilis,quòd poſſet cauſare viſionem ipſius obiecti in quocunque intellectu eiuſdem rationis ſibi proportionato,& diſpoſito. Et fortè Nota. eſſet difficile eis ſoluere hanc rationem, qui dicunt quòd eſſentia diuina in ratione obiecti viſibilis cauſat viſionem, ſi intelligant quòd tantùm partialiter;nobis autem non eſt difficultas, quia tenemus quòd talis viſio, licèt partialiter cauſetur ab intellectu beati, principaliter tamen cauſatur à voluntate Dei, & ideò, ipſa non concurrente, intellectus Angeli non poſſet cauſa re illam viſionem in intellectu alterius Angeli. Si tamẽ ipſa cõcurreret nõ apparet incõpoſſibilitas,

quin

quin partialiter, licèt minùs principaliter poſſet illâ cauſare, ſicut in ſeipſo, ita & in intellectu alterius. Per idem dico ad illud de fruitione, quia fruitio principaliter cauſatur à voluntate diuina, & minùs principaliter à voluntate Angeli, & ideò voluntate diuina non concurrente, non poſſet cauſare fruitionem in voluntate alterius Angeli, quia quando aliquis effectus dependet à duabus cauſis partialibus, vnam totalem integrantibus, ab vna ſola eſſe non poteſt, & præcipuè à minùs principali, vt patet à Doctore *q.14. quodlib. & alibi ſæpè.* Si verò voluntas diuina concurreret, tunc ſicut poteſt cauſare fruitionem in ſeipſo, ita & in voluntate alterius; & ſic patet reſponſio ad omnes iſtas inſtantias.

7. r *Inſtatur contra rationem* Hic Doctor non inſtat contra maiorem primæ rationis, nec contra probationem eius, quia tam maior quàm probatio eius intelligitur de actiuo & paſſiuo, amoto omni impedimento, quod tunc dicitur in potentia propinqua, vt patet per Philoſophum 9 Meta. tex. comm. 10. *Quoniam* (inquit) *poſſibile aliquid poſſibile, & quando, & quomodo, & quæcunque alia neceſſe ad eſſe in definitione*, ſupple potentiæ actiuæ, & paſſiuæ, & ſubdit: *Tales potentias*, ſcilicet irrationales, *neceſſe eſt vt poſſint quando paſſiuum, & actiuum appropinquant, hoc quidem facere, illud verò pati*, & ſoluit difficultatem, quæ poſſet occurrere, ſcilicet quòd iſtæ potentiæ rationales poſſent impediri: hoc excludit dicens: *Nullo namque exteriorum prohibente ad.ungere*, &c. Vide textum c, 2. & t. com. 10. Requiritur ergo remotio omnis impedimenti. Et ſic Doctor concedit abſolutè, quòd vnus Angelus abſolutè poſſit intellectualiter loqui alij Angelo, ſed non ſequitur quòd poſsit loqui Angelo diſtanti, non enim poteſt diſtans agere in diſtans, niſi priùs agat in medium; ſed medium non eſt receptiuum locutionis Angeli nec auditiuum Angeli loquentis.

Scotus ſoluit difficultatē.

f *Confirmatur iſtud per Ariſtotelem*, &c. *Non* (inquit) *benè hoc Democritus opinatus, quòd ſi eſſet vacuum quòd medium*, ſupple ſi eſſet vacuum *proſpici vtique certè, & ſi formi a eſſet in cœlo, hoc enim impoſſibile, patiente enim aliquid ſenſitiuo ſit ipſum videre*, id eſt, ſecundùm aliam tranſlationem, viſus non fit, niſi quando ſenſus patitur aliqua paſsione, ſequitur; *ab ipſo igitur qui videtur colore impoſſibile, relinquitur autem quòd à medio*, id eſt, ſecundùm aliam tranſlationem, ſed impoſsibile eſt, vt viſus patiatur à colore, remanet igitur vt patiatur à medio, ſequitur, *quare neceſſe eſt eſſe medium. Vacuo autem facto, non aliquid certè, licet omnino nihil videbitur*, id eſt, ſecundùm aliam literam, *vnde neceſſe eſt, vt al quid ſit in medio, ſi autem fuerit vacuum, non tamen viſio non erit vera, ſed nihil omnino videbitur.* Hæc ibi. Oporteret ergo Angelum loquentem alteri Angelo diſtanti priùs habere actionem in medium, quàm in Angelum, cui loquitur.

8. *Quomodo mouens & motum ſint ſimul?*

t *Item vult Philoſophus*, &c. *Sed ſi* (inquit Ariſt.) *quod mouetur primum ſecundùm locum, & corporalem, motum eſt, neceſſe eſt tangi, & continuum eſſe mouenti, ſicut videmus in omnibus hoc contingere.* Hæc ille in text. 8. cùm ergo Angelus loquens non ſit ſimul cum Angelo audiente, & diſtante, oportet quòd priùs agat in medium, cui ſit ſimul, & poſtea in Angelum, ſed medium non eſt capax talis locutionis, ergo.

SCHOLIVM.

Occaſione inſtantiæ allatæ contra ſe, explicat Doctor quando actio in medium præcedit actionem in terminum, reſoluitque id contingere tantùm quando medium eſt eiuſdem rationis cum termino, ſcilicet quando agens habet duas formas, quarum altera ſupponit actionem alterius, aliàs agens agit in diſtans. Probat primò, quia ſi Deus non eſſet immenſus, adhuc ageret vbi non eſſet, de quo 1.d.37. Secundò, Sol generat mineram in terra per ſuam ſubſtantiam, nec refert quòd per ſua accidentia calefaciat, vel illuminet medium. Tertiò, generans tantùm tangit ſuperficiem, tamen generat corpus: de hoc Sco. optimè 7. Phyſ. quæſt. 3. vbi Aretinus.

AD iſta excludenda [a] primò, oſtendo quòd Angelus etiam diſtans, poteſt cauſare conceptum in Angelo diſtante. Nam ſi non eſſet prioritas naturæ actionis in medium, ad actionem in termino, actio in terminum non dependeret ab actione in medium. Patet ex ratione prioritatis naturalis; quia cauſa ſufficiens duorum, quorum neutrum eſt prius naturaliter alio, poteſt vtrumque ſine altero cauſare: ſed in propoſito non eſt talis prioritas: ergo poteſt Angelus agere in terminum diſtantem, nihil agendo in medium. Probatio minoris, actio in medium, non præcedit naturaliter actionem in terminum, niſi duplici de cauſa: aut quia eſt eiuſdem rationis medium, & terminus, & tunc prius naturaliter recipitur in medio (ſicut paſſum propinquius naturaliter priùs patitur, quàm paſſum remotius) aut ſi eſt alterius rationis, agens habet duas formas actiuas, quarum vna eſt prior naturaliter reliqua, & ſecundùm illam formam, quæ eſt prior actiua, natum eſt agere in medium, & ſecundùm aliam in terminum. Exemplum primi eſt, vt quando Sol illuminat partes medij. Exemplum ſecundi, vt quando Sol generat mineram in viſceribus terræ, vel vermem in terra, & illuminat medium interpoſitum: ergo excluſa vtraque harum cauſarum, ſcilicet quòd nec medium ſit receptiuum eiuſdem actionis cum termino, nec agens habet aliam formam actiuam realiter, vel virtualiter, per quam ſit natum agere in medium, actione alterius rationis ab actione in terminum: nullo modo præcedit

Scot. 7. Phyſ. q.3.

Sco. ſupra d.2.q.12.

Ex duplici cauſa actio in medium præcedit actionem in terminū.

Exemplū vtriuſque cauſæ prædictæ.

actio in medium, actionem naturalem in terminum: & ita est in proposito Medium enim corporale, quod est inter Angelos distantes, neque est natum recipere actionem eiusdem rationis, cum Angelo distante audiente: nec aliam alterius rationis, priorem illa: quia Angelus loquens, nec habet formam virtualiter, nec formaliter actiuam actionis prioris ad illam, quæ est locutio.

Si Deus alicubi nõ esset, tamen ibi ageret.

Confirmatur [b] istud vltimum tripliciter. Primò, ponendo vnum impossibile, scilicet quòd Deus non esset vbique secundùm essentiam: esset tamen omnipotens, secundùm superiùs dicta, *distinct. 37. primi lib.* & tunc posset immediatè aliquid causare alicubi, vbi tamen non esset præsens per essentiam, nec tamen ageret in medium, actione eiusdem rationis, nec alterius: quia causatum esset immediatè ab eo. 17.

Sol generat mineram.

Secundò, si non admittatur ista positio impossibilis, remota impossibili positione; satis habebitur propositum: quia Sol immediatè causat vermem, vel aliam substantiam generabilem, & corruptibilem, & tamen actione illius rationis, scilicet generationis, non agit in medium: nec actione alterius rationis, nisi quia Sol habet aliam formam actiuam, scilicet qualitatem, per quam natus est agere priùs aliquo modo, quàm per suam formam substantialem, sicut alteratio præcedit generationem.

5. Phys. & 1. de Gen. t. 1.

Omne agẽs corporeum semper agit in distans.

Præterea tertiò [c] si hoc non concedatur: patet quòd omne corpus generans generat corpus naturale, non tantùm superficiem: & tamen non est immediatè præsens, nisi secundùm superficiem, & in superficie ipsius geniti agit: ergo generans vbi non est, nec per essentiam, nec per contactum Mathematicum præsens, agit est tamen ibi per contactum virtualem, & hoc sufficit ad agendum, sicut si esset præsens per essentialem, vel Mathematicè, & quod agat priùs in medium inter ipsum, & illud, cui est si præsens, non requiritur absolutè ad hoc, quòd agat in illud: hoc est, quia medium est capax actionis eiusdem rationis cum termino.

Effectus visibilis nõ est eiusdem rationis in medio & in organo de hoc Sco. 1. d. 3. q. 4. & 6.

Post hæc tria, aptius [d] exemplum ad propositum est de actu cognoscendi: quia cognitio intuitiua visus non est eiusdem rationis in medio, cum illa quæ est in organo, & si actio alterius rationis fiat in medio, quàm in organo visus tamen accidit visioni, inquantùm est effectus visibilis, per hoc quòd visibile est natum gignere & speciem & visionem, sicut duos effectus ordinatus. Hic igitur receptiuum remotum recipit aliquid, cui nihil eiusdem rationis recipitur in medio, sed receptum alterius rationis recipitur in medio: & hoc accidit, quia receptum in medio, non est causa recepti in termino; sed est sicut effectus prior illo, comparando illa ad eandem causam.

Quare nõ posset fieri visio in vacuo?

Per hoc patet [e] ad instantiam, de secundo de Anima, quòd non videretur aliquid nisi esset medium, non quòd de per se ratione coloris visibilis, fit aliquid causare in medio, ad hoc quòd videatur: sed quia species visibilis, & visio, sunt effectus ordinati eiusdem obiecti, vt coloris: ita quòd species priùs nata est gigni quàm visio: sicut actus primus quàm actus secundus: & priùs est species in medio, vel organo propinquiori, quàm in medio, vel organo distantiori: sicut & vniuersaliter, forma eiusdem rationis prius causatur in propinquiori, quàm in remotiori. 18.

Mouens & motum, sunt simul explicatur tripliciter.

Et per idem patet ad illud 7. Physicorum. Agens enim est immediatum passo proximo, & hoc immediatione correspondente tactui Mathematico, quando medium est receptiuum actionis eiusdem rationis, vel alterius rationis, respectu cuius agens habet formam: vel immediatione correspondente tactui virtuali: quia ita est agens præsens distanti Mathematicè, ad effectum causandum in eo, sicut si esset præsens sibi secundùm essentiam suam: & hoc modo esse præsens per potentiam suam, est sic, non quòd potentia sua sit ibi, sed quòd potentia sua possit causare ibi effectum, ac si esset ibi licèt nec ipsum nec potentia sua sit ibi.

Sed contra hoc obiicitur, [f] quia tunc distantia localis non impediet locutionem Angeli. Si enim Angelus distans, immediatè causaret illuminationem in alio distante, nihil causando in medio, illud medium erit in actione sua sibi tanquam esset indistans, perinde enim est quantùm ad actionem eius, ac si essent immediati, ergo ita est, quod localis distantia non impediet locutionem. Respondeo, inter agens, & patiens potest esse medium Mathematicum tripliciter, quære.

Additio. *Potest responderi, sicut respondet Doctor in Reportatis, quod nimia distantia impedit Angeli locutionem: ideò debet esse moderata distantia: sed quanta determinatè? Dico quod Deus nouit.*

Secundò

19. Secundò principaliter g ad ſolutionem arguo ſic, Angelus inferior cognoſcit ſe intuitiuè per eſſentiam, vt patet ſuprà *diſtinct.* 3. ergo & ſuperior cognoſcit illum inferiorem per eſſentiam ſuam intuitiuè. Probatio conſequentiæ, quia omne obiectum cognoſcibile ab inferiori, poteſt eſſe cognoſcibile à ſuperiori, æquè perfectè, vel perfectiùs: nulla autem cognitio abſtractiua alicuius obiecti, perfectior eſt cognitione intuitiua: quia cognitio abſtractiua per ſpeciem, poteſt eſſe de re non exiſtente in ſe præſentialiter: & ita non perfectiſſimè cognoſcitur, nec attingitur: non autem oportet Angelos eſſe immediatos ſibi localiter, ad hoc vt ſuperior intelligat inferiorem intuitiuè: ergo dato quòd diſtent localiter, ſuperior intuitiuè cognoſcit inferiorem: ſed iſta cognitio non eſt per aliquam ſpeciem, vel habitum, qui poſſit eſſe re non exiſtente: ergo à ſimili ſi in illo Angelo ponatur aliquid actu intelligibile, natum gignere aliquam cognitionem, licèt intuitiuam, in quolibet intellectu paſſiuo, & receptiuo, poteſt illud actu intelligibile gignere ſuam notitiam: ſed intellectus Angeli diſtantis, eſt receptiuus talis notitiæ: ergo illud intelligibile actu in intellectu Angeli exiſtens, poteſt cauſare in intellectu Angeli diſtantis notitiam actualem ſui.

q.8.n.8.

Si eſſentia vnius Angeli cauſat intuitiuam in alio, ergo eius memoria cauſare poteſt abſtractiuã in eodem. Sed nihil cauſando in medio.

COMMENTARIVS.

1. *Expoſitio literæ.* AD *iſta* a *excludenda.* Hîc Doctor in iſta litera intendit probare, quòd Angelus verè poſſit loqui alteri Angelo, etiam diſtanti, cauſando in eo aliquam intellectionem. Expono tamen iſtam literam propter iuniores, quamuis in ſe ſit ſatis facilis. Cùm dicit: *Si non eſſet prioritas naturæ actionis in medium ad actionem in termino, actio in terminum non dependeret ab actione in medium.* Patet per exemplum: ſi ponatur ignis diſtans à ligno per ſpatium decem cubitorum, ille ignis non poſſet immediatè calefacere illud lignum, niſi priùs calefaciat partem propinquam medij, puta aëris; quæ calefacta calefacit aliam, & ſi illa calefacta ſit tantæ virtutis, quanta eſt prima pars calefacta, ita perfectè calefacit aliam partem, & ſic de aliis, vt patet à Doctore *in ſecundo, d.2.q.12.reſp.ad 2.arg.principale*, & ſic patet quomodo ignis non poteſt immediatè calefacere lignum, quia neceſſariò, & priùs natura calefacit medium, vt ſic, calefactio ligni vt poſterius naturâ dependet neceſſariò à calefactione medij, vt priore natura; ſi ergo calefactio ligni non eſſet poſterior natura calefactione medij, tunc ignis æquè immediatè poſſet calefacere lignum, ſicut & ipſum medium, *quia cauſa ſufficiens duorum effectuum, quorum neutrum eſt prius altero, poteſt vtrunque ſine altero cauſare. Sed in propoſito non eſt talis prioritas*, ſcilicet, quòd intellectio Angeli cauſata ab alio Angelo dependeat, vt poſterior naturâ ab alia intellectione priùs cauſata, & recepta in medio, & quòd ſic non dependeat probat ibi; *Actio in medium non præcedit naturaliter actionem in terminum, niſi duplici de cauſa, aut quia eſt eiuſdem rationis medium, & terminus*, vt cùm aër bicubitalis calefit, extrema pars illius aëris non immediatè calefit, ſed poſteriùs natura calefit, quia priùs naturaliter pars propinqua igni calefit: quia ergo terminus & medium ſunt eiuſdem rationis, terminus aëris non poteſt calefieri, niſi priùs medium inter ipſum, & agens calefiat. Similiter lignum eſt eiuſdem rationis cum aëre, & hoc in ratione receptiui, quia ita aër eſt receptiuus caloris ſicut & lignum: & ideò ignis non poteſt immediatè calefacere lignum inter quod, & ipſum ignem cadit aër, niſi priùs calefaciat aërem. Sequitur

Quomodo ignis non poteſt calefacere lignum.

2. *Aut ſi eſt alterius rationis*, ſcilicet ipſum medium à termino, ita quòd terminus in ratione receptiui ſit alterius rationis à medio receptiuo, ſicut patet de materia prima, quæ eſt immediatè receptiua formæ ſubſtantialis, & de medio inter ipſam, & agens, puta aliquod quantum, quod tantum eſt receptiuum accidentis, puta caloris, &c. *tunc agens habet duas formas actiuas, quarum vna eſt prior naturaliter reliqua, & ſecundùm illam formam, quæ eſt prior actiua natum eſt agere in medium, & ſecundùm aliam in terminum*, vt patet de igne corrumpente lignum frigidum, priùs enim ſecundùm formam caloris diſponit lignũ, & poſteriùs ſecundùm ſuam formam ſubſtantialem inducit formam ſubſtantialem ignis in materiam ligni. Dat etiam Doctor alia exempla de medio, quod eſt eiuſdem rationis cum termino: *vt cùm Sol illuminat partes medij*, quia pars poſterior non poteſt immediatè illuminari, niſi pars propinquior priùs natura illuminetur. Et exemplum quando medium eſt alterius rationis à termino, *eſt quando Sol generat mineram in viſceribus terræ, vel vermem in terra, & illuminat medium interpoſitum.* Nam ſecundùm formam ſuam ſubſtantialem generat mineram in viſceribus terræ, ita quòd ſubſtantia Solis eſt ratio generandi, & ſecundùm aliam formam puta lucem illuminat medium, & ſic generatio vermis eſt poſterior illuminatione medij, quia Sol non poſſet generare vermem, niſi medio priùs illuminato. Et ſi dicatur, quòd ſubſtantia Solis eſt ratio formalis generandi vermem, & illuminandi medium, dico, quòd quamuis hoc non ſit fortè verum, adhuc ſubſtantia Solis erit ratio generandi priùs vnum, quàm aliud, tamen quicquid ſit, de hoc aliàs. Sequitur

3. *Excluſa vtraque earum cauſarum, ſcilicet quòd nec medium ſit receptiuum eiuſdem rationis cum termino, nec agens habeat aliam formam actiuam realiter, vel virtualiter* (dicit *virtualiter* propter ſubſtantiam aliquam, quæ poteſt eſſe ratio formalis producendi plura alterius rationis, ſic tamen, quòd ſit ratio formalis priùs producendi vnum, quàm aliud) *per quàm*, &c. *Medium enim corporale, quod eſt inter Angelos diſtantes, neque eſt natum recipere actionem eiuſdem rationis cum Angelo diſtante audiente*, vt patet: quia Angelum audire eſt recipere intellectionem de obiecto reuelato ab Angelo loquente, quæ intellectio in nullo

Quid ſit Angelum audire.

nullo corpore immediatè recipi potest, *nec similiter aliam alterius rationis priorem illa, quia Angelus loquens nec habet formam virtualiter, nec formaliter actiuam actionis prioris ad illam, quæ est locutio*, id est, quòd talis operatio, siue causatio nouæ intellectionis in alio Angelo non necessariò præsupponit causationem alicuius alterius rationis. Patet, quia cùm Angelus habeat obiectum præsens in se, vel in specie intelligibili, vel aliquo alio modo, sicut immediatè potest causare notitiam illius obiecti in se, ita & in quolibet intellectu potest similem causare, qui sit eiusdem rationis, & sic poterit causare illam in intellectu Angeli distantis.

4. b *Confirmatur istud vltimum tripliciter*, scilicet quòd Angelus loquens possit causare nouam intellectionem de aliquo obiecto sibi reuelato in intellectu alterius Angeli distantis. Et primò probat ponendo vnum impossibile, scilicet quòd Deus non esset vbique secùndùm essentiam, esset tamen omnipotens, sicut dictum est in primo, dist. 37. & tunc posset immediatè causare.

Exemplum. c *Præterea tertiò.* Hîc Doctor adducit aliud exemplum, quo manifestè probat, quòd non est necesse virtutem actiuam esse præsentem passo, nec per essentiam, nec per contactum corporalem, & sic si virtus corporalis potest sic agere in distans, multò fortiùs virtus Angelica poterit causare intellectionem obiecti in intellectu alterius Angeli distantis; & quòd virtus corporalis sic possit, patet, quia corpus generans, pura ignis, generat corpus naturale, scilicet compositum ex materia, & forma, quod est subiectum superficiei, & tamen non est immediatè præsens receptiuo formæ substantialis, nisi tantùm secundùm superficiem, vt cùm ignis agit in ligno, tam ignis, quàm lignum sunt simul tantùm quo ad superficiem, vel se tangunt tantùm quoad superficiē, & quòd agat prius in medium inter ipsum, & illud, cui est sic præsens, nō requiritur absolutè ad hoc quòd agat in illud, sed hoc est, quia medium est capax actionis eiusdem rationis cum termino, vt patet de aëre calefacto, nam calefactio quæ est terminus calefactionis actiuæ est simpliciter eiusdem rationis cum calefactione recepta in aliis partibus aëris.

5. d *Post hæc tria aptius exemplum ad propositum est de actu cognoscendi, quia cognitio intuitiua visionis*, quæ est actio immanens, *non est eiusdē rationis in medio cum illa, quæ est in organo.* Patet, quia actio, quæ recipitur in medio est tantùm species ipsius visibilis, receptum autem in organo tanquam in receptiuo remoto est visio, & licèt priùs causetur species visibilis in medio, quàm causetur visio in organo, hoc est, quia visibile natum est gignere, & speciem, & visionem sicut duos effectus ordinatos, nec receptum in medio est causa recepti in termino, id est, sicut effectus prior illo, comparando illam ad eandem causam. Et quod dicit de organo, quod est receptiuum remotum, patet, quia potētia visiua, quæ est quid constitutum ex anima, & tali organo sic mixto, vt patet *in primo, dist. 3. quæst. 6.* est immediatum receptiuum visionis; organum verò remotum receptiuum. Sicut etiam dicimus in nobis, quòd intellectio immediatè recipitur in intellectu, & remote in ipso operante. Quod etiam dicit, quòd species sensibilis in medio non est causa visionis receptæ in organo, hoc fortè dicit, quia sensibile extrà est causa vtriusque. Si tamen teneatur, quòd adhuc species sensibilis sit causa visionis, vt etiam videtur tenere Doctor *in primo, dist. 3. quæst. 4.* debet intelligi de specie existēte in organo, quæ vna cum sensitiua integrant visionem; illa tamen visio, absente visibili, esset valde imperfecta, vt tenet Doctor vbi suprà. Melius est igitur dicere, quod tam visio, quàm species sensibilis immediatè causetur à visibili; differenter tamen, quia visio tantùm partialiter causatur à visibili, vt videtur tenere Doctor *in primo, dist. 3. quæst. 7.* species autem sensibilis immediatè causatur à sensibili potentia, sensitiua non concurrente, vt Doctor videtur tenere in quodlib. quæst. 15.

Vbi intellectio immediatè recipiatur.

e *Per hoc patet ad instantiam de secundo de Anima.* Hîc Doctor soluit instantias priùs factas, exponendo priùs auctoritates Philosophi, dicens ad primam, quòd non est de ratione visibili adhuc vt causet aliquid in termino, quòd aliquid causet in medio eiusdē rationis, vel alterius rationis cum causato in termino, sed quia species sensibilis est effectus prior visione, quæ prius recipitur in medio, quàm recipiatur in organo, ideò ponitur priùs causari in medio ipsa species, quàm in organo. 6.

f *Sed contra hoc obiicitur.* Hîc Doctor facit vnam instantiam contra illud, quod dixit priùs, scilicet quòd distantia localis non impediat locutionem, quia si sic, tunc sequeretur, quòd vnus Angelus posset loqui alteri Angelo quantumcunque distanti, quod non videtur.

Respondet Doctor *in Reportatis*, quòd nimia distantia impedit Angeli locutionē, sed in quanta distantia determinatè loqui possit via naturali, nescitur, sicut etiam suprà patuit *dist. 2. quæst. 5.* de loco Angeli, videlicet quantum locum simul occupare possit. *Quæst. 3.*

g *Secundò principaliter ad solutionem arguo sic.* Hæc est secunda ratio, quam facit Doctor probando, quòd vnus Angelus possit intellectualiter loqui alteri Angelo, & in ista ratione præsupponit vnum suprà declaratum, *dist. 3. quæst. 9.* quomodo Angelus cognoscit se per essentiam, id est, quòd essentia sua est ratio formalis causandi cognitionem intuitiuam in ratione obiecti intelligibilis, vt ibi exposui. Ex hoc infert propositum, quia si Angelus inferior possit cognoscere se intuitiuè per essentiam suam, à fortiori Angelus superior cognoscere poterit illum inferiorem intuitiuè per essentiam illius inferioris, cùm superior sit maioris virtutis, & patet, quia omne obiectum intuitiuè cognoscibile ab inferiori, est etiam intuitiuè cognoscibile à superiori: cùm ergo Angelus inferior possit causare cognitionem suam intuitiuam in se per essentiam suam, sequitur quòd idem poterit causare in quemcunque intellectum eiusdem intellectionis receptiuum, dato quòd Angelus inferior distet à superiori, & tamen non est necesse, quòd illa cognitio recipiatur in medio. 7.

Angeli superiores loquentes se habent per modum excitantis. Inferiores verò ad superiores se habent per modum manifestantis.

SCHOLIVM.

Resoluit quid loquens causat in intellectu audientis per tria dicta. Primum, si audiens habet speciem obiecti, de quo loquendum est, tantùm potest causari in eo actus. Secundum, si non habet

habet ſpeciem, poteſt accipere à loquente ſpeciem & actum. Tertium ſi habet actum de illo obiecto, tantùm poteſt accipere ſpeciem ſi caret ea: litera eſt clara.

20. AD vlteriorem autem declarationem propoſiti, reſtant duo intelligenda. Primò quid gignatur in intellectu audientis, ab Angelo loquente. Secundò, qualiter Angelus poteſt loqui vni, & non alteri: ſi ſint æquè præſentes.

Loquens quandoque cauſat ſpeciem, quãdoque actũ, quandoque vtrũque in audiente.

De primo dico, quòd poteſt cauſare actum tantùm, ita quòd non ſpeciem: & poteſt cauſare ſimul actum, & ſpeciem: & poteſt cauſare tantùm ſpeciem Probatio primi [h]. Locutio poteſt eſſe de aliquo, habitualiter noto audienti: quia ſicut nos poſſumus perfectè loqui de eo, quod perfectè ſciremus, communicando conceptus noſtros aliis, licèt ſciremus illos eoſdem alias ſcire: ita poſſibile videtur ibi locutionem eſſe de habitualiter noto vtrique: ſed tunc non gignitur ſpecies ab Angelo, alia ab illa quæ habetur, quia tunc eſſent duæ in eodem, reſpectu eiuſdem obiecti: nec etiam præhabita illa intenditur, quia ponamus quod præhabeatur perfectiſſima. Similiter [i], locutiones vt plurimùm ſunt de complexis, pertinentibus ad actualem exiſtentiam rerum: tales autem complexiones non ſunt euidentes ex terminis: licèt ergo aliquis habeat ſpecies extremorum, non propter hoc eſt intellectus ſuus minus capax alicuius intellectionis, ſiue cognitionis complexæ, de illis extremis, quæ videlicet eſt determinatè de altera parte contradictionis, vt de exiſtentia rei, vel non exiſtentia: poteſt ergo tũc cauſari aliquis actus cognoſcendi tale complexum, ſine cauſatione alicuius ſpeciei.

Vna ſpecies ſenſibilis generat aliam, de quo ſupra d. 2. q. 12. ad 2. Lych. hic bene difficultat.

Secundum probo [k]: quia ſi Angelus audiens, non habet ſpeciem illius ſingularis, de quo loquens loquitur; intellectus ſuus eſt receptiuus tam ſpeciei quàm actus, & carens vtroque: & intellectus Angeli loquentis, eſt in actu primo ſufficienti, ad gignitionem vtriuſque: quod patet de ſpecie, quia ſpecies intelligibilis poteſt gignere ſpeciem intelligibilem eiuſdem rationis, ſicut ſpecies rei ſenſibilis in medio, poteſt gignere ſpeciem ſenſibilem eiuſdem rationis. Similiter de actu patet, quia illa ſpecies, quæ eſt in loquente principium cognoſcendi illud cuius eſt, poteſt etiam eſſe ratio gignendi actualem intellectionem illius obiecti, in intellectu alio capace.

Loquens quandoque tantum poteſt cauſare ſpeciem in audiente.

Tertium probo [l], quia minor virtus actiua non poteſt maiorem virtutem impedire à ſua actione: ergo ſi ſuperior conſideret aliquid in genere proprio, puta A, inferior volens loqui ſibi de B, non poterit impedire ſuam intellectionem actualem: ergo tunc non cauſabit intellectionem actualem ipſius B, quia non poſſunt duæ ineſſe ſibi: & aliquid cauſabit quantum poterit; quia vult conceptum ſuum alij communicare, quantum poteſt: ergo cauſabit ſpeciem illius B, ſi non præhabeatur in intellectu ſuperioris.

21. Ex eadem etiam maiore quæ priùs, & iſta minore, quòd ſcilicet ſuperior, & inferior poſſunt ſimul loqui eidem, ſequitur quòd ſuperior faciet illum actu intelligere illud, de quo vult loqui, inferior autem non: ſed tantùm facit aliquid compoſſibile cum intellectione ſua, ſcilicet ſpeciem illius, de quo vult loqui: in iſtis duobus caſibus, ita poteſt loquens gignere ſpeciem, quòd nullum poteſt tunc gignere actum.

Dato etiam quòd nullum ſit impedimentum ex parte audientis, quin vtrunque poſſit, & ſpeciem, & actum recipere: loquens ex quo voluntariè cauſat, (ſicut dicetur poſtea) poteſt cauſare vnum, & non alterum, ſcilicet prius, non cauſando poſterius, ex quo ſe non neceſſariò concomitantur: & in iſto vltimo membro, loquens loquitur, & tamen audiens non audit perfectè: quæ auditio non eſt aliqua intellectio actualis illius quod exprimitur à loquente. Et eſt ſimile, ſicut ſi homo loqueretur homini diſtracto per ſtudium, in cuius aure acciperetur ſpecies ſoni: & tamen non audiret, id eſt non conciperet illud diſtinctè ſub ratione ſigni, nec haberet intellectionem de illo expreſſo: ſed tantùm iſta ſpecies ſoni gigneret in memoria, vel phantaſia, aliam ſpeciem remanentem, & poſſet poſtea rediens à diſtractione conſiderare illud, cuius eſt ſignum, & ita locutio præcedens, eſſet ſibi occaſio illius intellectionis, etiam licèt priùs per eam nihil diſtinctè audiſſet, ſed in aliis duobus primis membris, in quibus intellectio actualis exprimitur à loquente, quando aliquis loquitur, tunc ille cui loquitur, audit, quæ auditio intellectio quædam eſt.

COMMENTARIVS.

1. h *Probatio primi.* Hîc Doctor intendit probare, quòd Angelus, puta *A* poteſt cauſare in Angelo, puta *B*, actum cognoſcendi reſpectu alicuius obiecti, non cauſando ſpeciem; pater, quia ſi Angelus *B* priùs nouerit obiectum *C*, habitualiter, puta quòd habeat ſpeciem intelligibilem illius, per quam dicitur *C*, habitualiter notum, quia ſicut habens habitum promptè agit, ita habens ſpeciem intelligibilem obiecti, ſtatim poteſt intelligere illud cùm vult: ſi igitur *C*, ſit

ſit habitualiter notum à *B*, & ſimiliter ſit habitualiter, & actualiter notum ab *A*, tunc *A* poterit cauſare in intellectu *B* actualem notitiam *C* priùs habitualiter noti à *B*, & tunc non cauſabit ſpeciem intelligibilem in *B*, quia tunc in ipſo *B* eſſent duæ ſpecies intelligibiles reſpectu eiuſdem obiecti, quod non videtur.

i *Similiter locutiones*, &c. Hìc Doctor probat quòd etiam poſito quòd Angelus *B*, habeat ſpecies intelligibiles omnium ſimplicium, & actu cognoſcat illa; & ſimiliter propoſitiones neceſſarias conſtitutas ex ſimplicibus, ſiue illæ propoſitiones ſint mediatæ, vel immediatæ, adhuc Angelus *A* poterit loqui Angelo *B*, & ipſum illuminare de multis ignotis; patet, quia complexiones, quæ includunt actualem exiſtentiam extremorum, & eorum vnionem, cùm ſint merè contingentes, non cognoſcuntur per ſpecies intelligibiles extremorum; patet, non enim habens ſpeciem intelligibilem albedinis, & ſpeciem intelligibilem hominis, ex hoc ſequitur quòd poſſit actu cognoſcere hominem eſſe album, & per conſequens vnus Angelus poteſt loqui alteri Angelo, illuminando ipſum de multis concluſionibus contingentibus. Loquendo enim communiter fit tantùm de complexionibus contingentibus, & non de terminis ſimplicibus, cùm reſpectu illorum habeat ſpecies intelligibiles concreatas, per quas actu poteſt cognoſcere omnès complexiones neceſſarias. De illis contingentibus patet, quòd vnus Angelus poteſt cauſare in alio Angelo cognitionem alicuius talis complexi ſine cauſatione alicuius ſpeciei.

2. k *Secundum probo.* Hìc probat quomodo Angelus loquens poſſit cauſare ſpeciem intelligibilem in intellectu alterius Angeli audientis, & ſimul actum intelligendi reſpectu obiecti, cuius eſt ſpecies intelligibilis, quæ probatio eſt ſatis clara in litera, quam tamen literam aliqualiter declaro.

Suppponit enim primò, quòd Angelus audiens non habeat cognitionem obiecti *C*, nec habet ſpeciem intelligibilem illius, & ſic carens vtroque eſt vtriuſque receptiuus, & ſi illis non careret, non eſſet audiens, quia audire eſt actu recipere notitiam obiecti ignoti ab alio loquente. Probat modò, quòd poſſit gignere in audiente ſpeciem intelligibilem *C*, & actum intelligendi de ſpecie intelligibili; patet, quia ipſa poſt gignere ſpeciem intelligibilem eiuſdem rationis, ſicut ſpecies rei ſenſibilis in medio poteſt gignere ſpeciem ſenſibilem eiuſdem rationis, puta in alia parte medij. *Nota.* Et hoc ſic debet intelligi, quia ſi ſenſibile exiſtens in medio illuminato, puta aliquis color, poteſt immediatè gignere in medio illuminato ſpeciem ſenſibilem, quæ recipitur in parte propinquiore ipſi colori, tunc illa ſpecies immediatè gignet aliam in parte propinquiore ſibi, & illa alia, ſi ſit æquè perfecta, ſicut prima immediatè gignet aliam æquè perfectam, ſi verò ſit imperfectior, prima gignet aliam imperfectiorem, & in hoc patiformiter eſt dicendum, ſicut dicit Doctor *in iſto ſecundo, diſtinct. 2. quæſt. vlt. reſp. ad ſecundum argumentum principale*; & ſic tandem illa ſpecies ſenſibilis, quæ eſt propinquiſſima organo, gignet aliam eiuſdem rationis in ipſo organo. Et ſic patet, quomodo illæ ſpecies ſenſibiles non ſe habent, ſicut effectus ordinati eiuſdem cauſæ, ſed ſicut effectus ordinati alterius, & alterius cauſæ. Et ex hoc infert Doctor quòd ſi vna ſpecies ſenſibilis exiſtens in medio poteſt aliam eiuſdem rationis cauſare in parte propinquiori eiuſdem medij; à fortiori ſpecies intelligibilis exiſtens in intellectu Angeli *A*, poterit aliam eiuſdem rationis cauſare in intellectu Angeli *B*, cùm ſit capax illius. De actu patet, quia illa ſpecies, quæ eſt in loquente principium cognoſcendi illius, cuius eſt, poteſt etiam eſſe ratio producendi actualem intellectionem illius obiecti in intellectu alio capace, id eſt, quòd Angelus *A*, habens ſpeciem intelligibilem *C*, ſicut illa ſpecies intelligibilis eſt ratio formalis producendi (partialiter tamen) actualem notitiam ipſius *C*, in intellectu Angeli *A* concurrente ipſo intellectu, vt alia cauſa partiali, & principali, ita eadem ſpecies, vt exiſtens in intellectu Angeli *A*, erit ratio formalis partialiter cauſandi, concurrente intellectu Angeli *A*, vt cauſa principali, notitiam actualem *C* in intellectu Angeli *B*, cùm ſit receptiuus eiuſdem rationis cum intellectu Angeli *A*.

Occurrit aliqualis difficultas, primò in hoc, quòd dicit ſpeciem intelligibilem poſſe cauſare ſpeciem intelligibilem eiuſdem rationis, quia ſi ſic, tunc intellectus Angeli habens ſpeciem intelligibilem Deitatis (de qua ſuprà dictum eſt *diſt. 3. q. 10.*) poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem Deitatis in alio Angelo, ſi non fuiſſet priùs cauſata in eo, & ſic ille alius Angelus merè naturaliter poſſet cognoſcere Deitatem ſub ratione propria, quod tamen negat Doctor *vbi ſuprà, & q. 14. quodlib.* Et licèt Doctor *in diſt. 3. huius ſecundi q. 10.* dicat, quòd talis cognitio poſſit dici naturalis, quia naturaliter elicita, tamen dicitur ſupernaturalis, quia principium partiale elicitiuum eſt ſupernaturaliter datum; iſta autem ſpecies intelligibilis Deitatis cauſata ab alia ſpecie intelligibili, nullo modo dicitur ſupernaturalis. 3. *Difficultas pulchra.*

Secundò ex hoc videtur ſequi, quòd Angelus poſſit cauſare ſpeciem intelligibilem Deitatis, puta in anima damnata, cùm ſit capax illius, & ſic mediante illa diſtinctè poterit cognoſcere Deitatem, & ſic habere maiorem beatitudinem naturalem, quàm Philoſophus aliquis potuiſſet habere.

Tertiò occurrit difficultas, quia ſi Angelus habens ſpeciem intelligibilem, puta Deitatis, poteſt in intellectu alterius non impedito, cauſare diſtinctam notitiam Deitatis, ſequitur quòd poſſit ſimilem cauſare in Angelo intuitiuè vidente Deitatem, & ſic in eodem intellectu Angeli erunt ſimul cognitio intuitiua, & abſtractiua eiuſdem obiecti. Et ſimiliter ſequitur quòd in intellectu ſuo poſsit cauſare notitiam abſtractiuam Deitatis, & ſic ſimul cognoſcit Deitatem abſtractiuè, & intuitiuè, quod eſt impoſſibile.

Quartò, ſi vna ſpecies poteſt cauſare aliam in intellectu alterius Angeli, ſequitur quòd poterit aliam cauſare in intellectu, in quo eſt, cùm ſit receptiuus eiuſdem rationis, nec valet dicere, quòd duæ ſpecies intelligibiles eiuſdem rationis non poſſunt eſſe in eodem intellectu, quia ipſe expreſsè concedit *in 5. Metaph.* quòd duæ ſpecies ſenſibiles eiuſdem rationis, etiam & plures, poſſunt eſſe in eodem puncto medij; & ſimiliter cócedit quòd duæ intellectiones eiuſdem rationis poſſunt eſſe in eodem intellectu. Si igìtur vna ſpecies poteſt cauſare aliam in intellectu, in quo eſt, & illa alia poterit cauſare aliam, & ſic actu 4.

erunt

erunt infinitæ ſpecies intelligibiles. Probatur, quia prima cauſat ſecundam in inſtanti,cùm nullo modo ſit per motum cauſabilis, & illa ſecunda erit æquè perfecta cum prima, quia eiuſdem rationis, & per modum naturæ producit : igitur in eodem inſtanti, quo illa ſecunda eſt producta, illa ſecunda,cùm ſit æquè perfecta,producet tertiam æquè perfectam , & tertia quartam , & ſic in infinitum.

Quintò, ſi ſpecies intelligibilis exiſtens in intellectu Angeli *A* cauſat ſpeciem intelligibilẽ in intellectu Angeli *B*,aut eſt cauſa totalis,aut partialis;non partialis,quia nec ſpecies ſenſibilis exiſtens in medio eſt tantum cauſa partialis alterius ſpeciei ſenſibilis, imò totalis : non ſecundò, quia tunc ſi intellectus Angeli fieret præſens alteri intellectui, non habenti ſpeciẽ intelligibilẽ, ſtatim cauſaret illam in illo intellectu,& ſic ſtatim poſſet habere notitiam illius obiecti, & ſic non eſſet neceſſaria locutio.Et ſimiliter cùm fieret præſẽs animæ beatæ,priùs non habenti ſpeciem intelligibilẽ Deitatis,ſtatim cauſaretur in ea ſpecies intelligibilis ipſius Deitatis,& ſic ſimul poſſet habere notitiam intuitiuam,& abſtractiuã Deitatis. Nec valet dicere, quòd Angelus non habeat ſpeciem intelligibilẽ Deitatis,cùm ſit contra Doctorem,qui vult *in primo,diſt.3.q.6.*quòd ſpecies intelligibiles ſint indelebiles, & hoc etiam videtur velle *in 4.diſt.45.*cùm ergo habuerint ſpecies intelligibiles ante ſuam beatitudinem ipſius Deitatis, vt ſuprà patet *diſt.3. quæſt.10.* ſequitur quòd nunc habeant eas.

5. *Soluuntur difficultates.*

Reſpondeo ad primam difficultatem,quòd nõ haberem pro inconuenienti, quòd poſſet Angelus cauſare in alio Angelo,non priùs beato , nec habente aliam.Et cùm infertur,ergo poſſet merè naturaliter intelligere Deitatem. Dico,quòd merè naturaliter poteſt capi dupliciter. Vno modo, quòd ex ſuis puris naturalibus poſſit habere illã cognitionem diſtinctam Deitatis,vel ex puris naturalibus alterius,& hoc modo non poſſet , quia non poſſet intelligere,niſi haberet ſpeciem creatam ab Angelo alio & ille alius Angelus cum tota ſua virtute non poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem Deitatis in alio Angelo,non concurrente ſpecie ſupernaturaliter creata. Alio modo poteſt intelligi naturale , quia habet in ſe principium naturaliter acquiſitum, & hoc modo concedo, quòd Angelus habens ſpeciem ſupernaturalem Deitatis,poteſt cauſare aliam merè naturaliter : ſicut habens potentiam viſiuam merè ſupernaturaliter poteſt cauſare viſionem naturaliter,vt patet à Doctore in primo.

Merè naturaliter poteſt capi dupliciter.

6. Ad ſecundam difficultatem dico , quòd repugnat Angelo poſſe cauſare talem ſpeciem intelligibilẽ in anima damnata;nec ſimiliter repugnat intellectui damnato poſſe recipere talem ſpeciẽ. Si tamen de facto non poteſt producere, hoc eſt à cauſa extrinſeca prohibente , & nullo modo cooperante ad talem cauſationem,quia voluntas diuina ex ſua iuſta determinatione videtur determinaſſe intellectum damnati huiuſmodi ſpecie non informari.Dato etiam quòd talis ſpecies eſſet cauſata in intellectu, vel anima damnati , adhuc non ſequitur cognitio diſtincta Deitatis in ipſo,quia & ſi talis intellectus cum tali ſpecie intelligibili ſit cauſa perfecta producendi diſtinctam cognitionem Deitatis abſtractiuam, tamen talis cognitio non poteſt ſequi,niſi voluntate diuina cooperante.

7. Ad tertiam difficultatem dico primò , quòd ſtante notitia intuitiua Deitatis in intellectu Angeli,alius Angelus adhuc non poterit cauſare ſpeciem intelligibilem Deitatis in tali intellectu. Et cùm infertur,quòd talis intellectus ſimul poterit cognoſcere Deitatem intuitiuè,& abſtractiuè. Negatur,quia ſtante notitia intuitiua Deitatis in aliquo intellectu,non poteſt notitia diſtincta abſt. actiua Deitatis cauſari propter rationes formales ad inuicem repugnantes , quia notitia intuitiua terminatur ad rem exiſtentem, & præſentem,inquantùm exiſtens,& in ſe perfectè præſens.Abſtractiua verò, licèt poſſit eſſe exiſtentis, non tamen terminatur ad exiſtens, vt exiſtens,vt patet à Doctor in pluribus locis. Et ſic poſſet ſtare talis ſpecies intelligibilis Deitatis ſine actuali cognitione illius abſtractiua. Sicut etiam dicit Doctor *in tertio,diſt.31.*quòd nõ repugnat intellectui beato habere habitũ fidei,repugnat tamen ſibi actus credẽdi,qui non poteſt ſtare cum clara viſione Dei.Nec ſimiliter volũtati Beati repugnat habitus fidei , licèt ſibi repugnet actus ſperandi, qui nullo modo poteſt ſtare cũ actu perfectę fruitionis,ſic erit in propoſito de ſpecie intelligibili.

Actus credẽdi non poteſt ſtare cũ clara viſione Dei.

Dico ſecundò, quòd adhuc non reputo impoſſibile cognitionem Deitatis abſtractiuam in ſe abſolutè ſumptam ſimul poſſe eſſe cum viſione, quia ex hoc non ſequitur : ergo talis intellectus ſimul cognoſcit Deum intuitiuè, & abſtractiuè, quia vltra illud abſolutum in cognitione requiritur,quòd actu terminetur ad Deum, de quo ſatis patebit in quodli. quæſt.14.art. 3.

8. Ad quartam difficultatem.Dico breuiter,quòd non poteſt ſpecies intelligibilis alicuius obiecti exiſtens in aliquo intellectu cauſare aliam eiuſdem obiecti in eodẽ intellectu, quia tunc notitia abſtractiua illius obiecti ſimul dependeret quodammodo à duabus cauſis totalibus,& ſic poſſet eſſe,& non eſſe ; nam intellectus habens vnam ſpeciem intelligibilem alicuius obiecti,ſi non eſt impeditus , neceſſariò cauſat actum intelligendi illius obiecti,cùm ſit vna cauſa totalis, & ex alia parte circumſcripta alia ſpecie intelligibili , talis actus non poterit cauſari , patet, quia deficiente vna cauſa partiali , altera cauſa partialis cauſare non poteſt. Et dixi de alia,& alia ſpecie reſpectu vnius,& eiuſdem obiecti.

Et cùm infertur,quòd duæ ſpecies ſenſibiles in eodẽ puncto poſſunt eſſe;cõcedo de duabus ſpeciebus eiuſdẽ rationis,ſed tamen alterius,& alterius obiecti ſaltẽ numero diſtincti. Hoc idem dico de duabus intellectionibus eiuſdẽ rationis in intellectu.Non eſt igitur ratio,quòd non poſſint eſſe ſimul,quia ad inuicem ſimul repugnant,cùm non ſint formæ ad inuicem repugnãtes,ſed quia idem obiectum numero in eodem intellectu haberet duo perfectè repræſentatiua , quorum quodlibet eſſet ſufficiens,& ſic idem actus intelligendi numero ſimul dependeret à duabus cauſis totalibus modo præexpoſito.

Quomodo poſſunt iſtæ ſpecies de nouo adeptæ eſſe in Angelis,cum non habeant phantaſias. Reſpondeo, quòd ordo requiſitus ad cauſandas ſpecies intelligibiles eſt iſte.

9. Ad quintam difficultatem poſſet dari vtrumque membrum , videlicet quòd ſit cauſa totalis alterius ſpecici intelligibilis , ſicut etiam ponitur ſpecies ſenſibilis. Sed melius videtur dicendum, quòd ſit cauſa partialis , & intellectus agens in Angelo alia cauſa partialis , nec eſt ſimile de ſpecie ſenſibili, & intelligibili , quia ſicut prima ſpecies ſenſibilis ab obiecto ſenſibili , vt à totali cauſa immediatè cauſatur , ita videtur quòd illa ſpecies ſenſibilis , vt totalis cauſa immediata

Res creatæ transferũtur ab eſſe ſenſibili materiali ad phantaſiabile , à quo poſtea tranſeunt ad eſſe intelligibile, & tunc ſit ſpecies intelligibilis.

iſte ordo aſſignatur quoad intellectũ humanũ, qui ordo non ẽſt neceſſarius ad intellectũ angelicum, neque ex parte obiecti, neque ex parte potentiæ.

cauſat aliam ſpeciem ſenſibilem. Sed non eſt ſic de ſpecie intelligibili, nam ſpecies intelligibilis in nobis cauſatur ab intellectu agente, & à phantaſmate, & ſic videtur quòd illa ſpecies cauſata, concurrente intellectu agente, ſuppleat vicem phantaſmatis in cauſando aliam eiuſdem rationis. Sic videtur dicendum de ſpecie intelligibili in Angelo, quòd cauſetur ab obiecto, & ab intellectu agente, vt etiam videtur tenere Doctor *in iſto ſecundo, diſt. 3. quæſt. 11.* & illa ſpecies cauſata erit partialis cauſa cauſandi aliam, ſupplendo partialiter vicem obiecti, & concurrente intellectu agente Angeli.

10. Vltra iſtas difficultates, quædam alia parua occurrit, videlicet, quòd ſi ſpecies intelligibilis poteſt cauſare aliam, puta ſpecies intelligibilis lapidis poſſit cauſare aliam, an illa ſecunda ſit perfectior prima. Dico, quòd ſi illa prima eſſet cauſata ab intellectu agente, & phantaſmate, quòd ſecunda eſſet perfectior, quia cauſæ ſunt perfectiores, & agunt per modum naturæ; ſpecies enim intelligibilis eſt multò perfectior phantaſmate, igitur perfectiorem ſpeciem intelligibilem partialiter cauſabit. Sed an ſit eiuſdem rationis ſecunda cum prima, loquendo de prima cauſata cum phantaſmate, videtur quòd non, quia principium partiale reſpectu ſpeciei ſecundæ intelligibilis eſt alterius rationis à phantaſmate, vt patet. Dico conformiter dictis Doctoris in iſto *ſecundo, diſt. 1. queſt. vlt.* de potentia intellectiua animæ, & Angeli, vide ibi quæ notaui.

1 *Tertium probo.* Hic Doctor probat, quomodo vnus Angelus poteſt cauſare in intellectu alterius Angeli ſpeciem intelligibilem tantùm alicuius obiecti, non cauſando actum intelligendi eiuſdem, & hoc probat, *quia minor virtus actiua non poteſt maiorem virtutem impedire à ſua actione*, hoc patet, & *per conſequens &c.*

11. *Ingenioſa difficultas.*

In iſtis verbis Doctoris vt clariùs intelligantur, aliquas difficultates tango.

Caſus.

Prima eſt in hoc, quod dicit, Angelum inferiorem non poſſe impedire Angelum ſuperiorem ab actuali intellectione alicuius obiecti. Et pono talem caſum, quòd Angelus ſuperior, qui dicatur *A* abſtractiuè cognoſcat lapidem per ſpeciem intelligibilem illius, & Angelus inferior habeat ſpeciem intelligibilem ſupremi Angeli, & perfectam quantum habere poteſt, quod eſt poſſibile, vt ſuprà patuit *diſtinct. 3. quæſt. vltima.* quomodo vnus Angelus, & ſe, & alium poſſit intelligere abſtractiuè, & ſit ille Angelus inferior *B*.

Pono etiam, quòd in Angelo ſuperiori non ſit ſpecies ſupremi Angeli, quod eſt poſſibile.

Hoc poſito, pono quòd intellectus Angeli inferioris ſit virtutis vt quatuor, & ſpecies intelligibilis ſupremi Angeli ſit vt tria, & intellectus ſuperioris Angeli ſit vt quinque, & ſpecies lapidis ſit tantùm vt vnum. Hæc omnia ſunt poſſibilia; ſtante illo caſu, infero propoſitum, videlicet quòd Angelus inferior poſſit impedire Angelum ſuperiorem ab actuali notitia lapidis, quia quando tantùm duæ cauſæ partiales integrantes vnam totalem, quarum vna eſt virtutis vt quatuor, & alia vt tria, eſt perfectior alia totali integrata ex duabus partialibus, quarum vna ſit vt quinque, & alia vt vnum; cùm igitur Angelus inferior cum ſpecie intelligibili ſupremi Angeli ſit virtutis vt ſeptem, & Angelus ſuperior cum ſpecie lapidis ſit tantùm virtutis vt ſex, ſequitur quòd Angelus inferior poterit cauſare actualem cognitionem ſupremi Angeli in intellectu Angeli ſuperioris, & ſic impedire eum ab actuali conſideratione lapidis. Ex alia etiam parte poteſt impedire eum, cauſando in eo ſpeciem intelligibilem ſupremi Angeli, & tunc intellectus ſuperioris Angeli cum illa ſpecie intelligibili, neceſſariò intelliget Angelum ſupremum, cùm ille intellectus ſit merè naturalis; & quando ſpecies intelligibilis eſt perfectior & efficacior, tunc intellectus priùs intelligit obiectum, cuius eſt illa ſpecies, vt patet à Doctore *in primo d. 3. q. 6.* & ſic tunc Angelus ſuperior impeditur ab actuali cognitione lapidis per Angelum inferiorem.

Secundò ad idem arguitur, ponendo talem caſum, quòd Angelus ſuperior intelligat lapidẽ, ſiue intuitiuè, ſiue abſtractiuè, non curo; & Angelus inferior habeat perfectè præſentem Angelũ ſupremum ſic, quòd ipſum intelligat intuitiuè, & nõ intelligatur ab Angelo ſuperiori; tunc intellectus inferioris, vt habens perfectam memoriam Angeli ſupremi actu poterit cauſare notitiam intuitiuã ſupremi Angeli in intellectu ſuperioris, & tunc impediet eum ab actuali conſideratione lapidis: patet, quia exiſtentia Angeli ſupremi in ratione obiecti intelligibilis eſt perfectior intellectu Angeli ſuperioris, & eſt cauſa partialis cognitionis intuitiuæ, quæ vnitur alteri cauſæ partiali, ſcilicet intellectui Angeli inferioris.

12. *Alia difficultas.*

Prætereà occurrit alia difficultas, quæ elicitur ex verbis Doctoris. Videtur enim ipſe innuere, quòd Angelus ſuperior poſſit impedire Angelum inferiorem ab actione ſua, cùm enim dicit quòd virtus inferior non poteſt impedire ſuperiorẽ, videtur inferre quòd ſi eſſet virtus ſuperior poſſet inferiorẽ impedire, quod etiam expreſsè tenet *in præſenti. q.* Ex hoc ſequuntur nonnulla inconuenientia: Primum, quòd tũc Angelus ſuperior poſſet impedire inferiorem à quacunque actuali intellectione, & ſic, ſi inferior actu vellet cõſiderare aliũ Angelum, ſuperior poſſit impedire illũ, actu cauſando in eo perfectã notitiam, puta lapidis, & ſic Angelus inferior non poſſet ad libitũ conſiderare quæ vellet, quia ſuperior poſſet ſemper eum impedire ſi vellet, quod eſt valdè inconueniens. Secundum inconueniens, quia ſi virtus ſuperior poteſt impedire inferiorem, ſequitur quòd volũtas Angeli ſuperioris poterit impedire voluntatem Angeli inferioris, ne amet ſicut vult, ſupponendo quòd voluntas Angeli inferioris non poſſit ſimul habere duos actus perfectos, vt tenet Doctor *in primo, d. 17. & alibi.* Tunc ſi Angelus inferior actu amat alium Angelum amore perfecto, & voluntas Angeli ſuperioris poteſt cauſare in eo amorem perfectum alicuius hominis, ergo tunc voluntas Angeli inferioris impediretur ab amore, quem habuit ad alium Angelum. Et vltrà ſequeretur quòd voluntas Angeli inferioris non poſſet ad libitũ amare quẽ vellet, quia ſemper impediretur à voluntate Angeli ſuperioris. Sequerẽtur etiã quòd nõ eſſet ſimpliciter in poteſtate eius amare, & nõ amare quẽ vellet, quia ſi poteſt impediri à volũtate ſuperioris, tunc tantùm amabit quantum placuerit ſuperiori, quæ omnia videntur abſurda, imò poſſet impediri ab amore Angeli ſupremi, quia Angelus ſuperior pro tunc poſſet in eo cauſare perfectum amorem alicuius hominis.

Nota hæc omnia.

Tertia difficultas.

Tertia difficultas, eſt in hoc quod dicit, quòd vna

vna ſpecies ſenſibilis,poteſt aliã cauſare in phantaſia,quia tũc quæro,ſi illa cauſata in phãtaſia,ſit eiuſdem rationis cum cauſante,vel alterius?nõ ſecundò, quia tunc non eſſet repræſentatiua eiuſdem obiecti;non primò, quia tunc virtus phãtaſtica per illam non poſſet cognoſcere obiectũ cuius eſt abſtractiuè.Patet,quia per primam tantùm cognoſcitur obiectum, vt eſt præſens in ſe.

13. *Solutio difficultatum.* Reſpondeo ad has difficultates, & primò ad primam, concedendo caſum eſſe poſſibilem; ſed cùm ex tali caſu infertur,quòd Angelus ſuperior poteſt impediri ab actuali intellectione lapidis, negatur hoc poſſe ſequi,& cùm dicitur,cauſa totalis inferior eſt perfectior. Dico primò, quòd nulla ſpecies intelligibilis poteſt ita intendi, vt aliquo modo poſſit ſupple perfectionem potẽtiæ intellectiuæ,vt patet à Doctore *in primo, d.3.q.* 8.cùm igitur intellectus Angeli ſuperioris ſit cauſa partialis intellectionis,multò perfectior intellectu Angeli inferioris,& à nulla ſpecie intelligibili poteſt ſuppleri illa perfectio, quæ pertinet ad potentiam intellectiuam Angeli inferioris,ſequitur quòd Angelus inferior non poteſt tunc impedire intellectum Angeli ſuperioris.

Dico ſecundò,quòd,etiam poſito,& non conceſſo,quòd intellectus Angeli inferioris, qui dicatur *A* vt habens talem ſpeciem intelligibilem ſit perfectior cauſa intellectu Angeli ſuperioris, qui dicatur *B*,habente ſpeciem intelligibilem lapidis; adhuc non ſequitur quòd poſſit impedire eum,quia *B* habet voluntatem eſſentialiter perfectiorem voluntate *A*,& per conſequens volũtas *B* ſic poteſt firmare intellectũ in actuali cognitione lapidis, vt à nulla voluntate inferiori auerti poſſit,& conuerti ad aliud obiectum Sicut etiam poſita in intellectu meo ſpecie perfectiſſima alicuius obiecti, quæ vnà cum intellectu agit ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ,tamen voluntas mea poteſt auertere intellectum à tali obiecto per talem ſpeciẽ præſentẽ,& conuertere ad aliud obiectum imperfectius,& imperfectiori modo præſens. Sic etiã voluntas mea poteſt illum intellectum ſumere in actuali cõſideratione talis obiecti imperfecti, quod per nullã ſpeciem intelligibilem quantumcunque intenſam poteſt auerti,& conuerti ad obiectum cuius eſt ſpecies ita perfecta. Sic dico,in propoſito, quòd intellectus *B* nullo modo poteſt impediri à conſideratione lapidis,ſtante imperio voluntatis *B*.

14. Et cùm dicit, quòd ſi intellectus *B* careat ſpecie ſupremi Angeli, quòd intellectus *A* habens talem ſpeciem, poteſt ſimilem cauſare in intellectu *B*, concedo, & in iſto caſu non poteſt impediri ab aliqua voluntate creata, quia etſi voluntas poſſit imperare intellectui, auertendo illum à conſideratione alicuius obiecti, & conuertendo ad conſiderationem alterius, ſimiliter poſſet firmare illum in actuali conſideratione, non tamen poteſt eum impedire quin recipiat ſpeciem intelligibilem, ſtante debita approximatione, cùm hoc nullo modo ſit in poteſtate eius, & ſic concedo caſum illum.

Et cùm infertur, quòd ex hoc poſſit illum impedire, negatur:& cùm probatur, quia intellectus *B* habens ſpeciem ſupremi Angeli eſt perfectior cauſa, & naturalis, ideſt, agens per modum naturæ, quàm idem intellectus, vt habens ſpeciem lapidis, concedo: & cùm infertur, igitur tunc de neceſſitate intelligit ſupremum Angelum, & ſic impeditur à conſideratione lapidis, negatur; quia vltra perfectionem cauſæ requiritur, quòd voluntas *B* non firmet intellectum *B* in actuali conſideratione lapidis,vt ſuprà dixi.

15. *Reſponſio ad ſecundã difficultatem.* Ad ſecundam difficultatem principalem, concedo cãſum illum, & cum infertur, quòd ex hoc poteſt impedire. Dico primò quòd poſſibile, vel impoſſibile circunſcripta voluntate *B*, quòd intellectus *A* vt habens perfectè præſens in ratione obiecti intelligibilis eſſentiam ſupremi Angeli,quòd tunc nõ cauſabit fortè de neceſſitate naturæ cognitionem intuitiuam ſupremi Angeli in intellectu *B*, quia eſſentia ſupremi Angeli vt abſolutè conſiderata in ratione obiecti intelligibilis,non videtur poſſe ſupplere perfectionem intellectus *B* in ratione potentiæ, & ſic intellectus *B* poteſt continuare intellectionem lapidis, quod à nullo intellectu inferiore habente præſens obiectum quantumcunque perfectum poterit impediri. Et quamuis Doctor *in primo diſt.3.q.* 8. videatur dicere, quòd obiectum perfectius potentia concurrat ad intellectionem vt principalior cauſa, non tamen diceret quòd obiectum creatum, etiam perfectiſſimum poſſet ſupplere perfectionem agendi pertinentem ad intellectum in ratione potentiæ, quia tunc ſequeretur quòd obiectum tantum poſſet intendi, quòd per ſe vt totalis cauſa poſſet cauſare intellectionem, cuius oppoſitum tenet *vbi ſuprà*. Si etiam concedatur quòd *A* vt habens præſentiam ſupremi Angeli, poſſit impedire intellectum *B* circunſcripta voluntate *B*: tamen ipſa non circunſcripta, ſic poſſet firmare intellectum *B* in actuali conſideratione lapidis, quòd à nullo intellectu inferiori habente quodcunque obiectum creatum perfectè præſens impediri poſſet, propter rationem ſuperiùs dictam.

16. *Reſponſio ad difficultatẽ.* Ad aliam difficultatem quæ in ordine eſt ſecũda principalis,qua probatur, quòd ſi Angelus ſuperior poſſet impedire *&c.* quòd tunc poſſet eum impedire à quacũque intellectione. Dico primò, quòd fortè nec voluntas *B* quæ eſt Angeli ſuperioris,nec ſimiliter intellectus *B* poſſet impedire intellectum *A*, ſcilicet Angeli inferioris, & hoc ſtante imperio voluntatis à quo firmatur intellectus *A* in actuali conſideratione alicuius, quia nulla voluntas creata videtur immediatè poſſe habere poteſtatem ſuper aliam voluntatem.Dico ſecundò & magis ad propoſitum quod intellectus *B*, concurrente voluntate ipſius, poteſt impedire intellectum *A*,à quacũque cognitione data,& cõuertere eum ad cognitionẽ alterius,& cõcedo quòd ſicut voluntas *B* poteſt cauſare aliquem actum in ſe,quo imperat intellectui, auertendo illum à conſideratione obiecti, & conuertendo ad conſiderationẽ alterius obiecti, ita poteſt ſimilẽ actum cauſare in voluntate *A*. Patet, quia voluntas eſt receptiuum eiuſdẽ rationis cum voluntate *B*.Pono ergo quòd volũtas *A* imperet mediãte actu ſuo intellectui,vt actu cõſideret lapidẽ,& voluntas *B* producat aliquẽ actum in volũtate *A*,qui ſit imperatiuus reſpectu cognitiõnis hominis,quo volũtas *B* formaliter imperet intellectui *A*,vt actu cõſideret hominem; & quia iſte actus ſecundus videtur incõpoſſibilis primo elicito à voluntate *A*,ſequitur quòd primus deſinat eſſe, quo deſinente per alium actum,quo intellectus conuertitur ad conſiderationem hominis, ſtatim impeditur ab actuali conſideratione

Cõſidera bene hæc omnia.

lapidis, niſi fortè dicatur quòd etſi voluntas *B* poſſit cauſare in voluntate *A* quemcunque actum, quem in ſe cauſare poteſt, tamen vt dicatur actus imperatiuus, requiritur quòd ſit elicitus à voluntate imperante, & ſic ſequitur, quòd ille actus ſecundus in voluntate *A*, cùm non ſit ab ipſa voluntate *A*, non poſſit dici imperatiuus, ſiue non poſſit eſſe actus, quo voluntas *A* imperat intellectui ſuo.

17. Tertiò poteſt dici quòd voluntas *B* ſicut poteſt imperare intellectui ſuo, firmando intellectum, vel auertendo, vel conuertendo ad obiectum, ita videtur quòd poſſit imperare intellectui inferiori, ſcilicet ipſum firmando in aliqua actuali intellectione, vel auertendo ab illa, & conuertendo ad aliud, quia ſi poteſt imperare intellectui ſuo, videtur etiam quòd poſſit imperare per actum ſuum cuilibet alteri intellectui eiuſdem rationis.

Sed nunc videretur ſequi quòd ſicut voluntas ſuperior poteſt ſibimet imperare ad eliciendum aliquem actum, ita poſſit imperare voluntati inferiori ad eliciendum actum, & tunc non eſſet in poteſtate ſua elicere actum, vel non elicere, quod videtur inconueniens.

Quomodo voluntas imperet intellectui. Sed diceretur quòd non eſt ſimile de intellectu, & voluntate, quia imperando intellectui, non dicitur concurrere actiuè ad intellectionem, ita quòd talis intellectio ſit producta ab intellectu, & voluntate, ſed tantùm dicitur imperare intellectui, ex hoc, quòd poteſt ipſum firmare in obiecto cognito; & quia intellectus agit de neceſſitate naturæ, de neceſſitate ſequitur intellectio: poteſt etiam eum impedire auertendo à tali obiecto, & conuertendo ad aliud. Sed ſi imperaret voluntati alterius, tunc non eſſet in poteſtate inferioris elicere actum, vel non elicere, ſtante tali imperio voluntatis ſuperioris; puta ſi voluntas ſuperior imperat voluntati inferiori vt eliciat actum amoris erga Deum, tunc ſtante tali imperio; voluntas inferior non poſſet non elicere.

18. Dico ergo breuiter, concedendo, quòd Angelus ſuperior poſſit impedire inferiorem ab actuali cognitione, & quòd in duobus poteſt impedire. Primò ſi voluntas inferioris circumſcribatur quoad actum imperatiuum reſpectu ſui intellectus, quòd intellectus ſuperior habens ſpeciem intelligibilem, puta lapidis, vel habens ipſum lapidem in ſua præſentia in ratione obiecti intelligibilis, poteſt cauſare actualem notitiam, & perfectam ipſius lapidis, & ſic eum impedire à conſideratione alterius obiecti. Secundò poteſt eum impedire, impediendo actum imperatiuum voluntatis, non cauſando in ea actũ imperatiuum oppoſitum; ſed cauſando in ea abſolutè alium actum perfectum, puta ponendo talem caſum, quòd intellectus Angeli inferioris per imperium voluntatis intelligat lapidem, & ſic voluntas illa habet vnum actum elicitum perfectum, quo ſic imperat. & pono quòd voluntas Angeli ſuperioris cauſet actum perfectum in voluntate inferiori, puta amorem perfectũ alterius Angeli, cùm ergo duo actus perfecti ſimul nõ poſſint eſſe in eadem voluntate, ſequitur quòd ſtante ſecundo, primus definit eſſe; & ſic voluntas ſuperior poterit imperare intellectui ſuo vt cauſet notitiam talis Angeli in intellectu inferioris Angeli, & ſic his duobus modis ſuperior poſſet impedire inferiorem. Et cùm dicitur hoc eſſe inconueniens, quia tunc Angelus inferior non poſſet intelligere quæcumque vellet ad libitum. Dico quòd aliud eſt loqui de facto, & aliud de poſſibili, de facto enim ex determinatione diuinæ voluntatis communiter non impeditur; de poſſibili verò, Dico quòd poſſet impedire, cùm non repugnet virtuti ſuperiori poſſe impedire inferiorem.

19. *Virtus ſuperior poteſt impedire inferiorem.* Ad aliud inconueniens, quod videtur ſequi ex iſta ſecunda difficultate principali, ſcilicet quòd tunc voluntas inferior poſſit impediri ab actibus ſuis. Dico breuiter, quòd etſi de facto, & de communi lege ex determinatione diuinæ voluntatis non impediatur, attenta tamen perfectione voluntatis ſuperioris, ſibi non repugnat poſſe impedire inferiorem, & ſic ſuperiorem poſſe facere inferiorem non amare, puta hominem, etiam ſi ipſe vellet; & concedo quòd non eſt in poteſtate ſua ad libitum amare quẽ vellet. Si dicatur quòd tunc voluntas inferioris non eſſet libera, nec haberet in poteſtate ſua actus ſuos, ſi non poſſet ad libitum ſuum amare. Dico quòd aliud eſt impedire voluntatem per aliquem actum incompoſſibilem actui eliciendo, & aliud eſt poſſe impedire voluntatem vt immediatè poſſit elicere actum nullo actu incompoſſibili actui eliciendo priùs expoſito, primo modo poteſt impedire, ſed non ſecundo modo, quod declaro per exemplum. Sit voluntas ſuperior *B*, & inferior *A*: pono quòd *B*, producat actum perfectum, puta volitionem perfectam reſpectu alicuius obiecti in voluntate *A*, tunc ſtante illo actu, *A* non poteſt elicere actum amoris erga tale obiectum, quia ille actus eſt incompoſſibilis primo, & tamen non ſequitur quin *A* abſolutè poſſit amare, & non amare tale obiectum. Sicut etiam ſi eadem voluntas nolit Franciſcum eſſe, ſtante tali nolitione, non poteſt ipſum velle eſſe, quia iſta volitio eſt incompoſſibilis primæ, & tamen ex hoc non ſequitur quin abſolutè poſſit velle Franciſcum, & non velle. Similiter *B* cauſet in *A*, actum perfectum amoris erga hominem, *A* non poterit elicere actum perfectum amoris erga Angelum, & hoc ſtante primo actu, quia non poſſunt eſſe duo actus perfecti in eadem voluntate, vt dicit Doctor *in primo, diſt.* 17. niſi fortè dicatur quòd duo actus perfecti, puta duo amores, ſiue eiuſdem rationis, ſiue alterius, non poſſint ſimul elici ab eadem voluntate, tamen vt conſideratur in ratione receptiui, poteſt ſimul recipere plures actus perfectos, qui ex ſuis rationibus formalibus non ſint incompoſſibiles, ſicut amor, & odium reſpectu eiuſdem obiecti, & fortè primo modo intelligit Doctor & non ſecundo modo, quia *in tertio, diſt.* 14. videtur quaſi velle, quòd in intellectu animæ Chriſti poſſint ſimul eſſe infinitæ intellectiones infinitorum obiectorum, ſed quòd ſimul, & æquè perfectè poſſint elici à tali intellectu, abſolutè negat.

Aliud eſt impedire voluntatem & poſſe impedire voluntatem.

Ad vltimam difficultatem dico breuiter, quòd ſpecies cauſata in phantaſia ab alia ſpecie, vt à cauſa totali, eſt eiuſdem rationis cum illa, quamuis illa cauſata etiam poſſit concurrere ad actum virtutis phantaſticæ, obiecto, cuius eſt talis ſpecies, non præſente, quia virtus phantaſtica, quæ eſt altera cauſa partialis ex ſua ratiõne, ita poteſt in obiectum abſens, ſicut præſens, dummodò habeat ſpeciem illius. Sed tunc occurrit difficultas ſpeciei intelligibilis, & de phantaſmate, an ſint eiuſdem rationis, vel alterius: de hoc aliàs, ne impediatur principalis intentio.

SCHO

SCHOLIVM.

Oſtendit ex quatuor modit intelligendi rem in proprio genere, illam intellectionem eſſe auditionem, quæ efficitur à loquente & recipitur in audiente, loquente tamen priùs in ſe producente intellectionem: vnde loquutio ſubeſt voluntati loquentis ſicut intellectio, de quo infr. d. 42.

22. SEd qualis actus [a] intelligendi eſt iſte actus, qui dicitur auditio? Reſpondeo, quadrupliciter poteſt Angelus intelligere *A* præter viſionem ipſius in Verbo: videlicet intuitiuè in ſe, intuitiuè in intellectu alterius Angeli cognoſcentis illud: & abſtractiuè per ſpeciem habitualem concreatam, vel acquiſitam. & nulla iſtarum intellectionum eſt auditio, quia nulla eſt per ſe expreſſa ab intelligente, inquantùm intelligens eſt, imò accidit, quòd obiectum mouens ſit intelligens. æquè enim moueret, ſi non eſſet intelligens, & in omnibus iſtis ſi aliquis intellectus cauſet, eſt intellectus ipſius intelligentis, non alterius: & ipſum obiectum concurrit ibi cum intellectu, vt cauſa partialis, ſicut fuit dictum *diſt. 3. primi libri.*

Secundus modus eſt quando ex conuerſione ad intellectũ intuentis, reflecto me ad eius obiectũ, illud intuendo, in ſe, ſed inchoatiuè in alio q. 7. & 8. & 15. quodl. Audiens ſe habet paſſiuè.

Quarto modo [b] poteſt iſte cognoſcere *A* ita quòd intellectio fiat in eo per intellectum alium exprimentem: & intellectus iſtius nullam habeat cauſalitatem reſpectu actus, ſed tantùm ſit paſſiuus: iſta autem ſola cognitio eſt auditio, & eſt expreſſa ab intelligente, inquantum intelligens eſt.

Patet ergo [c] differentia auditionis, ab illa triplici cognitione, quæ communiter poteſt dici viſio: quia in auditione, intellectus audientis tantùm eſt paſſiuus, & quicquid eſt in eo: ita quòd ſi habet ſpeciem habitualem ipſius auditi, illa ſpecies etiam non agit ad auditionem. Quicquid etiam eſt ſibi præſens, vt eſt ſibi præſens; nihil agit ad eam. Nam ſi intuitiuè eſſet idem ſingulare ſibi præſens, quod eſt præſens loquenti, illud vt præſens ſibi, non gigneret in eo auditionem, ſed ſolùm gigneret in eo viſionem: ſolummodo ergo intellectus loquentis, vel quæ ſunt in ipſo, vt in ipſo, vel præſentia ſibi vt ſibi; ſunt actiua reſpectu auditionis, & hoc non vt proximi effectus: nam priùs cauſant iſta præſentia loquenti intellectionem actualem in loquente, quàm cauſent illam auditionem in audiente.

Loquens priùs in ſe elicit intellectionem.

23. Ex hoc patet, quomodo [d] voluntas loquentis faciat ad ipſam locutionem: quia ſicut ipſa poſt primam intellectionem facit ad copulationem memoriæ, & intelligentiæ, ad quemcunque actum ſecundum habendum in ipſo Angelo, in quo eſt voluntas: ita poteſt facere ad actum illum poſteriorem habendum in Angelo audiente: ſi enim effectus prior, ſine quo non cauſatur poſterior, eſt in poteſtate alicuius: ſi prior non ſit, nec poſterior erit.

Quomodo loquutio eſt in poteſtate loquentis. de hoc 1. d. 6. & 27. & infr. d. 42.

Et ex hoc etiam [e] apparet aliud, quomodo ſcilicet actualis intellectio in ipſo loquente, non eſt ratio agendi ſibi inquantum loquitur; ſed aliquid pertinens ad memoriam loquentis: quia effectibus ordinatis quaſi eiuſdem rationis, quorum vterque natus eſt gigni à cauſa æquiuoca, non oportet priorem eſſe cauſam poſterioris: ſed vtrumque cauſari ab eadem cauſa æquiuoca, & hoc ſpecialiter eſt in propoſito; quia intellectio actualis non ita habet rationem parentis, ſicut memoria: vnde Pater in diuinis gignit memoriâ, non intelligentiâ.

De ordine auditionis ad intellectionem.

Patet etiam tertiò, quis ſit ordo [f] auditionis ad intellectionem, quæ eſt viſio. Licèt enim in Michaële viſionem obiecti, ſiue intellectionem ipſius obiecti, poſſet ſequi locutio Gabrielis de eodem; tamen tunc non cauſat cognitionem alicuius non priùs noti, nec tunc eſt locutio ita neceſſaria, ſicut quando præcedit vtranque viſionem illam. Quando enim Gabriel nouit aliquid in genere proprio, vel reuelatum, quod nõ nouit Michaël in particulari; poteſt iſte in intellectu ipſius cauſare conceptum, qui propriè dicitur auditio, quo cauſato, poteſt Michaël conuertere ſe ad intellectum Gabrielis videndum: & in eo videbitur illa intellectio, quam Gabriel habet; & etiam in iſta intellectione, videbitur aliquo modo obiectum ipſius intellectionis: & ſi illud obiectum non poſſit vlteriùs videri, nec in ſe nec in Verbo; vltima perfectio, quam poteſt Michaël de hoc cognito habere, eſt videre illud in intellectu Gabrielis. Sic igitur inquantùm auditio ordinatur ad cognitionem habendam alicuius incogniti, ipſa præcedit omnem viſionem, tam rei in ſe, quàm rei in intellectu alterius videntis, quàm etiam rei per ſpeciem habitualem: quæ triplex viſio dicta eſt diſtingui ab auditione.

Hinc patet quod cognitio rei in alterius intellectu non eſt intuitio propriè.

Dicitur etiam 8 auditio differre ab omni viſione, quantùm ad certitudinem, quæ differentia fortè poteſt concludi ex fatione effectuum ordinatorum, quorum poſterior eſt perfectior, &c.

COMMENTARIVS.

1. *Quid ſit actus intelligendi,*

a *Sed qualis actus intelligendi eſt iſte, qui dicitur auditio.* Hîc Doctor intendit declarare qualis ſit actus intelligendi, qui dicitur auditio. Dicit quòd Angelus poteſt quadrupliciter intelligere, & pro clariori intelligentia, Angelus loquens dicatur *A*, & Angelus audiens dicatur *B*: & obiectum, de quo fit locutio, dicatur *C*. *B* poteſt intelligere intuitiuè *A* in ſe, vt ſupple eſt perfectè præſens intellectui *B*. Secundò intuitiuè in intellectu *A*, ſupple, vt *C* eſt in ſe præſens intellectui *A* cognoſcente illud intuitiuè. Tertio *B* poteſt cognoſcere *C* abſtractiuè per ſpeciem habitualem concreatam, de qua ſuprà *diſt.3.quæſt.10.* vel acquiſitam, de qua ſuprà *diſt. 3.q.11.* & dicit Doctor quòd *nulla iſtarum intellectionum eſt auditio*, &c. vt patet *in primo di.3. q.7.& 8.& in quodlib.q.15.*

Quarto modo *B* poteſt intelligere *C* ita quòd intellectio fiat in eo per intellectum *A* exprimentem, & intellectus *B nullam habeat cauſalitatem reſpectu actus, ſed tantùm ſit paſſiuus &c.*

Dubium. Sed occurrit aliqualis difficultas in hoc, quod dicit, quòd intellectus *B* poteſt intuitiuè videre *C* in intellectu *A*, quia aut hoc eſt, quia ipſe intellectus *A* eſt ratio repræſentandi ipſum ſub ratione propria. Sed hoc non videtur, quia quod eſt talis ratio repræſentandi, continet ipſum virtualiter ſecundùm totam ſuam entitatem, vt patet à Doctore *in primo, diſt.3.q.1.& diſt.8.q.1.& in ſecundo, diſt.3.q.10.& q.14. quodlib.art.2.& diſt. præſenti.* ſed intellectus *A* non poteſt ſic continere aliquod abſolutum aliud à ſe, vt ſuprà oſtenſum eſt *diſtinct.3. quæſt.10.* igitur intellectus *B* non poteſt intuitiuè intelligere *C* vt in intellectu *A*.

Secundò dubitatur, quomodo intellectus *B* poteſt intuitiuè intelligere *C* in intellectu *A*, quia ex quo Doctor *in iſto ſecundo, di. 3. q. vlt.* vult expreſsè quòd intellectus creatus non poſſit cognoſcere intuitiuè in Verbo, ſed tantùm cognoſcit in proprio genere, vbi ſic dicit paulò ante reſponſionem principalium Rationum: *Non* (inquit) *cognoſcens exiſtentiam alicuius cognoſcit ipſam intuitiuè, quia poteſt ipſam cognoſcere abſtractiuè, nam cognitionem intuitiuam ſingularium non poteſt habere in Verbo, vbi tamen cognitionem exiſtentiæ habet, & ideò ad cognitionem intuitiuam rei neceſſariò concurrit obiectum reale, vel ipſa res, vt præſens.* Hæc ille. Si igitur intellectus Angeli non poteſt cognoſcere lapidem ſingularem intuitiuè in Verbo, multò minùs, poterit cognoſcere intuitiuè in intellectu alterius Angeli.

2. *Reſponſio.* Dico, quòd Doctor ſibi non contradicit, quia hæc, quod dicit hîc, ſic debet intelligi, quòd quando intellectus *B* cognoſcit intuitiuè *C* in intellectu *A*, ſi talis cognitio ſit perfectè præſens intellectui *B*, partialiter poteſt cauſare in intellectu *B* cognitionem ſui intuitiuam, & alia cauſa partialis eſt intellectus *B*, & tunc habita cognitione intuitiua de cognitione intuitiua *C* exiſtente in intellectu *A*, tunc per illam cognitionem intuitiuam reſpectu alterius cognitionis intuitiuæ exiſtentè in intellectu *B*, poterit perfectè cognoſcere cognitionem intuitiuam *C* exiſtentem in intellectu *A*: & quia illa terminatur ad *C* exiſtens, inquantùm exiſtens, & in propria præſentialitate, conſequenter intellectus *B* poterit intuitiuè cognoſcere *C* in intellectu *A*; ita quòd ſciet illam notitiam *C* eſſe notitiam intuitiuam *C*. Dubium tamen eſt, ſi *C* non eſſet actu exiſtens, & talis notitia intuitiua actu exiſteret in *A*, an intellectus *B* cognoſcendo illam intuitiuè, cognoſceret *C* intuitiuè. Dico quòd fortè caſus non eſt poſſibilis, quia de ratione cognitionis intuitiuæ eſt, quòd ſit reſpectu obiecti exiſtentis in ſe, & præſentis. Sed adhuc remanet difficultas, quia non videtur, quòd ſi intellectus *B* cognoſcit intuitiuè cognitionem *C* intuitiuam, quòd ex hoc cognoſcat ipſum *C* intuitiuè, quia Doctor *in quodlib.q.14. art.3.* expreſsè tenet, quòd quis videat actum beatificum in ſe, & quòd tamen non videat obiectum beatificum, quia talis actus dicit relationem realem ad obiectum, quæ non cognoſcitur non præcognito termino. *Dubium.*

Dico, concedendo quòd ex tali cognitione non ſequitur neceſſariò cognitio intuitiua *C*, ſed benè dico, quòd communiter cognoſcens aliquam notitiam intuitiuam alicuius obiecti, ex conſequenti intuitiuè cognoſcit illud obiectum. *Reſponſio.*

3. Sed tunc quæritur, à quo cauſatur illa cognitio intuitiua talis obiectiùnon à notitia intuitiua exiſtente in intellectu *A*, quia tunc virtualiter contineret entitatem obiecti: non ab intellectu *A* & obiecto, quia tunc talis cognitio eſſet auditio propriè ſumpta. Dico, quòd talis cognitio intuitiua *C* eſſet immediatè ab ipſo *C* præſente, & ab intellectu *B*. Si dicatur, quòd tunc non intelligeret *C* intuitiuè in intellectu *A*, Dico, quòd ex hoc intelligit intuitiuè in intellectu *A*: quia dum videt notitiam intuitiuam *C* in intellectu *A*, ſcit ipſum *C* eſſe perfectè præſens in intellectu *A*: ideò ex tali notitia intuitiua poteſt inueſtigare *C* in ſe. Poteſt etiam dici breuiùs, & fortè magis ad intentionem literæ quòd intellectus *B*, vt conuertit ſe ad intellectum *A*, intuitiuè videt illa, quæ ſunt præſentia in propria exiſtentia intuitiuè *A*, ita quòd talis intellectio intuitiuè immediatè cauſatur ab obiecto præſente intellectiuæ *A*. & ab intellectu *B* prout ſe conuertit ad intellectum *A*, & ſic per talem conuerſionem habet obiectum in ſe præſens.

Dico etiam, quòd intellectus *A* habens *C* in ſe præſens, poteſt partialiter mouere intellectum *B* ad cognitionem ſui intuitiuam, & alia cauſa partialis erit intellectus *B*, & ſic intellectus *B* poterit perfectè intuitiuè cognoſcere intellectum *A*, ac per conſequens poterit perfectè cognoſcere cognitionem intuitiuam, quam habet intellectus *A* de *C*, & ſic tandem poterit cognoſcere ipſum *C* intuitiuè, & ſic patet reſponſio ad difficultatem. *Nota.*

c *Patet ergo differentia auditionis &c.* Vult dicere Doctor quòd tunc ille actus dicitur auditio in intellectu *B*, quando ipſe intellectus *B* 4

merè

merè ſe habet paſſiuè reſpectu illius actus, ita quòd nullo modo concurrit actiuè, nec ipſe intellectus *B*, nec aliquid exiſtens in eo; & ideò poſito quòd haberet ſpeciem habitualem, ſiue intelligibilem *C*, de quo *A* intendit loqui, ſiue ſpecies intelligibilis, vt exiſtens in intellectu *B* concurrat actiuè ad illum actum, talis actus nullo modo diceretur auditio: ad hoc igitur, vt dicatur auditio, requiritur, quòd intellectus *B* nullo modo ſe habeat actiuè, nec aliquid exiſtens in eo, ſed tantùm paſſiuè. Sequitur: *Quicquid etiam eſt ſibi præſens, &c.* Vult dicere, quòd ſi *C* eſſet in ſe perfectè præſens intellectui *B*, ſi concurreret ad cognitionem ſui, illa cognitio in intellectu *B* non diceretur auditio: ad hoc ergo vt dicatur auditio, requiritur vt ſit tantùm ab intellectu loquente, & ab obiecto præſente ipſi loquenti, vt priùs tamen intellecto. Sequitur: *Solummodò ergo intellectus loquentis, &c.* Patet; quia intellectus *A* habens in ſe ſpeciem intelligibilem *C*, iſta duo poſſunt cauſare cognitionem abſtractiuam *C* in intellectu *B*: & talis cognitio cauſata dicitur propriè cognitio. Similiter intellectus *A* habet in ſe perfectè *C* in propria exiſtentia *C* perfectè præſens, & intellectus *A* poteſt cauſare cognitionem intuitiuam in intellectu *B*. & talis cognitio intuitiua in intellectu *B* eſt auditio, & talis cauſatio eſt locutio. Sequitur: *& hoc non vt proxima effectus, &c.* Dicit, quòd effectus immediatus, & præcedens auditionem, quæ habetur de ſe, eſt cognitio intuitiua, vel abſtractiua *C* in intellectu loquentis, puta *A*, quâ habita poſtea intellectus *A* cum *C* in ſe præſente, vel in ſpecie intelligibili, cauſat intellectionem in intellectu *B*, & talis cognitio eſt poſterior, & effectus remotior. Item nota, quòd licèt ad cauſationem talis cognitionis concurrat intellectus loquentis, & obiectum in ſe, vel in ſpecie intelligibili, tamen ſolus intellectus loquentis loquitur, & nullo modo obiectum, quia ipſe ſolus exprimit, inquantùm intelligens, licèt tamen partialiter.

Nota.

d *Ex hoc patet quomodo voluntas loquentis.* Hîc Doctor intendit probare, quomodo loquens voluntariè loquitur, quia habita prima cognitione *C* in *A* loquente, voluntas ipſius *A* poteſt copulare intellectum *A* ad *C* cognitum, ita quòd imperio ſuo firmat eum in tali cognitione, vt ſuprà patet *in primo, diſt. 6. & 27.* & magis patebit *in iſto ſecundo, d. 42.* Stante igitur cognitione *C* in *A* loquente, voluntas poteſt imperare intellectui *A*. vt vtatur ſpecie intelligibili *A* ad cauſandam cognitionem abſtractiuam *C* in intellectu *B*. hoc idem dico in cognitione intuitiua *C*, & hoc modo voluntas imperat talem locutionem, quia habita prima cognitione *C* in intellectu *A* loquente, poteſt poſtea imperare intellectui ſuo, vt ſimilem cognitionem cauſet in intellectu *B*: & hoc eſt quod dicit. Sequitur ibi parum infrà: *Si enim effectus prior, &c.* Vult dicere quòd ſi voluntas *A* non poteſt habere effectum priorem in poteſtate ſua, ſine quo non poteſt haberi prior, nec poſteriorem poterit habere in poteſtate ſua; igitur ſi poterit habere priorem in poteſtate ſua, multò fortiùs poſteriorem; effectus autem prior eſt cognitio *C* in *A* loquente; effectus verò poſterior eſt cognitio ipſius *C* in *B* audiente, cauſata ab *A* loquente.

5.

6. Dubium. Sed videtur hîc occurrere aliquod dubium in hoc, quod dicit Doctor quòd voluntas habet in poteſtate ſua primum effectum, puta primam cognitionem *C*. quia in hoc videtur contradicere, & dictis Auguſtini & dictis ſuis. De primo patet 15. *de Trin.* vbi vult Auguſtinus quòd voluntas non poteſt habere aliquem actum elicitum, neque imperatum, niſi circa præcognitum. De ſecundo etiam patet, quia Doctor vult expreſsè *in primo, diſt. 3. q. vlt. & diſt. 6. & 27.* quòd voluntas non poteſt habere actum, niſi circa præcognitum.

Reſponſio. Dico breuiter, quòd Doctor non contradicit ſibi, nec dictis Auguſtini. Nam quando dicit hîc, quòd voluntas habet in poteſtate ſua effectum primum ſcilicet primam cognitionem *C*, non debet intelligi quantùm ad cauſationem eius primam, ſed quantùm ad continuationem ipſius, ſiue copulationem, ita quòd habita cognitione *C* in intellectu *A*, voluntas imperio ſuo poteſt continuare illam, imperando ſupple intellectui, vt ſcilicet ſtet in tali coguitione, & hæc eſt mens expreſſa Doctoris in locis prælegatis, & præcipuè in iſto ſecundo, *d. 42.* & tunc ſic continuando, vel imperando dicitur habere in poteſtate ſua effectum primum: quia intellectum continuare intellectionem, eſt ipſam continuè cauſare, vt patet à Doctore *in primo diſt. 3. q. 9. & in iſto ſecundo, diſt. 7.* Dico vltrà, quòd non ſolùm ipſa voluntas imperio ſuo poteſt imperare intellectui ſuo, vt continuet intellectionem *C* in ſe, ſed etiam poteſt imperare intellectui ſuo, vt continuet cognitionem *C* in intellectu *B*: & ſic poteſt imperare, vt continuet locutionem per horam, vel per plus in intellectu audientis, & ſtante tali continuatione locutionis, ſtat continua auditio in intellectu audientis. Dico etiam, quòd voluntas habet in poteſtate ſua primam cognitionem *C* quoad hoc quia poteſt auertere intellectum ſuum à cognitione *C*, ſed de hoc magis infrà patebit d. 42.

7.

e *Ex hoc etiam apparet aliud, &c.* Hîc Doctor probat, quòd intellectio actualis, qua intellectus *A* intelligit *C*, non eſt ratio formalis cauſandi intellectionem *C* in intellectu *B*, quâ cognoſcat *C*, & quâ dicitur audire, ſed ratio formalis producendi eſt ipſa memoria, puta ipſe intellectus *A* cum obiecto, & ipſa memoria, quæ eſt in intellectu *A* primò producit cognitionem *C* in intellectu *A*, & poſt producit cognitionem eiuſdem obiecti in intellectu *B*, ita quòd ipſa memoria habet iſtos duos effectus ordinatos, ſic quòd per prius producit cognitionem obiecti in loquente, & per poſterius in audiente.

Quid ſit ordo auditionis.

f *Patet etiam tertiò quid ſit ordo auditionis.* Hîc Doctor ponit differentiam inter auditionem, & viſionem, ſiue ſit viſio intuitiua, ſiue ſit abſtractiua: & dicit, quòd tunc eſt neceſſaria auditio, vel locutio, quando audiens non habuit prius notitiam obiecti, de quo Angelus vult loqui, puta ſi Angelus *A* vult loqui *B* de obiecto *C*, ſi *B* priùs habeat notitiam de *C*, quamuis *A* poſſit cauſare notitiam *C* in *B*, tamen illa notitia non eſt neceſſaria locutioni, quia locutio neceſſaria, ſiue auditio neceſſaria, eſt præcisè de aliquo obiecto particulari non priùs noto. Et ſic dicit Doctor *quando Gabriel nouit aliquid in genere proprio*, &c.

8. Difficultates.

In hac tamen litera occurrunt aliæ difficultates. Primò in hoc quod dicit, quòd *habita cognitione de obiecto, poteſt ſe conuertere ad intellectum*

Angeli loquentis, & videre ibi intellectionem, quam habet de illo obiecto. Quæro primò quomodo conuertitur ad intellectum loquentis, & intellectus audientis dicatur *B*, & loquentis *A*. ſi *B* conuertitur ad *A*, hoc non eſt niſi cognoſcendo ipſum *A*. tunc quæro à quo cauſatur talis notitia: Dico breuiter, quòd cauſatur à *B* in ratione potentiæ intellectiuæ, partialiter tamen, & ab ipſo *A* non in ratione potentiæ intellectiuæ, ſed in ratione obiecti intelligibilis, & tunc propriè conuertitur ab *A*. & non è contra, quia conuerti ad obiectum eſt potentiæ, & non è contra; quia non dicimus obiectum conuerti ad potentiam: & ſic *B* mediante illa notitia cauſata, cognoſcit *A* in ſe, ſi eſt præſens in ſe; vel in aliquo repræſentatiuo, ſi tantùm eſt præſens in ſpecie intelligibili. Secundò quæritur, an *B* cognoſcat intellectionem in *A*, quam *A* habet de obiecto *C*. Dicit Doctor quòd ſic, & tunc quæro, an eadem cognitione qua *B* cognoſcit *A*, cognoſcat illam cognitionem, quæ dicatur *D*, an alia cognitione? non eadem, quia vna & eadem cognitio numero non videtur poſſe eſſe plurium obiectorum ſpecie diſtinctorum. Si ſecundò, ſcilicet aliâ, quæro à quo eſt cauſata? aut eſt cauſata partialiter ab intellectu *A*, in ratione obiecti, & hoc non, quia tunc *A* contineret *D*, ſecundùm totam entitatem, quod non eſt verum. Quòd autem contineret ſuprà patet à Doctore *in primo diſtinct. 3. quæſt. 1. & in iſto ſecundo diſtinct. 3.* aut ipſa notitia quæ habetur de *D*. cauſatur partialiter ab ipſo *D*. & hoc non videtur, quia tunc talis notitia cauſata eſſet tantùm ſimilitudo ipſius *B*, & ſic per ipſam non poſſet cognoſcere obiectum *C*: aut eſt cauſata ab obiecto *C* in ratione obiecti: ergo tantùm erit repræſentatiua obiecti, *C* & ſic per illam non cognoſcet *D*.

9. *Reſponſio.* Reſpondeo, quòd talis cognitio quæ eſt reſpectu *A* non eſſet reſpectu *D*, quia pro ſtatu iſto diſtinctorum obiectorum ſunt diſtinctæ intellectiones: & ſic concedo quòd eadem cognitione qua *B* cognoſcit *A* non cognoſcit *D* ſed aliâ & aliâ; & cùm quæritur, à quo eſt cauſata illa alia?

Dico breuiter, quòd eſt cauſata ab intellectu *B* & ab ipſo *D*. & concedo quòd talis notitia eſt præcisè repræſentatiua ipſius *D*. Poſſet etiam concedi quòd eſſet cauſata ab intellectu *B* & ab obiecto *C*, cuius eſt talis intellectio, quæ dicitur *D*, quia *C* continet virtualiter, & ſic adæquatè, partialiter tamen à nulla creatura poſſet cauſari. Et cùm infertur, quòd tunc talis notitia eſſet tantùm ſimilitudo obiecti *C*.

Dico, quòd hoc eſſet verum, ſi illam notitiam cauſaret reſpectu ſui abſolutè, ſed quando cauſat notitiam alicuius virtualiter contenti, tunc talis notitia eſt præcisè ſimilitudo illius obiecti contenti, & non eſſet ſimilitudo obiecti virtualiter continentis.

Dubium. Secundò, dubitatur in hoc quod dicit, quòd cognita illa notitia obiecti, per illam aliqualiter cognoſcitur obiectum, & tunc quæro, aut intellectus *B* cognoſcit obiectum *C*, mediante notitia *D* actu exiſtente in intellectu *A*; aut mediante alia. Si primo modo, ſequitur quòd intellectus *B* non intelligit formaliter obiectum *C*. Patet, quia formaliter intelligere aliquid eſt formaliter in ſe habere intellectionem illius, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 3. quæſt. 7.* & hoc eſt quod dicit Ariſtoteles 3. de Anima, quòd *intelligere eſt quoddam pati.* Si alia cognitione à cognitione *D* cognoſcit *C*, quæro tunc à quo ſit cauſata? ſi à *C*, ergo per *D* non cognoſcit *C*. cuius oppoſitum dicit.

10. *Reſponſio.* Dico breuiter, quòd intellectus *B* cognoſcit *C* per *D*. & cùm dicitur, quòd non cognoſcit formaliter. Dico, quòd aliquid cognoſcere formaliter poteſt intelligi, aut mediatè, aut immediatè: ſi immediatè, dico, quòd omne cognitum immediatè ab aliquo intellectu, eſt formaliter cognitum per cognitionem ſibi inexiſtentem; cognitum verò mediatè quidem, quod eſt per notitiam, quæ mediat inter obiectum, & aliam cognitionem, poteſt cognoſci per cognitionem non formaliter inexiſtentem cognoſcenti: & ſic concedo quòd intellectus *B* cognoſcit *C* mediante notitia *D*, quæ formaliter non inexiſtit intellectui *B*: ſed alteri intellectui: non poſſet tamen cognoſcere *C* mediante *D*, niſi haberet formaliter notitiam ſibi inexiſtentem de ipſo *D*. Dico ergo cognoſcit *C* per *D*, quia *D*, eſt ſimilitudo ipſius *C*, & ſic cognoſcendo *D*. ex conſequenti cognoſcit *C*.

Dubium. Tertiò dubitatur in hoc quod dicit, ſcilicet, *Si illud obiectum non poſſet vlteriùs videri, nec in ſe, nec in Verbo, vltima perfectio, quam poteſt Michaël de hoc cognito habere, eſt videre illud in intellectu Gabrielis*, &c. Nam ſi intellectus *B* cognoſcit *C* ex hoc, quòd cognoſcit *D* in intellectu *A* modo præexpoſito, videtur ſequi quòd talis cognitio, qua cognoſcit *D*, non ſit auditio, nec ſimiliter *D* ſit auditio, nec locutio. Patet, quia loquens de *C* cauſat cognitionem *C* in audiente, vt intelligens ipſum *C* vt ſuprà patet: ſed notitia, quâ *B* cognoſcit *D* non eſt cauſata ab ipſo *A*, ſed tantùm ab intellectu *B* & ab ipſo *D*: ergo non eſt auditio, nec locutio, nec ſimiliter *D* eſt auditio, quia actus, qui dicitur *auditio*, recipitur in intellectu audiente; modò *D* eſt tantum in ipſo loquente.

11. *Reſponſio.* Reſpondeo, quod nec *D*, nec cognitio quam habet *B* de *D*, dicitur propriè locutio, ſiue auditio; ſed tantũ prima cognitio, quæ eſt de obiecto, quæ immediatè cauſatur ab intellectu *A*, qui haberet notitiam obiecti reuelati; & talis notitia de obiecto reuelato, dicitur propriè auditio: nam habitâ illâ in intellectu *B*, tunc *B* conuertitur ad intellectum *A*, & pòſt ad notitiam *D*, quâ habitâ, per illam, vltimatè cognoſcit *C*, quod eſt obiectum reuelatum ipſi *A*. *Sic ergo inquantùm auditio ordinatur ad cognitionem habendam alicuius incogniti ipſa præcedit omnem viſionem, tam rei in ſe, quàm rei in intellectu alterius videntis, quàm etiam rei per ſpeciem habitualem*, quia actus, qui dicitur auditio in intellectu audientis eſt prior cognitione intuitiua obiecti in ſe, & cognitione intuitiua obiecti viſi in intellectu loquentis: & ſimiliter prior viſione abſtractiua, quæ habetur de obiecto per ſpeciem habitualem, ſiue intelligibilem; nulla enim iſtarum viſionum, vt ſuprà patet, poteſt dici auditio, quia auditio eſt cognitio expreſſa ab intellectu loquente inquantùm intelligens, vt ſuprà dixi.

Dicitur etiam auditio differre ab omni viſione, &c. Hoc patet, quia cognitio, quæ exprimitur de obiecto ab Angelo cognoſcente, vt cognoſcens eſt, videtur imperfectior cognitione illa, quæ primò habetur in intellectu Angeli loquentis. Primò enim audiens recipit cognitionem ab

Angelo

Angelo loquente de *C*, habitâ illâ conuertit ſe ad intellectum Angeli loquentis, cognoſcendo illum in ſe, & pòſt conuertit ſe ad cognoſcendum notitiam exiſtentem in Angelo loquente, quæ immediatè repræſentat obiectum, & ſic talis cognitio videtur certior prima.

Dubium. Sed tunc occurrit dubium, quia ſi prima cognitio, quæ exprimitur ab Angelo loquente de obiecto *C* dicitur auditio, certum eſt quòd per illam intellectus audientis cognoſcit *C*, cùm talis cognitio ſit ſimilitudo ipſius *C*: patet, quia notitia habita in intellectu loquente de obiecto, de quo vult loqui, eſt eiuſdem rationis cum notitia cauſata in intellectu audiente, cùm ſit ſimpliciter de eodem obiecto, & ſic ita erit ſimilitudo obiecti, ſicut illa Angeli loquentis.

Si igitur per illam primam cognitionem, quæ dicitur auditio, cognoſcit obiectum, ad quid ponitur talis conuerſio intellectus?

Reſponſio. Dico, quòd quamuis per illam fortè ita perfectè cognoſcit obiectum, ſicut per illam, quæ exiſtit in loquente, tamen audiens dicitur perfectiùs audire, quia non ſolùm cognoſcit obiectum, de quo loquens loquitur, ſed cum hoc etiam cognoſcit intellectum loquentis, & intellectionem quam habet intellectus loquentis de obiecto, de quo loquitur: & ſic hæc videtur vltima perfectio ipſius audientis, quòd habito actu, qui dicitur *auditio*, propriè etiam conuertat ſe ad loquentem, cognoſcendo illum, & cognoſcendo actum, per quem loquens cognoſcit obiectum, de quo loquitur, & ſic cognoſcendo illum actum, ex conſequenti cognoſcit obiectum, de quo loquens loquitur, licèt priùs cognouerit ipſum per actum, qui propriè dicitur auditio.

SCHOLIVM.

Angelum loqui vni & non aliis, quia ſicut poteſt elicere hanc, vel illam intellectionem, ita & in hoc, vel illo paſſo eam ponere.

24. DE ſecundo principali[h] ſcilicet quomodo poteſt loqui vni, & non alteri. Dico, quòd ſicut in poteſtate Angeli eſt quantùm ad primam intellectionem, vti hac ſpecie in memoria, vel illa ad illam intellectionem actualem iſtius, vel illius: ita ſi haberet plures intelligentias, eſſet in poteſtate eius, quòd notitia gigneretur in iſta intelligentia, vel in illa: non enim magis determinatur paſſiuum naturale ad patiendum, quàm actiuum naturale ad agendum. Sicut ergo illud actiuum, quod de ſe ſubeſt voluntati, poteſt ex ſe agere, & non agere propter eius imperium: ita poteſt illud actiuum determinari ad agendum in hoc paſſiuum & nõ in illud, & ſicut fieret determinatio ad intelligentias intrinſecas ipſi Angelo, ſi eſſent plures, ſic poteſt fieri determinatio ad intellectum hunc, vel illum extrinſecum: qui quoad hoc, ſunt paſſiua eiuſdem rationis cum illo paſſiuo intrinſeco, in quod ageret actiuum intrinſecum, per imperium voluntatis. Ex hoc ſequitur corollarium, quod tot ſunt locutiones, quot audientes: quia quantumcunque ſunt præſentes, vel vnus propinquior, alius remotior, ſicut memoria non gigneret in intelligentia Michaëlis, niſi ex imperio voluntatis ſuæ: ita non gignit in intellectu vnius, & non alterius, niſi ex determinatione ipſius loquentis. *Quomodo Angelus loquitur vni, non alij.*

Sed tunc eſt dubium, quot poteſt ſimul loqui: quia agens naturale non poteſt quotcunque effectus adæquatos ſimul habere, & ita vna gignitio non ſufficit, ad hoc vt plures audiant: quia vna gignitio eſt vnius intellectionis in vno, quam ille ſolus audit. Reſponſionem quære. *De hoc 1. d. 2. q. 1. & ſupra d. 3. q. 8.*

ADDITIO. *Poteſt dici, ſicut haberi poteſt ex Reportatis, quòd non poteſt loqui infinitis: quia agens finitum, & limitatum, non poteſt habere actionem, vel actiones infinitas: ſi autem loqueretur infinitis, cum cuilibet correſpondeat propria intellectio, cauſaret infinitas intellectiones. Si autem quæras: quot igitur Angelis poteſt loqui? Dico, quòd hoc ſolus Deus fortè nouit.*

Poſſet ex dictis probabiliter ſuſtineri, quòd tantùm vni poteſt loqui. Sed refert an de eodem, aut diuerſis loquatur, diſtantia etiam, & imperium voluntatis, & an ſuperiori an inferiori loquatur ponderentur.

COMMENTARIVS.

1. h *DE ſecundo principali.* Hîc Doctor intendit principaliter declarare, quomodò vnus Angelus poſſit loqui vni Angelo, & non alteri, quãuis ſint præſentes, & in æquali diſtantia, dicit, quòd *ſicut in poteſtate Angeli eſt quãtũ ad primã intellectionem vti hac ſpecie &c.* Vult dicere quòd ſicut Angelus habens plures ſpecies intelligibiles imperio voluntatis poteſt vti vna ad primam cognitionem alicuius obiecti, non vtendo alia. Sic etiam Angelus habens plures intelligentias præſentes, id eſt, plures intellectus Angelicos poteſt in vno gignere intellectionem alicuius obiecti non gignendo in alio; & patet, quia ſi Angelus haberet in ſe plures intelligentias intrinſecas, id eſt, plures potentias intellectiuas poſſet in vna cauſare cognitionem alicuius obiecti non

cauſan

cauſando in alia. Sic etiam quando habet plures intelligentias extrinſecas præſentes poterit in vna cauſare cognitionem vnius obiecti, non cauſando in aliam: patet, quia illæ intelligentiæ, ſiue potentiæ intellectiuæ ſunt paſſiua eiuſdem rationis, & ſic patet, quomodo intellectus Angeli actiuus, vt ſubeſt imperio voluntatis ſuæ, non eſt magis determinatus ad vnum paſſiuum, quàm ad aliud. Ex ſe enim eſt indeterminatus reſpectu omnis paſſiui eiuſdem rationis, ſed imperio voluntatis poteſt determinari ad cauſandum intellectionem in vno paſſiuo, & non in alio, & in alio, & hoc eſt quod dicit ſententialiter.

Reſponſionem quæro. Reſpondet magiſter Mauritius ſic dicens: *Poteſt dici, ſicut haberi poteſt ex Reportatis q. 3. &c.*

2. *Dubia.* In iſta litera inſurgunt aliqua dubia. Primum in hoc quod dicit, quòd voluntas Angeli, ſiue quòd in poteſtate Angeli eſt quantùm ad primam intellectionem vti hac ſpecie in memoria, vel illa, ad illam intellectionem intellectualem iſtius, vel illius, quia ſi hoc eſſet verum, tunc voluntas Angeli poſſet imperare primam intellectionem, quod eſt cótra Doctoré *in primo, diſt. 3. quæſt. 6.* Et vltrà ſequeretur, quòd voluntas poſſet imperare aliquem actum circa aliquod obiectum non præcognitum, quod eſt contra Doctorem *in primo, vbi ſuprà, & diſt. 6. & 27. eiuſdem primi.*

Reſponſio. Reſpondeo, quòd Doctor hîc non loquitur abſolutè de prima intellectione obiecti, quia voluntas ante omnem cognitionem obiecti poſſet illam imperare, ſed benè prima intellectio eſt in poteſtate voluntatis, quo ad eius continuationem, vt ſuprà dixi. Vel etiam poteſt dici, quòd ſi intellectus fiat præſens voluntati, vt cognitus habens plures ſpecies intelligibiles præſentes illi voluntati, quòd poteſt imperare intellectui, vt vna vtatur, non vtendo alia: ſed hoc non eſt ita ad mentem Doctoris, quia voluntas non poſſet imperare intellectui intelligibili, niſi illa ſit præſens voluntati, vt cognita, & ſic oportet obiectum eſſe priùs cognitum, quia ſpecies intelligibilis poſterius cognoſcitur, quàm obiectum. Sed an voluntas poſſet ſic imperare, vt intellectus vtatur ſic, vel ſic aliqua ſpecie quo ad primam intellectionem obiecti. Hæc difficultas vſque ad 42. diſt. huius differatur.

3. *Dubium ſecundum.* Secundum dubium eſt ibi, quia dicit Doctor quòd Angelus poteſt ſimul pluribus loqui, quod eſt valde difficile tam ex parte intellectus loquentis, quàm ex parte obiecti cogniti. Ex parte intellectus loquentis ſic dubitatur, quia ſi intellectus loquentis, loquendo de obiecto reuelato, ad cuius cognitionem nõ concurrit obiectum reuelatum, ſed tantùm ipſe intellectus, & tunc ſi ſimul poteſt loqui etiam Angelis, tunc ſimul poterit cauſare decem intellectiones eiuſdem rationis, & tunc aut cauſabit illas ſimul æquè perfectè, ſicut quamlibet ſeorſum, aut non æquè perfectè. Si primò, ergo ſimul poterit cauſare infinitas, vt deduxi *in primo, diſt. 2. quæſt. 1.* Si ſecundò, ergo non poterit ita perfectè loqui vni, ſicut alteri, quod videtur inconueniens. Si etiam non loquatur de obiecto non reuelato, quod partialiter concurrit ad intellectionem, adhuc inſto de intellectu, vt eſt alia cauſa partialis; ſi enim intellectus loquentis partialiter ſimul poteſt producere decem intellectiones eiuſdem rationis, æquè perfectè has ſimul decem ſicut quamlibet ſeorſum ſumptam, ex hoc videtur, quòd infinitas poſſet ſimul producere, licèt partialiter, & Angelis ſic infinitis poſſet ſimul loqui, ſi eſſent præſentes. & quòd hoc ſequatur, patet in ſimili de duobus corporibus, quæ ſi ſimul poſſent eſſe in eodem loco propter penetrationem dimenſionũ; ergo & infinita corpora ſimul poſſunt eſſe in eodem loco, vt patet per Ariſtotelem *quarto Phyſic.* Similiter ſi idem corpus ſimul poſſet eſſe in duobus locis quantùm eſt ex ſe poſſet eſſe & in infinitis locis; vt concedit Doctor *in quarto, diſt. 10. q. 2.* Tum etiam, quia ſi Angelus poſſet cauſare plures intellectiones adæquatas in pluribus Angelis, eadem ratione plures poterit cauſare in intellectu ſuo adæquatas, maximè ſi ille plures ſint diuerſarum rationum. Patet conſequentia, quia intellectus loquens non poteſt cauſare cognitionem alicuius obiecti in intellectu alterius, niſi priùs cauſet cognitionem eiuſdem in ſe, vt *ſuprà* patet: ergo ſi poteſt cauſare plures intellectiones diuerſarum rationum in pluribus Angelis, à fortiori poterit cauſare intellectu ſuo, & ſic poterit ſimul habere diſtinctas cognitiones adæquatas, quod videtur inconueniens, vt etiam contra Doctorem, ſcilicet quòd intellectus creatus æquè perfectè intelligat plura ſicut quodlibet ſeorſum. *Tex. 76.*

4. *Adæquatio duplex.* Præterea quæro quid Doctor intelligat, quando dicit quòd poteſt ſimul cauſare diſtinctas cognitiones adæquatas in diſtinctis Angelis? Aut intelligit de adæquatione intenſiua, aut extenſiua. Non ſecundo modo, vt patet in litera ſua: non etiam primo modo, quia cùm intellectus, & obiectum præſens ſit cauſa naturalis, & agat ſecundùm vltimum virtutis ſuæ, & producat effectum perfectiorem, quem poteſt producere, vt patet *in primo, diſtinct. 3. quæſt. 2.* tunc quando cauſat vnam intellectionem in vno Angelo, cauſat ſecundùm totam virtutem ſuam: ergo producit illam perfectam quantum poteſt; ergo ſi ſimul poteſt producere aliam æqualis perfectionis, oportet quòd ſit ſecundùm maiorem virtutem, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct. 2. quæſt. 1. & in iſto ſecundo, diſt. 3. quæſt. 10.* Si verò cauſat aliam intellectionem ſecundùm maiorem virtutem, ſequuntur duo inconuenientia. Primum, quòd non cauſabit primam ſecundùm totam virtutem ſuam. Secundum, quòd ſecunda intellectio erit perfectior prima, quia maiori virtute producta, & ſic iſtæ intellectiones non erunt adæquatæ, cùm vna ſit perfectior alia. Similiter cum ad huiuſmodi intellectiones, ſi ſint abſtractiuæ, concurrat ſpecies intelligibilis obiecti, de quo loquitur, & illa ſpecies intelligibilis eſt cauſa partialis intellectionis, & tu dicis, quòd ipſe intellectus cum ſpecie intelligibili producit intellectionem obiecti, de quo loquitur in intellectu alterius Angeli, vt *ſuprà* patet. *Duo inconuenientia.*

Et tunc quæro, an ſpecies intelligibilis agat ad intellectionem primam reſpectu Angeli, & ſecundùm totam virtutem ſuam, quod verum eſt remoto omni impedimento; ergo producit intellectionem perfectam quantum poteſt; etſi ſimul poteſt producere aliam æquè perfectam, tunc augmentabitur virtus illius, quod videtur inconueniens. Si tu dicis, quòd reſpectu vnius intellectionis ſimul concurrit cum intellectu loquentis ſecundùm totam virtutem ſuam, ſed quando Angelus loquens loquitur alteri

alteri Angelo,ipſe ſolus cauſat cognitionem obiecti,de quo loquitur. Sed hoc eſt falſum,quia vt aliàs expoſui *ſcilicet in primo, diſt.3.q.1.& in iſto ſecundo,diſt.3. quæſt.* 10. nihil poteſt cauſare cognitionem alicuius obiecti, niſi contineat illud ſecundùm totam ſuam entitatem virtualiter, vel eminenter.

Prætereà: Iſta memoria in Angelo loquente, quæ eſt perfecta, & non impedita, quæ agit ſecundùm totam ſuam virtutem; ſi ſimul poteſt producere duas intellectiones æquè perfectas in duobus Angelis, tunc duæ intellectiones erunt vna. Patet per Doctorem in primo,per argumentum,diſt.8.quæſt.vlt.vbi dicit; *ſi Deus ageret de neceſſitate ad extrà,cùm ſit virtutis infinitæ,ſimul produceret infinitos effectus.* Et addit dicens: *Imò infiniti effectus eſſent tantùm vnus effectus infinitus.*Sic arguo in ſimili.

6. *Tertia difficultas.* Tertia difficultas eſt in hoc,quod dicit, quod vnus Angelus poteſt ſimul loqui pluribus Angelis.

Quæritur modò,an plures Angeli, qui ſint eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, poſſint ſimul loqui vni Angelo,& hoc de eodem obiecto, vel de diuerſis,ita quòd vnus loquatur de eodem obiecto, & alius de alio, & non de eodem obiecto, quia tunc Angelus audiens ſimul poſſet recipere plures intellectiones eiuſdem obiecti, quod videtur inconueniens, & contra Doctorem *ſuprà*, qui probat, quòd Angelus loquens poteſt cauſare actum tantùm in Angelo audiente, niſi Angelus audiens præhabeat cognitionem illius obiecti. Non de diuerſis obiectis,quia pono caſum;quòd ſint decem Angeli eiuſdem ſpeciei, & loquantur de decem obiectis ſolùm numero diſtinctis,tunc cauſabunt ſimul decem intellectiones æquè perfectas in eodem intellectu audiente, quod videtur inconueniens. Tum, quia ſi poteſt ſimul habere decem, ſequitur quod decem intellectionibus cognoſcat idem obiectum, quod videtur inconueniens. Tum etiam, quia ſi ſimul poteſt recipere decem eiuſdem rationis, ſequitur quòd etiam infinitas.

Reſpondeo ad illa dubia. Et pro maiori intelligentia ſuppono aliqua.

7. *Reſpõſio:duplex eſt repugnantia.* Primò,quòd duplex eſt repugnantia.Quædam ſimpliciter,& tale repugnans per nullam potentiam eſt poſſibile. Secunda eſt tantùm reſpectu agentis naturalis,& reſpectu talis agentis, quod eſt ſic repugnans fieri, eſt impoſſibile fieri.

Secundò ſuppono,quòd virtus,quæ poteſt producere plures effectus ſimul eiuſdem rationis, quorum vnus natus eſt eſſe pars alterius,vt patet in intenſione formarum,poteſt producere vnum effectum intenſum tantæ perfectionis, quantæ ſunt ibi plures,dummodò paſſum ſit receptiuum, & vnus non repugnet alteri. Quod dico, quia quamuis Deus in diſtinctis paſſis in infinitum poſſit producere infinitas albedines, non tamen ſequitur, quòd poſſit producere vnum individuum album intenſiuè infinitum, quia aliquis gradus intenſionis repugnat albedini ſic intenſæ, vt patebit in tertio, *diſtinct.* 13. Vbi ergo vnus effectus non repugnat alteri, intendendo illum, ſimul poterit producere effectum intenſum ex omnibus illis, & ſic ſi vnus Angelus reſpectu eiuſdem obiecti poteſt ſimul producere mille intellectiones,quarum quælibet circa perfectionem ſit, vt quatuor, & æquè perfectè poſſit producere mille ſicut vnam, ſequitur quòd poterit producere vnam intellectionem perfectionis includentis perfectionem mille albedinum.

Tertiò ſuppono, quòd ſi aliqua virtus requirat, quòd ſit tantæ perfectionis ad hoc vt poſſit producere vnum effectum,de neceſſitate requirit maiorem perfectionem ad hoc vt poſſit producere alium effectum eiuſdem rationis æquè perfectè. Hoc patet, quia ſi virtus vt quatuor,reſpectu ponderis vt quatuor, ad hoc vt talis virtus poſſit ſimul portare aliud pondus vt quatuor, eiuſdem rationis, requirit maiorem perfectionem, & maiorem virtutem, ſic ergo in propoſito; & ſic ſequitur quòd ſi aliqua cauſa ſimul poteſt producere duos effectus eiuſdem rationis æquè perfectè, ſicut quemlibet ſeorſum, erit de neceſſitate maioris perfectionis. 8.

Et ex hoc concludo, quòd nulla virtus creata æquè perfectè poteſt producere duos effectus eiuſdem rationis ſimul, ſicut quemlibet ſeorſum, quin de neceſſitate ſit maioris virtutis, imò ſic dico, quòd nulla eſt cauſa creata, quantumcunque perfecta, quæ ſimul poſſit producere duos effectus eiuſdem rationis, ſicut quemlibet ſeorſum: & ſic nullus intellectus creatus ſimul poteſt producere duas intellectiones eiuſdem obiecti æquè perfectè ſimul, ſicut quamlibet ſeorſum.

9. *Nulla virtus creata poteſt producere duos effectus æquè intẽſos, & æquè perfectè ſicut quemlibet ſeorſum.* Dico ergo ad mentem Doctoris quòd non eſt virtus creata, quæ ſimul poſſit producere duos effectus æquè intenſos, & æquè perfectè, ſicut quemlibet ſeorſum: quod patet, quia quando producit vnum, ſi eſt virtus naturalis, producit illum ſecundùm totam virtutem ſuam; ergo ſi ſimul producit alium æquè intenſum, requiritur virtus dupla, aliter primus non fuiſſet productus ſecundùm totam virtutem ſuam, & hoc eſt quod dicit Doctor *in primo, diſtinct.* 8. *quæſt. vlt.* quòd ſi virtus formaliter infinita ageret de neceſſitate naturæ, tunc produceret vnum effectum, qui eſſet formaliter infinitus. Et quando dicit hîc in litera, quòd poteſt ſimul loqui pluribus Angelis, ita quòd ſimul poteſt habere plures effectus adæquatos, puta ſimul cauſando plures intellectiones adæquatas eiuſdem obiecti; ſic debet intelligi, quòd ſint adæquatæ intenſiuè, ita quòd intenſiores non poteſt producere; & extenſiuè, ita tot quòd non plures. Et cùm dicitur: Si producit primum ſecundùm totam virtutem ſuam: ergo non poteſt producere ſecundum æquè perfectum. Dico, quòd ſi paſſa, puta decem Angeli ſint æquè diſpoſita ſimul, ſicut quodlibet ſeorſum reſpectu Angeli loquentis, talis caſus poſitus vel erit impoſſibilis,quod magis credo, & ſi non ſunt æquè diſpoſita, ſed vnum paſſum ſit magis diſpoſitum alio, tunc in magis diſpoſito cauſabit perfectiorem intellectionem,& in minùs diſpoſito imperfectiorem. Si dicatur, quòd ſaltem vnus illorum erit diſpoſitus ad recipiendum cognitionem intenſiuam,ſicut Angelus loquens poteſt cauſare, & alius non ſit ita diſpoſitus, & ſic de aliis: ergo ſimul poterit producere vnam intellectionem perfectiſſimam in Angelo perfectiſſimè diſpoſito,quia ſecundùm totam virtutem ſuam,& aliam in Angelo minùs diſpoſito,& ſic requiritur maior virtus in Angelo loquente, quod patet, Si enim aliqua virtus ſit adæquata ad portandum onus centum librarum,ſimul non poterit portare aliud onus duarum librarum, aliter non portaret pon-

dus

dus centum librarum ſecundùm totam virtutem ſuam.

10. Dico,quòd hic caſus eſt impoſſibilis,vel ſi eſt poſſibilis. Dico, quòd tantùm producit intellectionem intenſiſſimè in Angelo diſpoſito perfectè, & in Angelo minùs diſpoſito nullam ſimul producit: vel ſi caſus primus, puta quòd decē Angeli ſint ſimul æquè diſpoſiti, ſicut quilibet ſeorſum ſit poſſibilis. Dico, quòd tantùm vnam intellectionem intenſiſſimè producet,quæ tantùm in vno illorum recipietur, vel nullā producet,& ſi tantùm producet vnam,ſtante æquali diſpoſitione omnium, non eſt maior ratio, quòd in vno recipiatur,quàm in alio. Dico,quòd quānis non ſit maior ratio in vno, quàm in alio, tamen ſi aliquam intellectionem producet,tantùm in vno illorum vnam producet, & quis ſit ille Deus nouit. Si dicatur,quòd virtus creata quantò nobilior, tantò ſimul poteſt producere plura. Dico, quòd virtus creata nobilior non eſt ad impoſſibile, ſed tantùm ad poſſibile. Si ergo virtus maior comparetur ad minorem reſpectu effectus eiuſdem rationis, dico quòd maior intenſiorem effectum producet,quàm minor.Si comparatur ad effectus diuerſarum rationum, dico, quòd maior ad plura poteſt ſe extendere, quàm virtus inferior,vt patet de Sole,& de igne.

Opinio Doctoris. Quando igitur Doctor dicit, quòd poteſt ſimul habere plures effectus adæquatos, debet ſic intelligi, quòd ſi producat tantùm decem effectus extenſiuè, & non plures,ſimul illi effectus, vel erunt æquales in ſe, poſito quòd decem Angeli ſint diſpoſiti tantùm vt duo, ita quòd quilibet ſit æquè diſpoſitus vt duo, non loquendo de vltima diſpoſitione,& perfectiſſima, tunc dico quòd ſimul cauſabit decem intellectiones æquè perfectas.

Si dicatur,producit primam ſecundùm totam virtutem ſuam.

Dico,quòd tantum producit, quantum paſſum natum eſt recipere.

Et ſi dicatur,quòd talis virtus agit ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ.

Dico, quod reſpectu vnius intellectionis non agit ſecundùm totam virtutem ſuam,imò virtus illa, vt ſimul eſt ad plures effectus, ſic eſt ſecundùm totam virtutem ſuam ad illos, quòd ſecundùm totam virtutem ſuam vnum illorum non producet; ſi verò non ſunt æquales in perfectione, ſed vna intellectio perfectior,& alia minùs perfecta, ſic debet intelligi,quòd ſimul producit illos effectus ſibi adæquatos, quòd perfectiores non poſſet producere, ita quòd iſta adæquatio reſpicit potentiam producentem, & non perfectionem æqualem effectuum.

11. *Reſpõſio prima dubitationis.* Et ex his paret reſponſio ad primam dubitationem,quia ſi poſſet producere duas intellectiones eiuſdem rationis ſecundùm totam virtutem ſuam, ita perfectè ſimul ſicut quamlibet ſeorſum, non repugnaret producere infinitas; quod patet ex iſto, quia ad productionem duarum perfectionum requiritur maior perfectio, ita quòd illa perfectio maior ſit vt octo, & poſſit producere duas æquè perfectè ſicut quamlibet ſeorſum ſumptam, & vnam producit ſecundùm totam virtutem ſuam, & ita perfectè ſicut duas, hoc idem poteſt ſequi de tertia, & ſic vſque in infinitum, vt patet intuenti. Sed quia Doctor dicit quòd poteſt habere plures effectus adæquatos modo præexpoſito, ergo & infinitos, ita quòd vnus ſit perfectior, & alius imperfectior, vel ſint æquales imperfectione, & ſic ſtaret argumentum de duobus corporibus. Et hoc probatur, quia ſi conceditur, quòd habens in virtute ſua infinitas ſpecies, poteſt illas ſimul producere, & hoc quantum eſt ex parte habentis talem virtutem, vt clarè patet à Doctore *in primo, diſt. 2. quæſt. 1. par. 1.*Et licèt ſit ſimpliciter repugnantia, & manifeſta incompoſſibilitas ex parte ſpecierum, vt ſcilicet ſimul poſſint eſſe infinitæ, ſpecies actu, vt ſubtiliter probatur à Doctore in ſecundo Metaphyſicæ ſuæ, in quæſtionibus de Infinito, non tamen eſſet talis repugnantia ex parte continentis virtualiter infinitas ſpecies, vt patet de duobus contrariis, quæ licèt ad inuicem repugnent, poſſe eſſe ſimul in eodem ſubiecto, tamen non eſt repugnantia ex parte Dei. Sic dico in propoſito de continente virtualiter plures effectus eiuſdem rationis. Dico, quòd licèt poſſit habere ſimul plures adæquatos virtuti ſuæ, non tamen infinitos, vt patet in exemplo: nam ſi ſit aliqua virtus vt centum, potens ferre centum pondera, illa virtus ſi numeraliter poteſt ferre centum pondera, quòd non plura ſimul, ita quòd tanta virtus correſpondet tanto ponderi, & maior maiori, &c. Et ſic dico, quod nulla virtus naturalis eſt, quæ poſſit facere duo corpora eſſe ſimul in eodem loco. Sed ſola virtus diuina,quæ ſicut poteſt facere duo corpora eſſe ſimul in eodem loco, ita & infinita, & ſicut poteſt facere idem corpus eſſe in pluribus locis, ita & in infinitis, vt patet à Doctore *in quarto, diſt. 10. quæſt. 3.*

Duo contraria poſſunt eſſe ſimul ex parte Dei.

12. Si dicatur,quòd licèt virtus creata non poſſit ſimul producere plures effectus diuerſarum perfectionum, ſiue infinitos,ſaltem poteſt producere effectus eiuſdem rationis infinitos, & hoc ſimul,& hoc eſt quod dicit Franciſcus de Mayr.*in primo,diſt. 2.* quòd argumentum Scoti non concludit de effectibus eiuſdem rationis,quia virtus creata, puta homo, vel ignis, licèt adhuc ſimul non producat infinitos effectus eiuſdem rationis,tamen potèſt producere quantùm eſt ex parte ſua; & tamen talis cauſa non eſt formaliter infinita, quia vnus effectus eiuſdem rationis ad ſui productionem non requirit minorem virtutem in cauſa producente, quàm alius, effectus verò alterius rationis requirit maiorem perfectionem in cauſa, quàm alius alterius rationis, patet, quia vna ſpecies eſt perfectior alia, & ſic quodlibet indiuiduum vnius ſpeciei eſt eſſentia perfectior quolibet indiuiduo alterius ſpeciei perfectioris, ſi igitur aliqua cauſa haberet in virtute ſua poſſe producere infinitas ſpecies, illa eſſet formaliter infinita.

Dico,quòd cauſa quæ poteſt producere infinitas ſpecies,dicitur formaliter infinita duplici ratione:quia ex quo habet in virtute ſua poſſe producere infinitas, etiam ſucceſſiuè, erit formaliter infinita: patet, quia ſi *A* requirit perfectionem, vt vnum ad producendum vnam ſpeciem, maiorem perfectionem requirit ad producendum aliam, igitur cùm ſpecies ſint ſecut numeri, 8. *Metaph.* ſequitur quòd habens in virtute ſua poſſe ſucceſſiuè producere infinitas ſpecies, ſequitur quòd illud ſit formaliter infinitum. Eſſet etiam infinitum ex hoc, ſi ſimul poſſet producere infinitas,quia (vt ſuprà dixi) poſſe producere infinitos effectus equè perfectos,ita perfectè ſimul

S. Metaphyſ. contex. 10.

ſimul ſicut quemlibet ſeorſum,eſt maioris perfectionis , à fortiori ſi ſimul poteſt producere effectus diuerſarum ſpecierum æquè perfectè ſimul ſicut quemlibet ſeorſum. Dico igitur,quòd cauſa quæ ſimul poteſt producere infinitos effectus eiuſdem ſpeciei æquè perfectè , ſicut quemlibet ſeorſum eſt formaliter infinita , quia licèt vnus effectus ſeorſum ſumptus non requirat maiorem perfectionem in cauſa,quàm alius eiuſdem rationis,tamen ſimul ſumpti requirunt maiorem perfectionem, cùm non poſsint æquè perfectè produci, ſicut quilibet ſeorſum, niſi maior perfectio requiratur in cauſa , & ſi infiniti poſſent ſimul produci,infinita perfectio arguitur in cauſa.

13. *Quomodo Sol concurrat vt cauſa cũ cauſis ſecundis.*

Si dicatur:Nonne Sol concurrit, vt cauſa cum cauſis ſecundis in iſtis inferioribus ? Dico quòd ſic.Nonne in eodem inſtanti plures cauſæ ſecundæ producunt plures effectus eiuſdem rationis, ſiue ſpeciei ? Dico quòd ſic:Igitur Sol concurrit ad omnes iſtos effectus eiuſdem ſpeciei.Admittitur. Sed dico,quòd non concurrit æquè perfectè ad duos,& ſecundùm totam virtutem ſuam,ſicut ad quemlibet ſeorſum ſumptum;& ſicut dico de effectibus eiuſdem rationis,ita dico de effectibus diuerſarum rationum.

Si dicatur :Videtur quòd ſi intellectus noſter non poſsit habere duas intellectiones æquè perfectas modo præexpoſito, igitur tunc intellectus Beati perfectè intelligit eſſentiam , & ſemper, quod nunquam poſſet perfectè intelligere alium Angelum,quantùm eſt intelligibilis.

Dico, quòd poſito quòd vnus Angelus intenſiſſimè cognoſceret eſſentiam diuinam , ita quòd toto conatu , & tota virtute ſua , vt cauſa tamen partialis cauſaret huiuſmodi cognitionem , tunc non æquè perfectè, & æquè intensè cognoſceret alium Angelum , cauſando cognitionem illius. Licèt tamen perfectè cognoſceret illum, quantũ eſt cognoſcibilis,ita quòd talis cognitio attingeret totam eſſentiam Angeli , non tamen illa cognitio eſſet elicita ſecundùm totam virtutem , & totum conatum , ita quòd ipſa cognitio ſit æquè perfectè elicita ab Angelo ſimul cum cognitione eſſentiæ diuinæ, ſicut elici poſſet , vt ſeorſum ſumpta,& ſine cognitione eſſentiæ diuinæ.

Secundò dico,quòd talis cognitio eſſentiæ diuinæ eliciatur intenſiſſimè,hoc tamen eſſet principaliter à voluntate diuina,& non à conatu Angeli. Patet , quia quilibet intellectus Beati , loquendo de intellectu eiuſdem ſpeciei , toto ſuo conatu videt eſſentiam diuinam , tamen viſio vnius eſt perfectior,& intenſior , quàm viſio alterius, & hoc erit ratione voluntatis diuinæ efficaciùs concurrentis cum intellectu vnius , quàm cum intellectu alterius.

14. *Dubium.*

Sed eſt difficultas,loquendo tantùm de conatu Angeli,an ſcilicet toto conatu ſuo æquè perfectè poſſit intelligere Deum , & alium Angelum ſimul , ſicut quemlibet ſeorſum. Dico quòd non, quod patet per ſuperiùs dicta.

Si dicatur,ſi intelligendo Deum ſecundùm totum ſuum conatum , ſiue ſecundùm totam ſuam virtutem , an poſſit cauſare intellectionem alterius Angeli,licèt non ſecundùm totum ſuum conatum. Videtur quòd non, quia ſi ſecundùm totam ſuam virtutem cauſat intellectionem Dei, partialiter tamen.Si cauſat partialiter intellectionem alterius Angeli , tunc videtur quòd ſecundùm maiorem virtutem. Dico quòd ſic , & non ſequitur inconueniens, ſicut in præcedenti , quia perfectio viſionis diuinæ erit principaliter à voluntate diuina,& ſic non ſequitur,quòd requiratur maior virtus.

Reſponſio ad primam difficultatem.

Ex his ergo patet reſponſio ad primam difficultatem,& concedo primò,quòd non poſſet cauſare duas intellectiones ſic adæquatas , ita quòd non æquè perfectè ſimul,ſicut quamlibet ſeorsũ.

Deinde concedo , quòd quando cauſat vnam intellectionem ſimul cum alia , non cauſat illam ſecundùm totam ſuam virtutem abſolutè , quia tunc fortè non poſſet cauſare aliam,& idem dico de ſpecie intelligibili, ſiue de obiecto , ſicut dixi de intellectu:ſequentia ex his clara ſunt.

15. *Reſponſio ad ſecundã difficultatem.*

Ad ſecundam difficultatem , an plures Angeli poſſent ſimul loqui vni Angelo,cauſando cognitionem,puta lapidis ? Dico vt ſuprà, quòd ſi Angelus audiens eſſet æquè proportionatus,& æquè diſpoſitus reſpectu decem Angelorum loquentium, ſic ſimul reſpectu omnium , ſicut reſpectu cuiuſlibet ſeorſum ſumpti. Dico , quòd vel nullam intellectionem cauſabunt,vel ſi aliquam,erit tantùm ab vno Angelo, quem Deus nouit , cauſare autem plures poſſe non videtur,quia tunc intellectus audiens , ſimul haberet plures intellectiones eiuſdem obiecti, quod non eſt dicẽdum; & etiam hoc Doctor negat ſuprà , quòd quando Angelus loquens loquitur alteri Angelo habenti cognitionem obiecti , de quo loquitur,tunc non cauſat cognitionem , ſed tantùm ſpeciem intelligibilem,ſi non præhabeat. Si verò decem Angeli loquentes loquuntur vni Angelo de decem obiectis diuerſis,an ſimul poſſint cauſare cognitionem illorum?Dico quod ſic;ergo Angelus audiens ſimul intelligit decem obiecta. Dico quòd non habeo hoc pro inconuenienti ; non tamen intelliget quælibet ſimul ſumpta, ſicut quodlibet ſeorſum poſſet intelligere, & hoc,quia licèt decẽ Angeli cum decem ſpeciebus intelligibilibus, ſic ſe haberent,quòd vnuſquiſque poſſet cauſare cognitionem ſui obiecti perfectiſſimè , tamen non poſſet illam cauſare,niſi in ſubiecto apto nato recipere;ſed Angelus audiens non poteſt ſic diſponi, vt ſimul recipiat decem intellectiones decem obiectorum æquè perfectas ſimul , ſicut quamlibet ſeorſum ſumptam,& ſic patet difficultas.

16. *Gregorius Ariminenſis inſtat contra Doctorem.*

Contra aliqua dicta Doctoris inſtat Gregorius de Arimino *in 2. diſt. 9. q. 2.* Et primò inſtat contra illud quod dicit Doctor ſcilicet quòd vnus Angelus poteſt videre intuitiuè *A* , in intellectu alterius Angeli cognoſcentis *A* , ſed vt clariùs intelligatur contra quid arguit Gregorius, ſub breuitate ipſe Gregorius recitat opinionem Doctoris quam,(vt clariùs intelligantur rationes ſuæ)recito , & incipit ibi : Alius modus dicendi eſt,quòd vnus Angelus loquitur alteri, cauſando in eo intellectionem eiuſdem obiecti , quod ipſe intelligit. Vbi aduertendum , quòd, ſecundùm iſtum,Verbum præter viſionem,qua Angelus videt in Verbo aliquod obiectum , adhuc poteſt quadrupliciter cognoſcere illud, verbi gratia, *A* quatuor modis aliis poteſt videre intuitiuè ſcilicet in ſeipſo *A*,& iterùm intuitiuè,vt in intellectu alterius Angeli cognoſcentis , & abſtractiuè per ſpeciem habitualiter concreatam, vel acquiſitam , & nulla iſtarum intellectionum eſt auditio, quia nulla eſt per ſe expreſſa ab intelligente, inquantùm intelligẽs eſt,imò accidit ei,quòd obiectum ſit intelligens,æquè enim moueret ſi non eſſet intelligens, & in omnibus iſtis ſi aliquis intellectus cauſet, eſt intellectus ipſius intelligentis

tis non alterius,& ipſum obiectum concurrit ibi cum intellectu,vt cauſa partialis.

Quarto modo poteſt iſte cognoſcere *A*, ita quòd intellectio fiat in eo per intellectum alium exprimentem, & intellectus iſtius nullam cauſalitatem habeat reſpectu actus, ſed tantùm erit paſſiuus, & illa ſola cognitio eſt auditio, & eſt expreſſa ab intelligente, inquantum eſt intelligens, ita quòd ſolummodo intellectus loquentis, vel quæ ſunt in ipſo,vt in ipſo, vel præſentia ſibi, vt ſibi ſunt actiua reſpectu auditionis, & hoc non vt proximi effectus; nam iſta præſentia loquenti priùs cauſant intellectionem actualem in loquente, quàm cauſent iſtam auditionem in loquente, ipſa tamen intellectio loquentis non eſt in loquente ratio agendi inquantùm loquitur,ſed aliquid pertinet ad memoriam loquentis. Quòd autem Angelus poſſit cauſare intellectionem ipſius *A*,in alio Angelo, probatur, quia quod eſt ſufficienter in actu primo reſpectu alicuius effectus, poteſt illum cauſare in quocunque receptiuo illius effectus, ſed Angelus habens notitiam actualem alicuius obiecti,verbi gratia *A*,eſt ſufficienter in actu primo ad cauſandum intellectionem actualem ipſius *A*: igitur poteſt illam cauſare in quocunque receptiuo illius; ſed intellectus alterius Angeli eſt receptiuus eius,cùm ſit eiuſdem rationis cum illo intellectu, igitur, &c. Probatio maioris,quia prima extrema proportionis actiui,& paſſiui ſunt vniuerſaliſſima, abſtracta à quocunque actiuo,& paſſiuo,quia iſta proportio ineſt particularibus per rationem communem,& ideò extremis. Minor probatur, quia Angelus habens in ſe actum primum cognoſcendi *A*, & ſpeciem, & quæcunque ponuntur neceſſaria ad cognitionem, per id quod habet poteſt facere intellectum ſuum in actu ſecundo, cauſando in ſe intellectionem *A*, ſicut effectum.

17. Contra hæc,quia continent aliqua falſa. Primum eſt,quòd vnus Angelus poteſt videre intuitiuè *A*,in intellectu alterius Angeli cognoſcentis *A*:ſi enim hoc eſſet verum,hoc eſſet,quia videndo cognitionem alterius Angeli cognoſcentis *A*,per illam intuitiuam videret *A*:patet,quia non poteſt videre *A*, in intellectu alterius Angeli, niſi vel videndo per ſpeciem, quam alter Angelus habet de *A*:vel videndo formaliter per cognitionem eandem, qua alter Angelus videt *A*;vel videndo ipſam cognitionem, qua alter videt *A*, & per illam ſic viſam videndo *A*. Primum non poteſt dici, quia cognitio per ſpeciem ſecundùm eum eſt abſtractiua; nec minùs ea, quæ eſſet per ſpeciem exiſtentem in alio intellectu, quàm quæ eſt per exiſtentem in ſuo. Nec ſecundum dici poteſt, quia non eſt poſſibile naturaliter, quòd duo eadem cognitione numero formaliter intelligant, ſicut impoſſibile eſt naturaliter, quòd vna cognitio numero ſimul informet duos intellectus; relinquitur ergo tertium, & ſic patet conſequentia. Sed quòd conſequens ſit falſum probo. Tum, quia ſequitur quòd Angelus videns viſionem ſuam,qua videt Deum intuitiuè, videret etiam illa viſione reflexa Deum intuitiuè, & per conſequens illa viſio de creatura, ſiue habens creaturam pro obiecto,eſſet beatifica. Tum, quia tunc duæ viſiones beatificæ eſſent in eo. Tum tertiò, quia ſecundùm dicta ſua Angelus poſſet cauſare in diabolo viſionem prædictæ ſuæ viſionis primæ, cùm ſit ſufficienter in actu primo ad cauſandum in ſeipſo viſionem prædictæ viſionis. Tum etiam,ipſamet viſio Dei ſimul cum intellectu videntis in dicto intellectu cauſaret viſionem ſui reflexam,igitur illud poterit cum intellectu diaboli in ipſo intellectu diaboli. Et vtraque conſequentia patet per rationem ſuam,eo autem poſito,diabolus videbit Deũ intuitiuè,& hæc omnia ſunt falſa:igitur,&c.

Præterea probatum fuit *in primo, diſt.* 3. quòd nulla notitia habita de re per aliquod medium cognitum eſt intuitiua.

Secundò contra illud, quod ponit Angelum ſic in alio poſſe cauſare notitiam, quia ſequitur ſecundùm hoc, quòd etiam in ſeipſo cauſare poterit talem cognitionem de *A*,cùm eius intellectus ſit per eum eiuſdem rationis cum intellectu alterius,in qua poteſt auditionem de *A* cauſare, & ſic ſimul, & ſemel haberet duas notitias de *A*; vnam,quæ non eſt auditio, per quam ipſe intelligit *A*, quando cauſat auditionem in alio, quæ ſecundùm eum ibidem eſt effectus prior,ſine quo auditio cauſari non poteſt; & aliam, quæ eſt auditio. Sed hoc eſt contra eum. Primò, quia ſecundùm ipſum,intellectus audientis ſe habet merè paſſiuè reſpectu auditionis;igitur iſte ſe haberet merè paſſiuè ad illam: & cum auditio ſecundùm eum efficiatur à loquente, non ſe haberet merè paſſiuè ad ipſam, quod contradicit iam dicto. Tum quia, vt patet in quarta ratione ipſius recitata in præſenti quæſt. contra aliam opinionem,impoſſibile eſt ſecundùm eum,in intellectu eſſe duos actus perfectos ſimul,ſed ponatur quòd illa auditio ſit tam perfecta quantum poſſet in alio cauſare, quod oportet dicere eſſe poſſibile per rationem ſuam,ſequitur propoſitum. 18.

Tertiò ſequitur, quòd aliquis poterit habere diſtinctam notitiã in particulari, & determinatè de aliquo non exiſtente,eſto quòd nullam habeat propriam ſpeciem illius, aut nunquam nouerit illum intuitiuè,quòd non videtur poſſibile.

Præterea:Qualis notitia eſſet illa?non abſtractiua,quia talis eſt mediante ſpecie,etiam ſecundùm eum;non intuitiua, quia illa non eſt exiſtentis. Conſequentia probatur, ponatur enim quòd aliquod ſingulare præteritum quidam Angelus non nouerit,quod tamen alius nouit,& habet ſpeciem eius,& poteſt determinatè,& diſtinctè recordari de ipſo, iſte qui ſic poteſt recordari,& eſt ſufficienter in actu primo ad faciendum ſe in actu ſecundo recordarionis, poterit in illo alio cauſare, etiam ſimilem recordationem ſecundùm dicta iſta,& ſic etiam aliquis recordabitur eius,quod nunquam nouit, quod videtur repugnantiam includere.

Præterea: Si vnus Angelus haberet ſcientiam vnius concluſionis, & non poteſt cognoſci, niſi per alias cognitiones priores, ſicut poſſibile eſt, vt in vna quæſtione ſuprà oſtenſum eſt, & eſſet ſufficienter in actu primo reſpectu actualis conſiderationis,& ſcientiæ prædictæ concluſionis,poterit huiuſmodi notitiam cauſare in alio, qui nunquam cõcluſiones priores nouit, poſito quòd ita fuerit,ſicut ita poſſibile eſt,vt poteſt patere ex dictis in eadem quæſtione, & ſic aliquis cognoſceret ſcientificè aliquam concluſionem, qui tamen non cognoſceret nec actu, nec habitu principia illius,quod etiam non eſt poſſibile. 19.

Præterea ſecundùm iſtam viam videtur, quòd vna creatura poſſit habere primam infuſionem ab alia creatura,& naturaliter, quod non libenter ego concederem.

Tertiò

Tertiò contra modum dicendi in ſe, nam per iſtum modum locutionis, ſi in cœtu multorum Angelorum vnus vni ſpecialiter loqueretur, neſcire poſſet audiens quis eſſet qui loqueretur, ſuppoſito quòd illa locutio eſſet de re aliis actualiter nota. Iſtud declaratur ſecundùm dicta iſtorum. Volunt enim quòd in poteſtate, & ſponte Angeli actualiter aliquid cognoſcentis, ſi cauſaret cognitionem illius obiecti in alio, vnde poteſt ita loqui vni, quòd non alteri, & loqui, & non loqui, ſicut placet ſibi; igitur Angelus recipiens in ſe auditionem videns alios Angelos, & notitias, & ſpecies, & alia per quæ ſunt in actu primò reſpectu auditionis, ſi aliqua alia ſunt, quorum quilibet poteſt eiuſdem auditionem cauſare, non poteſt determinatè ſcire quis illam cauſauerit, ac per hoc nec quis ſibi locutus ſit.

20. Prætereà: Iſta via dat modum, qua vnus Angelus poſſit loqui Angelo alterius ſpeciei, ac etiã animæ humanæ ſeparatæ. Conſtat autem, quòd Angeli loquuntur Angelis alterius ſpeciei, & dæmonibus, & animabus. Ratio in oppoſitum non eſt efficax, nam maior ſic abſolutè ſumpta eſt falſa, & multas habet inſtantias, ſicut ex dictis poteſt videri; & præterea in nobis habet inſtantias, nam vnus homo eſt ſufficienter in actu primo ad cauſandum in ſuo intellectu intellectionem ſecundùm aliquem habitum, quem habet, nec tamen poteſt ſimilem cauſare in intellectu alterius hominis.

Item, poteſt in voluntate ſua cauſare volitionem, & non in voluntate alterius, quod etiam de Angelis verum eſt, ita poteſt inſtari de aliis interioribus hominis potentiis: oporteret igitur quòd intelligeretur maior illa de illis receptiuis, quæ ſic ſe habent, quòd ſunt eiuſdem rationis, & eodem modo comparantur, ſeu ſe habent ad illud, quod eſt in actu primo reſpectu illius effectus, & ſecundùm illum intellectum, minor patenter erit falſa, nam ad Angelum habentem notitiam actualem, & ſpeciem alicuius obiecti, non eodem modo ſe habet intellectus alterius Angeli, ſicut intellectus proprius; paret, nec eodem modo ſe habet ad notitiam, & ſpeciem huius, nam hic informatur per iſtas, ille non.

Omnes Angeli non ſunt eiuſdem ſpeciei.

21. Prætereà ſicut tactum eſt, non omnes Angeli ſunt eiuſdem ſpeciei, & ideò minor, cùm debeat eſſe vniuerſalis, etiam eſſet defectuoſa.

Dico igitur, quòd cùm Angelus non videat cogitationes alterius, nec appareat benè dici poſſe, quòd non per modum obiecti, ſed per modum agentis extrinſeci cauſæ liberæ, effectiuè cauſet immediatè cognitionem in mente alterius, cùm tam primum, quàm ſecundum videatur eſſe proprium Deo; nec ideò iuxta primam opinionem, nec iuxta ſecundam loquuntur ad inuicem, loquuntur tamen ſecundùm quod per Scripturam certi ſumus, ſed qualiter eſt nobis ignotum. Poteſt tamen dici, quòd ſicut quia homo alterius hominis cogitationem videre non poteſt immediatè, in ſeipſis formant exteriùs voces, vel intuitus, aut ſcripturas, & ſi aliqua ſigna ſint, quibus quod corde quis cogitat in alterius deducit notitiam: ſic ipſi Angeli volentes ad inuicem manifeſtare, quæ ſecretis cogitationibus concipiunt, formant in ſeipſis quædam intellectualia ſigna, & ſpirituales, vt ita dicam ſermones, & loquelas, per quæ ſpiritualiter audita ab aliis cognoſcitur quid cogitant, ita quòd ſicut in nobis eſt duplex locutio: Vna, quæ eſt primum ſignum rei immediatæ, & hoc nullius eſt linguæ earum, quæ diſtinguuntur ſecundùm diuerſitatem gentium humanarum, iuxta ſententiam Auguſtini ſuprà tactam, & hanc locutionem ſolus Deus audit. Alia quæ eſt ſecundarium ſignum, & priori in idem ſignificandum ſubordinatum, & ex hoc quodammodo priori ſignum, & hanc etiam alij audiunt. Sic in mentibus Angelorum eſt duplex locutio. Prima, quæ eſt ſignum primum, & immediatum rei, & hæc eſt cogitatio Deo, & ſibi tantùm nota. Alia eſt ſignum ſecundarium, & ſubordinatum illi in ſignificando, quam aliæ ſpirituales creaturæ intelligibiliter audiunt, & per ea quid per primam dicatur, concipiunt, & hanc puto Apoſtolum vocaſſe linguam eorum Angelorum, *primæ ad Corinth.* 13.

In mentibus Angelorum duplex locutio.

Ad hoc facit gloſſa ſuprà allegata, quæ dicit, quòd Angeli præpoſiti ſignificant minoribus quibuſdam nutibus, aut ſignis. Secundùm hunc modum poteſt Angelus vni determinatè dirigere ſermonem ſuum, & omni modo quo nos, & longè plus atque perfectiùs diſtinctè, & variè loqui, vt ſibi placet, & alius poteſt determinatè ſcire, quis loquitur hîc ſcilicet in quo intuetur huiuſmodi ſigna, in eis enim audire, intelligere eſt.

22. Si quæratur: Vtrùm vni poſſit aliquis ſic loqui, quòd alius, cui non loquitur, non audiat? Dictum eſt quòd non, ſi alius ſit in debita propinquitate ad audiendum, & ad hoc ſit attentus, niſi Deus tunc eum prohibeat audire, non coagendo ad audiendum, & eſt ſimile, ſicut cùm aliquis noſtrum inter multos conſtitutus non poteſt localiter loqui vni, quin audiatur ab aliis. Sed contra modum iſtum diceretur, quòd qua ratione vnus Angelus poteſt videre huiuſmodi ſigna in mente alterius Angeli, eadem ratione videtur, quòd poſſit videre cogitationes eiuſdem in eadem mente exiſtentes, & ſibi propinquas æqualiter, & per conſequens ſuperfluunt huiuſmodi ſigna.

Dubium.

Reſpondeo, quòd propinquitas æqualis, & vnitas obiecti nihil facit ad hoc; nam iſtis non obſtantibus vnum eſt ab aliis intuitiuè intelligibile, & non aliud. Exemplum: conſtat quòd in eadem materia eſt forma ſubſtantialis colorati, & color eiuſdem, & vtrunque æquè propinquum eſt videnti, non enim eſt ibi aliquis ordo, aut aliqua mediatio ſitualis: & benè ſic ſentimus colorem, & per intellectum ipſum intuitiuè intelligimus, quòd nec formam ſubſtantialem, nec etiam materiam ſentimus; aut intelligimus intuitiuè, quamuis alio modo illas intelligere poſſumus; in mente etiam ſimul habet quis habitum infuſum, & intellectionem actualem, & hanc intelligit intuitiuè, illam non. Sic igitur dico de modo locutionis Angelicæ, vtrùm autem ita ſit ignoro. Apparet tamen mihi ſic eſſe poſſibile, cùm & nos etiam inde taliter tales locutiones poſſumus formare ſimiles locutionibus formalibus localibus, ſicut poteſt quilibet in ſeipſo aduertere.

Reſponſio.

Ad argumentum ipſius reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem dicendum, quòd cogitationes non immediatè in ſeipſis audiuntur intellectualiter, ſeu videntur, ſed mediantibus intellectualibus ſignis immediatè viſis, ſicut dictum eſt. Hæc Gregorius.

23. Reſpondeo ad omnes obiectiones Gregorij. Et primò ad illam de intuitiua cognitione, & concedo quòd vnus Angelus non cognoſcit intui

Soluuntur obiectiones Gregorij Ariminenſis.

intuitiuè aliquod obiectum in intellectu alterius Angeli per aliquam ſpeciem intelligibilem, quia talis cognitio eſſet tantùm abſtractiua. Et concedo quòd quando Angelus *B* videt intuitiuè obiectum *C*, in intellectu Angeli *A*, quòd videt formaliter per eandem cognitionem, qua *A* videt *C*, ſic intelligendo, quòd *B* videt cognitionem intuitiuam in *A*, & ſic per illam intuitiuam viſam in *A*, *B* ex conſequenti videt intuitiuè *C*, intelligendo tamen ſicut expoſui, priùs reſpondendo ad difficultatem, quam fecit contra hoc dictum Doctoris. Et cùm dicit hoc eſſe falſum, quia tunc Angelus videns viſionem ſuam, qua videt Deum intuitiuè, videret etiam illa viſione reflexa Deum intuitiuè, & per conſequens aliq viſio de creatura, ſiue habens creaturam pro obiecto eſſet beatifica. Dico primò, quòd hoc non videtur eſſe inconueniens; & concedo quòd per viſionem reflexam poteſt conſequenter videre Deum in ſe, intelligendo, ſicut ſuprà expoſui, & non ſequitur quòd tunc eſſet viſio beatifica reſpectu creaturæ, quia illa viſio reflexa, quæ immediatè terminatur ad primam intuitiuam, non igitur beatifica. Nec concedo quòd per viſionem illam reflexam poſſit videri Deus in ſe, ſed per illam reflexam poteſt videri prima viſio, per quam primam videtur Deus in ſe, & ſic ſola illa prima dicitur beatifica. Dico ſecundò, licèt non ita ad propoſitum, quòd viſio reflexa poteſt dici beatifica ex hoc ſolo, quòd terminatur ad viſionem beatificam, non ex hoc, quòd immediatè terminetur ad obiectum beatificum: & ſic concedo quòd iſto modo poſſent eſſe duæ viſiones beatificæ in eodem intellectu, quarum vna immediatè terminetur ad obiectum beatificum, quæ propriè dicitur beatifica; & alia terminetur ad viſionem illam beatificam propriè dictam, quæ tamen dicitur beatifica impropriè. Eſſet benè inconueniens, ſi darentur duæ beatificæ, & æquè immediatè terminatæ ad obiectum beatificum.

Quomodo viſio reflexa poſſit dici beatifica.

14. Et cùm vltrà infert, quòd ſecundùm dicta Doctoris iſte Angelus poſſit cauſare in diabolo viſionem prædictæ viſionis primæ. Dico, quòd licèt prima facie videatur inconueniens intellectui non multùm eleuato, nullum tamen videtur ſequi inconueniens, vt ſuprà expoſui, non enim repugnat Angelo non poſſe cauſare ſimilem viſionem, quam habet in intellectu cuiuſlibet alterius ſibi proportionato, cùm ſint paſſiua eiuſdem rationis. De facto tamen non cauſaret, quia voluntas diuina diſpoſuit nullo modo concurrere ad hoc. Et poſito etiam, quòd de facto cauſaret, adhuc nõ ſequeretur diabolum videre Deum in ſe, quia licèt per viſionem cauſatam in ipſo videret illam in Angelo, non tamen ſequitur quòd videret illam ſub illa ratione, qua terminatur ad Deum in ſe, vt ſuprà dixi, & ſic non ſequitur, quòd viſione illa videret Deum in ſe. Et ſic patet ad iſtam primam inſtantiam, quæ contra dictum Doctoris non tangit difficultatem, quæ tangi poſſet, vt patet ſuprà.

Ad ſecundam inſtantiam contra aliud dictum Doctoris de Angelo cauſante notitiam obiecti in intellectu alterius Angeli, cùm dicit, quòd tunc Angelus loquens alteri Angelo, poſſet cauſare auditionem in ſeipſo de obiecto priùs cognito; negatur abſolutè, & cùm probatur, quia intellectus Angeli loquentis eſt eiuſdem rationis cum intellectu Angeli audientis, conceditur; ſed poſtea negatur quòd ſicut loquens poteſt cauſare auditionem in alio intellectu de alio obiecto nõ actu cognito ab illo intellectu, ita eandem poteſt cauſare in ſeipſo, negatur ſimilitudo; quia intellectus vt habens cognitionem huius obiecti, non poteſt ſimul habere aliam de eodem obiecto, ſtante illa prima, propter cauſam ſuprà aſſignatam, & ex hoc patet ad illa, quæ ſequuntur, procedunt enim ex falſo intellectu dicti Doctoris.

Ad aliud, quod dicit contra eandem concluſionem, quòd aliquis poterit habere diſtinctam notitiam in particulari, & determinate de aliquo non exiſtente, eſto quòd nullam habeat ſpeciem propriam illius, aut nunquam nouerit illum intuitiuè, quod non videtur poſſibile naturaliter. Dico abſolutè, quòd hoc eſt ſimpliciter poſſibile: ſpecies enim intelligibilis tantùm partialiter concurrit ad notitiam abſtractiuam, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. quæſt. 6. 7. & 8. & diſt. 17. & alibi ſæpè*. Licèt ergo in intellectu audientis non ſit aliqua ſpecies intelligibilis reſpectu illius obiecti, de quo habet notitiam abſtractiuam ab Angelo loquente, ſufficit tamen ſpecies intelligibilis eiuſdem obiecti in intellectu loquentis, quæ vnà cum intellectu loquentis integrat vnam cauſam totalem reſpectu notitiæ abſtractiuæ, quæ totalis cauſa eſt ratio cauſandi notitiam abſtractiuam in quocunque paſſo receptiuo eiuſdem rationis, vt ſuprà patuit.

25. *Quomodo ſpecies intelligibilis concurrat ad ſpeciem abſtractiuam.*

Et quòd habet pro inconuenienti, quòd non detur in aliquo notitia abſtractiua obiecti, de quo non priùs habuerit notitiam intuitiuam, Dico primò, quòd non eſt neceſſe in cognoſcere aliquid abſtractiuè, quod priùs cognouerit illud intuitiuè, vt ſuprà expoſui *in q. 3. prol.* improbando opinionem Gregorij de obiecto ſcientiæ.

Dico ſecundò, quod etiam poſito quòd non poſſit habere notitiam abſtractiuam de aliquo obiecto, non præhabita notitia intuitiua eiuſdem, tunc concedo, quòd Angelus loquens non poſſet cauſare in audiente notitiam abſtractiuam, niſi Angelus loquens priùs habuerit intuitiuam eiuſdem obiecti, non enim poſſet cauſare aliam abſtractiuam de obiecto, niſi priùs cognouerit illud abſtractiuè: poſito ergo quòd intuitiua requiratur reſpectu primæ abſtractiuæ, non tamen ſequitur quòd requiratur reſpectu ſecundæ cauſæ in audiente, ſicut nec etiam ſecundùm eum in cognitione abſtractiua reflexa requiritur immediatè intuitiua, ſed ſi requiritur, præcisè requiritur reſpectu primæ.

26. Ad aliud contra eandem concluſionem, patet ſuprà, quòd talis notitia cauſata in audiente de obiecto partialiter reuelato, eſſet abſtractiua, & cũ dicit, quòd illa eſt per ſpeciem intelligibilem ſecundùm Doctorẽ. Dico primò, quòd ſufficit quòd ſit per ſpeciẽ intelligibilem exiſtentem in loquẽte. Dico ſecundò, quòd non benè percipit Doctorẽ. Non enim Doctor dicit, quòd cognitio abſtractiua ſit præcisè per ſpeciem intelligibilem, imò ipſe vocat notitiam abſtractiuam quamcunque, quæ non eſt de obiecto exiſtente, & præſente in ſe. Et quod dicit, quòd tunc Angelus loquens, qui recordatur de aliquo obiecto præterito, vt præterito, poſſit in aliquo alio Angelo cauſare ſimilem recordationem, & ſic poterit recordari de aliquo, quod nunquam nouit. Dico, quòd aliud eſt dicere Angelum poſſe cauſare diſtinctam notitiam in Angelo de obiecto non priùs noto, & aliud eſt de actu recordationis,

quia

quia recordatio ſemper eſt de obiecto, vt priùs cognito; poſſet enim priùs cauſare it. audiente notitiam de tali obiecto præterito, vt præterito, ſed tunc per talem notitiam non recordaretur, quia recordari eſt per actum proprium ipſius recordantis, vt clariùs patebit *in 4.diſt.45*.

Ad aliud contra eandem concluſionem, cùm dicit, quòd tunc vnus Angelus poſſet cauſare notitiam concluſionis ſcientificam in Angelo audiente, qui priùs non cognouerit illam concluſionem ſcientificè, nec per principia illius concluſionis. Dico, quòd aliud eſt cauſare notitiam alicuius concluſionis abſolutè, puta huius, *homo eſt riſibilis*, qua actu cognoſcit hominem eſſe riſibilem; & aliud eſt cauſare notitiam euidentem ex euidentia principiorum. Hoc præmiſſo, dico quòd poteſt cauſare notitiam primo modo, ſed talis notitia non dicitur ſcientifica, ſicut ſi Deus immediatè cauſaret in me notitiam huius, *homo eſt riſibilis*, non diceretur ſcientifica, ſed tantùm reuelata. Secundo modo non poſſet cauſare non præhabita in ipſo audiente notitia ipſorum principiorum; poſſet tamen cauſare notitiam terminorum propoſitionis immediatæ, & ex conſequenti poſſet cauſare notitiam principiorum, ad quam ſequeretur euidens notitia, quæ diceretur notitia ſcientifica.

27. Ad illa quæ obiicit contra modum dicendi Doctor de locutione Angelorum, cùm dicit primò, quòd per iſtum modum locutionis, ſi in cœtu multorum Angelorum vnus vni ſpecialiter loqueretur, non poſſet ſcire audiens quis eſſet, qui loqueretur, ſuppoſito quòd illa locutio eſſet de re aliis actualiter nota, &c. Dico, quòd oporteret eum ſubtiliùs vidiſſe Doctoris poſitionem, quia iſta non diceret. Dixit enim Doctor ſuprà, quòd vltima perfectio in audiente eſt, quòd habita prima notitia de obiecto, de quo loquens loquitur, quæ propriè dicitur auditio, tunc audiens conuertit ſe ad intellectum loquentem, & ad notitiam quam habet loquens de obiecto, & tandem ad obiectum, de quo loquens loquitur, & ſic tandem cognoſcit Angelum loquentem. Non enim diceret Doctor quòd ex ſola auditione Angelus audiens cognoſceret Angelum loquentem. Dico ſecundò, quòd ſemper audiens cognoſcit ipſum loquentem, quia Angelus qui loquitur ſponte vni, & non alteri, vult etiam, quòd non ſolùm audiens cognoſcat obiectum, de quo loquitur, ſed etiam cognoſcat Angelum loquentem.

Gregorius nõ rectè vidit opinionem Scoti.

Ad illud quod dicit, quòd Doctor non dat modum, quo vnus Angelus poſſit loqui Angelo alterius ſpeciei, ac etiam animæ ſeparatæ. Dico abſolutè, quòd non eſt neceſſe aſſignare alium, & alium modum, quia cùm omnes intellectus creati ſint receptiui eiuſdem rationis, erit idem ſimpliciter loquendi reſpectu omnium. Et quantùm ad hoc non aſſignatur alius & alius modus loquendi, licèt inter Angelum ſuperiorem, & inferiorem poſſint eſſe aliæ differentiæ, puta, quòd ſuperior non poſſit impediri ab inferiori, quando loquitur ei, vt ſuprà dixi.

Differentia inter Angelum ſuperiorem, & inferiorem.

28. Ad illas inſtantias contra illam propoſitionem Doctoris, ſcilicet quòd eſt ſufficienter in actu primo reſpectu alicuius effectus, poteſt illum cauſare in quocunque receptiuo illius effectus, cùm dicit, quòd vnus homo eſt ſufficienter in actu primo ad cauſandum in ſuo intellectu intellectionem ſecundùm aliquem habitum, quem habet, nec tamen poteſt ſimilem cauſare in intellectu alterius hominis. Reſpondeo, quòd alius intellectus, etſi ex natura ſua ſit receptiuus intellectionis cauſatæ ab alio intellectu, tamen pro ſtatu iſto non eſt in debita approximatione, & diſpoſitione, nec ſimiliter intellectus eſt pro ſtatu iſto ſic proximus, & debitè diſpoſitus, vt poſſit immediatè cauſare aliquam intellectionem in alio intellectu; nam intellectus pro ſtatu iſto eſt tantùm natus moueri à ſenſibilibus, imò nec Angelus poſſet immediatè mouere intellectum noſtrum pro ſtatu iſto, cauſando in eo cognitionem alicuius intelligibilis, vt infrà patet *diſt.11*.

Et cùm dicit etiam, quòd tunc poſſet cauſare volitionem in voluntate alterius, quod videtur inconueniens. Dico, quòd nullum apparet inconueniens ex his, quæ dixi ſuprà mouendo inſtantias contra illam propoſitionem Doctoris, *Quando extrema alicuius propoſitionis*, &c.

Et cùm dicit, quòd propoſitio Doctoris debet intelligi de illis receptiuis, quæ ſunt eiuſdem rationis, quæ eodem modo ſe habeant ad illud quod eſt in actu primo reſpectu illius effectus, tunc minor eſt falſa. Dico, quòd propoſitio Doctoris non plenè intelligitur, non enim ad hoc vt intellectus percipiat intellectionem, aliquid aliud requiritur, quàm ipſa potentia receptiua, cùm ipſa ſola ſit ſimpliciter ratio recipiendi tam ſpeciem intelligibilem, quam actum intelligendi; non enim requiritur ſpecies intelligibilis cum intellectu poſſibili, inquantùm receptiuus eſt. Tum, quia ex ſe eſt perfectè diſpoſitus ad recipiendum. Tum, quia ſi neceſſariò requireretur, ex hoc ſolo requireretur, vt eſſet ratio recipiendi; & ſi ſic, tunc voluntas diuina non poſſet immediatè cauſare cognitionem abſtractiuam lapidis in aliquo intellectu non habente ſpeciem intelligibilem lapidis, quod eſt inconueniens. Tum etiam, quia ſi poneretur, vt ratio recipiendi actum intelligendi, talis actus immediatè reciperetur in ſpecie, & ſic talis ſpecies æquè formaliter intelligeret, quod eſt falſum. Cætera ſequentia ipſius Gregorij ex his quæ dixi ſuprà, patet nihil concludere contra Doctorem.

29. Ocham *in ſecundo, q.22.* multa contra Doctoris poſitionem dicit. Et primò contra illud quod dicit quòd *vnus Angelus poteſt loqui vni Angelo, & non alteri*. Et reſpondet ad vnam obiectionem quam facit Ocham contra ſeipſum, ſcilicet quòd illud quod dicit, quòd vnus Angelus nihil cauſat in alio Angelo, niſi per modum obiecti cauſet, ſiue loquendo de actibus intellectus, ſiue voluntatis. Dicit ergo ſic: Si vnus agat in alium tantùm per modum obiecti, ergo vnus Angelus non poteſt aliquid ab alio occultare, & per conſequens quicquid ſuperior poteſt intelligere, & inferior, quod eſt falſum. Reſpondeo, non eſt in poteſtate Angeli aliquid occultare, & aliquid oſtendere, cùm tantùm agat per modum obiecti, non tantùm quantùm ad ſuam eſſentiam, ſed etiam quantùm ad omnem actum, tam intellectus, quàm voluntatis: ſed dicitur vnum occultare, & aliud non, quando Deus coagit ſecum ad vnum actum, & non ad alium, puta, Deus vult coagere, & coagit in intellectu vnius Angeli ad videndum actum vnius Angeli, & non alterius Angeli, & aliter non poteſt occultare.

Ochã contra Doctorem.

Sed tunc eſt dubium quid Angelus bonus facit cuſtodiendo, & malus exercendo? *Dubium.*

Reſpondeo, Angelus bonus inſtigat ad bonum homines, offerendo, & approximando ſenſi- *Reſponſio.*

bilia

bilia interiora ad exteriora, mouẽdo etiam malũ, & hoc tam ſenſibilia interiora, quàm exteriora.

30. *Opinio Ioannis.* Tertiò videndum eſt, quomodo vnus Angelus loquitur alteri. Et hæc eſt opinio Ioannis quòd vnus Angelus poteſt cauſare in alio conceptum ſuum, vel ſpeciem, vel actum, & probat per multas rationes. Quære in Ioanne.

Sed contra dicta ſua, primò contra primam rationem, quòd non videtur concludere, quia accipio maiorem ſuam. Et arguo ſic: Quando aliquid ſufficienter eſt in actu primo, poteſt cauſare ſufficienter actum ſecundum, cæteris paribus: ſed voluntas Angeli ſuperioris volens cauſare volitionem in voluntate Angeli inferioris, eſt ſufficienter in actu primo reſpectu illius volitionis, & voluntas Angeli inferioris eſt ſufficiens receptiuum, & approximatum; ergo poteſt cauſare volitionem in voluntate Angeli inferioris, quod eſt falſum, ergo, &c. Si dicas, quòd voluntas eſt libera, & ideò in ſua poteſtate eſt, quòd in ea cauſetur, vel non, ſaltem à quocunque agente creato, ſed ſic non eſt de intellectu. Contrà: *Angelus inferior non poteſt impedire ſuperiorus volitionem.* Angelus inferior non poteſt impedire volitionem ſuperioris, quin Angelus ſuperior velit cauſare in alio, quia virtus minor non impedit maiorem ab actione ſua naturali, vel libera; ergo ſimiliter Angelus ſuperior poteſt cauſare talem in omni paſſiuo receptiuo; ſed huiuſmodi eſt voluntas Angeli inferioris: item ſi ſic, ſequitur quòd voluntas poſſet amare incognitum, quia volitio Angeli ſuperioris ſufficit ad cauſandum cognitionem in inferiori, quia illud quod eſt in actu primo, &c. Cùm igitur intellectus, & voluntas Angeli ſuperioris poſſint ſufficienter cauſare volitionem in Angelo inferiori, & per conſequens poſſent etiam ſufficienter facere in actu primo abſque hoc, quòd Angelus inferior cognoſcat ſuperiorem, vel aliquid in eo, & talis voluntas Angeli ſuperioris poteſt cauſare volitionem in voluntate Angeli inferioris, quæ fortè reſpectu Angeli ſuperioris ignota, tunc ſequitur quòd Angelus inferior amat incognitum, quia amat, vel vult Angelum ſuperiorem, quem non cognoſcit.

31. Item, tunc Angelus in quo cauſatur intellectio, poſſet tunc intelligere ſine ſpecie, ex quo intellectio eſt ſufficiens ad producendum intellectionem in Angelo inferiori, quia per eam eſt Angelus ſuperior ſufficienter in actu primo ſecundùm eum, & per conſequens poteſt ſufficienter cauſare intellectionem in Angelo inferiori, abſque hoc quòd in Angelo inferiori præcedat ſpecies, quod eſt contra eum, quia cognitio, ſaltem abſtractiua, eſt per ſpeciem.

Si dicas, quòd ſpecies, & actus intelligendi ſunt effectus ordinati, ita quòd primò cauſatur ſpecies in intellectu, & poſt actus intelligendi.

Nota. Contrà, ſpecies ſi ponatur eſt cauſa cognitionis; ergo actus intelligendi non eſt cauſa ſpeciei, aliter eſſet proceſſus in infinitum, quia vna cognitio cauſaret vnam ſpeciem, & illa ſpecies aliam cognitionem, & ſic in infinitum.

Item, ſi Angelus poſſet ſic cauſare intellectionem in Angelo, &c. tunc ſequitur quòd aliquis, qui poteſt diſcurrere, poteſt cognoſcere concluſionem ignotam ſine experientia, vel diſcurſu, qui procedit ex principiis per ſe notis: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Conſequentia patet, quia Angelus loquens poteſt cognoſcere totum diſcurſum, per quem deducitur concluſio, & poteſt facere ſtatim Angelum audientem in eodem actu, in quo ipſe erat in fine diſcurſus, cauſando in Angelo inferiori cognitionem concluſionis, quam habet in fine diſcurſus, non dando cognitionem principiorum, quia per cognitionem reſpectu concluſionis eſt ſufficienter in actu primo per eum, ergo, &c. Sic ergo videtur, quòd ratio prima non probat, ſaltem quòd Angelus totaliter producat intellectionem talem in alio Angelo.

Item, contra quod ponit Angelum audientem nihil agere in intellectione ſibi impreſſa ab alio, quia intellectus eſt cauſa actiua, vel eſſe poteſt reſpectu cognitionis alterius Angeli: ergo eodem modo reſpectu intellectionis ſui ipſius. 32.

Item, quando aliquid poteſt eſſe cauſa partialis, & totalis reſpectu alicuius effectus, ſi in eius poteſtate non eſt, quando eſt cauſa partialis, niſi alia cauſa partialis ſecum concurrat, non erit in eius poteſtate, quando eſt cauſa totalis, nec poteſt impedire aliam cauſam ſecum cauſare. Exemplum: ignis & Sol ſunt cauſæ partiales caloris, & non eſt in poteſtate ignis, quòd Sol cauſet, vel non, quando eſt cauſa partialis caloris, & ſi eſſet cauſa totalis caloris, adhuc non eſſet in poteſtate ſua Solem impedire à cauſatione, ſi eſſent æquè approximata. Sed Angelus loquens alteri poteſt eſſe cauſa partialis reſpectu intellectionis in alio Angelo, quia poteſt eſſe obiectum intellectus alterius Angeli concurrentis ad cauſandum intellectionem, & poteſt eſſe cauſa totalis, per te. Sed quando eſt cauſa partialis in ratione obiecti non eſt in eius poteſtate, quòd alius Angelus ſecum cauſet, vel non, nec poteſt impedire; ergo eodem modo, quando eſt cauſa totalis in actu locutionis, non eſt in eius poteſtate, quòd alius Angelus ſecum locutionem cauſet, & per conſequens Angelus cui loquitur non tantùm audit paſſiuè, ſed etiam actiuè.

Ideò dico, quòd vnus Angelus nihil poteſt cauſare in alio, niſi per modum obiecti; & iſto modo poteſt vnus Angelus, cui aliqua ſunt nota, illa alteri manifeſtare.

Quantùm ad dubium de ſolutione Ioannis quantùm ad locutionem Angelorum, ſuppoſito quòd vnus Angelus non poſſit cauſare notitiam actualem in alio Angelo de aliquo obiecto ſibi habitualiter noto, niſi priùs cauſaret notitiam actualem eiuſdem obiecti in ſeipſo, & hoc videtur rationabile, quia Angelus vnus nihil poteſt cauſare in alio Angelo, niſi per modum obiecti; ſi ergo vnus Angelus cauſaret notitiam actualem de aliquo obiecto complexo, vel incomplexo, nõ curo, in intellectu alterius Angeli, vel aliquid in vno Angelo cauſaret, ſi cauſaret in alio, ſicut cauſa totalis, ſicut ponit Ioannes; aut illud cauſans effectiuè eſſet ſola eſſentia Angeli, vel eſſentia, ſiue intellectus vnius Angeli cũ habitu informante, vel obiectum aliud habitualiter notum vni, & non alteri, cauſaret cognitionem actualem in Angelo non habente talem notitiam habitualem. Nec primum, nec ſecundum poteſt dari, quia ſiue eſſentia vnius Angeli perfectè cauſet cognitionẽ in alio Angelo, ſiue eſſentia concurrens cum habitu, cùm vtrunque cauſet ſolùm effectum ſuum in alio Angelo per modum obiecti, nunquam poteſt cauſare in alio niſi notitiam illius rei, quæ eſt obiectum, & non alterius rei, quæ non eſt obiectum alterius cognitionis; & ideò tam intellectus vnius Angeli, quàm habitus informans eum poteſt cauſare notitiam actualem intũitiuam

33. *Contra opinionem Ioannis.*

ipſius

ipſius in alio Angelo, abſque hoc quòd cauſet aliquam notitiam actualem in ſeipſo intuitiuam, vel abſtractiuam, vel annihilatiuam, ſicut poteſt eſſe obiectum cognitionis alterius Angeli, abſque hoc quòd ſit obiectum cognitionis ſuæ; ſed per hoc nunquam cauſabit cognitionem actualem in alio de aliquo obiecto ſibi habitualiter noto. Si ponatur tertium, quòd obiectum habitualiter notum vni, & non alteri, cauſet actualem cognitionem in Angelo illo, cui non eſt habitualiter notum, non cauſando notitiam in illo, cui eſt habitualiter notum, hoc eſt merè poſſibile, ſed tunc Angelus vnus non cauſet illam notitiam in alio, imò nihilominùs cauſaretur, ſi deſtrueretur alius Angelus, quære rationem pro iſta concluſione, vt prius.

34. *Nota.* Ad rationem Ioannis de locutione Angelorum, quando dicit quòd agens ſufficienter approximatum paſſo, &c: Dico, quòd hîc deficit vna cauſa partialis, requiſita ad hoc quòd vnus cauſet notitiam actualem de aliquo obiecto, ſic habitualiter noto in intellectu alterius Angeli: & hæc eſt notitia actualis, quæ neceſſariò requiritur naturaliter, loquendo in Angelo loquente de obiecto ſibi habitualiter noto, ſiue illud obiectum ſit quoddam complexum; ſiue incomplexum; ad hoc vt cauſet notitiam actualem in alio Angelo de eodem obiecto habitualiter noto; quia nec eſſentia primi Angeli per ſe, & hoc ſufficit, nec eſſentia cum habitu Angelum informante, quia iſta ex quo ſunt incomplexa intuitiuè cognita, nunquam poſſunt ducere in cognitionem, ſaltem incomplexam, alterius rei: ſed poſito quòd Angelus habitualiter cognoſcens aliquod obiectum, conſideret illud obiectum ſecundùm inclinationem habitus, poſita tali intellectione, quâ conſiderat obiectum illud habitualiter cognitum, poteſt Angelus approximatus videre illam intellectionem, ſiue illa intellectio, quæ eſt obiectum ſit intuitiua, vel abſtractiua, non curo; & poſtquam Angelus videt illam intellectionem, poteſt aliquo modo deuenire in cognitionem obiecti illius intellectionis, quod obiectum eſt modo actualiter cognitum, & priùs habitualiter; & ſic patet quòd quando primus Angelus cognoſcit aliquod obiectum ſolùm habitualiter, non poteſt cauſare cognitionem illius obiecti in ſeipſo, quia cognitio illius obiecti, quod eſt in ſeipſo, eſt cauſa partialis mediata, vel immediata cognitionis in alio de eodem obiecto.

35. *Soluuntur obiectiones Ocham.* Reſpondeo ad obiectiones Ocham, cùm primò dicit, quòd non eſt in poteſtate Angeli aliquid occultare, & aliquid oſtendere, cùm tantùm agat per modum obiecti. Dico, quòd hoc eſſet imperfectionis in Angelo, ſi non eſſet in poteſtate eius reuelare vnum obiectum alteri Angelo, non reuelando aliud, & ſic loqui de vno, & non de alio. Sequeretur etiam, quòd ſi plures Angeli præſentes eſſent Angelo loquenti, quòd non eſſet in poteſtate eius loqui vni, & non alteri, ſi tamen loqueretur per modum obiecti. Poſſent etiam adduci multæ aliæ rationes ex dictis Doctoris, quibus euidenter probari poſſet, quòd ſi tantùm Angelus loqueretur per modum obiecti, ſcilicet cauſando actum in intellectu audientis præcisè per modum obiecti, quòd tunc propriè non eſſet locutio: quas tamen rationes breuitatis causâ omitto, nec ſunt multùm neceſſariæ ad propoſitum principale.

Ad aliud, quod videtur ſibi inconueniens, ſcilicet quòd tunc voluntas ſuperioris poſſet cauſare volitionem in voluntate Angeli inferioris. Dico abſolutè, quòd hoc non reputo eſſe inconueniens, vt prolixè ſuprà expoſui, quomodo vna voluntas poteſt cauſare actum volendi, & nolendi in alia voluntate: & concedo quòd Angelus inferior non poteſt impedire volitionem ſuperioris, quin Angelus ſuperior velit cauſare volitionem in alio: & quomodo poſſit ſic impedire, ſuprà expoſui. Et cùm vltrà infertur, quòd ſi volitio poſſet cauſari in aliqua voluntate ab alia voluntate, quòd tunc talis voluntas poſſet amare incognitum; dictum eſt ſuprà quomodo intelligitur amare cognitum, & amare incognitum; nec oportet hîc multùm inſiſtere, quia circa hanc materiam de voluntate efficaciores difficultates adduxi, ex quarum ſolutione non tantùm iſtæ inſtantiæ, ſed quæcunque aliæ circa illam materiam facillimè ſolui poſſunt.

36. Ad illud, cùm dicit, quòd tunc Angelus poſſit aliquid cognoſcere abſtractiuè nulla ſpecie intelligibili exiſtente in eo, patet reſponſio ex his, quæ dixi reſpondendo ad ſimilem rationem, quam facit Gregorius, & cùm adducit illam inſtantiam, quòd ſpecies, & actus intelligendi ſunt effectus ordinati, ita quòd primò cauſatur ſpecies in intellectu, & poſt actus intelligendi, hoc eſt ſimpliciter verum, loquendo de ſimpliciter prima cognitione abſtractiua, qualis eſt in Angelo loquente: & cùm arguit contra hoc, ſi ſpecies ponatur eſſe cauſa cognitionis: ergo actus intelligendi non eſt cauſa ſpeciei; verum dicit, quantùm ad *eſſe* primum ſpeciei: ſed quantùm ad intenſionem eius, dico, quòd per plures actus intelligendi poteſt intendi talis ſpecies, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. q. 6.* & ſic concedo, quòd ante ſpeciem intelligibilem in intellectu Angeli loquentis non habetur intellectio abſtractiua, ſed habita illa ſupple notitia abſtractiua, ſpecies intelligibilis intendi poteſt, vt notat Doctor *in primo, diſt. 3.*

37. *Doctrina ſingularis.* Ad illud, quod dicit de diſcurſu, concedo quòd Angelus loquens poteſt immediatè cauſare notitiam huius concluſionis, *homo eſt riſibilis*: & cùm infertur, quòd tunc Angelus audiens haberet notitiam talis concluſionis, non præhabitâ notitiâ principiorum, dico quòd aliud eſt cauſare cognitionem concluſionis abſolutè, & aliud eſt ipſam cauſare, vt euidentem ex principiis. Primo modo poteſt eam cauſare, non præhabita cognitione principiorum in audiente, ſed non ſecundo modo, & concedo quòd Angelus loquens poteſt cognoſcere iſtam: *Homo eſt riſibilis*, per diſcurſum, ita quòd talis notitia erit ſibi ſcientifica, & euidēs per applicationem principiorum, quâ habitâ poteſt illam cauſare in audiente, & hoc dupliciter.

Primò, cauſando notitiam principiorum, & deinde notitiam concluſionis.

Secundò præcisè poteſt cauſare notitiam concluſionis, non cauſando notitiam principiorum. Primo modo Angelo audienti erit notitia ſcientifica, & euidens per diſcurſum ſyllogiſticum; ſecundo modo erit tantùm notitia concluſionis abſolutè, & non dicetur ſcientifica.

Ad aliud, cùm dicit, quòd intellectus Angeli audientis in recipiendo notitiam ab Angelo loquente, quòd actiuè ſa habet reſpectu illius, patet *ſuprà* quomodo tantùm paſſiuè ſe habet, & ex his quæ dixi *ſuprà*, patet facillima ſolutio ad omnes inſtantias Ocham, nec oportet hîc multùm immorari.

SCHOLIVM.

Illuminationem eſſe loquutionem, quâ ſuperior inferiorem alloquitur, inſtruendo eum de aliqua veritate ſupernaturali, & fortè ſit aliquando illuminante nihil in ſe cauſante, ſed tantùm in illuminato: mouet & ſoluit duo dubia.

Illuminatio quid eſt?

AD aliam quæſtionem [a] de illuminatione, dico, quòd illuminatio in Angelo, eſt quædam locutio de vero, perfectiua in *eſſe* ſecundo: ſicut enim non omnis intellectio eſt ſimpliciter perfectio Angelici intellectus, ſed viſio Verbi, & nõ viſio quiditatum, ſiue per ſpecies habituales, ſiue intuitiuè: ſic nec omnis cognitio ſingularium, alia à viſione Verbi, & à cognitione quiditatum, æquè perficit intellectum Angelicum, quaſi ſecundariò, ſed viſio veri reuelati perficit in *eſſe* ſecundo: non autem ſic cognitio ſingularis in genere proprio. Dico tunc, quòd Angelus ſuperior, cui ſecundùm communem curſum reuelatur primò aliquid particulare, cauſat in inferiori conceptum quendam de illo reuelato, qui dicitur auditio, & hoc cauſare, quod eſt quoddam ſpeciale loqui, eſt illuminare. Probabile etiam videtur, quòd Angelus illuminans, aliquid cauſet in illuminato, & non in ſe: quia ipſe Deus illuminans primum Angelum, nihil cauſat in ſe ipſo, ſed in Angelo illuminato. 25.

Dubia.

Sed eſt dubium [b] vtrùm ſuperior illuminans, poſſit facere inferiorem aliquid videre in Verbo. Et an inferior poſſit illuminare ſuperiorem. Videtur enim, quòd ſic, ſi ſibi ſit priùs reuelatum,

Quomodo illuminans diſponit ad videndum aliquid in verbo?

Ad primum: videtur, quòd ſicut cognitio Verbi eſt merè ſupernaturalis, ita quòd non ſubeſt cauſalitati alicuius cauſæ: ſic nec etiam viſio alicuius in Verbo: tamen ſuperior, modo prædicto, illuminando inferiorem, poteſt diſpoſitiuè agere, vt videat aliquid in Verbo. Nam illa auditio diſponit vt audiens conuertat ſe ad intellectum loquentis, & ibi videat illud, de quo loquitur loquens: & iſta viſio eſt aliquo modo perfectior illa auditione; & vlteriùs diſponit ad hoc, vt Angelus videns priùs in Angelo, videat idem in Verbo: quia ſi deſideret illud, quod ibi videt ſicut in ſpeculo imperfecto videre; in ſpeculo perfecto videbit gaudens, & tunc perfectè illuminatur: perfectiùs quidem à Verbo, diſpoſitiuè autem ab Angelo ſuperiore.

Inferior an illuminare poſſit ſuperiorem.

Ad ſecundum dubium dico, quòd Deus de potentia ſua abſoluta, poſſet aliquid reuelare Angelo inferiori, quod non eſſet reuelatum, vel notum ſuperiori: & tunc ille inferior poſſet loqui aliquo modo ſuperiori de hoc, quod ſuperior ignoraret: & illa locutio eſſet aliquo modo illuminatio: tamen non poteſt habere tantam efficaciam ſuper intellectum ſuperioris, ſicut ſuper intellectum inferioris: & ideò non poſſet iſte neceſſariò facere ſuperiorem audire, ſicut è conuerſo: quia ſi ſuperior conſideret aliquid in genere proprio, iſte inferior non faceret ipſum audire ſimpliciter: ſimpliciter autem ſuperior poteſt facere inferiorem audire, & poteſt impedire intellectionem eius de aliquo intelligibili. De facto tamen veriſimile eſt, quòd Deus ordinatè diſtribuat ſuas illuminationes ſicut diſtribuit Angelos in ordinibus ſuis, primò quidem ſuperioribus, deinde inferioribus.

Superior poteſt neceſſitate inferiorem ad audiendũ, non è contra.

Ad argumenta [c] primæ quæſtionis.

Ad arg. 1. Infr. d. 18. vide ſupr. d. 1. q. 2. & 4. d. 1. q. 1.

Ad primum dico, quòd Angelus poteſt cauſare illam auditionem: id eſt, viſionem perfectiuam in *eſſe* ſecundo. Et cùm dicitur, igitur creabit; non ſequitur: ſicut patebit in quæſtione de rationibus ſeminalibus: creatio enim eſt actio non concurrente alia cauſa alicuius generis, niſi tantùm primo efficiente, & primo fine, & talis nulla eſt actio creaturæ. 26.

Ad 2. An omne quod illuminatur eſt tenebroſũ?

Ad ſecundum dico, quòd viſio in Verbo eſt perfectiſſima illuminatio: & ideò intellectus habens illam, dicitur perfectè luminoſus, vel illuminatus. quamtuncunque non habeat illam cognitionem, quæ reſpectu iſtius dicitur ſe habere ad lumen, ſicut tenebra: & ideò nec carentia cuiuſlibet alterius intellectionis, in habente iſtam, dicitur facere intellectum tenebroſum. Poteſt tamen concedi, quòd ſicut in potentia ſunt ad aliquid, quod eſt lumen; ita ſunt in potentia ad aliquid, quod eſt tenebroſum.

Ad 3. Quare din ex puteo videmus ſtellas, & extra puteum non?

Ad tertium, quod accipitur de lumine corporali, quantum ad aliquid falſum eſt: non enim Sol impedit alias ſtellas multiplicare radios ſuos ad ſuperficiem terræ. Quod patet, quia exiſtens in profundo puteo, in meridie videret ſtellas. Non enim ad oculos eius pertingerent radij, niſi priùs attingerent ad ſuperficiem

medij

medij illuminati : ipſe tamen Sol luminaria minora impedit ab aliqua actione, ſcilicet ab illa, quam haberent in viſum : quia non poſſunt videri in præſentia Solis. Et ratio eſt, quia excellens viſibile priùs agit in viſum excellenter ; ita quòd actuat ipſum ſecundùm totam eius capacitatem : & fortè aliquo modo immutat cum dolore ſecundùm Alacem primo perſpectiuæ, ſed ad hoc non eſt ſimile de lumine intelligibili, reſpectu intellectus : ſicut patet per Ariſtotelem 3. *de Anima t.* 7. Nam poſt excellentia intelligibilia, non minùs intelligimus alia, ſed magis : ſed poſt excellentia ſenſibilia minùs ſentimus alia ſenſibilia, quia potentia, vel organum debilitatur.

Poſt excellentia ſenſibilia minus ſentimus non ſic de intelligibilibus.

COMMENTARIVS.

1. 2 *AD aliam quæſtionem de illuminatione.* Hîc Doctor reſpondet ad primam quæſtionem huius diſtinctionis, quæ erat: *An Angelus ſuperior poſſit illuminare inferiorem*, & dicit, quòd *illuminatio in Angelo eſt quædam locutio de vero, perfectiua in eſſe ſecundo*, id eſt, quòd talis illuminatio eſt notitia de aliquo vero cauſata ab Angelo illuminante, ſiue loquente, quæ perficit intellectum audientem in actu ſecundo, cùm ſit quædam operatio perfectiua adueniens intellectui audienti. Sequitur : *Sicut enim non omnis intellectio*, &c. Vult dicere Doctor quòd aliqua cognitio eſt ſimpliciter perfectio Angelici intellectus, & talis cognitio eſt cognitio, quâ cognoſcit eſſentiam diuinam intuitiuè : quia in tali obiecto perfectè quietatur intellectus obiectiuè : & ſimiliter formaliter in tali cognitione perfectè quietatur, vt patet *in primo, diſt.* 1. *quæſt.* 1. *&* 4. *d.* 49. cognitio verò quiditatum, ſiue abſtractiua, ſiue intuitiua non eſt perfectio ſimpliciter intellectus, quia talia obiecta ſic cognita poſſunt dici entia ſecundùm *quid*, & perfectiones in *eſſe* ſecundùm *quid*, & ſimiliter eorum cognito reſpectu eſſentiæ diuinæ, & cognitionis eiuſdem. Sequitur : *Sic nec omnis cognitio ſingularium alia à viſione verbi*, &c. Vult dicere, quòd cognitio alicuius ſingularis in proprio genere non dicitur ſimpliciter perfectiua intellectus cognoſcentis, cùm naturaliter poſſit cognoſcere illud, ſed cognitio perfectiua intellectus eſt cognitio alicuius reuelati, ad quod intellectus virtute ſua attingere non poteſt. Sequitur : *Dico tunc, quòd Angelus ſuperior*, &c. Id eſt, quòd Angelus ſuperior poteſt cauſare in inferiori aliquam cognitionem alicuius ſibi reuelati, puta myſterium Incarnationis fuit reuelatũ Angelo ſuperiori, & tale potuit reuelari Angelo inferiori, & talis locutio eſt ſpecialis, quia eſt præcisè de vero reuelato : Angelus enim poteſt loqui alteri Angelo, non tantùm de vero reuelato, ſed etiam de obiectis quæ nouit, vel intuitiuè, vel abſtractiuè per ſpeciem habitualem, vt ſuprà patuit : illuminatio verò eſt præcisè locutio de aliquo vero ſingulari ſimpliciter reuelato.

Qua ſit illuminatio.

2. *Difficultas.* Sed occurrit aliqualis difficultas in hoc, quod dicit, quòd Angelus ſuperior poteſt illuminare inferiorem de aliquo vero illuminato, puta de iſto, quòd *filius Dei erat incarnandus*, cùm talis illuminatio ſit ſpecialis locutio, & ſic loqui de tali vero, eſt cauſare notitiam talis veri in intellectu Angeli inferioris, quomodo talem notitiam poſſit cauſare, cùm omnis notitia cauſetur ab obiecto, & potentia, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 7. *&* 8. & hoc formaliter, vel virtualiter, vel eſſentialiter, id eſt, quòd omnis cognitio alicuius obiecti, vel formaliter cauſatur à tali obiecto, vel ab aliquo includente virtualiter tale obiectum, vel ab aliquo includente ipſum eſſentialiter, vt ſuprà expoſui *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 3. modò tale reuelatum, cùm non habeat *eſſe* in intellectu Angeli ſuperioris, nec per ſe exiſtens, nec per ſpeciem intelligibilem, quia tunc non videretur reuelatum, nec virtualiter, nec eſſentialiter includitur in alio quod concurrat actu cum intellectu Angeli ſuperioris ad cauſandum partialiter notitiam talis reuelati, & hoc in ratione obiecti intelligibilis, videtur dubium, quomodo talis illuminatio fieri poſſit. Si dicatur, quòd Angelus ſuperior ſit cauſa ſufficiens reſpectu talis cognitionis. Contrà, quia continens virtualiter notitiam alicuius obiecti virtualiter continet tale obiectum ſecundùm totam entitatem, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 1. *&* *diſt.* 8. *quæſt.* 1. *&* *in ſecundo, diſt.* 3. *quæſt.* 10. *&* *in quodlib. q.* 14. *art.* 2. & vide quæ expoſui *in iſto ſecundo, diſt in.* 3. *quæſt.* 10. Sed Angelus ſuperior non continet virtualiter tale obiectum reuelatum, vt patet. Si dicatur, quòd habita cognitione Incarnationis poteſt ex ſe cauſare ſimilem cognitionem in alio Angelo : Contrà, quia pono caſum, quòd intellectus Angeli ſuperioris nunc intelligat lapidem per ſpeciem intelligibilem, certum eſt quòd eras non poterit cauſare cognitionem lapidis ex ſe, niſi habeat aliquod ſupplens vicem obiecti, quod partialiter concurrat cum tali intellectu, ſic videtur dicendum in propoſito.

Deus illuminat per luminis infuſionem.

3. Dico primò, quòd ſolus intellectus Angeli ſuperioris non poteſt cauſare ex ſe cognitionem talis reuelati, ita quòd nihil aliud ab ipſo concurrat effectiuè. Sed quomodo cauſabitur? reſpondeo dupliciter. Primò, quòd quando Deus reuelat Angelo ſuperiori, cauſat cognitionem illius reuelati in tali intellectu, tunc ſtante tali cognitione, poteſt ipſe Angelus cum cognitione illa, vt cauſa partialis cauſare cognitionem in intellectu inferioris, & hoc in ratione obiecti intelligibilis, ita quòd talis cognitio cauſata in intellectu inferioris, primò terminatur ad cognitionem exiſtentem in intellectu ſuperioris, & ſic poterit perfectè cognoſcere illam, & tandem per illam poterit cognoſcere tale reuelatum, & ſic videtur ſequi, quòd Angelus inferior non poſſit cognoſcere illud reuelatum, niſi priùs conuertat ſe ad intellectum Angeli loquentis, & ad notitiam quam habet de ipſo reuelato.

Secundò poteſt dici, quòd ſi cognitio illius reuelati non maneat in intellectu ſuperioris, quia cognitio tandiu eſt, quandiu cauſatur, ſiue continuatur, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. *quæſt. vlt. &* *in iſto ſecundo, diſt.* 2. *quæſt.* 4. *&* *quæſt.* 13. *quodlib.* tunc virtute intellectus, & talis cognitionis poterit cauſari, vel derelinqui aliqua ſpecies intelligibilis perfectè repræſentans huiuſmodi cognitionem,

cognitionem, & hoc prolixè patebit *in quarto, diſt.45.*& tunc intellectus Angeli ſuperioris cum tali ſpecie intelligibili ſupplente vicem obiecti, poterit cauſare cognitionem in intellectu Angeli inferioris, quæ cognitio terminabitur ad cognitionem obiecti reuelati exiſtentem in intellectu Angeli ſuperioris, quia non poſſet loqui de tali reuelatione, niſi vt actu cognoſcens, vt ſuprà patet, & ſic poterit cognoſcere illam, & per illam poterit tandem cognoſcere ipſum reuelatum.

4 Sed tunc videtur difficile, quia non videtur neceſſe, quòd intellectus, cui immediatè reuelatur aliquod verum, quòd ſe conuertat priùs ad intellectum reuelantem, ad hoc vt poſſit cognoſcere tale reuelatum.

Reſpondeo primò, quòd fortè non eſſet inconueniens ponere talem intellectionem, quæ eſt in Angelo reuelante, poſſe partialiter cauſare notitiam talis reuelati, vt præcisè habet *eſſe* reuelatum, quia licèt prima cognitio illius reuelati, quæ habetur in intellectu reuelante, non poſſit haberi, niſi virtute continentis tale reuelatum, tamen habitâ illâ, non videtur fortè inconueniens, quòd poſſit alia cauſari ſimilis illi primæ, per quam immediatè cognoſcat tale reuelatum, & ſic poſſet concedi, quòd talis cognitio partialiter cauſans, virtualiter contineat obiectum reuelatum ſub illa ratione, quâ eſt reuelatum, licèt non abſolutè contineat.

Dico ſecundò, quòd ex quo ſecunda cognitio in intellectu audiente eſt eiuſdem rationis cum illa alia, & præcisè cauſata partialiter à notitia eiuſdem reuelati, quod poterit immediatè terminari ad ipſum reuelatum. Secundò principaliter poteſt ſecundùm aliquos dici quòd Angelus ſuperior ſufficienter poſſit illuminare Angelum inferiorem, de vero reuelato, nullo alio concurrente in ratione obiecti intelligibilis. Reſponſio tamen prima videtur magis ad propoſitum.

b *Sed eſt dubium, vtrùm ſuperior illuminans, &c.*

5. *Difficultas cum ſuis ſolutionibus.* In iſta litera occurrunt aliquæ difficultates. Prima in hoc, quòd cognitio Verbi eſt merè ſupernaturalis, ita quòd non ſubeſt cauſalitati alicuius cauſæ creatæ, quia quæro, aut Doctor in iſta litera abſolutè intelligit, quòd viſio ipſius Verbi in ſe à nulla cauſa creata poteſt cauſari, vt à cauſa totali; aut intelligit quòd intellectus habens viſionem Verbi in ſe, non poſſit ſimilem cauſare in intellectu alterius. Primo modo non eſt ad propoſitum literæ, vt patet. Si ſecundo modo intelligit, Contrà, quia intellectus habens huiuſmodi viſionem, poteſt cauſare ſimilem viſionem in intellectu alterius Angeli, & talis viſio cauſata videtur poſſe terminari ad Verbum in ſe, ſicut & prima. Et præterea intellectus habens viſionem cauſatam ab illa prima, poteſt ſe conuertere ad illam primam, & tandem videre obiectum viſionis primæ, ſicut & Doctor dixit ſuprà, quòd vltima perfectio intellectus audientis, quòd habita cognitione, quæ dicitur *auditio*, poteſt ſe conuertere ad intellectum loquentis, vt ad notitiam obiecti, de quo loquens loquitur, & tandem per illam ab obiectum, de quo loquitur, ſic erit in propoſito. Præterea hoc videtur eſſe contra illud, quod ſuprà dixit, videlicet quòd intellectus Angeli poteſt videre in intellectu alterius aliquid intuitiuè; ergo ſimiliter videtur ſequi, quòd ſi vnus Angelus videt Verbum intuitiuè, quòd illud idem poterit videre intellectus alterius Angeli in intellectu ipſius videntis.

Reſpondeo, quòd intelligendo literam primo modo, adhuc ſtat propoſitum literæ, quia ſicut nullus intellectus creatus poteſt cauſare viſionem Verbi, ita nec viſionem lapidis, vt in Verbo. Loquendo tamen de alio ſenſu, qui magis videtur ad propoſitum literæ. Dico primò, quòd conceſſo vnum Angelum poſſe cauſare ſimilem viſionem, quam in ſe habet de Verbo, illa tamen viſio cauſata non erit viſio Verbi, ſed erit viſio alicuius creaturæ, ſcilicet illius viſionis primæ, vt *ſuprà* patuit, & ſic non ſequitur quòd per illam videat Verbum in ſe. Et cùm dicitur, quòd habita illa viſione poteſt ſe conuertere ad viſionem primam, conceditur. Et cùm infertur, quòd viſa illa prima poteſt videre Verbum in ſe, negatur, quia videndo illam, videt in ratione obiecti viſibilis, ſi enim debeat videre Verbum in ſe, oportet habere viſionem, quæ immediatè terminetur ad Verbum in ſe: & patet, quia nec Angelus reflectens ſe ſuper viſionem, quam habet de Verbo ex tali viſione reflexa præcisè cognoſcit primam viſionem. Et cùm dicit Doctor quòd *audiens, vt conuertit ſe, &c. videt obiectum*, &c. non dicit quòd cognoſcendo cognitionem, quæ immediatè terminatur ad obiectum, cognoſcat illud obiectum, ſed benè per illam cognitionem habitam poterit poſtea inueſtigare obiectum, cuius eſt talis cognitio, & tandem per aliquam aliam cognitionem cognoſcit illud. Dico etiam, quòd aliud eſt cognoſcere cognitionem aliquam abſolutè; & aliud cognoſcere ipſam ſub illa ratione, quâ terminatur ad obiectum, vt ſic dicat relationem realem ad obiectum, & ſic terminat, inquantùm exiſtens, vt dicit Doctor in quodlib. *quæſt.14. art.3.*

6. *Reſponſio.*

7. Concedo igitur, quòd Angelus videns Verbum in ſe, poteſt cauſare in intellectu alterius Angeli ſimilem viſionem, quæ terminetur ad viſionem, quam habet, vt ad talem entitatem abſolutam, ſed non poteſt cauſare illam, vt terminetur ad viſionem, quam habet ſub illa ratione, quâ terminatur ad Verbum in ſe, quia cognitio talis relationis præcisè dependet ab illa prima notitia, & ab ipſo Verbo in ſe, tanquam à fundamento, & termino, & ſic viſio Verbi non poterit cauſari in aliquo intellectu ab alio Angelo, etiam videnti in ſe Verbum.

Dico tertiò, quòd poſito quòd ſimilis viſio poſſet cauſari in alio Angelo, non tamen ſequitur quòd ille alius Angelus per illam viſionem cauſatam, nec per aliam, cuius eſt talis viſio cauſata, poſſit cognoſcere Verbum in ſe, quia vltra hæc omnia requiritur præſentia Verbi in ſe, quia præſentia nulli creaturæ quantumcunque perfectæ ſubeſt, & vltrà etiam poſita tali præſentia in ratione obiecti intelligibilis, adhuc requiritur quòd voluntas diuina velit concurrere ad viſionem Verbi in ſe, ſupplendo vicem talis obiecti in ſe, quæ omnia à ſola voluntate dependent, & ex his patet, quòd etiam loquendo ſecundùm illum ſenſum, magis videtur ad propoſitum literæ, quòd viſio Verbi nullo modo ſubeſt cauſalitati cuiuſcunque cauſæ ſecundæ.

8. *Difficultas.* Secunda difficultas eſt ibi, quòd nulla viſio alicuius creaturæ in Verbo ſubeſt cauſalitati creatæ. Pono enim, quòd nullus Angelus videat in Verbo lapidem, tunc videtur, quòd poſſit cauſare cognitionem lapidis, vt in Verbo: patet quia Angelus habens lapidem perfectè præſentem in Verbo,

Verbo,'poteſt immediatè cauſare viſionem ipſius lapidis,concurrente ipſo lapide,vt alia cauſa partiali, quæ viſio immediatè terminabitur ad lapidem,vt in Verbo.

Dico,quòd habere lapidem præſentem, vt in Verbo, eſt ipſum habere præſentem præcisè virtute ipſius Verbi, vel virtute perfectè ſupplentis vicem ipſius Verbi, & ſic ipſe lapis præcisè fit præſens illi intellectui, vt in Verbo, à voluntate diuina, & ſic talis præſentia per nullum creatum haberi poteſt. Similiter dico, quòd videre lapidem, vt in Verbo, talis viſio merè dependet,ſaltem vt à mera cauſa partiali,ab ipſo Verbo, vel ab aliquo perfectè ſupplente vicem Verbi, cuiuſmodi eſt voluntas diuina;licèt ergo vnus Angelus poſſet cauſare notitiam lapidis in ſe exiſtentis, & in proprio genere,ſic quòd concurrat partialiter ad huiuſmodi notitiam,eſt tamen ſimpliciter impoſſibile,quòd poſſit cauſare notitiam intuitiuam lapidis,vt in Verbo, ſic quòd per illam videatur lapis in Verbo, præſentia enim lapidis, vt in Verbo,ratione obiecti intelligibilis reſpectu intellectus creati principaliter dependet à voluntate diuina, & ſic patet ſolutio difficultatis. Poſſent adduci aliquæ difficultates, quas breuitatis causâ,ne legentibus tædio ſim,omitto. 9.

c *Ad argumenta principalia primæ quæſtionis.*

Ad primum reſpondet Doctor, quòd poteſt cauſare illam auditionem,id eſt, viſionem perfectiuam in *eſſe* ſecundo, & tamen non ſequitur, quòd creet eam: quia creatio eſt actio non concurrente alia cauſa alicuius generis, niſi tantùm primo efficiente,& primo fine. Licèt enim illius auditionis nihil præfuerit, non tamen dicitur creari, quia aliquam cauſam poſſe creare vltra hoc,quòd producit effectum de nihilo ſui,excludit etiam omnem aliam cauſalitatem:modò Angelus ſuperior non poteſt excludere cauſam primam,nec etiam poteſt excludere cauſam materialem,quia non immediatè poteſt cauſare,niſi præſuppoſitâ materiâ, ſiue receptiuo,& quòd tale ſic præſupponens non dicatur creare, patebit infrà *diſt.*18.*&in* 4.*diſt.*1.*quæſt.*1.

d *Ad ſecundum dico,quod viſio,*&c. Sequitur: *Poteſt tamen concedi, quòd ſicut in potentia ſunt ad aliquid,quod eſt lumen,* id eſt,quòd ſicut Angeli ſunt in potentia ad notitiam lapidis, quæ dicitur lumen, ita ſunt in potentia ad carentiam ipſius, quæ carentia dicitur tenebra, & hoc non eſt inconueniens. Cætera patent.

SCHOLIVM.

In ſolutione ad primum, tenet Angelum poſſe ſcire cogitationes aliorum, quia non magis poteſt cogitatio ei abſcondi, quàm cauſa eius,de quo magna controuerſia eſt cum Thomiſtis 1. *p.q.*57.*a.*4.*ad tertium. Docet Angelum acquirere notitiam à rebus, epilogando quæ de hoc dixit ſupr.d.*3.*q.vlt.à num.* 11. *vbi repetit fere eaſdem ſolutiones quas ibi dedit ad rationes in contrarium.*

Angelum ſcire poſſe ſecreta cordis.

AD argumenta a ſecundæ quæſtionis.

Ad primum, licèt aliqui dicant, quòd Angelus poteſt intellectionem ſuam per actum voluntatis ſuæ occultare, & non occultare: & iſtud non occultare, eſt loqui: tamen non videtur, quare aliquid actu intelligibile eſſet præſens intellectui paſſiuo, & non poſſet ipſum immutare. Nec videtur maior ratio b quare per voluntatem ſuam poſſit occultare magis intellectionem ſuam, quàm eſſentiam. Quare etiam c alius Angelus, cui vult occultare intellectionem ſuam, non poteſt videre illam volitionem, ſi ponatur illa ocultari:ergo per aliam volitionem,& ſic in infinitum. 27.

Et ideò ſi concedatur d quòd cognitio huius Angeli eſt præſens alij ſicut eſſentia ſua:tamen locutio poteſt eſſe,quâ exprimitur iſta cognitio,vel cogitatio;non propter hoc quòd ſine tali expreſſione non poſſit videri, ſed quia ſine expreſſione, non cognoſceretur cognitione illa,quæ eſt auditio; & etiam frequenter ſine auditione præuia, non eſſet viſio huius cognitionis.

Non fruſtra audit Angelus quod antea intellexit.

Et ſi dicas e quòd tunc ſaltem poteſt fruſtrà loqui,ex quo poſſet illud eſſe manifeſtum,de quo vult loqui,ſine locutione. Dico,quòd licèt Angelus priùs videret intellectionem alterius Angeli, quàm haberet auditionem ab eo, non tamen fruſtrà eſſet auditio: quia eſſet per ſe perfectio communicata Angelo, ab alio Angelo liberaliter;& ad hoc potiſſimè eſt locutio in intelligentibus: vt liberaliter, & liberè communicent ſibi inuicem conceptus ſuos. Si autem cogitatio huius videretur in hoc,iſte liberaliter non communicat ſuum conceptum alteri, ſe enim habet iſte in iſta viſione, ſicut non intelligens, & non volens: quia iſta cogitatio eſt naturaliter viſibilis. Naturaliter autem actiuum,& motiuum ad ſui viſionem,ſimili modo ageret,ſi non eſſet in intelligente,& volente.

Similiter etiam auditio f quando præcedit, excitat ad intellectionem viſionis Angeli loquentis:ita quòd licèt illa viſio poſſet eſſe ſine excitatione,non tamen eſt ſine.

Confirmatur iſtud,ſcilicet,quòd non ponatur fruſtrà iſta locutio;quia Angeli conceduntur loqui Deo, & tamen non poſſunt aliquid ſibi facere manifeſtius, quàm priùs,nec etiam aliud, vel alio modo manifeſtum quam prius: & tamen hæc poſſunt eſſe in Angelo, ſed tantùm ex liberalitate, velle hoc eſſe patens Deo appetunt omnino

nino quantum poſſunt;ita quòd ſi poſſent cauſare in eo conceptum illum,cauſarent: & hoc eſt loqui Deo:magis ergo neceſſaria eſt hæc locutio.

Ad 2. In ſol.2.q.à n.16.

Ad ſecundum argumentum,patet ex dictis,quomodo poteſt vnus Angelus alij diſtanti Angelo loqui, nihil agendo in medium : & quomodo vni,& non alteri, ſiue propinquiori,ſiue magis diſtanti. 28.

Ad 3. ſupra d. 3. q.10 & 11.

Ad tertium [g] dico quòd etſi verum ſit,Deum communicaſſe Angelo ſpecies omnium quiditatum,tamen ſi non eſſent illæ ſpecies communicatæ,ſiue concreatæ, non eſſet inconueniens Angelum acquirere illas : quia illud quod eſt perfectionis in inferiori intellectu,non eſt negandum ab intellectu ſuperiori, & perfectiori : perfectionis autem in intellectu noſtro eſt, quòd habeat aliquid quo actiuè poſſit acquirere ſpecies omnium quiditatum, ita quòd licèt poſſe recipere tales ſpecies ſit imperfectionis,tamen actiuè poſſe eas acquirere perfectionis eſt,ſupplentis imperfectionem:quales ſunt communiter perfectiones creaturarum.

Supra 3. q.11.n.11.

Similiter etiam dato [h] quòd Deus communicauerit ſpecies quiditatum;non oportet tamen dicere, quòd communicauerit ſpecies omnium ſingularium intelligibilium ab Angelo. Non enim eſt veriſimile quòd poſſibile eſſet aliquid ſingulare fieri, cuius non poſſet Angelus habere diſtinctam notitiam, & tamen ſi mundus duraret in infinitum, ſicut eſt poſſibile durare, eſſent infinita ſingularia, quorum quodlibet poſſet Angelus diſtinctè cognoſcere, & tamen non haberet ſimul infinitas ſpecies concreatas:ergo poſſet ſpeciem alicuius de nouo acquirere.

Supra d.3. q.vlt.n.12.

Dato etiam [i] quòd tam ſpecies ſingularium, quàm quiditatum communicauerit Deus intellectui Angeli, adhuc tamen per illas non poteſt habere omnem cognitionem ſibi poſſibilem, quia non intuitiuam. Iſta enim non poteſt haberi per ſpeciem obiecti, quæ manere poteſt, obiecto abſente. Hoc autem eſt contra rationem cognitionis intuitiuæ, quòd ſit de re non actualiter exiſtente, & præſentialiter. Negetur ergo propoſitio illa aſſumpta, quòd nihil poteſt Angelus cognoſcere niſi per ſpeciem innatam. 29.

Etiamſi Angelus non acciperet notitiam à rebus adhuc eſſet loquutio.

Et dato quartò [k] quòd eſſet vera, adhuc poſſet eſſe locutio de complexis:quorum incomplexorum habet ſpecies innatas : quia iſtæ ſpecies non eſſent ſufficientes cauſæ cognoſcendi complexionem vnionis contingentis de ipſis extremis:quia talis contingens non cognoſcitur eſſe verà ex terminis.

Ad prob.1.

Ad probationes illas [l] quæ adducuntur, quòd non poſſunt habere ſpecies acquiſitas Reſpondeo ad primam, quòd habet intellectum agentem, & poſſibilem, & cùm hoc improbatur de intellectu agente. Dico quòd obiectum ſuum primum, id eſt, adæquatum non eſt eſſentia ſua; ſed totum ens comprehendens ſub ſe ſpecies intelligibiles, & ſenſibiles. Licèt autem eſſentia ſua ſit actu intelligibilis, non tamen ſingulare ſenſibile, loquendo de intelligibili intellectione abſtractiua tali, quali cognoſcitur vniuerſale.

Vide clarius 14. q.quodl.

Licet concrearetur ſpecies, ſimul cum intellectu, eſſet in potentia ad eas.

Cùm etiam [m] improbatur de intellectu poſſibili,quòd non eſt in potentia ad actum primum. Dico, quòd ſi ſuperficies eſſet creata ſub albedine, non minùs eſſet de ſe receptiua albedinis : quia potentia receptiua non oportet quod præcedat duratione actum, ad quem eſt; ſed tantùm natura : ita intellectus Angeli, licèt creatus eſſet ſub omnibus ſpeciebus intelligibilium;eſſet tamen verè poſſibilis, & verè in potentia ad actum primum:licèt illum nunquam duratione præcederet,nec in nobis etiam negaretur poſſibilis,ſi creatus fuiſſet ſub ſpeciebus intelligibilibus, quia ſimultas durationis non aufert rationem paſſiui. 30.

Eodem etiam modo, ex alia parte, dato quòd Angelus non indigeret abſtrahere aliquas ſpecies; ſed haberet omnes tales concreatas, non minùs haberet potentiam abſtrahendi:quia potentia actiua, quæ eſt perfectionis in natura inferiori, non debet negari in natura ſuperiori; licèt cauſa ſuperior præuenerit actionem inferioris illius potentiæ actiuæ : ſicut non negaretur in nobis intellectus agens,dato quòd agens noſter non poteſt habere actum aliquem abſtrahendi : non ratione ſui, ſed quia præueniretur ab aliquo agente ſuperiori producente effectum, qui poſſet per eum produci.

Ad prob.2. Angelus quomodo dependet à corpore in operando ?

Ad ſecundam [n] ſi arguitur vniformiter, concedo totum : Angelus enim eſt ſine corpore,quod ſit pars eius,vel organum eius in operando & ita conclude, quòd non dependet à corpore,vel vt à parte vel organo eius, mediante quo operetur : ſed non ſequitur, quòd non dependeat à corpore,vt obiecto:omnis enim intellectus paſſiuus, qui non poteſt in ſe habere totam perfectionem obiecti, dependet ab obiecto, circa quod operatur,& proportionabiliter,ſecundùm proportionem obiecti. Et cùm dicitur

de

de vnione animæ ad corpus: dico,quòd non tantùm vnitur vt operetur circa corpus, vt obiectum: ſed vnitur, vt totum compoſitum ſit, cuius ipſa eſt pars: ita quòd totum operans habet corpus: non tantùm pro obiecto,ſed pro parte operantis: non ſic autem Angelus. *De hoc 4.d. 44. q.2. & 1.d.3.q.6.*

31. Ad tertiam [o] dico,quòd concluderet, quòd Deus non poſſet intelligere ſingulare: quia non poſſet habere obiectum in illo *eſſe* medio, ſcilicet imaginabili: ideò dico, quòd medium agenti inferiori, alij agenti perfectiori non eſt medium: ſicut dictum eſt in q. de motu Angeli, licèt ſit poſſibilis ſucceſſio in medio, non tamen actualis ſucceſſio, niſi comparando ad virtutem limitatam, cui illud medium eſt,quod eſt ex ſe medium inter extrema:nec poteſt facere ſimul mobile, ſub medio,& termino:nec ſtatim ſub termino, quaſi non eſſet medium: ſecus autem de virtute infinita. Similiter ſi oportet calorem imperfectum procedere per multos gradus, vſque ad gradum *A*, omnes illi gradus calori perfecto non eſſent gradus medij: quia ſtatim inciperet ab ipſo *A*. Ita dico, quòd intellectus agens perfectior, poteſt ſtatim ab obiecto ſenſibili cauſare ſpeciem intelligibilem, in qua res habeat *eſſe*, vt actu intelligibile,virtus autem imperfectior poteſt requirere *eſſe* imaginabile, ſicut diſpoſitionem mediam ad *eſſe* intelligibile. *Ad prob.3.* *Medium agenti inferiori non eſt neceſſario medium ſuperiori.*

Aliter poſſet [p] reſponderi, dicendo quòd *eſſe* imaginabile non eſt medium in propoſito, ſed extremum: quia duo extrema ſunt hîc intelligibile in actu & non intelligibile in actu: & licèt hoc extremum, quod eſt *non intelligibile in actu*, poſſet habere multa extrema; puta *eſſe ſenſibile*, *eſſe imaginabile*, &c. accidit tamen in quo iſtorum ſit illud extremum:quia omnia iſta habent illud extremum & ab illo extremo, vt in vno iſtorum,poteſt aliqua virtus immediatè agere ad aliud extremũ,aliqua autẽ non. *Imaginabile non eſſe medium inter ſenſibile & intelligibile.*

Ad quartam dico,quòd illa congruentia, de corporibus cœleſtibus non concludit. Nam ſi qualitates illæ non eſſent concreatæ corpori cœleſti, cùm nihil ſit datum ei, vnde poſſet illas qualitates acquirere, ſemper eſſet non perfectum, comparando ad ſe, & ad omnem cauſam naturalem: quia nulla cauſa naturalis poteſt illas qualitates producere in corpore illo. Vniuerſaliter autem omnem perfectionem, quam non poteſt natura ſupplere,ſupplet Deus immediatè. Non ſic autem eſt in propoſito, quia Angelus habet, vnde cum aliis cauſis naturalibus cooperantibus poſſit talem perfectionem acquirere, ſcilicet omnium rerum cognitionem:dato quòd ſibi non eſſent concreatæ ſpecies. Poſſet enim cuiuſcunque obiecti, ex naturali virtute intellectus & obiecti,habere intellectionem:nam actione intellectus & obiecti, vt cauſarum partialium, poteſt habere ſpeciem quiditatis, cuiuſcunque obiecti: & poſtea vti illa ſpecie ad intellectionem abſtractiuam. *Ad 4.prob. Quare corpora cæleſtia habent ſuas qualitates concreatas, angeli non?*

Et cùm [q] poſtea accipitur, quòd tunc obiectum ageret ad intellectionem Angeli: concedo quòd verum eſt cum intellectu Angeli. Et cùm accipitur, quòd duo diuerſa genere,non poſſunt eſſe cauſa vnius effectus. Dico,quòd hoc eſt vniuerſaliter falſum. Nam eſſentialis ordo cauſarum non eſt indiuiduorum eiuſdem ſpeciei. Patet per Auicennam *6.c.Metaph.* Indiuidua enim eiuſdem ſpeciei non ſunt ad inuicem ordinata:neque ordo eſſentialis cauſarum [r] eſt diuerſorum ſpecie. Talia enim ſunt contraria, vel media, quæ non ordinantur eſſentialiter ad cauſandum idem: ergo omnes cauſæ efficientes diuerſæ,eſſentialiter ordinatæ,ſunt diuerſæ genere. *Ad 5. probat. Obiectum agit partialiter 1. d.3.q.7. 3. & 1. 11.*

32. Et cùm probatur [s] vlteriùs,quia aut requiruntur inquantùm eadem genere,&c. *Non negat eundem effectum poſſe prouenire à pluribus cauſis numero 1. d.3.q.8. Eſt dicere quod non refert, an ſint eiuſdem vel diuerſi generis vt effectus ſit ab eis.*

Dico,quòd vtrunque membrum poteſt dari, propter argumentum, quod fit contra ipſum. Si enim dicatur, quòd requirantur, inquantùm ſunt altera genere, non ſequitur quin effectus ſit homogeneus, & ſimplex effectus. Effectus enim ſimpliciſſimus poteſt cauſari à cauſis eſſentialiter ordinatis, quæ differunt genere. Patet hoc de calore, qui gignitur à corpore cœleſti, & igne, vel à ſubſtantia & qualitate, quorum prima duo differunt genere Phyſico; alia autem duo, genere prædicamentali: & tamen effectus eſt ſimplex, non compoſitus ex rebus diuerſis genere. Sic hoc eſt vniuerſaliter falſum, [t] quòd effectus ordinati ab aliqua cauſa, requirant duas naturas in effectu,quarum vna ſit cauſata à ſuperiori, & alia ab inferiori. Tunc enim non eſſent effectus ordinati, reſpectu vnius, nec alterius. Nam hoc eſſet immediatè cauſatum ab vna cauſa, & hoc immediatè ab alia. Si autem detur [u] aliud membrum, quòd non requirantur inquantùm altera genere, non ſequitur quòd tunc tantùm poſſet vnum intendi, quod ſufficeret ad agendum. Aliqua enim perfectio cauſalitatis tequiritur in duobus, licèt non oporteat eſſe diuerſa genere, quæ perfectio non poteſt eſſe in altero eorum,quantumcunque intenſo;ita nec effectus eorum.

Sed non curando [x] de conſequentiis,quæ non valent ad veritatem:dico,quòd non requiruntur per ſe, inquantùm diuerſa genere, diuerſitate abſoluta. Benè enim requiruntur duæ cauſalitates ad intellectionem, quarum vna cauſalitas ſit ex parte intellectus, & alia ex parte obiecti;ſed quandoque iſtæ duæ cauſalitates poſſunt concurrere in vna natura : ſicut quando intellectus intelligit ſe. Nam altera cauſalitas, eſt communis toti enti:illa ſcilicet,quæ eſt ex parte obiecti : reliqua autem eſt determinata ad determinatam naturam,ſcilicet intellectualem,& ſic in natura intellectuali concurrit iſta cauſalitas communis cum illa ſpeciali. Non ergo [y] requiruntur per ſe ad cauſandum inquantùm differentes genere, diuerſitate abſoluta ; & concedo non propter argumentum in ſe,quia ſecundùm veritatem, in eodem poteſt concurrere vtraque cauſalitas.Nam vbi eſt illa entitas, [z] quam conſequitur cauſalitas obiecti:& illa entitas,quam conſequitur cauſalitas intellectus, idem poteſt eſſe totalis cauſa ſecundùm vtranque cauſalitatem,reſpectu intellectionis. 33.

Sed adhuc obiicitur [a] quia licèt diuerſa genere poſſint cauſare idē, non tamen ſic diuerſa genere,vt intelligibile,& ſenſibile:aut ſaltē non poſſunt cauſare, quin vnum agat in virtute alterius,& ita vel obiectum ageret in virtute intellectus,vel è conuerſo:& non erunt duæ cauſæ agentes ad effectum ex æquo.

Reſpondeo. Dico,quòd ſi arguatur ex ratione diuerſitatis genere,& applicetur ad intelligibile,& ſenſibile;quaſi magis hoc concludat in illis, quàm in aliis;receditur à medio,vnde arguitur : quia hic non eſt maior diuerſitas generis,quàm in aliis.Magis enim ſunt diuerſa ſubſtantia,& accidens,quæ ſunt diuerſa generaliſſima, quàm ſubſtantia ſenſibilis, & intelligibilis, quæ ſunt eiuſdem generis generaliſſimi. Poſſunt enim ſubſtantia,& accidens eſſe cauſæ agentes,reſpectu eiuſdem effectus,etiam ſimplicis,vt caloris:& in propoſito etiam dico,quòd ad actionem illam,quæ conſequitur omne ens, neceſſe eſt ſenſibile operari,ſicut & intelligibile.Senſibile enim eſt quoddam ens. Talis autem [b] actio eſt immutare intellectum, & ideò accidit ſenſibili illa differentia generis, quam habet ad intelligibile, inquantùm ſenſibili conuenit immutare intellectum: quia illud non competit ſibi præcisè, inquantùm non eſt intelligibile:ſed competeret ſibi ſi eſſet intelligibile. Nec poteſt aliquid ita differre genere ab intelligibili quaſi ſit in genere diſparato:quia quodcunque ens quantumcunque ſenſibile,eſt tamen intelligibile. Quidquid enim poteſt virtus inferior per ſe, & non primò ; hoc poteſt virtus ſuperior per ſe & primò. Quando ergo dicitur, quòd ita diuerſa genere,ſicut ſunt intelligibile, & ſenſibile,non poſſunt cauſare idem,nec concurrere ad eandem actionem,falſum eſt de illa actione,in qua ſenſibile eſt quoddam intelligibile.

Quæ actio ſequens omne ens? Intelligibile & ſenſibile ad idem concurrere.

Et cùm addis [c] quòd vnum agit in virtute alterius. Dico, quòd *A* agere in virtute *B*, poteſt intelligi dupliciter: vel quòd *A* recipiat ab ipſo *B* formam, quâ agat: vel quòd habitâ formâ, recipiat ab ipſo ipſam actionem, vel motum ad actionem.Secundo modo cauſa efficiens non agit in virtute alterius. Nam ignis habens formam actiuam quâ agit, non accipit actionem calefaciendi à Sole, ſiue ſpecialem motionem ad calefaciendum : tantùm igitur dicitur ibi, inferius agere in virtute agentis ſuperioris, quia formam illam aliquo modo accipit à ſuperiori : ſic agentia naturalia ordinata, habent formas ſuas ordinatè ; ita quòd elementum recipit formam ſuam aliquo modo à corpore cæleſti,vt à ſuperiori agente. In propoſito autem,[d] nec actum primum,nec ſecundum accipit vna cauſa partialis ab alia : & ideò neutro modo in propoſito dicitur vna cauſa agere in virtute alterius ; nec etiam hoc eſt de ratione cauſarum ordinatarum agentium,quòd ſcilicet vna agat in virtute alterius;ſed ſufficit quòd vna principaliùs agat,quàm alia. 34.

Vna cauſa dicitur agere in virtute alterius dupliciter.

Ad illud Auguſtini 12.ſuper Geneſim,reſponſum fuit *diſt.3.primi lib.* ibi enim probat Auguſtinus quòd corpus non poteſt eſſe totalis cauſa alicuius actionis in ſpiritum ; quod concedo. Poteſt tamen eſſe cauſa partialis, quia patiens poteſt excedere in nobilitate cauſam partialem agentem. Nam iſta propoſitio 12. *ſuper Gen.* vt aliàs dictum fuit, dependet ab iſta : cauſa, vel agens præſtantius eſt effectu ; & effectus vt actus præſtantior eſt receptiuo actus, vt potentia. Quarum prima non eſt vera, niſi de virtute agente totali:nec ſecunda,niſi de perfectione ſimpliciter:ergo nec iſta, quæ infertur de actiuo comparato ad paſſiuum erit vera,loquendo de agente partiali: & ita non oportet quòd illud agere ſit in virtute partialis agentis.

Quæſt.6. An corpus agat in ſpiritum? Vide in 4. d.44.q.2. & in 1.d.3. q.7.

Ad vltimum, cùm arguitur, quòd ſimile cognoſcitur per ſuum ſimile, in Angelo non concludit inconueniens;quia Angelus poteſt habere cognitionem;tam abſtractiuam

Angelum cognoſcere

ctiuam, quàm intuitiuam; de ſingulari, ſecundùm rationem propriam. Non enim neganda eſt perfectio ab illo intellectu, ad quam negandam non habetur ratio manifeſta. Perfectionis autem eſt in intellectu, poſſe diſtinctè cognoſcere ſingulare, aliàs non competeret intellectui diuino.

ſingulare ſub propria ratione. Vide ſup. d.3.q.11.

Sed ſi arguatur [c] de intellectu noſtro, quòd phantaſma in nobis, quod eſt obiecti ſingularis, gignit ſpeciem intelligibilem: ergo reducit intellectum ad actum. reſpectu ſingularis, dico, quòd in illatione eſt fallacia conſequentis: non enim ſimilitudo concludit omnem ſimilitudinem. Phantaſma quidem gignit ſpeciem ſibi ſimilem,& repræſentatiuam obiecti,ſimilitudine naturali, ſed non ſimilitudine determinationis, vel indeterminationis. Nam iſta ſimilitudo poteſt auferri ratione intellectus agentis concauſantis, qui poteſt tribuere effectui maiorem indeterminationem, quàm potuit habere à ſolo phantaſmate:ita quòd ſimilitudo eſt naturæ repræſentatæ,ſiue phantaſma ſit cauſa totalis, ſiue partialis,ſed de ſimilitudine determinationis, vel indetetminationis, non eſt omnino ſimile, concurrente agente potente tribuere maiorem indeterminationem.

Phantaſma quomodo concurrit ad ſpeciem intelligibilem.

COMMENTARIVS.

1. *Solutio argumentorum principalium.*

a NVnc ſoluenda ſunt argumenta principalia quæſtionis ſecundæ, quæ eſt de locutione Angelorum.

Primò enim arguit Doctor, probando quòd vnus Angelus non loquatur alteri.Et prima ratio ſtat in hoc, quia ſi Angelus *A* poſſit videre intuitiuè eſſentiam Angeli *B*,à fortiori, & omnem intellectionem exiſtentem in eo, & per conſequens non eſt neceſſaria locutio.

Antequam reſpondeat, præmittit reſponſionem aliquorum, qui dicunt, quòd licèt Angelus audiens videat eſſentiam Angeli loquentis, non tamen ſequitur quod videat intellectionem illius obiecti, de quo loquens vult loqui, quia ipſe loquens poteſt occultare per voluntatem ſuam ipſam intellectionem, vel non occultare, & iſtud *non occultare* eſt loqui.

Tunc Doctor improbat hanc reſponſionem tripliciter.

Primò, quia ſi eſſentia Angeli loquentis eſt perfectè præſens intellectui audientis,& per conſequens etiam erit perfectè præſens intellectio obiecti,de quo loquens vult loqui, & ſic de neceſſitate in intellectu audientis cauſatur, vel intellectio intuitiua obiecti, ſi obiectum eſt in ſe præſens;vel ſi eſt præſens per ſpeciem intelligibilem, neceſſariò cauſatur cognitio abſtractiua talis obiecti; vel neutro modo ſit præſens, ſed tantùm intellectio loquentis ſit perfectè præſens intellectui audientis, tunc à tali intellectu audientis,& tali notitia præſente, vel cauſatur notitia obiecti; vel ſaltem cauſatur notitia illius notitiæ primæ, ſicut dixi ſuprà,ſicut etiam ſi obiectum eſt præſens, vel ſpecies intelligibilis:quia actiuo naturali, & paſſiuo debitè approximatis, & non impeditis,de neceſſitate ſequitur actio, vt ſuprà patet *quæſt. prima prolog.* ergo ſi eſſentia vnius Angeli erit perfectè præſens in ratione obiecti intellectui alterius Angeli,qui dicatur *A*, ſequitur quòd etiam intellectio obiecti fundata in alio Angelo,qui dicatur *B*, erit perfectè præſens ipſi *A* in ratione motiui, cùm ſit verum ens reale,& abſolutum,vt patet à Doctore, *quæſt.23.* Quodlibetorum: & per conſequens ipſa intellectio, vt cauſa partialis, cauſabit in intellectu *A* intellectionem ſui,vel obiecti concurrente intellectu *A*,vt alia cauſa magis principalis:nam ſtante tali præſentia vtriuſque non poteſt impediri, quin cauſetur talis intellectio in intellectu *A*,quia ſtante approximatione agentis naturalis, & paſſi,& debita approximatione,à nullo agente creato poteſt impediri actio, vt Doctor oſtendit *in 4.diſt.49.* & ſic non erit in poteſtate Angeli loquentis, ſtante præſentia talis intellectionis, quòd Angelus *A* non videat talem intellectionẽ.

2. *Nota.*

Secundò improbatur illa ratio ibi,*Nec videtur maior ratio,quare per voluntatem ſuam*,&c. Dicit Doctor, quòd ſi eſſentia *B* per actum voluntatis poteſt occultare talem intellectionem, quare etiam non poſſit occultare eſſentiam propriam, cùm illa ſit intimior, non videtur ratio. Si enim aliquod corpus ſit perfectè præſens potentiæ viſiuæ,nullo modo impeditæ, ita quòd ſecundùm ſe totum ſit perfectè præſens, & in tali corpore ſit aliquis color perfectiſſimus,voluntas exiſtens in tali corpore,vt eſt perfectè præſens potẽtiæ viſiuæ,non poteſt ipsũ occultare,ſequitur quòd nec etiã poterit occultare colorẽ exiſtentẽ in corpore.

c Tertia ratio eſt ibi: *Quare etiam alius Angelus*,cui vult occultare intellectionem ſuam,&c. Dicit poſito quòd *A* non videat cognitionem obiecti,de quo *B* vult loqui, quia *B* poteſt ipſum occultare per aliquam volitionem,quæ dicatur *C*, quæro,an *A* videndo *B* videat perfectè *C*? ſi ſic, habetur intentum, quia videndo talem volitionem terminatam ad intellectionem, videbit etiã ipſam intellectionem: ſi non, igitur ipſa volitio occultabitur per aliam volitionem, & ſic vel erit proceſſus in infinitum in volitionibus, vel ſtandum eſt ad vnam, quâ visâ occultatiuâ, videbitur etiam cognitio occultata.

Si dicatur,vt dicit quidam Doctor, quòd non ſequitur,quòd ſi videam occultatiuum, quòd videam etiam occultatum,& ponit exemplum,quia videtur ſequi quòd ſi video capſam,quòd videam contenta in illa. Sed hoc exemplum non eſt ad propoſitum, quia nulli dubium eſt, quòd ſi videam tantùm in ſuperficie, quòd non videam contenta,ſi tamen viderem ipſam perfectè intùs, & extrà, viderem etiam contenta in illa. Hìc autem in propoſito,cùm eſſentia Angeli ſit omnino indiuiſibilis,quia eſt præſens alicui, & ſecundùm ſe totam perfectè præſens,& ſic videns ipſam videt perfectè intùs, & extrà,licèt non ſit ibi intùs, & extrà,cùm ſit omnino indiuiſibilis, & ſic ipſa viſa poterit videri omne contentum in illa.

Exemplum.

d *Et ideò ſic concedatur*,&c. In iſta litera dicit Doct.tria.Primũ,poſito quòd *A* poſſit videre *B*,& 3.

cognitionem exiſtentem in illo, tamen locutio eſt adhuc neceſſaria, quia ſi *A* videret ipſam cognitionem in ſe, tunc haberet cognitionem de illa partialiter cauſata ab illa in intellectu *A*, & talis cognitio eſt auditio, quia ſine expreſſione non cognoſcetur cognitio illa, quæ eſt auditio: requiritur ergo quòd talis notitia, quæ eſt auditio, exprimat *A* loquentem, inquantùm intelligens, vt ſuprà patet.

e *Et ſi dicas, quòd tunc ſaltem poteſt fruſtrà loqui*, &c.

Dicit Doctor, & hoc erit ſecundum notandum in illa litera, poſito quòd *A* priùs cognouerit Antichriſtum fore, & poſtea hoc verum reuelatur *B*, adhuc *B* poteſt loqui ipſi *A* de tali vero ſibi reuelato, nec tamen ſequitur quòd talis locutio ſit fruſtrà, quia locutio eſt principaliter ad hoc, vt loquens liberaliter exprimat audienti, & tunc talis notitia eſſet perfectio communicata ab *A* ipſi *B* liberaliter: adhuc enim potiſſimè eſt locutio in intelligentibus, vt liberaliter, & liberè communicant ſibi inuicem conceptus ſuos. Si enim cogitatio huius videretur in *B*, tunc *B* non communicat liberaliter conceptum ſuum alteri. Si enim ſe haberet *B* in iſta viſione ſicut non intelligens, & non volens, cùm illa cogitatio ſit naturaliter viſibilis, modò naturaliter actiuum, & motiuum ad ſui viſionem ſimili modo agerent, ſi non eſſet in intelligente, & volente.

Ad quid locutio.

4. f Tertium dictum eſt ibi: *Similiter etiam auditio quando præcedit, excitat ad intellectionem viſionis Angeli loquentis, ita quòd licet illa viſio poſſet eſſe ſine exercitatione, non* tamen communiter *eſt ſine* ea, vt ſuprà patuit: quia habitâ notitiâ, quæ dicitur *auditio*, excitatur intellectus audientis, vt conuertat ſe ad intellectum loquentis, & ad viſionem exiſtentem in eò, vt ſuprà dictum eſt:

Si dicatur, Si *B* vult loqui *A*, puta de obiecto *C*, & *A* habeat notitiam actualem obiecti *C*, tunc quæro, aut *B* ſcit hoc, aut non? ſi primò, ad quid ergo *B* vult loqui *A*, cùm ipſum *A* non poſſit audire, quia ſtante cognitione de obiecto *C*, aliam non poteſt recipere, vt ſuprà patuit, quid ergo cauſabitur in *A*. Si nihil, ergo *B*, non loquitur ipſi *A*, quia *B* loqui *A*, eſt cauſare in *A* cognitionem obiecti, de quo loquitur, vt ſuprà patet.

Si ſecundò, non videtur quòd Angelus loquens ignoret, & poſito etiam quòd ignoret, adhuc non poterit loqui, quia ſtante cognitione de *C*, nullam aliam recipere poteſt de ipſo *C*. Dico, quòd loqui contingit dupliciter. Vno modo propriè, quod eſt cauſare cognitionem in audiente illius obiecti de quo loquitur: & hoc modo *B* non loqueretur ipſi *A*, ſi *A* haberet actualem cognitionem de tali obiecto. Alio modo poteſt ex parte ſua facere ſe præſentem audienti, & ex parte ſua velle oſtendere omne ſibi reuelatum, quamuis nihil cauſet in audiente, cùm non poſſit recipere ſtante perfecta notitia obiecti in ipſo audiente; & hoc modo Sancti loquuntur Deo, & tamen non poſſunt aliquid ei facere manifeſtius, quàm priùs.

Loqui contingit dupliciter.

g Ad tertium argumentum principale. Primò reſpondet ad argumentum in ſe. Secundò ad omnes inſtantias de ſpecie intelligibili.

Quantùm ad primum. Dicit primò quòd ſi ſpecies quiditatum non eſſent concreatæ Angelo, poſſet eas acquirerere, & ex hoc nullum eſſet inconueniens, imò hoc eſſet perfectionis ſupplentis imperfectionem. Perfectionis enim eſt in potentia ordinata ad cognoſcendum plura obiecta abſtractiuè, quòd in ſe poſſit habere principium productiuum talis notitiæ; & perfectionis eſt, quòd habeat virtutem actiuam acquirendi tale principium productiuum, cuiuſmodi eſt ſpecies intelligibilis, vt ſuprà patuit *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 7. *&* 8. *& diſt.* 17

h Secundo dicit, quòd etiã dato quòd habuerint ſpecies concreatas omnium quiditatum, non oportet tamen dicere quòd habuerint ſpecies concreatas omnium ſingularium, ſed illas poſſunt acquirere, vt ſuprà prolixè expoſitũ eſt *d.* 3. *q. vlt.*

i Tertiò dicit, quòd etiam poſito quòd haberet ſpecies concreatas, tam quiditatum, quàm omnium ſingularium, adhuc poſſet acquirere notitiam intuitiuam ſingularium in proprio genere, quia non habetur de ipſo ſingulari, niſi vt actu exiſtente, & præſente.

k Quartò dicit, quòd vltra omnia iſta, adhuc eſſet neceſſaria locutio de complexis contingentibus: quia licèt extrema poſſint cognoſci per ſpecies innatas, vel etiam intuitiuè, adhuc requiritur cognitio de complexione extremorum, ſiue de vnione eorum, quæ vnio non eſt ex ratione formali terminorum, ſed à cauſa extrà vniente talia extrema, vt ſuprà patet *in prolo. q.* 3. *&* 1. *diſt.* 39.

6. l Quantùm ad ſecundum principale, reſpondendum eſt ad illas rationes, quæ probant, quòd Angeli non poſſunt acquirere ſpeciem intelligibilem de nouo. Ad primam concedit, *quòd habet intellectum agentem, & poſſibilem*, &c. & hoc loquendo de obiecto, non terminatiuè, ſed de obiecto motiuo, quia quodcunque ens natum cauſare cognitionem ſui in aliquo intellectu, natum eſt mouere intellectum Angelicum ad ſui cognitionem. Similiter ſi tale obiectum non ſit ſufficiens ad cauſandum cognitionem ſui, ſed poteſt cauſari ab aliquo continente ipſum virtualiter, vel eſſentialiter, tale continens poterit mouere intellectum Angelicum ad cognitionẽ tam virtualiter, quàm eſſentialiter contentorum in eo. Et addit Doctor quòd *licèt eſſentia ſua ſit actu intelligibilis*, &c. Vult dicere, quòd licèt eſſentia Angeli ſit perfectè præſens intellectui ſuo in ratione obiecti intelligibilis, & hoc eſt eſſe actu intelligibile, loquendo de intellectione intuitiua, quia vt eſt ſic perfectè præſens in ſe, poteſt mouere intellectum ad ſui notitiam intuitiuam: poteſt etiam eſſe actu intelligibilis abſtractiuè, quia poteſt eſſe perfectè præſens intellectui ſuo in aliqua ſpecie intelligibili, vt etiam patet *diſt.* 3. *quæſt. vltima*, & vt ſic præſens, habet rationem obiecti intelligibilis abſtractiuè. Quamuis ergo ſic ſit actu intelligibilis, non tamen ſingulare ſenſibile; & ſupple ſic actu intelligibile, ſingulare enim ſenſibile, vt eſt in ſe præſens intellectui Angelico in ratione obiecti intelligibilis, tunc eſt actu intelligibile intuitiuè, quia ſtatim poteſt ſequi cognitio intuitiua, cùm, vt ſic, ſit principium productiuum notitiæ intuitiuæ, vnà cum intellectu Angeli. Si verò non ſit in ſe præſens, non erit actu intelligibile abſtractiuè, niſi per ſpeciem intelligibilem, quâ habitâ ſtatim poteſt cauſari cognitio abſtractiua, quia ipſa cum intellectu ſunt perfectũ principiũ productiuum talis notitiæ. Et cùm dicit, *tali, quali cognoſcitur uniuerſale*. Non vult dicere, quòd mediante illa ſpecie intelligibili cognoſcat præcisè ſingulare ſub ratione vniuerſali, imò per illã cognoſcit ipſum diſtinctè ſub ratione propria, vt oſtenſum eſt ſuprà *diſt.* 3. *quæſt. vltima*. Sed vult dicere, quòd

Angelus perfectius cognoſcit ſe per eſſentiam, & per habitum ſcientialem quàm per eſſentiam ſolã.

quòd talis notitia abſtractiua eſt ſimilis illi, quæ habetur de vniuerſali, quia ſicut illa, quæ eſt de vniuerſali, non requirit præſentiam obiecti in ſe, ſed tantùm in ſpecie intelligibili, ita iſta non requirit præſentiam ſingularis in ſe, ſed tantùm in ſpecie intelligibili.

8. m *Cùm etiam probatur de intellectu poſſibili, quod non eſt in potentia ad actum primum*, puta ad ſpeciem intelligibilem, quæ dicitur actus primus reſpectu notitiæ abſtractiuæ partialiter cauſatæ ab illa.

Dicit, quòd poſito quòd intellectus Angeli haberet omnes ſpecies concreatas, adhuc talis intellectus eſſet verè receptiuus illarum, quia non eſt de ratione receptiui, quòd ſit priùs de ratione recepti, ſufficit enim quòd ſit prius naturâ; eſt tamen de ratione receptiui, loquendo propriè de receptiuo, quòd ſit recepti perfectibile, ſiue actuabile; & ſemper inter recipiens propriè, & receptum eſt realis diſtinctio: ideò non concedimus propriè ſubiectum recipere paſſionem, cùm ſit eadem realiter, ſed quaſi recipere.

n *Ad ſecundam* probationem de ſpecie. Dicit Doctor, quòd aliud eſt dependere à corpore, vt ab obiecto in operando, & aliud eſt dependere à corpore, puta ab organo in operando. Primo modo non eſt inconueniens Angelum dependere à corpore, quia Angelus non habet in ſe eminenter, & per virtualem continentiam totam perfectionem obiectorum corporalium, imò nec alicuius corporis, & ideò ex ſe ſolo non poteſt cauſare notitiam, nec intuitiuam, nec abſtractiuam alicuius rei corporalis; nec ſimiliter ſpeciem intelligibilem, quia ſi aliquid iſtorum poſſet cauſare, tunc perfectè virtualiter contineret totam entitatem talis rei corporalis, vt ſuprà expoſui *diſt.* 3. *quæſt.* 10. & ſimiliter *in primo*, *diſt.* 3. *quæſt.* 1. & ideò non eſt mirum ſi in intelligendo rem corporalem, cuius non habet ſpeciem concreatam, dependeat à tali re corporali, & obiecto. Eſſet benè inconueniens, ſi dependeret ab aliqua potentia organica, ſic quòd non poſſit cognoſcere aliquod corporale, niſi priùs tale corporale fuerit phantaſiatum, ſiue imaginatum à virtute phantaſtica.

Quomodo Angelus dependeat à corpore.

9. Et cùm dicitur de vnione animæ ad corpus: Dicit Doctor quòd anima non tantum vnitur corpori vt operetur circa corpus, vt obiectum, ſed vnitur vt totum compoſitum ſit, cuius ipſa eſt pars, ita quòd totum operans habet corpus non tantùm pro obiecto, ſed pro parte operationis, non ſic autem Angelus, & ratio eſt, quia operatio attribuitur toti cõpoſito, & non ſolùm ipſi animæ: compoſitum enim per ſe intelligit, vt patet à Doctore *in* 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 1. *& in primo*, *diſt.* 3. *q.* 6.

Quomodo anima vniatur corpori.

An ſingulare poſſit intelligi.

o *Ad tertiam.* Hìc ſoluit tertiam rationem, & ſolutio ſtat in hoc, quòd ſi ſingulare ſub ratione ſingularitatis non poſſit intelligi, concluderetur quòd Deus non poſſet ſingulare intelligere, quia non poſſet habere obiectum in *eſſe* imaginabili. Dico ergo quòd illud, quod eſt medium agẽti inferiori, non erit medium agenti ſuperiori, vt patuit *diſt.* 2. *q. vlt. huius*, & ſic erit in propoſito, quia intellectus agens perfectior, poteſt ſtatim vnà cum obiecto ſenſibili cauſare ſpeciem intelligibilem, in qua res habeat *eſſe*, vt actu intelligibilis, licèt virtus imperfectior requirat *eſſe* imaginabile, ſicut diſpoſitionẽ mediam ad *eſſe* intelligibile, & hoc non conuenit tali virtuti, & imperfectiori ex natura potentiæ, nec etiam ex hoc, quòd eſt in corpore, quia ſeparata poteſt intelligere immediatè rem corporalem, & ſimiliter vt vnita corpori glorioſo, ſed hoc conuenit ei præcisè vt eſt in corpore pro ſtatu iſto, quia Deus ſic ſtatuit, vt nihil immediatè intelligat, niſi priùs fuerit imaginatum, ſiue phantaſiatum, & hoc loquendo de obiecto, quod primò mouet potentiam, vt patet à Doctore in primo, diſt. 3. q. 3.

10. p *Aliter poſſet reſponderi*, &c. Doctor dicit, quòd reſpectu cuiuſcunque obiecti tam ſenſibilis, quàm imaginabilis, dantur ſimpliciter duo extrema, ſcilicet aut *eſt intelligibile in actu*, ſupple in potentia propinqua, quæ tunc eſt reſpectu notitiæ intuitiuæ, quando eſt in ſe præſens; & reſpectu abſtractiuæ, quando eſt in aliqua ſpecie intelligibili præſens; aut *non eſt intelligibile in actu*, quod tunc eſt, quando nullo iſtorum modorum eſt præſens intellectui: idem igitur ſenſibile, vt eſt præſens intellectui, aliquo iſtorum modorum dicitur actu intelligibile; vt verò nullo iſtorum modorum eſt præſens, dicitur non actu intelligibile, & ſic iſta dicuntur extrema: quòd modo idem ſenſibile priùs ſit imaginabile, ſiue priùs ſit in imaginatione, quàm ſit actu intelligibile, accidit ſibi: non eſt enim hoc ex natura ſua, ſed tunc accidit, quando comparatur intellectui exiſtenti in corpore pro ſtatu iſto, qui intellectus non poteſt immediatè moueri ab aliquo ſenſibili, niſi priùs tale ſenſibile fuerit ſine aliquo ſenſu exteriori, & priùs in virtute phantaſtica, & ſi intellectus eſt ſeparatus, idem ſenſibile immediatè moueret talem intellectum.

Quomodo intellectus mbueatur à ſenſibili.

Sic dico in propoſito de quacunque re, quæ nata eſt percipi ab aliquo ſenſu exteriori, & à virtute phantaſtica poteſt immediatè mouere intellectum Angeli, & non eſt neceſſe quòd priùs percipiatur ab aliquo ſenſu exteriori, nec interiori, quia hoc ſibi præcisè conuenit vt comparatur ad potentiam exiſtentem in corpore corruptibili, & hoc eſt quod intendit Doctor in illa litera, & ſimilis reſponſio data eſt ſuprà diſt. 3. quæſt. vlt.

11. q *Et cùm poſtea accipitur, quòd tunc obiectum ageret ad intellectionem Angeli.* Concedo quòd agit partialiter, & eodem modo, ſicut dictum eſt *in primo*, *diſt.* 3. *quæſt.* 7. de ſenſibili reſpectu intellectus coniuncti.

Et cùm accipitur quòd duo diuerſa genera non poſſunt eſſe cauſa vnius effectus, dicit hoc eſſe vniuerſaliter falſum. Non enim vnum indiuiduum agit in virtute alterius indiuidui alterius ſpeciei, ſic, quòd in agendo dependeat ab illo, quia tunc vnum eſſet eſſentialiter prius alio, quod etiam eſt contra Ariſtotelem tertio Metaphyſicorum; tex. comm. 11. *Non eſt*, (inquit) *hoc prius, illud poſterius*, & vide expoſitionem, quam feci ſupra diſt. tertia, quæſt. 1.

An duo indiuidua poſſint concurrere ad eundem effectum.

Et nota, quòd Doctor non negat quòd duo indiuidua eiuſdem ſpeciei poſſint conuenire ad eundem effectum, vt patet *in primo*, *diſt.* 3. *q.* 8. Negat tamen, quòd duo indiuidua eiuſdem ſpeciei poſſint producere eundem effectum ſic, quòd eſſentialiter dependeat ab alio in producendo; vel ſi ſunt duæ cauſæ partiales, negat quòd ſic ſe habeant, quòd vna concurrat de neceſſitate, vt perfectior eſſentialiter cum alia, ſic, quòd vna per quamcunque intenſionem poſſet ſupplere cauſalitatem alterius, vt patet de obiecto, & potentia: ſed quando vna partialis per intenſiorem virtutem poteſt ſupplere

cauſalitatem alterius partialis, concedit quòd tunc duo individua eiuſdem ſpeciei, quorum neutrum ſit ſufficiens ad producendum effectum, ſed vt ſunt ſimul, poſſunt producere eundem effectum, vt patet de duobus trahentibus nauem.

Nota.

r *Neque ordo eſſentialis cauſarum eſt diuerſarum ſpecie.* Vult dicere Doctor, quòd ſpecies diuerſæ ſub eodem genere immediatè contentæ non ponuntur cauſæ reſpectu eiuſdem effectus, vt patet de contrariis, & de ſpeciebus intermediis, quæ nunquam vniuntur ad inuicem ad producendum aliquem vnum effectum, & non intelligit hîc de diuerſis ſpeciebus ſub diuerſis generibus contentis ſubalternis. Patet, quia Sol præcisè continetur ſub corpore, & homo immediatè continetur ſub animali, & tamen Sol & homo concurrunt ad eundem effectum, vt cauſæ eſſentialiter ordinatæ, & hoc eſt quod dicit Doctor ibi: *ergo omnes cauſæ efficientes diuerſæ eſſentialiter ordinatæ ſunt diuerſæ genere.*

12.

ſ *Et cùm probatur vlteriùs.* Dicit, quòd vtrumque membrum poteſt dari, & ſi detur, quòd requiratur inquantum diuerſa genere, non ſequitur quin effectus ſit ſimplex, vt patet de eodem effectu cauſato à cauſis eſſentialiter ordinatis, quæ ſemper differunt genere; nam idem calor poteſt gigni à corpore cœleſti, & igne, quæ differunt genere Phyſico, licèt fortè non differant genere Logico, cùm vtrumque ſit ſpecies corporis eiuſdem Prædicamenti. Genus autem Phyſicum eſt materia tranſmutabilis. Illa enim dicuntur eadem genere Phyſico, quæ communicant in eadem materia tranſmutabili, cuiuſmodi ſunt generabilia, & corruptibilia: quia ergo corpus cœleſte non communicat cum aliquo generabili in materia tranſmutabili, ideò ab omni generabili differt genere Phyſico. Poſito etiam quòd in corpore cœleſti ſit materia eiuſdem rationis cum materia generabilium, & talis materia quantùm eſt ex ſe eſt verè tranſmutabilis ab vna forma in aliam, vt infrà patebit *diſt.* 14. *& in* 8. *Metaphyſicæ* ſuæ, quia tamen à nullo agente naturali talis materia eſt tranſmutabilis, cùm corpora cœleſtia non poſſint corrumpi ab agente naturali, ideò ponimus corpus cæleſte non communicare in materiam cum generabilibus, vt talis materia præcisè comparatur ad agens naturale: quia tamen Philoſophus negat materiam in corporibus cœleſtibus, vt patet 8. *Metaph.* ideò negaret expreſsè corpus cœleſte poſſe quovis modo communicare cum materia generabilium. Patet etiam de diuerſis genere Logico, nam calor poteſt generari à ſubiecto, & à qualitate, quæ differunt genere generaliſſimo, & quòd poſſit generari à ſubſtantia, *ſuprà* patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. *par.* 2. *quæſt.* 3. & magis *in quarto, diſt.* 12. & tamen ille calor cauſatus eſt ſimplex, & non compoſitus ex rebus diuerſis genere.

Quid ſit genus phyſicum.

Corpora cœleſtia non poſſunt corrumpi ab agente naturali.

13.

t *Sic hoc eſt vniuerſaliter falſum, quòd effectus ordinati ab aliqua cauſa requirant duas naturas in effectu, quarum vna ſit cauſata à ſuperiori, & alia ab inferiori.* Id eſt, quòd effectus, qui producitur à duabus cauſis, inter quas eſt ordo eſſentialis non includit neceſſariò duas naturas conſtituentes eum, ſic quòd vna ſit à cauſa ſuperiori, & alia à cauſa inferiori, quia talis effectus non eſſet à duobus eſſentialiter ordinatis. Patet, quia vna natura eſſet præcisè ab vno, & alia præcisè ab alio, effectus enim productus à duobus eſſentialiter ordinatis eſt ſecundùm *eſſe* ſuum ab vtroque productus, licèt perfectiùs ab vno, quàm ab alio.

u *Si autem detur aliud membrum, quòd non requirantur, inquantum altera genere.* Exemplum de mare, & fœmina reſpectu eiuſdem prolis. Patet etiam de duobus intellectibus eiuſdem ſpeciei concurrentibus ad eandem intellectionem, quorum vnus concurrit, vt potentia, & alius, vt obiectum intelligibile, quia vnus eorum non poteſt ita intendi, quòd poſſit ſupplere vicem alterius, vt patet à Doctore in primo, diſt. 3. quæſt. 8. & diſt. 17.

x *Sed non curando de conſequentiis, quæ non valent ad veritatem* ſupple factis contra illa membra, videlicet, quòd nec inquantùm diuerſa genere, nec inquantùm eadem genere, quæ conſequentiæ, vt ſuprà patuit, nihil valent. Dicit quòd non requiruntur per ſe, inquantùm diuerſa genere, diuerſitate abſoluta, &c. Hîc aduerte, quòd quando idem intellectus intelligit ſe inter ipſum intelligentem, & intellectum in ratione obiecti, nulla eſt diſtinctio ex natura rei; talis enim intellectio quâ intelligit ſe, poteſt immediatè cauſari à Deo: & ſic recipiendo illam ſeipſum intelligeret, quia intelligere formaliter eſt quoddam pati, vt expoſitum eſt *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 7. ſed ad hunc ſenſum non loquitur Doctor. Sed loquitur de eodem intellectu cauſante intellectionem ſui in ſeipſo, ita quòd idem intellectus numero partialiter concurrit ad intellectionem ſui in ratione potentiæ intellectiuæ: idem etiam reſpectu eiuſdem intellectionis partialiter concurrit in ratione obiecti intelligibilis: non quòd dentur ibi duæ cauſæ partiales præter omne ens intellectus, cùm ibi nulla ſit diſtinctio; ſed datur iſta diſtinctio ex alia, & alia comparatione, quia idem vt conſideratum ſub ratione magis communi, differt à ſeipſo vt conſideratur ſub ratione magis ſpeciali; & ſic idem intellectus numero, vt præcisè conſideratur in ratione obiecti intelligibilis, conſideratur ſub ratione communi, quia eſſe per ſe intelligibile conuenit omni enti: & loquitur hîc Doctor de obiecto intelligibili motiuo, quod partialiter concurrit ad intellectionem: & hoc modo omne ens habet rationem obiecti intelligibilis, vel in ſe formaliter, vel ſaltem continetur in aliquo eſſentialiter, vel virtualiter, quod poteſt ſupplere vicem talis obiecti, cauſando partialiter notitiam eius, vt prolixè expoſui *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 3. Sic ergo vt idem intellectus conſideratur in ratione obiecti intelligibilis, & partialiter motiui, conſideratur ſub ratione communi omni enti; vt verò conſideratur in ratione potentiæ intellectiuæ partialiter concurrentis ad intellectionem, conſideratur in ratione ſpeciali, & non communi omni enti, ſed tantùm ſubſtantiis intellectiuis. In re tamen idem intellectus numero eſt totalis cauſa intellectionis ſuæ, & idem eſt totalis cauſa receptiua, licèt vt præſens ſibi in ratione obiecti intelligibilis conſideretur in ratione communi, & vt potentia intellectiua conſideretur ſub ratione ſpeciali.

Quid ſit intelligere formaliter.

Omne ens habet rationem intelligibilis.

14.

y *Non ergo requiruntur per ſe ad cauſandum, inquantùm differentes genere diuerſitate abſoluta,* ſupple inquantùm ſunt naturæ abſolutæ genere diſtinctæ, quia idem intellectus numero in ratione obiecti, & in ratione potentiæ concurrit, vt duæ cauſæ partiales ad eandem intellectionem modo præexpoſito.

z *Nam vbi eſt illa entitas*, &c. Id eſt, quòd idem intellectus numero reſpectu intellectionis ſuæ, quâ ſeipſum intelligit ex natura rei, quæ eſt totalis cauſa, vt obiectum intelligibile, & idem ex natura rei eſt totalis cauſa, vt potentia intellectiua, licèt poſſint dici alia, & alia cauſa partialis ſecundùm aliam, & aliam conſiderationem, vt ſuprà dixi.

a *Sed adhuc obijcitur*, &c. Doctor dicit, quòd ſi arguitur ex ratione diuerſitatis genere, ſic quòd ſit medium in arguendo *diuerſitas genere*, & iſtud medium applices ad ſenſibile, & intelligibile, quaſi ipſa maximè genere diſtent, & ex hoc ab eis non poſſit cauſari idem. Dicit, quòd in hoc argumento receditur à medio, quia ſenſibile, & intelligibile non tantum differunt genere, quòd non poſſit idem fieri ab eis, quia ſunt eiuſdem generis generaliſſimi; ſcilicet ſubſtantia ſenſibilis, & ſubſtantia intelligibilis, & tamen à ſubſtantia, & accidente aliquid poteſt cauſari, vt ignis, & calor, multò magis à ſubſtantia intellectuali, & à ſubſtantia ſenſibili poterit cauſari eadem intellectio.

Quomodo differant ſẽſibile, & intelligibile.

b *Talis autem actio eſt immutare intellectum, & ideò accidit*, &c. Id eſt, quòd accidit ſenſibili, vt immutat intellectum, vt ſit diuerſum genere ab intelligibili, non enim dicimus quòd ideò ſenſibile immutet intellectum, quia ſenſibile non eſt intelligibile, & quia differt ab intelligibili, imò ſi ſenſibile eſſet intelligibile, & non differret genere ab intelligibili, adhuc immutaret intellectum, & ita accidit ſibi differentia generis in hoc, quòd immutat: imò immutat in eo, quod ens, & vt ſic, conuenit cum intelligibili; nec ſenſibile in tantum poteſt differre genere ab intelligibili, vt ſit in genere diſparato, id eſt, in genere non intelligibili; quia cùm ſit ens, neceſſariò eſt intelligibile: & patet, quia ſi ſenſus poteſt cognoſcere ſenſibile, multò magis intellectus poteſt illud intelligere. *Quicquid enim poteſt virtus inferior per ſe, & non primò, hoc poteſt ſuperior virtus, & primò.* Concedit igitur Doctor quòd ſenſibile eſt etiam intelligibile. Et cùm arguitur, ſi eſt ſenſibile, igitur non eſt intelligibile; negatur conſequentia, quia tam ratio intelligibilitatis, quàm ſenſibilitatis concurrit in eodem. In eo enim quòd color, eſt viſibilis, in eo, quòd ens eſt, eſt intelligibilis; intellectus enim intelligit albedinem, & ſub ratione coloris, & albedinis, & entis, & ita neganda eſt illa propoſitio ſcilicet quòd illa diuerſa genere, ſupple ſenſibile, & intelligibile, non poſſunt cauſare eandem intellectionem, vt ſuprà patuit.

Senſibile eſt etiam intelligibile.

15. c *Et cùm addis, quòd vnum agit in virtute alterius*, &c.

Aduerte, quòd vltra formam præceptam à ſuperiori, qua poſſit agere, ad hoc vt agat in virtute ſuperioris, requiritur quòd in agendo dependeat à ſuperiori, de quo vide Doctorem *in 4. diſt. 1. quæſt. 1.* & vide ea quæ dixi ſuper primo *diſt. 2. quæſt. 1.* reſpondendo ad obiectiones Occham quas facit contra Doctorem de ordine eſſentiali cauſarum. Quamuis igitur Doctor hîc hoc expreſsè non dicat, alibi tamen (vt dixi) expreſsè dicit. Sequitur: *Sic agentia naturalia ordinata habent formas ſuas ordinatè, ita quòd elementum accipit formam ſuam aliquo modo à corpore cæleſti, vt à ſuperiori agenti.* Quod tamen benè nota, quia fortè elementum, vt elementum eſt in ſe, non recipit formam elementarem à corporibus cœleſtibus, niſi fortè, ſecundùm partes, quia vt ſic, ſunt generabilia, & corruptibilia, ſed de hoc aliàs erit ſermo.

d *In propoſito autem, nec actum primum*, &c. Quod tamen intellige de cauſis partialibus reſpectu eiuſdem effectus, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 3. quæſt. 8.* ſed non de cauſis totalibus eſſentialiter ordinatis, quia tunc neceſſe eſt vnam agere in virtute alterius, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 2. quæſt. 1. diſt. 2. quæſt. 8.* & *in quarto, diſt. 1. quæſt. 1.*

e *Sed ſi arguatur de intellectu noſtro, quòd phantaſma in nobis, quod eſt obiecti ſingularis, gignit ſpeciem intelligibilẽ*, ſupple in intellectu poſſibili; *igitur reducit intellectum poſſibilem ad actũ reſpectu ſingularis*, id eſt, quòd talis ſpecies intelligibilis, vnà cum intellectu cauſabit cognitionem ſingularis ſub ratione propria, quod eſt falſum. Dico, quòd talis ſpecies intelligibilis, quia principaliùs eſt ab intellectu agente, quàm à phantaſmate, quod patet à Doctore *in primo, diſt. 5. quæſt. 8.* ideò ab ipſo habet quòd repræſentet obiectum primò ſub ratione communi, & de hoc vide quæ dicit Doctor *in primo, diſt. 3. quæſt. 6.* & vide quæ ibi expoſui. Declaro tamen, cùm dicit, *In illatione eſt fallacia conſequentis*, quia non ſequitur, phantaſma gignit ſpeciem ſibi ſimilem, & repræſentatiuam obiecti ſimilitudine naturali, igitur & ſimilitudine indeterminationis, id eſt, quòd ſicut phantaſma naturaliter repræſentat, ita ſpecies intelligibilis naturaliter repræſentat, non tamen ſi phantaſma naturaliter repræſentat ſingulare, ita ſpecies intelligibilis repræſentat naturaliter obiectum ſingulare; negatur conſequentia, quia ſpecies intelligibilis repræſentat primò ſub ratione vniuerſalis, & ideò non eſt ſimilitudo inter illa, ſcilicet determinationis, & indeterminationis: indeterminatio enim in repræſentando in ſpecie intelligibili, eſt principaliter ab intellectu agente, vt dixi ſuprà.

SCHOLIVM.

Soluit quatuor argumenta pro opin. Henr. poſita n. 4. & 5, de quibus actum eſt 1. d. 3. q. 3. & hoc 2. d. 2. q. 2. & 6.

35. AD argumenta[a] pro prima opinione recitata, quæ poſita fuerunt pro primo articulo; ad primum patet, quòd minor eſt falſa, & improbata in q. de indiuiduatione *diſt. 3. huius ſecundi q. 2. 6. & 11.* *Ad arg. 1. Henrici.*

Ad ſecundum dico,[b] quod æquiuocat de obiecto primo, & per ſe. Nam vno modo dicitur obiectum primum, illud quod habet per ſe rationem mouendi potentiam: & per ſe, illud quod non habet quod moueat; ſed tantùm cum alio mouet, & hoc modo *Ad 2.*

Tex.63. Obiectum dicitur primum, dupliciter.

loquitur Philoſophus, 2. *de Anima*, de ſenſibili primo, quale eſt ſenſibile proprium; & de ſenſibili per ſe, quale eſt ſenſibile commune. Alio modo [c] dicitur quandoque obiectum primum adæquatum, & hoc potentiæ, vel actui: & contentum ſub primo adæquato potentiæ, dicitur per ſe obiectum: incluſum autem in primo adæquato actui, dicitur per ſe obiectum actus. Licèt igitur obiectum per ſe, non primo eo modo, quo loquitur de eo Ariſtoteles 2. *de Anima*, non poſſit mouere, niſi virtute primi obiecti, vel cum primo obiecto: loquendo autem de obiecto per ſe, non adæquato potentiæ, ſed contento ſub primo obiecto adæquato, illud poteſt mouere potentiam ſub propria ratione, etiam inquantùm addit aliquid ſuprà primum obiectum. Cùm autem accipitur [d] quod vniuerſale eſt primum obiectum intellectus Angelici, falſum eſt de primo obiecto, id eſt, adæquato, loquendo de vniuerſali, inquantùm vniuerſale eſt: quia licèt illud, cui accidit vniuerſalitas, vt ens, ſit hoc modo primum: obiectum tamen ipſum æquè ſaluatur in ſingulari, ſicut in vniuerſali: & ita ipſum ſub ratione quâ vniuerſale, non eſt obiectum adæquatum, ita quòd vniuerſalitas includatur in adæquato.

Vniuerſale non eſt obiectũ adæquatũ intellectus de quo 1. d. 3. q. 3. n. 8.

Similiter vniuerſale non eſt primum, illo alio modo, quo loquitur Philoſophus 2. *de Anima*, & ſingulare per ſe illo modo, ſicut ſenſibile commune reſpectu ſenſus: quia eandem [e] rationem motiuam includit ſingulare, quam includit vniuerſale; & tamen non procederet argumentum ſine æquiuocatione, niſi gloſſando, vel ſumendo maiorem de hoc modo primo.

Ad 3. Henrici. Proportionalitas indifferẽs ad ſimile & diſſimile. Vide 1. d. 1. q. 1. Vt dictum eſt in 3. q. prologi.

Ad tertium dico [f] quòd proportionalitas non ſemper includit ſimilitudinem, ſed multoties diſſimilitudinem magis, *quatuor* enim ſunt duplum ad *duo*, & eſt ſibi proportionale, ſecundum proportionem duplam: & agens eſt proportionale paſſiuo, quia hoc eſt actus, & illud potentia, & materia eſt proportionalis formæ: & tamen in iſtis omnibus requiritur diſſimilitudo magis, quàm ſimilitudo. Ita dico in propoſito, quòd potentiam oportet proportionari obiecto, non autem aſſimilari: quia nec ſi obiectum eſt indeterminatum, ſeu infinitum; oportet potentiam eſſe infinitam: quia intellectus finitus cognoſcit finitè infinitum, vt infinitum: neque oportet potentiam eſſe determinatam, id eſt, finitam ſi obiectum ſit determinatum: nam intellectus infinitus infinitè cognoſcit finitum, vt finitum. Quando igitur accipitur potentiam eſſe determinatam, quia obiectum eſt determinatum: ſi intelligatur, quòd oportet eam ſic eſſe determinati obiecti, & in hoc proportionari obiecto determinato, verum eſt: & tunc cùm in minore accipitur, quòd intellectus Angeli non poteſt eſſe determinatus, hoc eſt, non habet proportionem ad obiectum ita determinatum, falſum eſt. Et cùm quæris per quid eſt ſic determinatus, aut ex natura ſua, aut per ſpeciem? Dico, quòd vtroque modo. Nam ſine ſpecie poteſt cognoſcere ſingulare vt ſingulare, cognitione intuitiua: & per ſpeciem poteſt cognoſcere ſingulare, vt ſingulare, cognitione abſtractiua. 36.

Quomodo intellectus dicitur determinatus ad cognoſcendum ſingulare?

Et cùm concluditur contra primum membrum, quia tunc eſſet magis intellectus Angeli determinatus, quàm intellectus noſter. Et contra ſecundum, quia tunc eſſet magis determinabilis, quàm ſenſus noſter. Dico, quòd determinatio iſta, non eſt intrinſeca potentiæ, nec de ſe nec per ſpeciem: ſed eſt ad determinatum obiectum: & hoc modo intellectus diuinus eſt ad determinatum ſingulare: & non eſt inconueniens intellectum perfectiorem eſſe determinatum, & determinabilem, reſpectu obiecti, quomodo intellectus imperfectior non eſt determinatus, vel determinabilis, reſpectu eiuſdem.

Stat intellectum perfectiorem eſſe magis determinatum & determinabilem imperfectiore.

Sed ſi concludatur: igitur eſt limitatio, quaſi iſta determinatio inferat imperfectionem: nego conſequentiam illam, quia iſta determinatio non eſt limitationis, ſed perfectionis: omnino enim intellectus eſt determinatus, ad obiectum omnino determinatiſſimè cognoſcendum.

Et ſi obiicitur, quòd magis paſſiuus eſſet intellectus Angelicus, quàm noſter, quia à pluribus obiectis. Reſponſionem quære. 37.

ADDITIO. *Concedo intellectum Angelicum (cùm ſit magis actiuus, & operatiuus) eſſe etiam magis paſſiuum: nam vbi intellectus agens eſt magis actiuus, ibi poſsibilis eſt magis receptiuus, & paſſiuus: ita de operantibus dicendum eſt. Vel diſtingue de duplici paſsione, vt ſecundo, & tertio de anima habetur. Vel poſſet negari, quod infertur, quia idem obiectum vtriuſque eſt ex natura potentiæ. Pati namque à pluribus paſsione perfectiua, eſt perfectionis, ſupplentis tamen imperfectionem: quærein prologo, & tertia, & trigeſimaquinta primi, & alibi.*

Tex. c. 14.

Ad

Ad quartum dico, quòd habitus vel non poteſt eſſe in intellectu Angelico, accipiendo *habitum* pro illa qualitate conſequente actus, quæ diſtinguitur contra primum actum, per quem res eſt præſens, ſub ratione, actu intelligibilis, & hoc ſi ille intellectus de ſe eſſet ſummè habilitatus. Vel ſi ille intellectus eſt capax, & non eſſet talis habitus concreatus ſibi, tunc concedo quòd poſſet generare in ſe talem habitum ex actibus, ſicut dictum eſt *diſt.* 3. *huius* 2. ad ſimile argumentum, de generatione habitus in intellectu Angelico. *q.*10. *n.*18.

Et cùm adducitur Ariſtoteles, qui vult, quòd non ſit alius habitus vniuerſalium, quàm ſingularium. Dico, ſicut dictum eſt in quæſt. vltima de indiuiduatione, quòd ſingulare non habet proprias paſſiones, quæ ſint de ipſo ſcibiles, & ideò, nec de ipſo eſt propriè ſcientia: & ita nec habitus aliquis, loquendo de illo habitu, quo ſcibilia ſunt præſentia intellectui, quæ apud Philoſophum dicuntur propriè ſcibilia, ſcilicet continentia paſſiones demonſtratas de eis, vt ſubiectis; tamen habitus, qui eſt facilitas conſiderandi, derelicta ex actibus, benè poteſt eſſe alius, de ſingulari quàm vniuerſali. Poteſt enim intellectus diſtinctè cognitiuus ſingularis, hoc conſiderare frequenter, & non frequenter conſiderare illam naturam in vniuerſali: & in illo fieret qualitas habilitans ad actus conſimiles conſiderandi hoc; non autem vniuerſaliter inclinans ad conſiderandum naturam in vniuerſali. Et ſi ergo ſit alius habitus ſequens actus ſingularis, quam vniuerſalis, qui ſcilicet eſt qualitas habilitans ad conſiderandum, reſpectu obiecti; non tamen eſt alius habitus ſcientialis, eo modo quo Philoſophus loquitur ibi, de habitu ſcientiali.

q.6.n.17. Singulare non eſſe propriè ſcibile nec diffinibile.

Generatur qualitas facilitans ex actibus cognitiuis ſingularis Quare aliũ modum diuidendi. 7. Met.q.13.

COMMENTARIVS.

1. NVnc Doctor reſpondet ad argumenta facta ab Henrico, quibus probat, quòd Angelus non cognoſcat ſingulare primò, nec per aliquam rationem propriam, ſed per vniuerſale concreatum ſuo intellectui, hoc eſt per ſpeciem intelligibilem concreatam, quæ eſt repræſentatiua vniuerſalis, & hoc probat quadrupliciter. Primò, quia ſingulare nihil addit ſuper naturam vniuerſalem, niſi tantùm duplicem negationem, de qua ſuprà dictum eſt *diſt.* 3. *quæſt.* 2. igitur ſingulare nihil addit ad cognitionem, quia ſicut res ſe habet ad *eſſe*, ita ad cognitionem, 2. Metaph. tex. commen. 4. *Quare* (inquit) *vnumquodque ſicut ſe habet, vt ſit, ita & ad veritatem*, & ibi Commentator: *Quantò magis aliquid fuerit perfectum in eſſe, tanto magis erit perfectum in eſſendo verum.* Hæc ille in fine commen. 4.

a Reſpondet Doctor negando minorem, videlicet, quòd ſingulare non dicat aliquid poſitiuum, vt ſuprà patet, *diſt.* 4. *quæſt.* 2. *&* 6. *& quæſt. vltima.*

Secundò principaliter arguit, quia ſi Angelus poſſit cognoſcere ſingulare ſub ratione propria, tunc poſſet mouere intellectum Angeli ſub ratione ſingularitatis, quod eſt falſum, quia quæ ſunt per ſe obiecta, & non primò, non mouent, niſi per rationem eorum, quæ ſunt per ſe, & primò obiecta; ſicut magnitudo, & figura non mouent viſum, niſi ſimul cum calore, ſunt enim obiecta per ſe viſus, ſed non primò, vt patet 2. *de Anima tex. commen.* 63. *& magis, tex. commen.* 64. vbi ſic habetur: *Communia autem, motus, quies, numerus, figura, magnitudo, huiuſmodi autem nullius, vt propriè, ſed omnibus communia per ſe quidem igitur ſunt ſenſibilia hoc.* Hæc ille. De propriis autem ſenſibilibus quæ dicuntur primò ſentiri, patet *tex. comment.* 63. vide ibi. Non percipitur igitur obiectum per ſe, niſi per rationem illius, quod eſt primò, & per ſe obiectum, ſingulare autem non eſt primum obiectum intellectus, quia tale eſt vniuerſale, & per conſequens non cognoſcitur ſingulare, niſi per rationem vniuerſalis.

b Reſpondet Doctor quòd æquiuocat de *obiecto primo, & per ſe*, &c. *& hoc modo loquitur Philoſophus* 2. de Anima, tex. comm. 63. *Dico* (inquit) *proprium* ſupple ſenſibile, *quod non contingit altero ſenſu ſentiri, & circa quod non contingit errare, vt viſus coloris, auditus ſoni.* Hæc ille. Et de ſenſibili per ſe, quale eſt ſenſibile commune loquitur tex. comm. 64. 2.

c *Alio modo dicitur quandoque obiectum primum*, &c. de quo prolixè dictum eſt *in primo, diſt.* 3. *quæſt.* 3. & quòd dicit de adæquato potentiæ, vel actui, dicitur adæquatum potentiæ quando potentia non poteſt niſi in illo, vel in contento; dicitur adæquatum actui, quia actus potentiæ non poteſt elici, niſi circa tale obiectum, & circa contenta in eo. Sequitur: *Incluſum autem in primo adæquato actui*, id eſt, contentum ſub adæquato dicitur obiectum per ſe actus: & hoc modo tale obiectum per ſe per entitatem propriam poteſt immediatè mouere intellectum partialiter cauſando notitiam ſui. Sequitur:

d *Cum autem accipitur, quòd vniuerſale eſt primum obiectum intellectus* Angeli, &c. Vult quòd ſi accipiatur vniuerſale, ſub illa ratione formali, quâ dicitur *vniuerſale*, puta pro iſta ſecunda intentione applicata, vel pro indifferentia actuali ad omnia inferiora, vel pro ratione illa quæ actu communicatur pluribus, de quibus prolixè expoſui *in iſto* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. tale vniuerſale non poteſt poni adæquatum obiectũ intellectus, quia vt ſic, eſt tantùm quædam relatio rationis. Sequitur: *Tamen ipſum æquè ſaluatur in ſingulari, ſicut in vniuerſali*, id eſt, quòd ſi accipiatur vniuerſale pro ente, cui accidit talis vniuerſalitas, illud eſt adæquatũ obiectum, vt ſuprà patuit *in* 1. *diſt.* 3. *q.*3. & tale ens æquè ſaluatur in natura ſingulari, & in natura vniuerſali, & ſic ſequitur quòd ſicut ens quòd eſt homo ſub ratione propria poteſt mouere intellectum ad ſui cognitionem, ſic ens quod

eſt

eſt Socrates, poteſt immediatè mouere intellectum ſub ratione propria ad ſui cognitionem. Sequitur:

e *Quia eandem rationem motiuam includit vniuerſale*, id eſt, quòd ſicut vniuerſale per ſe immediatè poteſt mouere intellectum, & non; vt coniunctum alteri, ita & ſingulare immediatè poteſt mouere non vt alteri coniunctum.

3. Tertiò principaliter arguit Henricus, & ratio ſtat in hoc, quod obiectum debet eſſe proportionatum potentiæ cuius eſt; cùm ergo ſingulare ſit vltimatè determinatum, ſequitur quòd intellectus erit determinatus, vel ex ſua natura, vel per ſpeciem, quam recipit à ſingulari.

f Reſpondet Doctor, *quòd proportionalitas non ſemper includit ſimilitudinem, ſed multoties diſſimilitudinem*, de qua proportionalitate dictum eſt in primo, diſt. 1. quæſt. 1. & vide quæ ibi expoſui, & ſimiliter diſtin. 3. quæſt. 5. & q. 3. contra Thomam. Patet etiam per multa exempla, quia agens eſt proportionale paſſo, quia agens eſt in actu, & paſſum in potentia receptiua, & materia eſt proportionalis formæ, in quibus omnibus concluditur diſſimilitudo. *Ita in propoſito oportet potentiam proportionari obiecto*, &c. *quia intellectus finitus cognoſcit finitè*, ſcilicet cognitione in ſe finita *infinitum, vt infinitum*, accipiendo infinitum intenſiuè, quia fortè non cognoſcit infinitum extenſiuè, & poſito quòd cognoſcat, tamen non cognoſceret illud ſecundùm modum ſuæ infinitatis, ſcilicet cognoſcendo vnum poſt aliud, & hoc loquendo de intellectu diuino, licèt intellectus creatus poſſit cognoſcere vnum poſt aliud, ſucceſſiuè tamen. Sequitur, *neque oportet potentiam eſſe determinatam, id eſt, finitam, ſi obiectum ſit finitum, quia intellectus infinitus infinitè cognoſcit finitum, vt finitum*, ſupple cognitione formaliter infinita, *quando igitur accipitur potentiam eſſe determinatam, quia obiectum eſt determinatum, ſi intelligatur, quòd oportet eam ſic eſſe determinati obiecti*, puta huius obiecti, quòd non illius, & ſic eſt verum, vt patet de potentia viſiua, quæ ſic eſt determinati obiecti, puta caloris, quòd non ſoni. Sequitur, *& tunc cùm in minore accipitur, quòd intellectus Angeli non poteſt eſſe determinatus*, ſcilicet reſpectu obiecti determinati, *falſum eſt*, & concedo quòd poteſt ſic eſſe determinatus & ex natura ſua, & per ſpeciem, quia ſine ſpecie poteſt cognoſcere ſingulare intuitiuè ſub propria ratione, & etiam per ſpeciem intelligibilem abſtractiuè. Cætera patent.

Quomodo intellectus finitus cognoſcat finitè infinitum.

DISTINCTIO X.

De miſſione Angelorum.

A *Vetuſta exemplaria legunt decies millies centena millia. Dan. 7. c. cap. 7. Sumitur ex Greg. homil. 34.*

HOc etiam inueſtigandum eſt, Vtrùm omnes illi cœleſtes ſpiritus ad exteriora nuncianda mittantur. Quidam putant aliquos in illa multitudine eſſe, qui foras pro officio exeunt; alios qui intus ſemper aſſiſtunt: ſicut ſcriptum eſt in Daniele: Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Item Dionyſius in Hierarchia, quæ ſacer principatus dicitur, de prælatione ſpirituum ait: Superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt; quoniam ea quæ præeminent, vſum exterioris officij nunquam habent. His auctoritatibus innituntur, qui Angelos mitti, niſi inferiores, inficiantur.

Obiectio contra illos.

B *Eſaiæ 6. c. Heb. 1. d.*

QVibus obiicitur quod Eſaias ait: Volauit ad me vnus de Seraphim, qui ordo ſuperior eſt & excellentior. Ideóque ſi de illo ordine mittuntur, non eſt ambigendum quin etiam de aliis mittantur. Apoſtolus quoque ait: Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi. His teſtimoniis aſſerunt quidam omnes Angelos mitti. Nec debet indignum videri ſi etiam ſuperiores mittantur, cùm & ille qui Creator eſt omnium ad hæc inferiora deſcenderit.

Ioan. 16. f. Exiui à patre.

Quæstio, si omnes mittuntur, cur vnus tantùm ordo nomine Angelorum *censetur.*

C HIc oritur quæstio, Si omnes mittuntur & nuncij Dei existunt, quare vnus tantùm inter nouem ordines *Angelorum* nomine censeatur? Ad quod quidam dicunt, omnes quidem mitti, sed alios sæpiùs & quasi ex officio iniuncto, qui propriè *Angeli*, vel *Archangeli* nominantur, alios verò rariùs mitti, scilicet maiores, causa extra communem dispensationem obortа: qui cùm Angelorum ministerium suscipiunt, etiam nomen assumunt, vnde in Psal. Qui facit Angelos suos spiritus, quia illi qui natura spiritus sunt aliquando Angeli, id est, nuncij fiunt. *Responsio quorundã.* *Psal.* 103.

Putant quidam Michaël, Gabriel, Ruphaël de superiori ordine fuisse: & sunt nomina spirituum, & non ordinum.

D ET putant illi Michaël, Gabriel, Raphaël de superiori ordine fuisse. *Michaël* interpretatur, quis vt Deus? *Gabriel*, fortitudo Dei: *Raphaël*, medicina Dei: nec sunt ista nomina ordinum, sed spirituum. Et dicunt quidam singulum horum vnius propriè ac singulariter spiritus esse nomen. Alij verò non vnius singulariter & determinatè, sed nunc huius nunc illius esse nomen, secundùm qualitatem eorum, ad quæ nuncianda, vel gerenda mittuntur: sicut & dæmonum quædam nomina sunt, quæ quidam putant esse vnius propria, alij verò pluribus communia. Diabolus quippe, qui Græcè ita vocatur, & criminator interpretatur, vel deorsum fluens vel ruens Hebraicè dicitur *Satan*, id est, aduersarius. Dicitur & *Belial*, id est, apostata, & absque iugo: dicitur etiam *Leuiathan*, id est, additamentum eorum: & alia plura reperies nomina, quæ vel vnius spiritus sunt propria, vel pluribus communia. *Gregor. Hom. 34. in Euangel.* *Apoc. 12.* *Eccl. 11.* *Esaiæ 14.* *Luc. 10. c.* *2. Cor. 6. c.* *Iob. 40. c.*

Quomodo determinent prædictas auctoritates, quæ videntur aduersari, qui dicunt omnes Angelos mitti.

E QVi autem omnes Angelos mitti asserunt, prædictas auctoritates, Danielis scilicet, & Dionysij, ita determinant. Dicuntur superiora agmina Deo assistere, & ab intimis nunquam recedere: non quin aliquando mittantur, sed quia rarissimè ad exteriora prodeunt: neque tunc ab intimis recedunt, sed Dei præsentiæ & contemplationi semper assistunt: quod etiam faciunt qui frequenter mittuntur.

Quos alij dicant mitti, & quos dicant non mitti, cum determinatione auctoritatum, quæ videntur sibi aduersari.

F ALij verò dicunt tres ordines supremos scilicet, Cherubim, Seraphim, & Thronos ita Creatori assistere, quòd ad exteriora non exeunt: inferiores autem tres, ad exteriora mitti: tres verò medios inter vtrosque consistere, non modò dignitate vel loco, sed etiam officio; quia præceptum diuinum à superioribus accipiunt, & deferunt ad inferiores. Ideóque cùm supremi mediis, & medij imis, atque hi hominibus præceptum Dei nuncient,

Heb.1.d. Dionyſius cap.13.cœleſtis hierarch. ſententialiter, ſed in forma apud Greg.loco citato Eſaiæ 6. c.

nuncient, meritò omnes *Angelos* nominari dicunt. Et ob id fortè Apoſtolus ait: Omnes ſpiritus adminiſtratores eſſe Filij, & mitti in miniſterium: Vel per omnes non ſingulos ordines, ſed de inferioribus ordinibus ſingulos Angelos complexus eſt. Illud verò quod Eſaias ait, per verba Dionyſij determinant dicentis. [Hi ſpiritus qui mittuntur, percipiunt horum vocabulum, quorum gerunt officium. Vnde dicunt illum Angelum, qui miſſus eſt ad Eſaiam, vt mundaret & incenderet labia Prophetæ, fuiſſe de ordine inferiorum. Sed ideò dictus eſt fortè de Seraphim, quia veniebat incendere & conſumere delicta Eſaiæ.]

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm [a] *Angeli mittantur?*

Alenſ. 1.*p.q.*36.*mem.*2.*& per totum.* D. Thom, 1.*p.q.*112.*art.*2.*& q.*113. D. Bonau. *hìc art.*1.*q.*2. Richard, *art.*1.*q.*1.2.*&* 3. Ægid. *q.*2. Durand. *q.*1. Marſil. 2.*q.*7. Vaſq. 1.*p.d.*244.

CIRCA diſtinctionem decimam, vbi quærit Magiſter, de miſſione Angelorum, quæro, Vtrùm omnes Angeli mittantur? Quòd non; Danielis ſeptimo cap. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei*: ergo, &c. 1.

Contrà ad Hebræos primo, *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus.*

SCHOLIVM.

Superiores Angeli communiter mittuntur ad intrà illuminando alios, inferiores ad extrà, tamen ad ardua mittuntur quandoque ſuperiores: ſic miſſus Gabriel ad annunciandum myſterium Incarnationis, quem propterea vocant Archangelum Iren. l.5.c.25. Amb. de Spir. ſancto c.7. Aug. ſer.14. de natiuit. & Greg. hom.34. in Euang. vocat eum ſummum Angelorum. An autem fuerit ex ſupremis incertum eſt, certum contra D. Tho.1.p.q.112. art.2. ex ſuperioribus mitti, quia & Michaël miſſus eſt, Dan.10. & patet ex altercatione de Moyſi corpore, ex Epiſt. Iudæ, & quod ſupremi mittantur, habetur ex Aug. in Pſal.56. & Bernar. ſerm. de Michaële. Item Chryſ. & Theophyl. in id Matth. 18. Angeli eorum, &c. *exponunt de ſuperioribus tanquam Deo proximis.*

Reſpondeo, abſolutè concedenda eſt auctoritas Apoſtoli: ſed diſtinguendum eſt, de miſſione intrà, & extrà: ſecundùm enim communem proceſſum, & ordinem, reuelantur maiora Dei myſteria ſuperioribus priùs, quàm inferioribus: & ita ſuperiores mittuntur ad inferiores, loquendo, & illuminando eos interiùs: & alij inferiores mittuntur exteriùs, ad illa reuelata nuncianda hominibus, vel explenda: & ita non omnes communiter mittuntur extrà, & ſic poſſunt exponi omnes auctoritates dicendo quòd omnes mittuntur extrà, vel intrà.

Videtur tamen, quòd ſupremi, vel aliqui de ſupremis mittantur quandoque ad extrà. Nam Incarnationem neſcierunt multi Angeli ante tempus incarnationis, vel paſſionis Chriſti: ſicut patet per illud Iſa.63. vbi quæritur in perſona inferiorum Angelorum: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis*, &c & per illud Pſ. *Qui eſt iſte rex gloriæ?* Et reſpondet, *Dominus fortis*, &c. Apparet etiam per Apoſtolum ad Epheſios tertio, *Vt innoteſcat principibus, & poteſtatibus per Eccleſiam*, &c. Vbi gloſſa Hieronymi Angelicas poteſtates, vel dignitates præfatum dicit myſterium Incarnationis ad plenũ neſciſſe, donec completa eſſet paſſio Chriſti, & Apoſtolorum prædicatio fuiſſet gentibus dilatata: quod tamen vſque tunc non latuit maiores, ſecundùm gloſſam Aug. ibidem dicentis; *Conſtat autem, quòd Angelum miſſum ad Beatam Virginem, ad hoc nuntiandum, non latuit*: ergo ille, cui hoc patuit, erat de ſuperioribus, & non de infimis, quos latuit illud ſacrum myſterium. Per hoc patet [b] ad illud Daniel. 7. diſtinguendum enim eſt de communiter aſſiſtentibus, & de communiter miniſtrantibus. Auctoritas autem Apoſtoli concedenda eſt ad literam, ſed indiſtinctè de miſſione ad intrà, & ad extrà. 2.

Pſal. 23.

COMMEN

COMMENTARIVS.

a HÆc quæſtio eſt ſatis facilis, nec indiget aliqua expoſitione, & ſi quid difficultatis eſt in iſta quæſtione, ex his quæ dicta ſunt ſuprà *diſt. 9. & diſt. 2. q. 9.* faciliter patere poteſt. Dicit tamen Doctor quòd auctoritas Apoſtoli *ad Hebr. 1.* quæ dicit, quòd *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus*, concedenda eſt, loquendo de miſſione intrà, & extrà. De miſſione intrà patet, quia de communi lege ſuperiores mittuntur ad inferiores, quibus ſuperioribus maiora Dei myſteria reuelantur, inferiores verò mittuntur exteriùs ad illa reuelata nuncianda hominibus, & ita non omnes mittuntur extrà. Sed quomodo inferiores poſſint illuminare homines de his reuelationibus dicetur in diſt. ſequenti.

b Ad auctoritatem Danielis 7. concedit quòd communiter non mittuntur, & ideo diſtinctio quam ponit Daniel inter illos, ſcilicet hi miniſtrabant, & hi aſſiſtebant ei, intelligenda eſt communiter, ſcilicet millia millium aſſiſtunt ei communiter, qui communiter non mittuntur, & decies centena millia miniſtrabant ei communiter.

Auctoritas Apoſtoli concedenda eſt abſolutè, quia omnes ſpiritus ſunt miniſtri Dei, quia mittuntur, vel ad intrà, vel extrà.

DISTINCTIO XI.

De Angelis homines cuſtodientibus.

A ILlud quoque ſciendum eſt, quòd Angeli boni deputati ſunt ad cuſtodiam hominum, ita vt quiſque electorum habeat Angelum ad ſui profectum atque cuſtodiã ſpecialiter delegatum. Vnde in Euangelio, Veritas à puſillorum ſcandalo prohibens ait, Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Angelos dicit eorum eſſe, quibus ad cuſtodiam deputati ſunt. Super quem locum Hieronymus tradit, vnamquamque animam ab exordio natiuitatis habere Angelum ad ſui cuſtodiam deputatum, inquiens ita; Magna dignitas animarum eſt, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Gregorius quoque dicit. Quòd quiſque bonum Angelum ſibi ad cuſtodiam deputatum, & vnum malum ad exercitium habet. Cùm enim omnes Angeli boni noſtrum bonum velint communitérque ſaluti omnium ſtudeant, ille tamen, qui deputatus eſt alicui ad cuſtodiam, eum ſpecialiter hortatur ad bonum, ſicut legitur de Angelo Tobiæ, & de Angelo Petri in actibus Apoſtolorum. Similiter & mali Angeli cùm deſiderent malum hominum: magis tamen hominem ad malum incitat, & ad nocendum fortiùs inſtat ille, qui ad exercitium eius deputatus eſt.

Matth. 18. b. Hier. to. 9. comm. li. 3. ad 18. c. Matth. Non reperitur in Greg. ſed in Hug. de S. Victore lib. Sententiarum.

Tob. 5. d. 6. & 8. a. Act. 12. b. Arguit quod non.

Vtrùm ſingulis hominibus ſinguli Angeli, an pluribus deputatus ſit vnus?

B SOlet autem quæri, Vtrùm ſinguli Angeli ſingulis hominibus, an vnus pluribus ad cuſtodiam, vel exercitium deputatus ſit? Sed cum electi tot ſint quot & boni Angeli ſunt, plures conſtat eſſe omnes ſimul bonos & malos homines, quàm boni Angeli ſunt, & cùm tot ſint electi quot Angeli boni, & Angeli boni plures ſint quã mali, pluréſque ſint homines mali quàm boni, nõ eſt ambigendũ plures eſſe bonos homines quàm ſint mali Angeli & plures eſſe malos homines quã ſint mali Angeli vel boni Angeli.

Confirmat vnum Angelum pluribus hominibus deputari, siue simul, siue temporibus diuersis.

C IDcóque dici oportet vnum eundémque Angelum bonum, vel malum, pluribus hominibus deputari ad custodiam, vel exercitium, siue eodem tempore, siue diuersis temporibus. Ideò autem dicimus eodem tempore, vel diuersis temporibus, quia videtur quibusdam, quòd omnes homines qui sunt simul in aliquo tempore, singuli singulos Angelos habere possint, bonos, vel malos: quia licèt maior sit numerus hominum, computatis in vnum omnibus qui fuerunt, & sunt, & futuri sunt, quam Angelorum: tamen quia homines decedentibus hominibus succedunt, & ideò nunquam simul sunt in hac vita: Angeli verò nunquam decedunt, sed simul omnes sunt: ideò esse potest, vt singuli hominum dum in hac vita sunt, singulos habeant Angelos bonos, vel malos, ad sui custodiam, vel exercitium destinatos. Cæterùm siue ita sit, siue non, non est dubitandum vnumquemque habere Angelum sibi deputatum, siue pluribus simul destinatus sit, siue vni singulariter. Nec est mirandum vnum Angelum pluribus hominibus ad custodiam deputari, cùm vni homini plurium custodia deputetur, ita vt eorum quisque suum dicatur habere Dominum, vel Episcopum, vel Abbatem.

Ecclesiast. 1. & 14.

Vtrùm Angeli proficiant in merito, vel in in præmio ad iudicium?

D PRæterea illud considerari oportet, Vtrùm Angeli boni in præmio, vel in merito proficiant vsque ad iudicium. Quod in meritis proficiant, atque quotidie magis ac magis mereantur, quibusdam videtur, ex eo, quia quotidie hominum vtilitatibus inseruiunt, eorúmque profectibus student. Quibus etiam nihilominus videtur, quòd & in præmio proficiant, scilicet in cognitione & dilectione Dei. Licèt enim (vt aiunt) in confirmatione beatitudinem acceperint æternam atque perfectam, augetur tamen quotidie eorum beatitudo, quia magis ac magis diligunt atque cognoscunt; & est eorum charitas (qua Deum & nos diligunt) Et meritum & præmium. Meritum, quia per eam, & obsequia ex ea nobis impensa, merentur, & in beatitudine proficiunt, & ipsa eadem est præmium, quia ea beati sunt.

Quibusdã videtur quod proficiant in vtroque.

Auctoritatibus confirmant quod dicunt.

E ET quòd Angeli poficiant in cognitione, ac per hoc in beatitudine, testimoniis Sanctorum confirmant. Dicit enim Esaias ex persona Angelorum Christi ascendentis magnificentiam admirantium: Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Et in Psalm. Quis est iste Rex gloriæ? Ex quibus apparet, quòd mysterium verbi incarnati pleniùs cognouerunt Angeli post impletionem quàm antè. Et sicut in cognitione huius mysterij profecerunt, ita dicunt eos in Deitatis cognitione proficere. Quòd autem in huiusmodi mysterij cognitione profecerint, euidenter docet Apostolus, dicens, Quæ sit dispensatio

Esaiæ 63.

Psal. 23.

Ephes. 3. b.

sacra

ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, vt innoteſcat multiformis ſapientia Dei per Eccleſiam principibus & poteſtatibus in cœleſtibus. Super quem locum dicit Hieronymus: Angelicas dignitates præfatum myſterium ad purum non intellexiſſe, donec completa eſt paſſio Chriſti, & Apoſtolorum prædicatio per gentes dilatata. *Explanatione ad 3. cap. ad Epheſ.*

Quòd in hac ſententia videtur Auguſtinus aduerſari Hieronymo.

F HIs autem videtur contradicere Auguſtinus ſuper eundem locum Epiſtolæ dicens: [Non latuit Angelos myſterium regini cœlorum, quod opportuno tempore reuelatum eſt pro ſalute noſtra. Illis ergo à ſeculis innotuit ſuprà memoratum myſterium: quia omnis creatura non ante ſecula, ſed à ſeculis eſt.] Attende lector, quia videntur diſſentire in hac ſententia illuſtres Doctores. Ideóque vt omnis repugnantia de medio tollatur, prædicta verba, Haymonem ſequentes, ita determinemus, [vt illis Angelis qui maioris dignitaris ſunt, & per quorum miniſterium illa nunciata ſunt, ex parte cognita à ſeculis fuiſſe, vtpote familiaribus & nunciis: illis verò qui minoris dignitatis ſunt, incognita extitiſſe dicamus,] vſquequo impleta ſunt & per Eccleſiam prædicata: & tunc ab omnibus Angelis perfectè fuerunt cognita. Conſtat itaque omnes Angelos in cognitione diuinorum myſteriorum ſecundùm proceſſum temporis profeciſſe. Vnde non incongruenter ipſi iidem dicunt Angelorum ſcientiam, ac beatitudinem augeri vſque ad futuram conſummationem, quando in ſcientia ac beatitudine ita perfectiſſimi erunt, vt nec augeatur ampliùs nec minuatur. *Auguſt. Originaliter ſuper Gene. lib. 5. c. 19. Determinatio prædictarum auctoritatum ſuper epiſtolam Pauli ad Epheſios 3.*

Aliorum opinio, qui dicunt Angelos in quibuſdam prædictorum non profeciſſe.

G ALij autem dicunt Angelos in confirmatione, tanta Deitatis dilectione atque notitia fuiſſe præditos, vt in his vlteriùs non profecerint, nec profecturi ſint. Profecerunt tamen in ſcientia rerum exteriorum, ſicut in cognitione ſacramenti Incarnationis, & huiuſmodi, ſed non in contemplatione Deitatis: quia Trinitatem in vnitate, atque vnitatem in Trinitate non pleniùs intelligunt, ſiue intellecturi ſunt, quàm ab ipſa confirmatione perceperunt. Ita etiàm dicunt eos in charitate non profeciſſe poſt confirmationem, quia eorum charitas poſtea non eſt aucta: & ſic dicunt eos poſtea non profeciſſe poſt confirmationem in meritis, ſed hoc quantùm ad vim merendi, non quantùm ad numerum meritorum. Plura enim bona fecerunt poſtea, quæ tunc non fecerant: ſed eorum charitas, ex qua illa proceſſerunt, non eſt aucta, ex qua tantùm meruerunt antequam iſta adderentur, quantùm poſtea his adiectis. Illud verò quod alij ſuperiùs dicunt, probabilius videtur, ſcilicet quòd Angeli vſque ad iudicium in ſcientia & aliis proficiant. *Quod ſit probabilius.*

Quædam auctoritates videntur obuiare probabiliori sententiæ.

H *Isid. l. 1. c. 12. post medium.* QVibus tamen videtur obuiare quorundam auctoritatum verba. Ait enim Isidorus de Summo bono, [Angeli in Verbo Dei omnia sciunt antequam fiant.] sed nec omnes, nec omnia perfectè Angelos scire dixit; & ideò eos in scientia proficere non remouit. Gregorius quoque in lib. Dialogorum ait, Quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? Vbi videtur dicere quòd omnia sciant Angeli, & nihil sit quod nesciant. Sed accipiendum est hoc de his, quorum cognitio beatum facit cognitorem: vt sunt ea quæ ad mysterium Trinitatis & vnitatis pertinent. *Greg. cap. 3. lib. 4. dialog. & lib. 2. moral. cap. 3.*

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm Angelus custodiens posit effectiuè aliquid causare in intellectu hominis custoditi?

Alensis 2. *p. q.* 41. *m.* 1. 2, 3. D. Thom. 1. *p. q.* 113, *a.* 2. *& hic q.* 1, Damasc. 2. *fid. c.* 3, D. Bon. *hic a.* 1. *q.* 1. 2. 3. Ricard. *a.* 1. *q.* 1, 2, 3. Gabr. *d.* 9. *q.* 1. Vasq. 1. *p. d.* 145. Ægid. *quodl.* 6. *q.* 16.

1. CIRCA distinctionem vndecimam, vbi Magister tractat de custodia hominum ab Angelis; quæro, Vtrùm Angelus custodiens possit effectiuè aliquid causare in intellectu hominis custodi? Quòd sic, quia aliter frustrà custodiret, nisi posset ipsum dirigere in actibus humanis, & regere inquantùm homo, quoad ea quæ sunt ipsius, quantùm ad intellectum & voluntatem: nec aliter posset aliquid circa ipsum facere, inquantùm rationalis est, ex quo nec circa voluntatem, vel intellectum aliquid facit. *Arg.* 1.

Arg. 2. Præterea, Angelus potest effectiuè aliquid causare in intellectu alterius Angeli, sicut dictum est *dist.* 9. ergo, & in intellectu hominis. Probatio consequentiæ, quia actiuum, quod potest aliquid causare in passiuo excellentiori, potest etiam aliquid causare in passiuo minus excellenti, tum quia omne agens habens actum primum potest causare actum secundum in quocunque receptiuo: per hoc enim probatum est propositum *dist.* 9. Angelus autem actu cognoscens, est habens actum primum: & intellectus noster est in potentia ad actum secundum: ergo, &c. *n.* 15.

Arg. 3. Præterea, sensibile potest immediatè aliquid agere in intellectum nostrum, sicut patet de phantasmate: ergo & multò magis illud, quod est actu intelligibile, quale est illud, quod est in intellectu Angeli.

Cap. 18. *al. Ps.* 90. *Angelis suis.* Contrà, glossa Augustini super illud Matth. *Angeli eorum*, &c. dicit: *Homines non sunt contemnendi, quia ad illorum custodias mittuntur Angeli.*

SCHOLIVM.

Ratione ad oppositum, docet omnes homines habere Angelum custodem, ex Augustino & idem habet Hieronymus in id Mat. 18. Angeli eorum, &c. *Et in id Eccl.* 5. Ne dicas coram Angelo. *Basil. l.* 3. *contra Eunom. & in Ps.* 48. *& l.* 1. *de vera relig. Chrys. hom.* 3. *in Colos. Amb. Ps.* 38. *&* 118. *Dionysius Ep. ad Demophilum. Aug. c.* 12. *Medit. & ser.* 7. *de tempore Greg. hom.* 34. *in Euang. Ponit sent. Auic. & impugnationem D. Thom. contra eam, reiicit duplici ratione, substituens suam impugnationem, quæ clara est.*

1. dist. 5. & in report. & D. Tho. 1. p. q. 79. a. 6. 2. HIc est opinio Auicennæ (6. Naturalium parte 5. cap. 6. quære ibi). quòd superior Intelligentia est causa inferioris, quantùm ad *esse*, & quantùm ad cognitionem: & sic descendendo à suprema Intelligentia, tandem Intelligentia quædam separata superior animâ intellectiuâ, causat in ipsa notitiam actualem, & suam speciem: & intelligit per conuersionem intellectualem actualem ad illam Intelligentiam. Vult ergo dicere, quòd species rerum fluunt ab Intelligentia separata superio

ſuperiore, ad notitiam naturalem hominum habendam. Itaque ſecundùm eum, naturale eſt intellectui noſtro conuerti ad Intelligentiam ſeparatam, ad hoc quòd intelligat. Quod ſi verum ſit, patet *diſt. 3. primi libri q. 4.*

Contra opinionem Auicennæ arguitur, quòd tunc fruſtrà anima vniretur corpori, quia propter nullam perfectionem ipſius animæ vnitæ: non enim propter perfectionem ipſius in ſe, quia forma non eſt propter materiam, ſed è conuerſo 2. *Phy.* nec propter perfectionem ipſius in operando, quia non vnita poſſet habere ſpeciem ab Intelligentia ſicùt vnita. *Impug. Auicen. D. Tho. Tex. 23.*

Iſta ratio videtur [a] peccare, quia videtur concludere, quòd fruſtrà vniretur anima beata corpori: quia non propter perfectionem aliquam neceſſariam ad ſuam operationem, quia operationem habet, in qua nihil recipit à corpore. 3. *D. Tho. in 4. diſt. 50. q. 10. vide eum 1. p. q. 89. art. 1.*

Præterea ſecundùm aliquos [b] anima intelligit inquantùm eſt ſupra corpus: ergo non conuenit ſibi intelligere, inquantùm vnitur corpori: ergo nec vnitur per ſe propter aliquam perfectionem, quæ ſit quaſi neceſſaria propter operationem eius, vt propter intelligere.

Aliter improbatur dicta poſitio, [c] primò, quia omnis noſtra cognitio oritur à ſenſu 1. & 2. *Poſt. primo Metap. in proœm. & 2. Phyſic. tex. 6.* cæcus enim natus, non poteſt habere perfectam notitiam de coloribus. Hæc autem omnia eſſent falſa, ſi ſpecies illæ intelligibiles imprimerentur in anima ab ipſa Intelligentia. *tex. 33. & 2. tex. 27. Cæcus non iudicat de coloribus quare.*

Præterea, ſi nulla [d] maneret notitia habitualis, non manente actu intelligendi; ſequeretur quòd ſemper eſſet intellectus æquè in potentia eſſentiali ad intelligendum. Licèt enim exactibus generaretur [e] aliqua habilitas ad faciliter conuertendum intellectum ad intelligendum: quia tamen nunquam haberetur forma, qua poſſet intelligere, quæ eſt actus primus faciens ipſum eſſe in potentia accidentali, ſed ſemper de nouo oporteret recipere talem formam, per quam poſſet operari ſemper in intellectu non intelligente; eſſet potentia eſſentialis ad actum intelligendi: quia potentia ad formam illam, quæ eſſet principium intellectionis. Licèt enim intellectus [f] habens illum habitum acquiſitum ſequentem actum, poſſet faciliùs acquirere illam formam, quàm alius non habens eum: vnde licèt vnum paſſiuum ſit magis diſpoſitum ad patiendum, quàm aliud, vtrunque tamen eſt in potentia eſſentiali, antequam formam recipiat: ſicut ſi lignum quando non calefieret eſſet non calidum, & vnum eſſet ſiccum, & aliud humidum, quamuis ſiccum eſſet faciliter receptiuum caloris, humidum autem difficilius: vtrunque tamen, quando non calefieret, eſſet in potentia eſſentiali ad calefaciendum: ita hîc. *Si intelligentia imprimeret nobis ſpecies, non eſſemus in potẽtia accidentali ad intelligendum. Potẽtia accidẽtalis eſt proxima, eſſentialis remota.*

COMMENTARIVS.

1. a *Iſta ratio videtur peccare, quia videtur &c.* Dicit enim ſic Thomas vbi ſuprà: *Maximè autem videtur corpus eſſe neceſſarium animæ intellectiuæ ad eius propriam operationem, quæ eſt intelligere, quia ſecundum eſſe ſuum à corpore non dependet. Si autem anima ſpecies intelligibiles ſecundùm ſuam naturam aptæ natæ eſſet recipere per influentiam aliquorum ſeparatorum principiorum tantùm, & non acciperet eas ex ſenſibus, non indigeret corpore ad intelligendum. Vnde fruſtrà corpori vniretur.* Et parum infrà. *Si*, inquit, *in natura animæ eſt, vt intelligat per ſpecies ab Intelligentia agente efflυxas, ſequeretur quòd quacunque animæ poſſent ſe conuertere ad intelligentiam agentem ex inclinatione ſuæ naturæ, & ſic cæcus natus poſſet habere ſcientiam de coloribus, quod eſt manifeſtè falſum*, &c.

b *Præterea ſecundùm aliquos*, &c. Hæc eſt opinio Thomæ ſcilicet quòd poſſit intelligere, vt ſupra corpus, vide *in prima parte, 1. quæſt. 89. artic. 1.* & quæ ſic, vt anima, igitur ſecundùm illum modum eſſendi, quo corpori eſt vnita, competit modus intelligendi per conuerſionem ad phantaſmata corporum, quæ in corporeis organis ſunt; cùm autem fuerit à corpore ſeparata, competit ei modus intelligendi per conuerſionem ad ea quæ ſunt intelligibilia ſimpliciter, ſicut & aliis ſubſtantiis ſeparatis, &c.

2. c *Aliter improbatur dicta poſitio.* Hîc Doctor ſpecialiter improbat opinionem Auicennæ auctoritatibus, & ratione; & intendit probare, quòd ſpecies intelligibiles non imprimuntur in anima ab Intelligentiis, quia omnis noſtra cognitio oritur à ſenſu 1. & 2. *Poſt. & 1. Metaph. in proœ. & 2. Phyſic.* Cæcus enim natus non poteſt habere perfectam notitiam de coloribus. Vnde 2. *Phyſic. tex. commen. 6.* ſecundum tranſlationem Arabicam, *Poſſibile enim eſt, vt aliquis deducat ratione diſpoſitionem colorum, qui eſt cæcus natura, & ſic ſermo eius qui talem habet diſpoſitionem eſt de nominibus, & nihil intelligit omnino.* Hoc ille, & vide

& vide ibi Commentatorem. Omnes autem istæ auctoritates essent falsæ, si species illæ intelligibiles imprimerentur in anima ab ipsa Intelligentia.

3. d *Præterea si nulla*, &c. Per hanc rationem intendit probare Doctor necessitatem speciei intelligibilis, & hæc ratio magis patet ex his, quæ dicta sunt *in primo, dist. 3. quæst. 6.* Hanc tamen aliqualiter declaro distinctionem, *Si nulla remaneret notitia habitualis non manente actu intelligendi.* Hîc accipit *notitiam habitualem* non pro habitu causato ex frequentatis actibus; sed accipit speciem intelligibilem respectu cognitionis abstractiuæ, de qua est præsens sermo, & dicitur *cognitio habitualis*, quia per ipsam intellectus est in actu primo, & in potentia accidentali ad intelligendum abstractiuè; sicut enim intellectus habens habitum, per ipsum sponte, & faciliter potest operari; ita habens speciem intelligibilem, quæ est partialis causa cognitionis abstractiuæ, statim per illam, vt concausantem potest obiectum actu intelligere, vt expositi in primo, dist. 3. quæst. 6. & 7. Sequitur ibi; *Sequeretur quòd semper esset intellectus æquè in potentia essentiali ad intelligendum.* Hîc accipit *potentiam essentialem* pro potentia remota ab agente, & potentiam accidentalem pro potentia propinqua ad agendum, vt expositi *in primo, dist. 3. quæst. 6. & in isto secundo, dist. 2. quæst. 10.* vide ibi. Intellectus enim per speciem intelligibilem est in potentia accidentali, siue propinqua ad intelligendum, & sine tali specie est tantùm in potentia essentiali, siue remota ad intelligendum. Sequitur.

4. e *Licèt enim ex actibus*, &c. Nota tamen duo in ista litera.

Doctrina singularis. Primum, quòd nullus habitus quantumcunque intensus, facit intellectum in potentia accidentali ad intelligendum; posito enim quòd habitus concurrat actiuè ad actum, vt videtur tenere Doctor *in primo, dist. 17.* tamen si solus poneretur sine præsentia obiecti, vel in se, vel in specie intelligibili, nunquam intellectus per tem habitum posset habere aliquam intellectionem, quia tunc deficeret alia causa partialis, quæ est ex parte obiecti; si enim intellectus posset intelligere obiectum per aliquem habitum non concurrente obiecto, sequeretur quòd si Deus crearet in aliquo intellectu aliquem habitum scientificum, quòd talis intellectus mediante tali habitu posset causare notitiam actualem, quod videtur inconueniens; si igitur habitus ponitur, vt causa partialis actus, non ponitur, vt necessariò simpliciter ad actum; quia intellectus habens obiectum præsens, sine tali habitu posset causare actum intelligendi, sed si requiritur, requiritur vt actus sit perfectior, quia actus, qui causatur à potentia habituata agente æquali conatu est perfectior illo, qui causatur à sola potentia, vt notat Doctor *in primo, dist. 17.* actus enim intellectus, puta cognitio abstractiua, quæ est ab intellectu, & à specie intelligibili, & ab habitu est perfectior, licèt per habitum non fiat intellectus simpliciter in actu primo ad causandum actum intelligendi, sed per speciem intelligibilem.

Secundò dicit, quòd intellectus respectu cognitionis abstractiuæ per solam speciem intelligibilem est in actu primo, & in potentia accidentali, siue propinqua ad intelligendum.

5. f Sequitur: *Licèt enim intellectus habens illum habitum*, &c.

Hîc aduerte, quòd ex hoc non debet concedi, quòd aliquis possit habere aliquem habitum causatum ex cognitionibus abstractiuis respectu alicuius obiecti sine specie intelligibili, cùm nullus actus possit haberi sine illa; sic posito quòd esset possibilis, tunc sequitur quòd dicit Doctor. Vel debet intelligi, quòd habens habitum causarum ex cognitionibus intuitiuis (quia multi, vt Ocham, & Gregorius de Arimino & alij volunt, quòd non possit haberi cognitio abstractiua de aliquo obiecto, nisi priùs habeatur intuitiua eiusdem, licèt hoc non sit ad mentem Doctoris) sit magis dispositus ad habendum speciem intelligibilem de illo obiecto, quàm alius intellectus non habens huiusmodi notitias intuitiuas de obiecto.

SCHOLIVM.

Angelus non potest causare speciem, vel intellectionem, in intellectu nostro, vt totalis causa, quia est determinatum passum ad phantasma, siue hoc sit ob peccatum siue ex natura potentiarum, de quo 1. d. 3. q. 3. n. 25.

AD quæstionem ergo respondeo primò, quid non possit Angelus effectiuè causare in intellectu hominis custoditi. Secundò, quid possit. 4.

De primo dico, quòd nullam intellectionem actualem, nec speciem intelligibilem, potest Angelus causare in intellectu nostro, vt totalis causa. Ratio autem non est ex aliqua impotentia ex parte Angeli, quia sufficienter est in actu primo, & potest causare in alio Angelo actum secundum. Sed ratio est ex intellectu 5 nostro, qui pro statu isto, est passiuum determinatum, ad determinatum actiuum, vt ad phantasmata, & intellectum agentem: & ideò impeditur, ne possit recipere immediatè immutationem ab aliquo actu intelligibili sine phantasmate: quia phantasmata se habent pro statu isto ad intellectum nostrum, sicut sensibilia ad sensum; quoad hoc, scilicet vt sicut sensus non immutatur primò, nisi à sensibili extrà; sic nec intellectus noster prima immutatione immutatur, nisi à phantasmate. Vnde autem hoc sit, tactum est *dist. 3. primi*, scilicet ex ordine potentiarum, qui ordo non est merè ex natura hominis, vnde homo: quia tunc non esset alius ordo in beatitudine.

Intellectũ nostrum nõ posse pro nunc moueri nisi à phantasmate. 3. de Ani. tex. 39. q. 3. & 6.

tudine. Vel igitur ex culpa, vel ex iſto ſtatu propter aliquid pertinens ad culpam, cuius cauſa quæratur.

Ex hoc ſequitur quoddam corollarium, ſcilicet, quòd Angelus non poteſt aliquem intellectum rapere ad intellectualem viſionem, & quòd omnis raptus factus virtute diaboli, eſt præcisè ad aliquid interisè imaginandum, quia intenſa imaginatio facit animum ita diſtractum ab omni alia cogitatione cuiuſcunque actualis intellectionis, quòd videtur ipſum intellectualiter videre; & concomitatur fortè illam intenſam imaginationem alicuius rei, intellectio illius imaginabilis: ſed nulla eſt ibi intellectio alicuius merè intelligibilis, non imaginabilis. Ita etiam omnis raptus, ad quem poteſt homo ſeipſum diſponere in hac vita, per conſuetudinem: non eſt ad aliquam viſionem merè intellectualem, ſed ſolùm imaginariam, & intellectionem concomitantem illam imaginariam: licèt fortè talis quietatio in homine ab omnibus extrinſecis, per talem viſionem quandoque diſponat, vt Deus animum ſic tranquillum rapiat ad viſionem intellectualem.

Non poteſt Angelus rapere hominem ad intellectionem.

COMMENTARIVS.

g *Sed ratio eſt ex intellectu noſtro,&c.* Sic tamen intelligendo, quòd à phantaſmate, vt à partiali cauſa, cauſatur ſpecies intelligibilis, & ab intellectu agente, vt ab alia cauſa partiali, vt patet à Doctore *in primo, diſt.3.qu.* 8. Sed vt intellectus poſſibilis comparatur ad actualem intellectionem, nihil recipit à phantaſmate, ſed tantùm ab intellectu, & à ſpecie intelligibili, & ſic phantaſma pro ſtatu iſto tantùm debet intelligi concurrere reſpectu ſpeciei intelligibilis, & ſic intellectus prima immutatione immutatur à phantaſmate, quæ prima immutatio eſt ad ſpeciem intelligibilem, ſicut dicit Ariſtoteles 3. *de Ani.tex.commen.*39. Vbi ſic habetur in trāſlatione Arabica: *Qui nihil ſentit, nihil addiſcit, & nihil intelligit, ſi igitur viderit, neceſſariò videt imagines aliquas, imagines enim ſimiles ſunt ſenſibilibus, ſed ſine materia.* Hæc ibi, Et ibi Commentator: *Intellectus quieſcit in nobis, cùm viderit aliquid, & intellexerit ipſe, non intelliget ipſum, niſi coniunctum cum ſua imagine; imagines enim ſunt aliqua ſenſibilia intellectui, & ſunt ei loco ſenſibilium apud abſentiam ſenſibilium, ſed ſunt ſenſibilia non materialia.* Hæc ille, & ſic patet quomodo intellectus pro ſtatu iſto nihil intelligit, niſi priùs motus fuerit ab aliquo phantaſmate, recipiendo ſpeciem intelligibilem ſpecialiter ab illo. Sed quare non intelligit immediatè aliquid ſenſibile, patuit ſuprà in *primo, diſt.3.q.3.* ex ordine potentiarum, *&c.*

Circa prædicta occurrit difficultas ibi, *quòd Angelus eſt ſufficienter in actu primo ad cauſandum actum ſecundum.* Hîc videtur Doctor dicere, quòd Angelus quantùm eſt ex parte ſua poteſt eſſe cauſa totalis intellectionis cauſando ipſam in anima noſtra: ſi hoc abſolutè intelligatur, in pluribus locis contradicit ſibi, quia *in primo, diſt.* 3.*q.*7. probat, quòd ex obiecto, & intellectu cauſatur notitia. Hoc idem 15.*q. quodlib. & in ſecundo,* expreſsè *diſt.* 3. *q.* 10. vbi dicit quòd cauſans cognitionem alicuius obiecti continet illud virtualiter. Iterum *in diſt.*9. expreſsè dicit, quòd intellectus Angeli vnà cum ſpecie intelligibili obiecti, de quo loquitur, cauſat cognitionem illius obiecti in audiente.

6. *An Angelus poſſit eſſe cauſa totalis intellectionis.*

Sic igitur debet intelligi, quòd ſicut Angelus poteſt cauſare cognitionē ſui in ſe, vt totalis cauſa, ita poteſt cauſare in alio intellectu ſibi proportionato: & ſimiliter ſicut poteſt cauſare cognitionem alterius obiecti à ſe virtualiter contenti ſecundùm totam ſuam entitatem recipiendo illam in ſe, ita poteſt cauſare in intellectu alterius diſpoſito, & proportionato. Vbi autem Angelus non continet virtualiter obiectum ſecundùm ſuam entitatem, non poteſt eſſe cauſa totalis cognitionis illius, nec reſpectu ſui intellectus, nec reſpectu alterius. Non intendit ergo Doctor abſolutè, quòd intellectus Angeli poſſit eſſe cauſa totalis reſpectu cognitionis cauſandæ in intellectu humano.

SCHOLIVM.

Angelum poſſe docere hominem, perfectiùs quàm ab homine doceri poteſt, & explicat in quo conſiſtit doceri.

5. DE ſecundo, ſcilicet quid poſſit Angelus facere in intellectu, propter dicta Sanctorum, præcipue Dionyſij 4. Cæle. Hierar. dicentis reuelationes fieri hominibus per Angelos: manifeſtum eſt, quòd Angelus poteſt docere hominem, ſicut homo facit: ſed perfectiùs, quia homo docet proponendo quædam ſigna, nota audienti, quibus propoſitis, audiens circa illa ſola, quamplurimùm occupatus eſt, & ita in ſe vnitus: qualis vnio non eſt in adinueniente ſcientiam, quia inueniens ſcientiam circa multa diſtrahitur. Similiter ex illis ſignis ordinatè componit ad inuicem conceptus ſimplices, ſicut componit loquens, & docens; & conceptus complexos ordinatè coniungens, ſicut ſunt ſigna ordinatæ coniunctionis, apud loquentem; & ex talibus ſignis percipit veritatem complexorum ex terminis, & habitudinem

Angelus hominem docere poteſt.

Quid ſit doceri.

complexi ad complexum, à quo habet veritatem ſuam, & ita addiſcit, quam veritatem, vel complexionem per ſe non haberet, nec diſceret ſine omni docente, licèt haberet ſpecies omnium incomplexorum, non enim habens multorum incomplexorum conceptus, nouit qualiter componat ea, & quæ complexa inferant incomplexa, qualitercunque ordinata: ſi enim hoc facere poſſet, citò ex terminis conciperet veritates multarum complexionum, & ex quibuſdam complexionibus veritatem aliarum complexionum: & ſic addiſcunt ingenioſi per ſe adinueniendo, ſed tardioribus oportet proponi ab alio aliqua ſigna nota, vt addiſcant per doctrinam, & hoc modo certum eſt Angelum poſſe docere, ſiue vtendo ſignis ad placitum inſtitutis, & hoc in corpore aſſumpto: vel modo alio, formando talia ſigna: vel vtendo ſignis naturalibus, ſcilicet ipſis rebus adhibendo eas præſentes ſenſibus, à quibus ſenſus ordinatè mutantur, & ex eis phantaſmata ordinatè generantur, & ſic vlteriùs ex eis ſpecies intelligibiles ordinatè abſtrahuntur.

Habens multos incomplexorum conceptus addiſcit cõplexiones.

Dubium autem eſſet, vtrùm citiùs poſſet Angelus vti ſignis naturalibus, quàm ipſe, vel homo, poſſet vti ſignis ad placitum inſtitutis: mirum enim videretur, ſi citiùs poſſet immutare viſum multis ſenſibilibus, vel viſibilibus, à quibus abſtraherentur ſpecies neceſſariæ ad vnam magnam argumentationem hominis, quàm poſſet ipſe, vel homo, vti ſignis illis ad placitum inſtitutis, repræſentantibus illa obiecta.

COMMENTARIVS.

1. *Quomodo Angelus poſſit docere hominem de aliquo ignoto.*

HIc quæritur quomodo Angelus poteſt docere hominem de aliquo ignoto, & dicit Doctor quòd eo modo quo homo docet alium hominem, ita & Angelus, perfectiùs tamen. Hoc ſatis patet, quia ſicut homo poteſt docere alium hominem, coniungendo terminos priùs notos ab alio homine, vt ſi alius homo, qui dicatur *A* cognoſcat hominem, & animal rationale, & riſibilitatem, ignoret tamen hominem eſſe riſibilem, tunc homo docens proponit ei iſtam, *animal rationale eſt riſibile*, tunc *A* aſſentit ei, cauſando in ſe cognitionem, in qua cognoſcit iſtam propoſitionem, *animal rationale eſt riſibile*, & qua huic aſſentit, deinde docens proponit ei aliam, *homo eſt animal rationale*, tunc *A* cauſat in ſe cognitionem huius concluſionis, cui aſſentit propter præmiſſas; docens ergo nihil cauſat in intellectu ipſius *A* ſed tantùm ordinatè proponit terminos priùs notos ab *A* coniungendo illos ad inuicem, & ſimul *A* cauſat in ſe cognitionem tam principiorum, quàm concluſionis: ſic Angelus licèt perfectiùs, quia perfectiori, & clariori modo poteſt proponere.

2. *Dubium.*

Reſponſio.

Sed eſt difficultas de aliquo complexo, cuius termini non ſunt noti ab ipſo *A*, qui eſt docendus, an ipſe Angelus poſſit illum docere. Dico, quòd immediatè non poteſt cauſare cognitionem terminorum in intellectu humano, ſed ipſos terminos, ſi ſunt ſenſibiles, mediatè, vel immediatè ordinatè poteſt præſentare intellectui, ita quòd priùs præſentet alicui ſenſui, deinde intellectui: exemplum, ſi *A* non cognoſcit, puta aliquem colorem, ipſe Angelus poteſt præſentare illum alicui ſenſui exteriori, & deinde imaginatiuæ, ita quòd ipſe color priùs potentiæ exteriori cauſet viſionem ſui, & ſpeciem ſenſibilem in illo, quâ cauſatâ deinde cauſatur alia ſpecies ſenſibilis eiuſdem coloris in imaginatiua, quæ dicitur phantaſma, tunc ipſum phantaſma, vnà cum intellectu ipſius *A* cauſat ſpeciem intelligibilem ipſius coloris, & Angelus poteſt partialiter concurrere ad huiuſmodi cauſationem ſpeciei intelligibilis, vt patet infrà à Doctore. Hoc ergo modo poteſt docere hominem de terminis priùs cognitis, quibus terminis notis ab homine, ipſe Angelus poteſt ordinatè proponere illos coniungendo, vel diuidendo, & ſic docere hominem de principiis, & concluſionibus modo præexpoſito, ſed de terminis, & complexionibus, quæ nullo modo cadunt ſub ſenſu, nec formaliter, nec originaliter, nec poſſunt cadere, vt de iſta propoſitione: *Deus eſt trinus, & vnus*, an poſſit docere hominem: & ſicut dixi de hoc, ita dico de quolibet alio reuelato merè intelligibili. Dico, quòd de communi lege ſtante ordine diuinæ ſapientiæ Angelus non poteſt reuelare intellectui humano pro ſtatu iſto aliquod purè intelligibile; Quomodo ergo reuelet iſtam, *Deus eſt trinus, & vnus*? Dico, quòd proponit homini eo modo, licèt perfectiori, quo alius homo proponeret. Nam intellectus humanus via naturali poteſt cognoſcere omnes terminos, qui poſſunt abſtrahi à ſenſibilibus, vt ens, vnum, bonum, & huiuſmodi, vt patet *in primo, diſt. 3. q. 1. & diſt. 8.* deinde poteſt conſiderare, puta entitatem in ſe, & primitatem in ſe, & vnire iſta duo, ſic dicendo, eſt aliquod ens primum, & ſimiliter poteſt conſiderare Trinitatem, quæ Trinitas eſt abſtrahibilis à numeris, & ſimiliter conſiderare perſonam, & componere iſtam, *Tres perſonæ*, & huiuſmodi. Poteſt ergo aliquis prædictorum ſic docere, & deducere alicui, quòd eſt aliquod primum ens, quod eſt vnum in ſe, & ſingulariſſimum, & idem in tribus perſonis, & ſic audiens imperio ſuæ voluntatis poteſt aſſentire huic, ita quòd poteſt in ſe cauſare aſſenſum, quo aſſentiat huic. Sic Angelus poteſt docere hominem de iſta propoſitione, quòd *Deus eſt trinus, & vnus*, licèt perfectiùs, & clariùs, & hoc eſt, quod dicit Doctor *in prolo. q. 1.* quòd reuelatio de communi lege non fit, niſi de complexis, quorum termini poſſunt haberi via naturali, & virtute phantaſmatum.

Nota.

3. Si dicatur, ergo homo naturaliter poteſt cognoſcere iſtam, *Deus eſt trinus, & vnus*, cauſando in ſe cognitionem illius, ſi Angelus nihil aliud facit, niſi proponendo, vt dixi ſuprà. Dico, ſicut dicetur *in tertio, diſt. 23. & 14. q. quodlib.* de fide

acqui

acquiſita, quòd aliquis poteſt credere articulis fidei ex puris naturalibus, ſed vel eſt, quòd niſi illi articuli fuiſſent priùs reuelati homini, qui poſtea docet illos, nunquam aliquis homo ex puris naturalibus acquirere poſſet; & ſimiliter, ſi Deus non reuelaſſet iſtam, *Deus eſt trinus, & vnus*, alicui Angelo, immediatè cauſando cognitionem illius in illo, tota natura Angelica ex ſuis puris naturalibus non potuiſſet attingere huiuſmodi cognitionem, vt patet à Doctore ſuprà *in hoc 2.diſt.3. & q. 14. quodlib.* Si dicatur, quòd Doctor videtur ſibi contradicere, quia hîc dicit, quòd reuelatio primò fit Angelo ſuperiori, & ſuperior reuelat inferiori, & ſic deinceps, & inferior reuelat homini. Et tamen *in prolo.q.* 1. dicit quòd voluntas diuina aliquando ſupplet vicem obiecti imperfectè; puta quando reuelat alicui hanc propoſitionem, Deus eſt trinus, & vnus, & ibi Doctor declarat, quomodo voluntas diuina ſupplet vicem obiecti ſupernaturaliter reſpectu intellectus noſtri. Dico, quòd nulla eſt cõtradictio, quia ſi loquamur de lege communi, & de ordine præfixo à diuina voluntate, quæ ſupplet vicem obiecti ſupernaturaliter, mediatè, vel immediatè, quia niſi ipſa voluntas diuina primò reuelaret alicui Angelo, qui poſteà reuelaret aliis, tota natura creata ex ſua natura non poſſet cognoſcere illud obiectum ſupernaturale de cõmuni l. ge; reſpectu verò intellectus noſtri ſupplet vicem obiecti ſupernaturalis, mediatè tamen, quia mediante Angelo, cui priùs reuelat. Dico etiam, quòd ipſa poteſt immediatè reuelare, cùm ipſa voluntas diuina ſit ſupra omnem ordinem, & non ſit ſic aſtricta ordini priori, quin aliter poſſit facere, vt patet ſuprà *in iſto 2. diſt.7. & in primo, diſt.44.*

Voluntas diuina non eſt aſtricta ordini priori.

SCHOLIVM.

Angelum non poſſe cauſare phantaſma: dubium eſſe an illud cum ſuo ſubiecto transferre poßit de vna phantaſia in aliam, item an in eadem phantaſia poſsit mutare phantaſmata, certum verò quòd poſsit tollere impedimenta phantaſiæ, & fortè poteſt in nobis concauſare ſpeciem.

6. SEd de aliis [a] affirmatiuis, quòd ſcilicet poſſit Angelus circa virtutem phantaſticam hominis agere, vel cauſare, Vtrùm poſſit nouum phantaſma cauſare effectiuè, vel offerendo nouum imaginabile, vel tranſportare, ſiue tranſponere phantaſmata iam habita; dubium eſt. Conceditur tamen communiter, quòd phantaſma nouum non poſſet cauſare, ſine cauſa naturali, puta obiecto nato cauſare tale phantaſma.

De tranſlatione phantaſmatis [b], etiam de vno organo ad organum alterius, dubium eſſe videtur, vtrùm ſpiritum, vel humorem informatum phantaſmate in organo Socratis, poſſit transferre ad organum Platonis, manente eodem phantaſmate: non enim poteſt aliter phantaſma transferre, niſi transferat ſubiectum. Et fortè diceretur [c] quòd tranſlato humore ab organo Socratis, non remaneret in eo phantaſma: quia non eſſet in eadem proportione ad ſuam cauſam, à qua gignebatur. Sed iſta ratio non concludit: [d] quia ſenſus particularis reſpectu phantaſmatis, eſt tantùm cauſa in fieri, & non in facto eſſe.

Pars negatiua, potiùs ſuſtinenda hîc videtur, ſed neutra pars poteſt aliqua certa ratione demõſtrari.

Si etiam talis [e] tranſlatio fieret à Socrate informato phantaſmate manente; negaretur ille ad cuius organum fieret tranſlatio, poſſe vti tali phantaſmate: quia nullius phantaſia nata eſt vti phantaſmate, niſi genito à ſenſibili præſenti ſuo ſenſui. Sed nec iſta ratio cogit [f], quia ſi Deus imprimeret cæco nato phantaſma de colore, poſſet vti eo vigilans ad imaginandum colores, quod enim non eſt cauſa formæ in *eſſe*, ſed tantùm in *fieri*, non videtur eſſe neceſſaria cauſa formæ, quantùm ad actum eius ſecundum: ad neutrum iſtorum duorum videtur eſſe ratio neceſſaria pro vna parte, vel pro alia.

Cæcus natus imaginaretur de colore per phantaſma infuſum.

7. Tertio modo, de tranſlatione phantaſmatum [g] in eodem, dicitur quòd poteſt facere motum localem humorum, & ſpirituum, ad quem motum ſequitur tranſpoſitio phantaſmatum & ordinata immutatio intellectus poſſibilis ab eis. Sed hoc videtur difficile ad intelligendum: non enim quodlibet phantaſma habet ſpiritum, vel humorem pro ſubiecto: quia tot poſſent ſimul phantaſmata eſſe in virtute phantaſtica, quot eis non poſſent aſſignari propria ſubiecta: nec etiam motus aliquis localis ſpiritus, vel humorum, videtur facere aliquod phantaſma mouere magis, quàm priùs, niſi aliquid faciat circa illud phantaſma per alterationem.

Ægidius quodl. 6, q.16.

Phãtaſma non habet pro ſubiecto ſpiritũ proprium.

Hoc tandem quartò conceditur [h] quòd poſſit circa virtutem phantaſticam amouere impedimentum, puta ſi impedimentum ordinatæ immutationis à phantaſmatibus, erat perturbatio ſpirituum, vel humorum, Angelus poteſt illam ſedare, qua ſedata occurrent ordinatè.

Poteſt Angelus tollere turbationẽ phãtaſiæ.

Poſſet etiam dici, quòd præter illam viam, quâ poteſt docere per ſigna ſenſibilia excellentiùs, quàm homo: & præter quamcunque viam circa virtutem phantaſticam,

taſticam, vbi non eſt aliqua via multùm certa, niſi vltima de amotione impedimenti: aliquid poſſet operari circa intellectum poſſibilem; non immediatè cauſando ſpeciem intelligibilem vt totalis cauſa; ſed vt cauſa partialis, per intellectum ſuum agentem coagens intellectui agenti hominis: ita quòd illi duo intellectus agentes Angeli, & hominis, qui ſunt eiuſdem rationis, poſſent cum phantaſmate efficaciùs operari, quàm ſolus intellectus agens hominis: & ita producere ſpeciem intelligibilem perfectiorem & diſtinctiùs repræſentantem quiditatem.

Angelus forte poteſt partialiter cauſare ſpeciem in intellectu hominis.

Ad arg. 1. Quid facit Angelus cuſtos.

Ad argumenta[1]: Ad primum dico, quòd non fruſtrà cuſtodit hominem; quia poteſt circa intellectum eius, docendo per ſigna ſenſibilia, efficaciùs aliquid facere, quàm homo: & fortè aliquid operando circa phantaſiam: & fortè circa intellectum poſſibilem, ſecundùm vltimum modum. Dato etiam quòd nullum iſtorum poſſit eſſe, adhuc non fruſtrà eſſet cuſtodia eorum: quia cuſtodiunt nos à multis impugnationibus dæmonum, ſecundùm quod dicit Hieronymus in homil. ſuper illud Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident*, & cætera, *neque etiam tuta poſſet eſſe vita mortalium*, &c. quære eum ibi. 8.

Ad 2.

Ad ſecundum, conſequentia[k] non valet: quia iſtud paſſum inferius, non eſt capax pro ſtatu iſto ab illo agente: & hoc, quia paſſum eſt impeditum pro ſtatu iſto, ne aliquid tale recipiat: vnde iſta impotentia non eſt ex defectu potentiæ actiuæ Angeli, vel ex impotentia virtutis paſſiuæ intellectus noſtri, abſolutè in recipiendo: ſed ex impedimento, pro ſtatu iſto.

Per hoc patet ad vtramque probationem conſequentiæ: actiuum enim poteſt agere in paſſiuum, quando non eſt impeditum à receptione formæ, ad quam agit tale agens, ſed dum eſt impeditum, non poteſt agere potentia propinqua, licèt poſſit agere potentia remota.

Et ſi dicas, tunc non poſſet Deus pro ſtatu iſto, immediatè agere in intellectum noſtrum ſine phantaſmate. Dico, quòd conſequentia non valet: quia illud impedimentum pro ſtatu iſto, ſcilicet ordo inter potentias inferiores, ſubeſt cauſalitati Dei, non autem cauſalitati alicuius creaturæ: & ideò cuilibet creaturæ, quæ præſupponit iſtum ordinem, eſt impedimentum: non autem Deo, vel ad Deum, qui eſt ſuper iſtum ordinem.

Ad vltimum, patet quòd ſenſibilia poſſunt immutare intellectum pro ſtatu iſto: non autem mere intelligibilia: non quia illa non ſunt actiua, nec quia intellectus noſter non eſt paſſiuus, reſpectu eorum abſolutè: ſed quia pro ſtatu iſto impeditur ne patiatur; vel recipiat à talibus immediatè: amoto autem tali impedimento, tunc recipit, ſicut eſt in beatitudine: tunc loquetur Angelus homini beato, & homo beatus alij homini beato, ſicut dictum eſt priùs Angelum loqui intellectualiter Angelo: quia tunc ſecundùm promiſſum Saluatoris, in Matthæo, *Erimus ſicut Angeli Dei*: cui laus & gloria, &c.

In gloria loquentur Angeli nobis. Matth. 22 & Mar. 12.

Et ex hoc patet quare Doctor non poteſt cauſare ſcientiam in diſcipulo, non propter defectum virtutis actiuæ in ſcientiâ docentis: ſed propter capacitatem intellectus diſcipuli pro ſtatu iſto, pro quo habet impedimentum, ne ſic immutetur quia pro ſtatu iſto determinatur ad phantaſmata, ſicut ad ipſum immutantia, ſicut dictum eſt.

Quare doctor pro nunc non poteſt cauſare in diſcipulis ſcientiam?

COMMENTARIVS.

1. *Quid ſit phantaſma.*

a *Sed de aliis affirmatiuis, &c.* Eſt aduertendum, quòd phantaſma propriè eſt ſpecies ſenſibilis, exiſtens in virtute phantaſtica repræſentans ſenſibile cum conditionibus materialibus; & differt à ſpecie ſenſibili exiſtente in ſenſu exteriori, quia virtus phantaſtica cum phantaſmate poteſt cauſare cognitionem ſenſibilis perfectam, etiam actu non exiſtente. Species verò ſenſibilis exiſtere non poteſt. Et Doctor videtur dicere duo.

Primò, quòd non poteſt cauſare phantaſma alicuius ſenſibilis, non concurrente obiecto ſenſibili.

Secundò dicit, quòd cùm obiecto ſenſibili poterit cauſare nouum phantaſma rei ſenſibilis.

Dubium.

Sed circa ſecundum occurrit dubium, quia ſpecies ſenſibilis immediatè cauſatur ab obiecto ſenſibili extrà, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. q. 7. & in quodlib. q. 15. artic. 2.* exponendo auctoritatem Auguſtini 11. de Trin. cap. 2. vel 5, quia dicit, *Informatio ſenſus, quæ viſio dicitur, à ſolo imprimitur corpore, quod videtur*, & dicit Doctor quòd Auguſtinus ibi accipit *viſionem* pro ſimilitudine rei in ſe & illa à ſolo corpore extrà cauſatur. Si ergo Angelus non poteſt partialiter cauſare ſimilitudinem rei ſenſibilis in aliquo ſenſu: ergo nec aliquod phantaſma, cùm tale phantaſma ſit præcisè ſimilitudo rei ſenſibilis cum conditionibus materialibus.

Reſponſio.

Dico primò, quòd expreſsè non habetur à Doctore quòd Angelus partialiter poſſit cauſare phantaſma; ſed quòd poſſit nouum ſenſibile præſentare

ſentare alicui ſenſui, quo præſente ſtatim cauſatur ſpecies ſenſibilis in ſenſu exteriori, & pòſt in virtute phantaſtica.

Dico ſecundò, quòd etſi ſenſus exterior nullo modo actiuè concurrat ad cauſandum ſimilitudinem rei ſenſibilis, hoc tamen non debet fortè negari ab Angelo, quin ſaltem partialiter poſſit concurrere, quia natura nobilior eſt dignificanda, quantum apparentia oſtendunt, vel permittunt.

Dico tertiò, poſito quòd Angelus non poſſit partialiter concurrere ad talem ſimilitudinem extrà, non debet fortè negari quòd poſitâ ipſâ in ſenſu exteriori, quòd non poſſit Angelus partialiter cauſare phantaſma in virtute phantaſtica, concurrente tali ſimilitudine, vt alia cauſa partiali. Sicut etiam conceditur, quòd quamuis homo pro ſtatu iſto non concurrat actiuè ad ſpeciem ſenſibilem ad extrà, nec fortè ad phantaſma, tamen intellectus agens cum tali phantaſmate actiuè concurrit reſpectu ſpeciei intelligibilis, imò vt cauſa magis principalis, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. q. 8. & in quodlib. q. 15.* ſic pariformiter eſſet dicendum de ipſo Angelo, reſpectu phantaſmatis, licèt iſta requirant prolixiorem tractatum.

Quomodo homo pro ſtatu iſto non concurrat ad ſpeciem ſenſibilem.

2. b *De tranſlatione phantaſmatis, &c.* Dicit Doctor hîc duo, quòd ſi loquimur de ipſo phantaſmate abſolutè, quod eſt tantùm accidens, non poteſt transferri, puta de organo Socratis ad organum Platonis, quia tunc idem accidens numero migraret de ſubiecto in ſubiectum, quod eſt impoſſibile. Secundò dicit, quòd ſi loquamur de ſpiritu, vel humore, tenendo quòd ipſum phantaſma habeat pro ſubiecto ſpiritum, vel humorem ſcilicet corporeum, quòd ſecundùm aliquos Angelus poteſt transferre de vno organo ad aliud organum, & hanc opinionem videtur Doctor tenere.

c *Et fortè diceretur, quòd tranſlato humore ab organo, &c.* Dicunt enim iſti, quòd ipſũ phantaſma habet proportionem ad ipſum cauſantem, dum eſt in Socrate & ipſum conſeruantem, & ſic quamuis humor poſſit transferri, vt tamen deſinit eſſe in Socrate illud phantaſma ſtatim deſinit eſſe ſimpliciter, ceſſante cauſa conſeruatiua.

d *Sed iſta ratio non concludit*, Vult dicere Doctor quòd quamuis ſenſus particularis, puta viſus, dum mutatur à ſenſibili extrà, poſſit ſaltem partialiter cauſare phantaſma in virtute phantaſtica, & vt ſic, dependet à ſenſu particulari; tamen phantaſmate cauſato in *eſſe* quieto, nõ dependet ampliùs à ſenſu particulari in *conſeruari*. Et hoc videtur per illud, quod dicit Doctor *in iſtò ſecundo, diſt. 2.* quòd res tantùm pro primo inſtanti, quo accipit *eſſe*, dependet ab agente creato, & pro tempore ſequenti præcisè dependet ab ipſo Deo, *vide q. 4. diſt. 2.*

Aduerte. Aduerte etiam, quòd aliud eſt loqui de operatione ſenſitiua, vel intellectiua, & aliud de ſpecie intelligibili, & phantaſmate, quia tales operationes tantùm ſunt dum fiunt, & non plus; ſpecies autẽ intelligibilis, & phantaſma ceſſante cauſatione cauſæ creatæ, habent *eſſe* permanens. Sed de ſpecie ſenſibili extrà, fortè eſt dubium, an illa poſſit manere cauſa particulari non conſeruante, de hoc aliàs.

3. e *Si etiam tranſlatio fieret &c.* Hîc recitatur alia reſponſio ſcilicet poſito quòd tale phantaſma poſſit transferri de organo Socratis ad organum Platonis, tamen virtus phantaſtica Platonis non poſſet vti tali phantaſmate, ſcilicet cauſando cognitionem rei ſenſibilis, cuius eſt tale phantaſma, quia phantaſia tantùm vtitur phantaſmate genito à ſenſibili præſente ſuo ſenſui; cùm ergo phantaſma tranſlatum in Platone non ſit genitum à virtute phantaſtica Platonis, & à ſenſibili præſente cuius eſt, patet quia tale ſenſibile eſt tantùm præſens Socrati, ſequitur quòd non poterit vti tali phantaſmate.

f *Sed nec iſta ratio cogit.* Hîc Doctor oſtendit, quòd non eſt neceſſe ad hoc vt virtus phantaſtica vtatur aliquo phantaſmate, quòd illud ſit ſimpliciter cauſatum ab aliquo ſenſibili; patet, quia ſi Deus imprimeret cæco nato phantaſma de aliquo colore, poſſet vti eo vigilans ad imaginandum talem colorem, & tamen illud phantaſma nullo modo eſſet cauſatum à ſenſibili. Dato etiam quòd non poſſit vti phantaſmate, niſi cauſato à ſenſibili, non tamen ſequitur quòd Plato non poſſit vti illo phantaſmate priùs cauſato à ſenſibili præſente Socrate, quia etſi à ſenſibili præſente Socrate dependeat in *fieri*, non tamen dependet in *eſſe*, vt dictum eſt ſupra, ſicut quamuis calor exiſtens in ligno quo ad *fieri* dependeat ab igne cauſante, ex quo tamen in *eſſe* non dependet ab igne, poterit tamen lignum vti calore ad calefaciendum, ſic in propoſito.

g *Tertio modo de tranſlatione phantaſmatum.* 4. Hæc ratio iſtorum eſt, quia virtus phantaſtica in Platone, non poteſt vti phantaſmate, niſi genito à ſenſibili præſente, vt dixi ſuprà. *Opinio Egidij.*

Sed hoc videtur difficile ad intelligendum, &c. Vult dicere Doctor quòd ſi Angelus poſſet docere hominem cuſtoditum, puta Socratem, in quo ſunt mille phantaſmata, mouendo ſubiecta illorum phantaſmatum in Socrate, ſequeretur quòd tot eſſent ſubiecta, quot phantaſmata; patet, quia ſi tantùm eſſet vnum ſubiectum, non poſſet illud mouere, quin ſimul moueret omnia phantaſmata, & ſic oporteret ipſum docere de omni re, quarum ſunt alia phantaſmata, vel de nulla re docere; patet, quia ſecundùm ipſum, mouendo talia phantaſmata docet. Si ergo docet mouendo huiuſmodi phantaſmata ordinatè, ita quòd priùs vnum, pòſt aliud, oportet ipſum dicere tot eſſe ſubiecta, quot phantaſmata, quod non videtur. Nec vltrà ſequitur, quòd per talem motum localem phantaſmatum, phantaſma magis moueat intellectum, quàm priùs, niſi aliquid fiat circa tale phantaſma, puta ipſum alterando, ſcilicet intendendo.

h *Hoc tandem quartò conceditur.* Hîc Doctor ponit propriam opinionem, & duo dicit principaliter. *Opinio Scoti.*

Primum, quòd Angelus *circa virtutem phantaſticam poteſt amouere omne impedimentum, &c.* Hæc litera poteſt ſic intelligi, videlicet quantùm ad ſpeciem intelligibilem, quia ſi eſſet perturbatio in phantaſmatibus, ita quòd impedirentur à cauſatione ſpeciali ſpeciei intelligibilis, ſi tale impedimentum non amoueretur, ſpecies intelligibilis cauſari non poſſet, quia phantaſma concurrit, vt cauſa partialis, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. q. 8.*

Dico etiam, quòd poſita ſpecie intelligibili in 5. intellectu poſſibili reſpectu intellectus poſſibilis, ſi phantaſma illius rei eſſet impeditum, adhuc impediretur intellectio illius rei, quia oportet intelligentem phantaſma ſpeculari, *3. de Anima.*

& ideo

Improbatio verborum Scoti.

& ideo Doctor *in primo, diſt. 3. q. 2.* dicit quod illud fortiùs mouet intellectum, cuius ſingulare fortiùs mouet ſenſum, & vide quæ ibi expoſui. Secundò principaliter dicit, quòd Angelus poteſt aliquid operari circa intellectum poſſibilem hominis cuſtodis, quia poteſt partialiter cauſare ſpeciem intelligibilem concurrendo cum intellectu agente hominis cuſtoditi, & cum ipſo phantaſmate; & talis ſpecies intelligibilis ſic cauſata erit perfectior; & non debet intelligi quòd intellectus hominis cuſtoditi, & intellectus Angeli ſint duæ cauſæ partiales eſſentialiter ordinatæ, ita quòd vna agat in virtute alterius, quia tunc inferior non poſſet cauſare non concurrente ſuperiori, & ſic intellectus agens hominis cuſtoditi, cùm ſit inferior intellectu Angeli cuſtodientis, nullo modo poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem, concurrente phantaſmate non impedito. Nec ſimiliter debet intelligi quòd ſint duæ cauſæ partiales alterius, & alterius rationis, licèt non eſſentialiter ordinatæ, ſicut ſe habent intellectus, & obiectum reſpectu intellectionis, quia huiuſmodi cauſæ ſic ſe habent, quòd quantumcumque vna augeretur in perfectione, nunquam tamen poſſet ſupplere vicem alterius, vt ſuprà patuit *in iſto 2. diſt. 9. & in primo, diſt. 3. q. 8. & diſt. 17.* Diceretur ergo ille duæ cauſæ eiuſdem rationis, ſic intelligendo, quòd quamuis ab vna earum poſſit effectus produci abſolutè, tamen alia concurrente effectus eſſet perfectior eo modo, quo dictum eſt *in 1. diſt. 17.* de potentia, & habitu.

6. Mater concurrit quantum adminiſtrationem materiæ menſtruali.

Et ex hoc apparet improbatio illius argumenti, quod fit contra Doctorem *in 3. diſt. 4.* vbi vult quòd mater concurrat actiuè ad generationem prolis, licèt minùs principaliter, vbi ſic arguunt, ponendo quòd virtus actiua matris augeatur, ſequitur quòd tantum poſſet augeri, quòd ipſa ſola poſſet producere prolem, non concurrente viro, patet enim, quòd iſti non intelligunt, nec intentionem, nec verba Doctoris, quia vir & mulier ſic ſunt duæ cauſæ partiales ordinatæ reſpectu prolis, quòd vir eſt cauſa principalis & mulier minùs principalis. Si ergo virtus vnius creſceret, etiam in millecuplo, adhuc eſſet talis cauſa, quòd nunquam poſſet ſupplere vicem alterius cauſæ. Dico ergo quòd intellectus Angeli non ſic concurrit cum intellectu noſtro, quia tunc vnus intellectus non poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem ſine alio, vt dictum eſt. Concurrunt ergo ſicut duæ cauſæ eiuſdem rationis, ita quòd ſimul vnitę perfectiorem cauſant effectum, quàm vna earum ſeorſum, ſicut duo calores vniti ſimul perfectiorem cauſant calorem, quàm ſeorſum ſumpti; & ſi vnus calor in duplo augeretur, poſſet ſupplere vicem alterius caloris: ſic etiam intellectus Angeli, ſi in perfectione creſceret, poſſet ſupplere vicem intellectus noſtri, quia ipſe ſolus, vnà cum phantaſmate, ita perfectam ſpeciem intelligibilem poſſet cauſare, ſicut modò facit cum intellectu noſtro.

Dubium.

Occurrit tamen dubium, ſi intellectus agens ipſius Angeli poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem cum phantaſmate hominis cuſtoditi, intellectu agente ipſius hominis non concurrente? Videtur quòd ſic, quia ſi intellectus agens ipſius hominis cuſtoditi hoc poteſt, multò fortiùs intellectus Angeli cuſtodientis, cùm ſit perfectior. Dico, quòd in hoc nullum apparet impoſſibile, loquendo de ſpecie intelligibili alicuius rei imaginabilis; quia etſi non poſſit cauſare ſpeciem intelligibilem alicuius merè intelligibilis, non negatur tamen quin poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem rei imaginabilis, quia hoc non eſſet contra ſtatum hominis cuſtoditi. Dico tamen, quòd de facto non cauſat ſpeciem intelligibilem in intellectu agente ipſius non concurrente, quia amoto impedimento, intellectus agens hominis de neceſſitate naturæ concurrit.

Reſponſio.

Dico vltrà ad intentionem Doctoris quod non tantùm Angelus poteſt partialiter cauſare ſpeciem intelligibilem alicuius ſenſibilis, ſed etiam poteſt partialiter cauſare cognitionem abſtractiuam rei, cuius eſt talis ſpecies, ſic, quòd talis intellectio erit perfectior, quàm vt cauſata à ſolo intellectu hominis cuſtoditi, & à ſpecie intelligibili & pariformiter dicendum eſt de intellectu Angeli, & intellectu hominis reſpectu talis intellectionis, ſicut dictum eſt de eis reſpectu ſpeciei intelligibilis.

7.

Nunc ſoluenda ſunt argumenta principalia. Primò arguit Doctor, probando quòd aliquid poſſit operari immediatè circa intellectum, & voluntatem hominis cuſtoditi, quia aliter fruſtrà cuſtoditet, niſi poſſet ipſum dirigere in actibus humanis, qui primò pertinent ad intellectum, & voluntatem.

Reſpondet Doctor, quòd non fruſtrà cuſtodit hominem. Tum, quia poteſt ipſum efficaciùs docere per ſigna ſenſibilia, quàm aliquis homo. Tum etiam, quia perfectiorem ſpeciem intelligibilem poteſt cauſare, vt ſuprà patet. Tum etiam quia poteſt ipſum à dæmonibus cuſtodire.

Sed ex dictis occurrit aliqualis difficultas. Si Angelus poteſt partialiter cauſare ſpeciem intelligibilem rei ſenſibilis in intellectu poſſibili hominis cuſtoditi, an poſſit etiam cauſare volitionem in voluntate hominis cuſtoditi, reſpectu alicuius rei ſenſibilis? & videtur quòd ſic, quia ſicut ſe habet intellectus hominis cuſtoditi, vt paſſum proportionatum reſpectu ſpeciei intelligibilis rei ſenſibilis, & reſpectu abſtractiuæ intellectionis eiuſdem, ita videtur quòd voluntas Angeli habeat voluntatem hominis cuſtoditi, vt paſſum ſibi proportionatum reſpectu volitionis rei ſenſibilis, & ſic poſſet immediatè cauſare volitionem alicuius rei ſenſibilis.

Dico, quòd non eſt ſimile de ſpecie intelligibili, & intellectione abſtractiua, & volitione, quia voluntas hominis cuſtoditi non videtur poſſe immediatè moueri ab alia voluntate, recipiendo aliquam volitionem.

Dico ſecundò, quòd etſi Angelus poſſet ipſam mouere, non tamen moueret vt cauſa totalis reſpectu volitionis, ſed ipſa voluntate concurrente. Si etiam tertiò concedatur, quòd poſſet ipſam mouere vt totalis cauſa, reſpectu alicuius volitionis ſenſibilis, non autem reſpectu volitionis alicuius merè intelligibilis, fortè nullum apparet impoſſibile. Iſta tamen dicantur vt dubia. Cætera patent.

DISTINCTIO XII.

De diſtinctione operum ſex dierum in genere.

A Æc de Angelicæ naturæ conditione dicta ſufficiant. Nunc ſupereſt de aliarum quoque rerum creatione, ac præcipuè de operum ſex dierum diſtinctione, nonnulla in medium proferre. Cùm Deus in ſapientia ſua Angelicos condidit ſpiritus, alia etiam creauit, ſicut oſtendit ſupradicta ſcriptura Gen. quæ dicit, In principio Deum creaſſe cœlum, id eſt, Angelos; & terram, ſcilicet materiam quatuor elementorum adhuc confuſam & informem, quæ à Græcis dicta eſt *chaos*, & hæc fuit ante omnem diem. Deinde elementa diſtinxit Deus, & ſpecies proprias atque diſtinctas ſingulis rebus ſecundùm genus ſuum dedit: quæ non ſimul, vt quibuſdam ſanctorum Patrum placuit, ſed per interualla temporum ac ſex volumina dierum, vt aliis viſum eſt, formauit. *Gen.1.a. Auguſt. Hier. Greg.& Beda.*

Quòd ſancti tractatores videntur ſuper hoc quaſi aduerſa tradidiſſe, aliis dicentibus omnia ſimul facta in materia & forma, aliis per interualla temporum.

B QVidam namque Sanctorum Patrum, qui verba Dei atque arcana excellenter ſcrutati ſunt, ſuper hoc quaſi aduerſa ſcripſiſſe videntur. Alij quidem tradiderunt omnia ſimul in materia & forma fuiſſe creata: quod Auguſtinus ſenſiſſe videtur. Alij verò hoc magis probauerunt, ac aſſeruerunt, vt prima materia rudis atque informis, quatuor elementorum commiſtionem atque confuſionem tenens, creata ſit. Poſtmodùm verò per interualla ſex dierum ex illa materia rerum corporalium genera ſint formata ſecundùm ſpecies proprias. Quam ſententiam Gregorius, Hieronymus & Beda, aliíque plures commendant ac præferunt. Quæ etiam ſcripturæ Geneſeos (vnde prima huius rei ad nos manauit cognitio) magis congruere videtur. *Super Gen. lib.1. cap.15. Hier. in quæſt. in Gen.to.3. Greg.li.32 moral.c.10*

Quomodo per interualla temporis res corporales conditæ ſint.

C SEcundùm hanc itaque traditionem, ordinem atque modum creationis formationíſque rerum inſpiciamus. Sicut ſuprà memoratum eſt, In principio creauit Deus cœlum, id eſt, Angelicam naturam, ſed adhuc informem, vt quibuſdam placet. Et terram, id eſt, illam confuſam materiam quatuor elementorum, quam nomine *terræ*, vt Auguſtinus ait contra Manichæos, ideò appellauit Moyſes, [quia terra inter omnia elementa minùs eſt ſpecioſa, & illa inanis erat, & incompoſita propter omnium elemẽtorum commiſtionem, eandem etiam vocat abyſſum dicens, Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, &c. quia confuſa erat & *Diſt.2. lit.c. Li.1.de Gen.cõtra Manichæos 1. cap.7. in tom 1.*

quare illa confuſa materies vocetur terra & abyſſus aqua.

commiſta, ſpecie diſtincta carens. [Eadem etiam materia informis dicta eſt *aqua*, ſuper quam ferebatur ſpiritus Domini, ſicut ſuperfertur fabricandis rebus voluntas artifeis, quia ſubiacebat bonæ voluntati creatoris, quod formandum perficiendúmque inchoauerat: qui ſicut Dominus & Conditor, præerat fluitanti & confuſæ materiæ, vt diſtingueret per ſpecies varias quando vellet, & ſicut vellet. Hæc ergo ideò dicta eſt *aqua*, quia omnia quæ in terra naſcuntur, ſiue animalia, ſiue arbores, vel herbæ, & ſimilia, ab humore incipiunt formari, atque nutriri. His omnibus vocabulis vocata eſt illa informis materia, vt res ignota notis vocabulis inſinuaretur imperitioribus, & non vno tantùm: nam ſi vno tantùm ſignificaretur vocabulo, hoc eſſe putaretur quod conſueuerant homines in illo vocabulo intelligere. Sub his ergo nominibus ſignificata eſt materia illa confuſa & informis, quæ nulla ſpecie cerni, ac tractari poterat,] [id eſt, nominibus viſibilium rerum, quæ inde futuræ erant propter infirmitatem paruulorum, qui minùs idonei ſunt inuiſibilia comprehendere:] & tunc erant tenebræ, id eſt, lucis abſentia. [Non enim tenebræ aliquid ſunt, ſed ipſa lucis abſentia: ſicut ſilentium non aliqua res eſt, ſed vbi ſonus non eſt, ſilentium dicitur. Et nuditas non aliqua res eſt, ſed in corpore vbi tegumentum non eſt, nuditas dicitur: ſicut & inanitas non eſt aliquid, ſed inanis dicitur locus eſſe vbi non eſt corpus, & inanitas abſentia corporis.]

Ibidem cap. 5.

Ibidem cap. 4. & in to. 6. li. contra Epiſtolam Manichei c. 30.

Quo ſenſu tenebræ dicantur non eſſe aliquid, & quo dicantur eſſe aliquid.

D ATtende, quia hîc Auguſtinus tenebras dicit non eſſe aliquid, cùm alibi tenebræ inter creaturas ponantur, quæ benedicunt Dòminum, vnde dicitur, Benedicite lux & tenebræ Domino. Ideóque ſciendum eſt tenebras diuerſis modis accipi, ſcilicet vel pro lucis abſentia, qualiter ſuprà accepit Auguſtinus, iuxta quam acceptionem non ſunt aliquid: vel pro aëre obſcurato, ſiue aëris obſcura qualitate, & ſecundùm hoc aliqua res creata ſunt. Ideò ergo dicit tenebras tunc fuiſſe ſuper faciem abyſſi, quia nondum erat lux, quæ ſi eſſet, & ſupereſſet & ſuperfunderetur: ſed nondum lucis gratia opus ſuum Deus venuſtauerat, quæ poſtea in primo die formata eſt.

Dani. 3. f.

Duo hîc conſideranda ſunt, quare illa materia confuſa ſit dicta informis, & vbi ad eſſe prodijt, quantumque in altitudine aſcenderit.

E DE qua re priuſquam tractemus, duo nobis diſcutienda occurrunt. Primum, quare illa materia confuſa, informis dicatur: an quia omni forma caruerit, an propter aliud. Secundò, vbi ad *eſſe* prodierit, & quantum in altum aſcenderit. Ad illud ergo quod primò poſitum eſt, breuiter reſpondentes, dicimus illam primam materiam non ideò dictam fore informem, quod nullam omnino formam habuerit: quia non aliquid corporeum tale exiſtere poteſt, quod nullam habeat formam: ſed ideò non abſurdè informem appellari poſſe dicimus, quia in confuſione & permiſtione quadam ſubſiſtens, nondum pulchram apertámque & diſtinctam

Ad primũ breuiter reſpondet.

diſtinctam receperat formam,qualem modo cernimus. Facta eſt ergo illa materia in forma confuſionis ante formam diſpoſitionis. In forma confuſionis priùs, omnia corporalia materialiter ſimul & ſemel ſunt creata. Poſtmodùm in forma diſpoſitionis ſex diebus ſunt ordinata. Ecce abſolutum eſt quod primò in diſcuſſione propoſitum fuit, ſcilicet quare illa materia dicatur informis. *Aug. lib.1. de gen. c. 15.*

Hîc ad quod ſecundò quærebatur, reſpondet.

F NVnc ſupereſt quod ſecundò proponebatur explicare, vbi ſcilicet illa materia ſubſtiterit,& quantum in altitudine porrigebatur. Ad quod nihil temerè aſſerentes dicimus, quod illa prima rerum omnium moles quando creata eſt, ibidem ad *eſſe* videtur prodiiſſe, vbi nunc formata ſubſiſtit. Erátque terreum hoc elementum in vno loco, eodémque medio ſubſiſtens, cæteris tribus in vna confuſione permiſtis: eiſdémque circumquaque in modo cuiuſdam nebulæ * oppreſſis ita obuolutum erat, vt apparere non poſſet quod fuit. Illa verò tria in vna permiſtione confuſa circumquaque ſuſpenſa,eoúſque in altum porrigebantur, quouſque nunc ſummitas corporeæ naturæ pertingit. Et ſicut quibuſdam videtur, vltra locum firmamenti extendebatur illa moles, quæ in inferiori parte ſpiſſior atque groſſior erat: in ſuperiori verò, rarior ac leuior atque ſubtilior exiſtebat: de qua rariori ſubſtantia putant quidam fuiſſe aquas, quæ ſuper firmamentum eſſe dicuntur. Talis fuit mundi facies in principio, priuſquam reciperet formam,vel diſpoſitionem. *al.oppanſis vel appenſis.* *Beda circa illud Gen.1.* *Et tenebræ erant ſuper,&c.*

Oſtenſo qualis fuit mundi facies in ipſo primordio, incipit proſequi operum ſex dierum diſtinctionem.

G NVnc ſupereſt vt diſpoſitionem illam qualiter perfecta ſit,ordine proſequamur. Sex diebus, ſicut docet ſcriptura Geneſis, diſtinxit Deus & in formas redegit proprias, cuncta quæ ſimul materialiter fecerat. Perfecítque opus ſuum die ſexto:& ſic deinde die ſeptimo requieuit ab omni opere ſuo, id eſt, ceſſauit nouam creaturam facere. Sex enim diebus ſex rerum genera diſtinxit, nihílque poſtea fecit, quod in aliquo illorum non contineatur:operatus eſt tamen poſtea,ſicut veritas in Euangelio ait,Pater meus operatur vſque nunc,& ego operor illud. *Gen.2.c.* *Ioan.5*

De quatuor modis diuinæ operationis.

H QVatuor enim modis,vt ait Alcuinus ſuper Geneſim, operatur Deus. Primò in Verbo omnia diſponendo. Secundò, in materia informi quatuor elementorum, de nihilo eam creando vnde, Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. Omnia, ſcilicet,elementa:vel omnia corpora materialiter ſimul creauit. Tertiò, per opera ſex dierum varias diſtinxit creaturas. Quartò, ex primordialibus ſeminibus non incognitæ oriuntur naturæ,ſed notæ ſæpiùs reformantur, ne pereant. *Eccl.18.a.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm in ſubſtantia generabili, & corruptibili, ſit aliqua entitas poſitiua realiter diſtincta à forma?

Alenſ. 1.*p.q.*12.*mem.*2.*art.*1. D. Bonau. *hìc q.*1.*art.*1. D. Thom. 1.*p.q.*66. *art.* 1. Henr. *quodl.*1.*q.* 10. Richard. *hìc q.* 1. 2. 3. *&* 4. *& citandi q.ſeq.* Vide Scot. 9. *Met. q.*1. Suar. 1. *Met. d.*13.*ſect.*1. *&* 5. *& d.* 15.*ſect.* 10.

*Tex.com.*8. CIRCA diſtinctionem duodecimam, in qua Magiſter agit de creatura purè corporali, quæruntur duo de principio materiali. Primò, Vtrùm in ſubſtantia generabili, & corruptibili, ſit aliqua entitas poſitiua, realiter diſtincta à forma? Arguitur quòd non. Philoſophus 7. Meta. *Materia non eſt quid, nec quale*, & ſic de aliis Prædicamentis: ergo non continetur ſub aliquo illorum, quibus ens diuiditur, & diſtinguitur: ergo non diſtinguitur à forma: forma enim ſubſtantialis eſt ſubſtantia. 1.

Ricar. vbi infra. Sed dices quòd non eſt ens actu, ſed tantùm eſt ens in potentia: contrà, materia non eſt materia in potentia, quia materia non eſt in materia: nec eſt forma, vt dictum eſt: nec compoſitum, & ſic de aliis: ergo nihil.

ADDITIO. *Primo cæli, & primo Priorum tex.*2. *Confirmatur, ſi materia eſt ens in potentia, aut eſt in potentia materia, aut in potentia forma, aut in potentia compoſitum: non eſt in potentia forma, nec compoſitum: quia vtroque poſito in* eſſe, *non eſſet materia: ſimiliter poſito in* eſſe, *quod eſſet alterum iſtorum, nullum ſequeretur impoſsibile: quia poſsibili poſito in* eſſe, *&c. Eodem modo materia, non eſt in potentia materia: quia tunc materia non eſſet materia, & ens per ſe non dicitur pluribus modis, patet ſecundo de Anima: igitur materia non eſt ens in potentia*, &c.

Tex. 2. *Tex.* 8. Prætereà 5. Phy. *Quod mouetur eſt, ſed quod generatur non eſt* (per hoc volens probare differentiam generationis à motu) igitur oportet quòd intelligatur ibi eodem modo eſſe, in ſecundo negatiuè, & in primo affirmatiuè: ſed *eſſe*, quòd affirmatur de eo, quod mouetur, eſt *eſſe* in potentia; quia *motus eſt actus entis in potentia ſecundùm quod huiuſmodi*, 3. Phyſicorum; ergo *eſſe*, quod negatur de eo, quod generatur, eſt *eſſe* in potentia; igitur materia, quæ eſt ſubiectum generationis, non eſt ens in potentia; quia argumentum non procedit de termino generationis, ſed de ſubiecto; quia de termino motus non eſt verum dicere, quòd ſit, ſicut nec generationis, dum eſt in *generari*: cùm igitur materia non ſit ens in actu, nec ens in potentia, ergo eſt nihil. *Text.* 6. 2.

*Tex.*69. Prætereà primo Phyſic. matèria non eſt ſcibilis, niſi in analogia ad formam: ſed ſi eſſet per ſe ens ſine entitate formæ, ſiue ens diſtinctum à forma: eſſet per ſe intelligibilis, ergo.

*7. Meta. t.*49. Prætereà, ſi materia eſſet aliquid, eſſet aliquis actus, quia ens poſitiuum extra animam actus quidam eſt: ſed non eſt actus, quia actus diſtinguit, & diuidit: materia autem, nec diuidit, nec diſtinguit: quia in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum, primo Meta. &c. *Tex.*17.

Prætereà, ſi eſſet actus, compoſitum non eſſet per ſe vnum: quia ex duobus entibus in actu, non fit per ſe vnum, nec poteſt eſſe compoſitum: quia compoſitum non eſt principium, ſed principiatum. ſi autem eſſet actus, eſſet vel actus, qui eſt forma: vel actu ens compoſitum: cùm igitur non ſit, nec hoc nec illud, eſt nihil, vel non eſt aliqua entitas diſtincta à forma. 8.*Me.t.*15.

*Tex.*28. *Tex.*2. *& 4.idem primo Phy. t.*82. Contra Philoſophus 2. Phyſi. & 5. Meta. *Materia eſt, ex qua fit res cùm inſit*, & ponitur, *cùm inſit*, ad differentiam termini oppoſiti, ex quo fit res: non tamen ineſt Forma autem eſt terminus factionis, vel per hoc quod eſt: ex quo patet, quòd non eſt forma: quia illud ex quo fit compoſitum, præcedit formam: per hoc, quod dicitur: *cùm inſit*: excluditur priuatio, ergo.

SCHO

SCHOLIVM.

Refert ſententiam Alberti negantis duas entitates poſitiuas in ente generabili: quam latè refutat. Primò, ex Philoſopho. Secundò, rationibus. Tertiò, ex Auguſtino de quo latè agit. 1. *Phyſ. q.*19.20. *&* 24. *&* 2. *Phyſ. q.*7.

5. HIc dicit vna opinio [a] rem generabilem, & corruptibilem habere in ſe tantùm vnam realitatem poſitiuam: & quidam dicunt illam eſſe materiam, & quidam formam: & differunt opiniones iſtæ ſolùm in voce, & non in re: nam dicentes illam realitatem eſſe materiam, dicunt materiam proficere in gradu entitatis, non per aliquid extrinſecum: ſed per ſuum intrinſecum. Exemplum de quantitate interminata, quæ terminatur non per aliquid extrinſecum, ſed per terminum intrinſecum. Sic forma non eſt terminus extrinſecus, ſed intrinſecus materiæ: quæ licèt ſit terminus: non tamen eſt aliud à materia, & ipſa vt aliter, & aliter terminatur, dicitur aliud, & aliud compoſitum: & tamen omnes illi gradus ſunt idem materiæ identicè. *Ric. de Media villa quodl. 4. q.5. art. primo: tangit idem quodl. 2. q.1. Alber. Ma. vide ad hoc 22. diſt.3.*

4. Poſitio iſta non videtur rationabilis [b], nec videtur eſſe ſecundùm intentionem Philoſophi. Arguo enim ſic; In generatione naturali, ſecundùm Philoſophum primo de Generatione, ſemper aliquid corrumpitur, & aliquid generatur: ſed tunc accipit Philoſophus quod in generatione, ex oppoſito fit oppoſitum: non quòd oppoſitum maneat [c], ſed aliquod commune vtrique termino, quod vult eſſe materiam, quæ non poteſt eſſe idem cum aliquo oppoſitorum: quia vnum oppoſitorum non manet cum alio. *Tex. c.23. Idem 1. Phy.t.c.60. & 63. & 7. Meta. t.c. 22.26. & 32. & 8. Met.t.c. 4. & 12. Met.t.c. 6. & 10. Tex.c. 10. & 23.*

Sed reſpondetur, quòd agens [d] naturale requirit aliquid in quod agat, & hoc eſt terminus corrumpendus. Tunc igitur quando dicitur quòd hoc fit illud; verum eſt: non tamen dicitur quòd aliquid maneat eius, quod præfuit, quod ſit commune illis: ſed ita fit ex oppoſito, quòd hoc totum, fit hoc totum: & iſta videtur intentio Philoſophi *primo de Gen.* vbi dicit, quòd in hoc diſtinguitur generatio ab alteratione, quia in generatione totum conuertitur in totum: non ſic in alteratione, propter hoc, quòd generabilia, & corruptibilia, ſunt per ſe entia ſimplicia.

5. Contrà [e], nihil prohibet effectum produci ab agente ſine illo, quo præſente virtus agentis magis debilitatur, quàm fortificetur: ſed præſentia contrarij in aëre, quod debet corrumpi ab igne, magis debilitat virtutem ignis, ad producendum ignem, quam fortificet: ergo ignis agens, qui præhabet in virtute ſua totum ignem generandum, quia ignis generandus non eſt niſi quid ſimplex, ſecundùm illos, non habens partem, & partem realiter diſtinctas, poterit ignem generare, nullo contrario præſuppoſito. *Ex ſent. illa, generãs generaret nullo oppoſito præ ſuppoſito.*

Ex hoc idem arguitur aliter ſic: Agens naturale potens in aliquem effectum totum, de neceſſitate producit eum, ſi non prohibetur: quia agens naturale non impeditum, de neceſſitate agit in quodlibet, quod eſt in virtute eius actiua, vt patet de forma, quam producit, & inducit neceſſariò agens non impeditum, nec ab aliquo agente, nec ex parte paſſi: ſi igitur agens naturale habet aliquem totalem effectum in virtute ſua actiua, neceſſariò ponet ipſum, ſi non fuerit impeditum: ſed non impeditur, niſi per contrarium corrumpendum. Si autem in corrumpendo, non ſit aliquid non contrarium, quod de ſe ſit pars compoſiti, ſed totum eſt contrarium, agens non indiget oppoſito in producendo, nec oportet, quod corrumpat: quia non corrumpit, niſi vt aliquid quod eſt in corrupto, ſit ipſius geniti, quia etiam ex eius præſentia magis impediretur, quàm promoueretur in actione ſua. Ideò enim agens non poteſt producere, niſi corrumpendo, quia non habet totum effectum in virtute ſua: & ideò oportet corrumpere aliquid, vt quod fuit aliquid alterius, ſcilicet corrupti ſit aliquid ipſius geniti, ergo, &c. *9. Met.t. 10. Corrũpens ideo corrũpit vt aliquid corrupti faciat ſuum.*

6. Præterea [f] ſecundò ſic; Aliqua ſubſtantia eſt corruptibilis per aliquid intrinſecum ſibi, per Philoſophum, 7. Metaph. c. 5. ſed nulla ſubſtantia, quæ eſt forma ſimplex eſt corruptibilis, per aliquid ſibi intrinſecum: ergo cum aliqua ſit corruptibilis, hoc erit per aliquid intrinſecum, aliud à forma: hoc non eſt, niſi materia, vt dicit Philoſophus in eodem ſeptimo, quod *materia eſt, qua res poteſt eſſe, & non eſſe.* *Tex.22. Idem 8. Met. t.12. Tex. co.22. Idem 2. de gen. t. c.51.*

Dices, quòd ideò eſt corruptibilis, quia habet contrarium. Sed hoc non valet, quia non habet contrarium alicui, ratione cuius ſit corruptibile, niſi quia habet aliquid intrinſecum, ratione cuius habet poſſe non eſſe; quia ſcilicet per hoc poteſt recipere ſuum contrarium, & hoc inſinuat Philoſophus dicens ibi, quòd *materia eſt illud, quo*

res poteſt eſſe, & non eſſe. Et ratio eſt, quia eſt capax alicuius formæ quam non habet, & quæ opponitur illi, ſub qua eſt.

Præterea: Si materia non eſt diſtincta à forma [h] non eſt poſſibilis aliqua mutatio ſubſtantialis: probo per Philoſophum 5. *Phyſ.* mutatio quædam eſt de non ſubiecto in ſubiectum: alia à ſubiecto in non ſubiectum: alia de ſubiecto in ſubiectum: de non ſubiecto autem in non ſubiectum, eſt impoſſibilis, ſed omnis mutatio eſt aliter ſe habentis: tunc ſic; Generatio eſt mutatio de non ſubiecto in ſubiectum: igitur eſt ibi aliquid aliter ſe habens: ſed ſi non eſt ibi materia, quæ ponitur ſubiectum commune; igitur generatio non eſt à non ſubiecto in ſubiectum, nec corruptio à ſubiecto in non ſubiectum: hoc eſt, non erit in corruptione mutatio à forma in priuationem, nec in generatione, à priuatione ad formam, ſi ibi non eſt ſubiectum materia; quia priuatio non eſt niſi in ſubiecto apto nato.

Tex.7. Mutatio triplex. 3. & 6. Ph.

Si materia non eſt alia entitas à forma, mutatio ſubſtantialis non eſt poſſibilis.

Et ſi dicas, quod ignis, qui generatur, vel corrumpitur, aliter ſe habet, non valet, quia nihil ignis manet, ergo nec ignis aliter ſe habet: quia aliter ſe habere eſt conditio entis, vt patet 4. Metaph. 7.

Tex.22. Idem 10. Met. tex. 32. Diſt. 10. & 11.

Et ſi dicas, quare non poteſt conuerti totum in totum, vt ex toto generetur totum? Dico, quòd benè poteſt hoc fieri, ſed non generãdo, ſed magis tranſubſtantiãdo: ſicut panis conuertitur in corpus Chriſti: & iſta conuerſio non eſt mutatio, vt dicitur in 4.

Vide 1. di. 4. q. 1.

Et tunc reſpondeo ad auctoritatem, [i] quæ eſt vocalis, cùm dicitur, Generatio eſt mutatio totius in totum. Sciendum eſt enim, quòd in aliis mutationibus extra ſubſtantiam, ſicut in alteratione, non eſt mutatio totius in totum: quia ibi non eſt propriè aliquod totum: tamen eo modo quo eſt ibi totum, quaſi per accidens, & quadam aggregatione, eo modo eſt ibi mutatio totius in totum. Vnde *in 7. Metaph.* dicit Philoſophus, quòd non generatur albedo, ſed lignum album: tamen lignum album non eſt verè totum, niſi ſecundùm quid, ſicut nec aceruus lapidum eſt propriè totum, ſed partes vel lapides. Sed lignum eſt quoddam per ſe totum, & generatur totum per ſe, quod eſt per ſe vnum, quotcunque formæ ſint in tali per ſe vno. Quia enim ignis eſt aliquod totum per ſe vnum ens, quod eſt generatum, & aqua ſimiliter eſt quoddam totum, habens partes realiter diſtinctas, quæ verè faciunt vnum per ſe; ideò tota dicitur corrumpi, vel eſſe corrupta, quando ex ea fit ignis: & hinc eſt, quòd totum dicitur conuerti in totum: quia totum per ſe vnum fit, poſt corruptionem alicuius totius, quod verè fuit vnum, & per conſequens verè totum corruptum: quamuis ſubiectum maneat commune.

Tex.22.27. & 32. Idem 8. Met. t.14.

Quomodo generatio eſt mutatio totius in totum.

Tex.5. Recipiens re diſtinguitur à recepto.

Item in omni entium genere [k] eſt reperire per ſe ordinem & ſtatum, 2. *Metaph* ſicut patet in genere cauſæ efficientis: in genere igitur cauſæ materialis erit ordo eſſentialis: & ſic in receptiuis materialibus erit dare primum receptiuum eſſentialiter: ſed primum receptiuum non eſt niſi ad primum actum: ſed primus actus eſt ſubſtantialis: idem autem non recipit ſeipſum, ſed oportet quòd realiter diſtinguatur ab illo: ergo primum compoſitum, erit compoſitum ex primo receptiuo, & actu primo, realiter diſtincto ab illo. 8.

2. Phyſic. tex.27. & 5. Met. t.5. & 6.

Præterea, aliquod cauſatum, eſt cauſatum à quatuor cauſis, quia ſi non, ſequitur quòd aliqua cauſa vltima, cauſabit ſine priori, vel erit dare quod materia non erit cauſa per ſe alicuius. Probatio, nullum cauſatum eſt, quin habeat formam: igitur ſi non eſt ex omnibus quatuor cauſis, ſequitur quòd vel non habeat efficientem, ſiue finem, quæ ſunt cauſæ priores, quàm ſit forma: vel ſi habet illas, ſequitur quòd materia nullius erit cauſa: tunc arguo ſic; ſi aliquod cauſatum eſt verè cauſatum, verè eſt à quatuor cauſis: ſed materia non eſt idem cauſato: ergo cauſatum habet in ſe materiam, & formam, quæ ſunt duæ cauſæ.

ADDITIO. *Aliquod cauſatum, eſt cauſatum à quatuor cauſis: ergo ſequitur, vel quòd cauſa aliqua vltima cauſabit ſine aliqua priore, puta ſine efficiente, vel fine: vel quòd cauſa materialis, non ſit cauſa: quorum vtrumque eſt impoſsibile. Primum quidem, quia in eſſentialiter ordinatis, non eſt vltimum ſine primo: ſecundum etiam, quia quod habet formam pro cauſa, habet ſimiliter neceſſariò materiam pro cauſa: ſed hoc eſt propoſitum, quia cauſa, & cauſatum realiter diſtinguuntur: ergo oportet ponere in compoſito generabili, & corruptibili materiam aliam à forma.*

Subſtantia diuiditur in ſimplicẽ & cõpoſitã.

Præterea, ſubſtantia per ſe exiſtens, diuiditur in ſubſtantiam ſimplicem, & compoſitam: ſed compoſita non poteſt eſſe per ſe diuiſa contra ſimplicem, niſi habeat partem realiter differentem, & realiter diſtinctam à forma, ergo. 9.

Præterea,

Præterea, Auguſt. lib. Confeſſ. *Duo feciſti Domine: vnum prope te, & aliud prope nihil,* quod vocat materiam; forma autem non poteſt eſſe prope nihil. Similiter 7. ſuper Gen. ad literam dicit idem. 12.c.32.

Præterea, Auguſtinus probat ibi materiam eſſe notam permutationem: quia oportet aliquid mqueri, ſicut dicit Philoſophus: propter quod dicit Commentator quòd tranſmutario fecit ſcire materiam. 4.Phy. com.38. & 8. Meta.c.12. Scire materiam, mutatio facit.

Ad rationes oppoſitas, dico, quod ſi forma ſubſtantialis non eſſet, niſi gradus intrinſecus materiæ: ſequeretur tunc quòd per illos gradus, generabilia non diſtinguantur ſpecie: quia iſti gradus ſunt eſſentialiter idem tertio, ſcilicet materiæ: nec eſt alterius rationis, ſecundùm illos gradus.

Præterea certum eſt, quòd anima intellectiua non poteſt eſſe gradus intrinſecus materiæ: quia ipſa eſt terminus creationis.

COMMENTARIVS.

1. Vide ad hoc 22.diſt.3.

a *Hic dicit vna opinio.* Hîc Doctor primò recitat duas opiniones. Prima eſt Richardi de Media villa, *quodl.4.quæſt.5.art.1.* Alia eſt Alberti Magni, quæ duæ opiniones tantùm nomine videntur differre, vtraque enim conuenit in hoc, quòd in generabili, & corruptibili eſt tantùm vna realitas poſitiua: ſed vna dicit quòd illa entitas eſt materia; alia verò dicit quòd eſt forma. Prima enim dicit, quòd in ſubſtãtia generabili, puta in igne, nihil aliud eſt realiter, niſi ipſa materia, ita quòd ſecundùm perfectum materiæ dicitur alia, & alia ſubſtantia naturalis; nam vt eſt aſinus dicitur materia perfectior; vt verò eſt ignis dicitur materia imperfectior, ita quòd vt eſt aſinus, nihil ſibi extrinſecum aduenit, ſed intrinſecè dicitur aſinus Et ponunt exemplum de quantitate interminata, quæ non dicitur terminari per aliquid extrinſecum, ſed per aliquid intrinſecum, puta per puncta ſi eſt linea, quæ ſunt intrinſeca ipſi lineæ. Exemplum.

Alia opinio dicit idem ſimpliciter in re. Vult enim, quòd ipſa materia vt aliter, & aliter terminatur, dicatur terminus generationis: ſi enim materia *A* ſic perficitur in entitate, quòd dicatur lapis, tunc ipſa, vt ſic terminata, dicitur terminus generationis; vt verò alio modo terminatur, puta quòd dicatur aſinus, ipſa dicitur alius terminus generationis, ſic tamen, quòd terminus generationis in re nihil aliud eſt, niſi eadem materia, ſic, vel ſic terminata, & vt terminus generationis dicitur, forma: & ſic iſtæ duæ opiniones volunt quòd in compoſito generabili, & corruptibili nihil ſit realiter, niſi ipſa materia, quæ ſecundùm aliam, & aliam terminationem dicitur aliud, & aliud compoſitum. Et ſi diceretur eis, nonne in compoſito naturali ſubſtantiali eſt forma realiter diſtincta à materia? Dicerent quòd non, ſed quòd ipſa materia, ſecundùm quòd aliter, & aliter proficit, quodammodo poteſt dici ſuſcipere aliam & aliam formam, non quòd in re ſit alia, & alia forma, ſed tantùm eſt ibi entitas materiæ.

2. b *Poſitio iſta non videtur rationabilis,* &c. Sic dicit Philoſophus: *Quando autem totum tranſmutatur non manente aliquo ſenſibili, vt ſubiecto eodem, ſed quaſi ex ſemine toto ſanguis, aut ex aqua aër, aut ex aëre omni aqua generatio iam hoc tale, huiuſmodi autem corruptio.* Hæc ille. Vbi vult expreſsè, quòd quando ex aliqua fit aër aliquid, quod erat aquæ, corrumpitur, & generatur forma aëris, quæ recipitur in materia ipſius aquæ, vt patet ibi de differentia ſubiecti alterationis, & tranſmutationis, vbi Commentator ſic dicit: *Alteratio igitur eſt, cùm ſubiectum fuerit aliquid in actu, & fuerit tranſmutatum in aliqua ſpecie qualitatis, verbi gratia, quòd idem corpus aliquando ſanatur, aliquando infirmatur, permanendo idem, tranſmutatio autem in ſubſtantia eſt, cùm nihil in actu remanſerit ex illo, ex quo eſt tranſmutatio, quòd ſit ſubiectum illius rei, quæ in eo ſit eſſentialiter, & non accidentaliter.* Hæc ille. Vbi vult expreſsè, quòd in tranſmutatione ſubſtantiali non maneat ſubiectum compoſitum ex materia, & forma, vt cùm ex aqua fiat aër, quòd maneat ipſa materia, vt etiam patet in tex. ſequenti.

c *Sed tunc accipit Philoſophus, quòd in generatione ex oppoſito fit oppoſitum,* vt patet primo de Generatione, tex. comm. 24. *non quòd oppoſitum maneat, ſed aliquid commune vtrique termino, quod vult eſſe materiam,* &c. Vnde Ariſtoteles tex. comm. 24. ſic ait: *Eſt autem hyle maximè ſubiectum quidem proprium generationis, & corruptionis ſuſceptibile.* Hæc ille. Et ibi Commentator in fine commenti: *Nihil* (inquit) *remaneat in ea,* ſupple tranſmutatione ſubſtantiali, *quod ſit ſubiectum eſſentialiter ei, in quod eſt tranſmutatio, & principaliter materia eſt ſubiectum illius tranſmutationis, ſubiectum autem aliarum tranſmutationum non dicitur materia, niſi ſecundùm poſterius.* Hæc ille. Iſtis præmiſſis patet ratio Doctoris per exemplum. Pono, quòd ignis *A* agat in aërem *B* quæ ſunt oppoſita, ſaltem virtualiter, dicimus quòd ignis generatur ex aëre, tanquam ex oppoſito, quia actione ſua corrumpit formam aëris, & in materia, quæ erat ſub forma aëris, producit formam ignis, & ſic ipſa materia, quæ priùs erat ſub forma aëris, fit ſub forma ignis; & ſic patet quando oppoſitum generatur ex oppoſito, quòd remanet eadem materia communis, & quando oppoſitum generatur ex oppoſito, illud oppoſitum, ex quo generatur aliud oppoſitum, non remanet in compoſito genito. Patet, quia aër, ex quo generatur ignis, non remanet in ipſo igne. Si igitur aër tantùm realiter includeret ipſam materiam, & tantùm eſſet materia, per te, ſequeretur quòd aër remaneret in igne genito, cùm materia maneat eadem in genito, & corrupto. Sequeretur etiam quòd ignis non poterit generari ex aëre, quia oporteret ponere aliquid corrumpi in eo, cùm generatio vnius ſit corruptio alterius; illud autem non eſſet materia, igitur eſſet aliqua entitas altera à materia. Patet etiam quomodo materia non ſit eadem realiter alicui oppoſito, quia ſi materia aëris eſſet idem realiter formæ aëris, non Exemplum.

poſſet fieri ſub forma ignis,quia tunc ſimul eſſet ſub duobus oppoſitis.

3. d *Sed reſpondetur.* Vt clariùs intelligatur iſta reſponſio pono caſum. Si ignis *A* vult producere alium ignem, puta *B*, non poteſt producere ipſum *B* niſi agat in aliquod oppoſitum,puta aërem corrumpendo illum,dicatur *C*: *A* ergo non poteſt producere *B*, niſi agat in *C*,corrumpendo illud,& ſic concedunt quòd vnum oppoſitum fit aliud, id eſt, quòd *B*, ſit ipſum *C*:nam corrupto ipſo *C* per actionem *A* ſtatim fit ipſum *B*,& non ſequitur ex hoc, quòd aliquid ipſius *B* remaneat commune *C* & *B*: ſed totum ipſum *C* dicitur corrumpi per ipſum *B*,& hæc videtur mens Ariſtotelis *primo de Generat.tex.comm.*10.& 23.vbi diſtinguit generationem ab alteratione, quia in generatione totum tranſit in totum, id eſt, quòd corrumpendo,totum corrumpitur;& generando, totum generatur:in alteratione verò non,quia totum non tranſit in totum,puta quando album fit nigrum, quia remanet ſubiectum commune tam albedini,quàm nigredini; & ſic quando dicimus album fit nigrum,tantùm albedo corrumpitur,& remanet ſubiectum, & generatur nigredo in eodem ſubiecto.

e *Contrà.* Hîc Doctor arguit contra illud, quod dicunt, ſcilicet quòd agens naturale, puta ignis *A* non poteſt producere ignem *B*,niſi agat in aërem, tanquam in oppoſitum, corrumpendo ipſum,& ratio ſtat in hoc, quia ex quo ignis per abſentiam ipſius aëris contrarij magis fortificatur ad agendum, quàm per præſentiam ipſius aëris:patet,quia virtus agendo in contrarium magis debilitatur, cùm agendo repatiatur: ergo ſi ignis *A* poteſt producere ipſum ignem *B* agendo in ipſum contrarium, puta in *C*, & virtus illa magis vigoratur per abſentiam contrarij. Si ergo de neceſſitate requiritur ipſum *C* tanquam oppoſitum in quod agat, non requiritur propter rationem ignis, cùm per illud oppoſitum illa actio magis debilitetur;ergo propter aliquid aliud requiritur, & non propter aliud, niſi quia ignis *A* non poteſt producere formam ignis,niſi in aliqua materia, quæ ſit pars intrinſeca compoſiti generandi: illa autem materia non poteſt eſſe materia ignis generantis, quia tunc duæ formæ ſubſtantiales ignis eſſent in eadem materia; ergo oportet quòd ſit materia compoſiti corrumpendi,ita quòd ignis *A* non requirit aërem ad producendum ignem *B* propter materiam ipſius aëris, quia expellit formam ſubſtantialem aëris, & in eadem materia producit formam ignis.

4. f *Præterea ſecundò ſic.* Secundò Doctor arguit ad principale intentum, probando quòd in ſubſtantia generabili eſt aliqua alia res à materia, quæ probatio fundatur ſuper auctoritatem Philoſophi 7. Metaph. cap.5. tex. comm.22. *Omnia* (inquit)*quæ fiunt,aut à natura,aut ab arte,habent materiam: poſſibile enim & eſſe,& non eſſe eorum quodlibet, hoc autem eſt,quod in vnoquoque materia*, &c. Vbi habetur, quod aliqua ſubſtantia eſt corruptibis per aliquid intrinſecum ſibi, ſecundùm aliam tranſlationem ſic dicitur;*Omnia quæ ſunt,aut à natura, aut artificio habent materiam, quodlibet enim habet potentiam ad* eſſe,*& non eſſe, & hoc in quodlibet eſt materia.* Hæc ille. Ibi Commentator: *Quodlibet enim*, &c. *id eſt, in quolibet enim eorum inuenitur aliquid, quod poteſt recipere formam naturalem, aut artificialem, aut non recipere:& quod eſt tale, dicitur materia, & eſt illud,ex quo eſt natura totius.* Hæc ille. Ex quo apparet, quòd corruptio compoſiti eſt per materiam.Ratio ergo Doctoris ſtat in hoc; quia aliqua ſubſtantia naturalis eſt corruptibilis per aliquid ſibi intrinſecum, ſed nulla forma ſimpliciter eſt corruptibilis per aliquid intrinſecum ſibi,quia tunc idem omnino ſimpliciter, ageret in ſeipſum, corrumpendo ſe,quod eſt falſum:ergo ſi talis ſubſtantia eſt corruptibilis per aliquid intrinſecum,illud erit materia,quæ eſt cauſa corruptionis intrinſeca,& ſic in tali compoſito erit aliquid intrinſecum aliud à materia. *Corruptio compoſiti eſt per materiã.*

Aduerte tamen de corruptione intrinſeca. Nam aliquando eſt corruptio intrinſeca in aliquo viuente per actionem vnius partis organicæ in aliam partem organicam,vt patet infrà diſtin.19, Aliquando eſt corruptio intrinſeca per defectum alicuius neceſſarij, puta per defectum alimenti ſequitur corruptio intrinſeca viuentis, vt patet à Doctore ſuprà. Et de iſtis corruptionibus non intendit hîc Doctor. Aliquando fit corruptio intrinſeca compoſiti, quia vna pars compoſiti appetit eſſe ſub alia forma,ſicut materia exiſtens ſub vnà forma appetit eſſe ſub alia; & hoc eſt quod dicitur,quòd materia inclinatur ad malum;ſed ex ſe non poteſt fieri ſub alia forma, per rationem aliquam ſibi intrinſecam, ſed per agens extrinſecum corrumpens formam, ſub qua eſt, & generans aliam: & hoc modo intelligit hîc Doctor, quòd ipſa materia eſt cauſa corruptionis intrinſeca;ſed ſi eſt cauſa corruptionis compoſiti,& ipſa eſt incorruptibilis, ſequitur quòd erit alia entitas in compoſito præter materiam,quæ erit corruptibilis,& illud erit forma.

Occurrit difficultas in hoc,quod dicit Doctor quod materia eſt cauſa corruptionis, quia in hoc videtur ſibi contradicere. Nam *in 4.diſt.*43. expreſsè dicit, quòd forma eſt magis cauſa intrinſeca compoſiti, quàm ipſa materia, quia ex quo forma dat magis *eſſe* compoſito, ſequitur, quòd per remotionem ipſius ſit magis cauſa corruptionis compoſiti. 5. *Dubium.*

Dico, quòd nulla eſt contradictio, quia aliter & aliter hîc, & ibi loquitur. Nam hîc loquitur, quòd materia eſt cauſa intrinſeca corruptionis compoſiti,quia poteſt fieri ſub alia,& alia forma, & naturaliter appetit eſſe aliquando ſub vna; & aliquando eſſe ſub alia;& quia non poteſt eſſe ſub alia,niſi per corruptionem alterius, ideò hîc ponitur cauſa corruptionis. Ibi autem loquitur de corruptione abſolutè; quia tunc compoſitum, ſimpliciter dicitur magis non eſſe per corruptionem formæ, quàm per ſeparationem materiæ, quia ipſa forma magis dat *eſſe* in compoſito. *Reſponſio.*

g *Dices,quòd ideò eſt corruptibilis*, &c. *Materia eſt illud, quo res poteſt eſſe, & non eſſe: quia eſt capax alicuius formæ,quam non habet, quæ opponitur illi ſub qua eſt.* Nam vt eſt ſub forma aquæ eſt capax formæ ignis, quæ forma aquæ opponitur formæ ignis, ſed materia nulli formæ opponitur.

h *Præterea,ſi materia non eſt diſtincta à forma,* 5.*Phyſic.*tex.com.7.vbi ſic habetur:*Omnis*(inquit) *mutatio eſt à quodam*,&c. Et infrà: *Aut enim ex ſubiecto in ſubiectum;aut ex ſubiecto in non ſubiectum:aut ex non ſubiecto in ſubiectum;aut ex non ſubiecto in non ſubiectum. Dico autem ſubiectum ex affirmatione monſtratum,quia neceſſe eſt ex his, quæ dicta ſunt,tres eſſe mutationes, ſcilicet ex ſubiecto* *Tres ſunt mutationes.*

iecto in ſubiectum: & ex ſubiecto in non ſubiectum; & ex non ſubiecto in ſubiectum: quæ enim eſt ex non ſubiecto in non ſubiectum, non eſt mutatio. Hæc ille. Prima mutatio eſt tantùm ſecundùm accidens, puta alteratio. Secunda dicitur corruptio, & tertia dicitur generatio, vt ipſe exponit in textu.

6. Pro intelligentia huius rationis eſt notandum, quòd hic accipitur *ſubiectum* pro compoſito naturali, *non ſubiectum* autem pro materia prima, quæ non eſt compoſitum naturale: & quando dicitur, quòd *mutatio fit de non ſubiecto in ſubiectum*, ſic debet intelligi, quòd ſit de non ente completo in ens completum, quare mutatio huius eſt generatio, quæ eſt de non ente completo, ſiue compoſito, in ens completum, & compoſitum, & tali generationi nihil ſubiicitur, niſi materia, quæ eſt altera pars compoſiti ſubſtantialis. Et quando fit mutatio de ſubiecto in non ſubiectum, eſt corruptio, quæ fit ab ente compoſito, ſine completo in nõ ens completum, quia corruptio ſubſtantialis vltimò reſoluitur in materiam, & ſic illa materia eſt ſubiectum corruptionis: materia ergo mutatur, quia aliquando eadem materia, quæ eſt ſubiectum generationis, fit ſubiectum corruptionis, deperdendo formam quam habet: mutatio vero, quæ eſt de ſubiecto in ſubiectum, eſt mutatio accidentalis, vt alteratio, ſicut dicimus quòd album fit nigrum: ſubiectum enim albedinis mutatur in nigredinem, quia tunc fit ſubiectum nigredinis: mutatio verò facta à non ſubiecto in non ſubiectum, eſt ſimpliciter impoſſibilis, vt patet in textu Philoſophi, & hoc magis patet à Doctore *in 4. diſtinct. prima, quæſt. 6.* vbi oſtendit præteritum non præteriſſe eſſe impoſſibile.

Nunc ad propoſitum arguitur, cùm in mutatione de neceſſitate ſit aliquid, quod aliter ſe habeat nunc, quàm priùs, vt expoſitum eſt ſuprà *diſt. 2. quæſt. 4.* & generatio naturalis ſit quædam mutatio, ſequitur quòd in tali generatione ſubiiciatur aliquid, quod nunc aliter ſe habeat, quàm priùs: hoc autem non poteſt eſſe, niſi illud tranſeat à priuatione ad habitum, quia ſi ante generationem, puta ignis, materia non erat ſubiectum generationis ignis, & nunc fit ſubiectum generationis ignis: ergo nunc recipit aliquid, quod priùs non habuit pertinens ad generationem naturalem, illud autem receptum non eſt ipſa materia, cùm nihil idem recipiat ſeipſum; nec pars ipſius materiæ, quia tunc vna pars eſſet receptiua alterius partis eiuſdem rationis, quod eſt falſum, nec aliquid, quod eſt eiuſdem rationis, poteſt mutari ad aliquid eiuſdem rationis; ſequitur igitur quòd ipſa materia, quæ reſpectu generationis ignis aliter ſe habet, quàm priùs, ſit aliquid ab ipſa forma recepta pertinente ad generationem ignis, & illa erit forma naturalis, realiter diſtincta ab ipſa materia, quia propriè inter recipiens, & receptum eſt realis diſtinctio.

7. i *Et tunc reſpondeo ad auctoritatem, quæ eſt vocalis, cùm dicitur: Generatio eſt mutatio totius in totum*, vt patet primo de Generat. tex. commen 10. *Tranſmutatur* (inquit) *hoc in hoc totum.* Et Commentator: *Generatio ſimpliciter eſt tranſmutatio rei ſecundùm totum ex hoc in hoc, vt hæc aqua in hunc aërem.* Hoc quidem patet tex. commen. 23.

Reſpondendo Doctor ad hanc auctoritatem dicit, *quòd in aliis mutationibus extra ſubſtantiam*, &c. Stat ergo ratio Doctoris in hoc, quòd loquendo de toto propriè, & per ſe, quod eſt compoſitum ex materia, & forma, dicit, quod totum, puta ignis, qui dicatur *A* conuertitur in totum, puta in aërem, qui dicatur *B*, poteſt dupliciter intelligi, vel quantùm ad entitatem terriam reſultantem ex partibus eſſentialibus, de qua Doctor *in tertio, diſt. 2.* & ſic vnum totum poteſt conuerti in aliud, vt quando *A* conuertitur in *B*, id eſt, quòd tertia entitas *A*, quæ vocatur totum reſultans, corrumpitur, & *B*, id eſt, illa tertia entitas illius *B*, verè generatur, quod nihil aliud eſt, niſi quòd in eodem inſtanti, quo forma partis ignis deſinit eſſe, & per conſequens illa tertia entitas ignis corrumpitur, in materia ignis per agẽs extrinſecum fit forma aëris, ex qua forma, & materia reſultat tertia entitas aëris, quæ propriè generatur, & hoc modo totum conuertitur in totum. Si verò intelligatur totum conuerti in totum quantùm ad omnes partes totius, puta quòd ignis *A* ſecundùm partes eſſentiales conuertatur in aërem *B*, ita quòd in eodem inſtanti, quo *B* generatur, tam materia, quàm forma ignis deſinant eſſe: & hic ſenſus eſt falſus, quia tunc non ſolùm forma totius deſineret eſſe, ſed etiam materia ipſius, & ſi agens naturale ſic conuerteret, tunc de neceſſitate corrumperet materiam, quæ eſt ſimpliciter incorruptibilis per agens naturale, non enim poſſet ipſam corrumpere, niſi annihilaret, quod eſt impoſſibile agenti naturali: tanta enim virtus requiritur in annihilando, quanta in creando, vt patet à Doctore *in quarto, diſt. 1. q. 1. & diſt. 16. q. 2.* Si etiam loquatur de toto in totum, ſcilicet de toto per accidens, quia in tali toto non eſt propriè tertia entiras abſoluta realiter diſtincta à ſubiecto, & accidente: tamen eo modo quo eſt totum, poſſumus dicere pariformiter, quòd totum conuertitur in totum, puta hoc totum album conuertitur in hoc totum nigrum, ita quòd hoc totum album deſinit eſſe album, & remanet ſubiectum, & fit nigrum, quia cùm nigredo informat ſubiectum: ſtatim ſuo modo reſultat nigrum, non poteſt autem totum per accidens conuerti in aliud totum ſecundùm omnes ſuas partes. Propoſitio ergo Philoſophi intelligenda eſt de toto per ſe, & primo modo. Et dicitur conuerti totum in totum categorematicè, id eſt, ſecundùm tertiam entitatem, quæ dicitur entitas totius, non autem ſyncategorematicè, id eſt, ſecundùm omnes partes, quæ diſtinctio patet à Doctore *in quarto, diſt. 11.*

Quomodo ſit intelligenda auctoritas Ariſt.

k *Item in omni genere.* Hic redit ad principale intentum, probando quòd in compoſito ſubſtantiali eſt aliqua entitas realiter diſtincta à materia pertinens ad *eſſe* compoſiti. Et probatio ſtat in hoc, quia ſicut in omni genere deueniendum eſt ad vnum primum, cùm non ſit procedere in infinitum, vt patet per Philoſophum *vbi ſuprà*, ſequitur quòd in genere receptiuorum ſit deueniendum ad aliquod receptiuum, quod ita ſit in ſe receptiuum, quòd nullo modo nec in ſe, nec aliquid ipſius ſit receptum, quia tunc non eſſet ſimpliciter receptiuum, cùm illud ſit ſimpliciter materia prima: cùm ergo primum receptiuum ſit de neceſſitate ad primum actum receptum, ille autem actus ſimpliciter primus erit forma ſubſtantialis, & realiter diſtincta ab ipſo receptiuo, quia recipiens realiter diſtinguitur à recepto, cùm ergo in ſubſtantia generabili ſit recipiens, & receptum, ſequitur quòd ibi erit aliqua entitas realiter 8.

realiter diſtincta à materia, aliter ſequeretur quòd nulla eſſet ſubſtantia generabilis verè compoſita, ſed tantùm ſimplex, quod eſt inconueniens.

Quatuor ſint cauſæ rerum naturalium.

l *Præterea: Aliquod cauſatum.* Iſta ratio ſtat in hoc, quòd ex quo cauſatum realiter diſtinguitur à qualibet ſui cauſa tam extrinſeca, quàm intrinſeca, vt patet à Doctore *in tertio, diſt. 2.* & quatuor aſſignantur cauſæ rerum naturalium; duæ extrinſecæ, ſcilicet efficiens, & finis; & duæ intrinſecæ, ſcilicet materia, & forma: cùm ergo materia, & forma ſint duæ cauſæ intrinſecæ entis naturalis, ſequitur quòd in tali ente ſint duæ entitates realiter diſtinctæ per ſe inuicem.

SCHOLIVM.

Explicat potentiam obiectiuam & ſubiectiuam, reſoluens materiam eſſe potentiam ſubiectiuam, non obiectiuam, contra Thomiſtas, idque conſtat ex dictis. Primò, quia alias ignis vt generaret nihil præſupponeret. Secundò, non daretur compoſitio. Tertiò, non daretur ſubſtantialis mutatio.

Potentia ſubiectiua & obiectiua quomodo differunt? De quo Sco. 1. Phyſ. q. 10.

10. ESt igitur videndum primò,[m] quale ens eſt materia. Ad quod præmitto quandam diſtinctionem de potentia, Aliquid enim poteſt eſſe in potentia dupliciter: Vno modo, vt terminus: alio modo, vt ſubiectum, quod eſt in potentia ad terminum: & forte eſt eadem potentia, ſed vt comparata ad diuerſa dicitur obiectiua, vel ſubiectiua, ita quod ſubiectum exiſtens dicitur in potentia ſubiectiua: & eadem vt reſpicit agens, dicitur obiectiua, poſſunt tamen ſeparari, vt in creabili, vbi eſt potentia obiectiua, & non ſubiectiua: quia ibi non ſubiicitur aliquid.

Dicunt ergo aliqui, quòd materia eſt in potentia obiectiua tantùm, ſicut albedo eſt in potentia obiectiua, quando non eſt, quæ tamen ſecundùm *quid* eſt: quia eſt in virtute cauſæ, vel cauſarum ſuarum. Contra hoc[n] concludunt omnes rationes factæ ſuperiùs.

Eſt hic variatio in aliquibus originalibus, quia videntur quædam deſumpta ex reportatis, & ex Metaph.

Et iterum arguo ſic, qui habet totum ignem generandum in virtute ſua actiua, poteſt totum illum generare, ex quo non ſupponit aliquid per ſe ens in potentia ſubiectiua: ergo ſimiliter etiam, nec ignis nec quodcunque generatum, vel generandum, erit realiter compoſitum ex diuerſis entibus, ſed ſimplex quoddam: non ſaluatur etiã mutatio ſubſtantialis, ſecundùm hanc viam: quia nihil aliter ſe habet in mutatione ſubſtantiali. Quod enim aliter ſe habet nunc, quàm priùs, oportet manere & eſſe: & ſecundùm hanc viam, materia non eſt niſi in termino, vel terminis generationis, vt videtur. Similiter patet, quod hæc via negat compoſitionem: ſicut enim quando albedo de potentia obiectiua redit ad actum, non propter hoc fit in albedine realis compoſitio; ſic cum ex igne in potentia, fiet ignis in actu, nulla erit ibi compoſitio: & ideò ponens materiam ſolùm in potentia obiectiua, & non ſubiectiua, negat omnem rationem Philoſophi de materia.

COMMENTARIVS.

1 *Quale ſit ens materia.*

m *Eſt igitur videndum primò quale ens eſt materia.* Hic Doctor diſtinguit de potentia, quia aliquando dicitur eſſe in potentia ſubiectiua, & aliquando in potentia obiectiua; & iſta duo ſunt eadem potentia, maximè in compoſito, quia omne illud, quod eſt in potentia ſubiectiua, id eſt, quòd habet materiam, vt partem ſui, & vt ſubiectum generationis, eſt etiam in potentia obiectiua, quia illud tale, quod habet materiam, vt partem ſui, & vt ſubiectum generationis, reſpicit aliquod agens extremum producens ipſum, vt terminum generationis, & ſic idem, puta ignis, vt comparatur ad agens, dicitur in potentia obiectiua, quia eſt obiectum potentiæ productiuæ, ad quod terminatur talis potentia productiua, producendo illud in tali *eſſe*: vt verò comparatur ad materiam, quæ eſt pars illius, & receptiua formæ ſubſtantialis, dicitur in potentia ſubiectiua. Si verò eſt aliquod purè creabile, quod non habeat materiam, vt partem ſui, vt Angelus, & anima, & materia prima dicitur ſolùm in potentia obiectiua, quia tantùm eſt terminus potentiæ productiuæ. Aliquando etiam accipitur potentia ſubiectiua pro omni eo, quod habet *eſſe* reale extra ſuam cauſam productiuam illius, & potentia obiectiua pro omni eo, quod habet *eſſe* poſſibile. Hîc autem vult Doctor, quòd materia prima ſit in potentia obiectiua, vt reſpicit cauſam productiuam illius: vt verò habet *eſſe* productum extra ſuam cauſam dicitur potentia ſubiectiua. Poteſt etiam dici potentia ſubiectiua, non ex hoc, quòd habeat aliquam materiam partem ſui, ſicut compoſitum, ſed ex hoc, quòd eſt pars ſubiectiua in compoſito ſubſtantiali merè receptiua formæ partis conſtituentis ipſum compoſitum in *eſſe* formali, & ſpecifico.

Potentia duplex.

Expono tamen hanc literam. *Cùm dicit, aliquid enim poteſt eſſe in potentia dupliciter. Vno modo, vt terminus*, & talc dicitur in potentia obiectiua, quia vt ſic, terminat potentiam productiuam. *Alio modo, vt ſubiectum, quod eſt in potentia ad terminum*, & ſic ignis, vt comparatur ad materiam, quæ eſt ſubiectum formæ partis, & receptiua formæ, quæ eſt terminus productionis, & ſic dicitur

2. *Aliquid poteſt eſſe in potentia dupliciter.*

dicitur in potentia ſubiectiua. Sequitur: *Et fortè eſt eadem potentia*, quia nullum compoſitum eſt in potentia ſubiectiua, quin ſit in potentia obiectiua, nec è contra, quia idem ignis, vt reſpicit potentiam producentem, dicitur in potentia obiectiua; vt verò includit receptiuum formæ partis dicitur in potentia ſubiectiua.

n *Contra hoc.* Hîc Doctor arguit, probando materiam primam eſſe tantùm in pura potentia obiectiua, ſic quòd nullam entitatem realem actualem includat eſſe ſimpliciter impoſſibile, vt probant omnes rationes ſuperiùs factæ. Deducit etiam ad alia inconuenientia.

Primò, quia ſequeretur quòd agens naturale poſſet producere ignem, quem habet in virtute ſua, non præſupponendo aliquid ipſius ignis, & ſic crearet illum: patet, quia nihil ſui reale præſupponeret.

Secundò, quia ſequeretur quòd nullum eſſet compoſitum generandum ex diuerſis entibus: patet, quia compoſitum naturale componitur ex materia, & forma, tanquam ex diuerſis partibus: ſed ſi materia eſſet tantùm ens in potentia obiectiua nullam entitatem realem includens, tunc tale compoſitum eſſet realiter ſimplex.

Tertiò ſequeretur, quòd nulla eſſet mutatio ſubſtantialis, quia nihil aliter ſe haberet, vt dixi ſuprà.

SCHOLIVM.

Materiam eſſe entitatem realiter diſtinctam à forma, quia ſecundùm Philoſophum, ſeptem ei conueniunt, quæ id euidenter demonſtrant. & clarè ponuntur in litera.

Tex. 52. & in T. 7. & inde. Tex. 28. Tex. 2. Tex. 24. & 34. Tex. 17. Tex. 7. & 8. Tex. 28. de Gener. t. 1. & 23. & 1. Phyſ. t. 60. & 82. & 8. Met. t. 6. & 10. ad propoſitum ſup. Materia quare ens in potentia dicitur. Vbi ſuprà. Vt putabat Aui. de forma corporeitatis materiæ coæterna,

11. DIco igitur,° quòd materia eſt per ſe vnum principium naturæ, vt dicit Philoſophus *primo Phyſicor. &* 2. Quòd eſt per ſe cauſa, vt dicit 2. *Phyſic. & Metaph.* Quòd eſt pars alicuius compoſiti, 7. *Metaph.* Quòd eſt per ſe fundamentum, *primo Metaph.* Quòd eſt per ſe ſubiectum mutationum ſubſtantialium, *quinto Phyſic.* Quòd eſt per ſe cauſa compoſiti, *ſecundo Phyſic.* Quòd eſt terminus creationis: igitur ſequitur quòd eſt aliquid, non in potentia obiectiua tantùm, vt probant omnes rationes ſuprà dictæ; ſed oportet tunc quòd ſit in potentia ſubiectiua exiſtens in actu, vel actus (non curo quodcunque dicatur) ſecundùm quòd omne illud dicitur eſſe actu, vel actus, quod eſt extra cauſam ſuam. Cùm enim ſit principium, & cauſa entis; oportet neceſſariò, quòd ſit aliquod ens: quia cùm principiatum, & cauſatum dependeat à cauſa ſua, & à principio ſuo; ſi eſſet nihil, vel non ens dependeret ens à nihilo, vel non ente, quod eſt impoſſibile.

Prætereà, manet ſub terminis oppoſitis eadem, & ſub potentiis numero diuerſis, quæ in ipſa corrumpuntur, & eſt terminus creationis: patet. & ſecundùm hoc eſt realitas diſtincta à forma, ex eiſdem cauſis: & eſt quid poſitiuum, quia receptiuum formæ. Tamen dicitur ens in potentia, quia quantò aliquid habet minùs de actu, tantò magis eſt in potentia: & quia materia eſt receptiua omnium formarum ſubſtantialium, & accidentalium: ideò maximè eſt in potentia reſpectu earum; & ideò definitur per eſſe in potentia, ſecundùm Ariſtotelem. Non enim habet actum diſtinguentem, vel diuidentem, vel receptum, vel informantem, & dantem ſibi eſſe ſpecificum, ex quo tamen non eſt receptiuum iſtius actus per ſuppoſitum, & eſt cauſa compoſiti; non poteſt eſſe nihil: quia nihil, non eſt alicuius receptiuum.

COMMENTARIVS.

3. ° *Dico igitur, quòd materia eſt per ſe vnum vnum principium naturæ.* Hîc Doctor per multas auctoritates Philoſophi intendit probare quòd materia dicat entitatem realem, actualem, & abſolutam. Et primò arguit ſic; Quod eſt principium intrinſecum entis naturalis habentis verũ *eſſe* in actu, eſt ens in actu: ſed materia prima eſt huiuſmodi. Maior patet, quia entitas principiati intrinſecè depẽdet ab entitate principij intrinſeci. Minor patet per Philoſophum *primo Phyſic. tex. comm. 52.* vbi vult quòd ſubſtantia ſit tantùm ex ſubſtantia. *Principium* (inquit) *non de ſubiecto oportet dici aliquo, erit enim principium principij: ſubiectum enim principium eſt, & prius videtur eſſe prædicato, amplius non eſſe dicimus non eſſe ſubſtantiam contrariam ſubſtantiæ; qualiter igitur ex non ſubſtantiis ſubſtantia vtique erit, aut quomodo, prius non ſubſtãtia erit?* Hæc ille. Vbi Commentator: *Principium* (inquit) *ſubſtantiæ eſt ſubſtantia.* Vide ibi Commentatorem. Hoc idem patet ſecundo phyſi. tex. comm. 7. *Videtur* (inquit) *natura, & ſubſtantia eorum, quæ natura ſunt, quod primum ineſt vnicuique*, vide tex. cum Commento.

Secundò arguit Doctor ſic; Quod eſt per ſe cauſa intrinſeca entis naturalis eſt ens in actu: patet iſta per ſe: materia prima eſt huiuſmodi, vt patet 2. Phyſi. tex. comm. 28. *Vno* (inquit) *igitur modo cauſa dicitur, ex quo fit aliquid, cum inſit, ſicut æs ſtatuæ.* Hæc ille. Hoc idem patet quinto Metaphyſ. tex. commen. 2. *Cauſa* (inquit) *dicitur vna quidem modo, ex quo fit aliquid inexiſtente, vt æs ſtatuæ, & argentum phialæ, & horum genera* Hæc ibi.

Tertiò arguitur, eſt pars aliculus compoſiti realis. Patet per Philoſophum 7. Metaph. tex. com. 24. *Materia* (inquit) *pars eſt, ineſt enim, & fit hoc.* Hæc ibi. Hoc idem tex. comm. 34. *Si igitur* (inquit) *eſt hoc quidem materia, illud verò ſpecies. Aliud ex his, & ſubſtantia eſt materia, & ſpecies,*

& quod

& quod ex his eſt quidem, vt materia pars alicuius dicitur. Hæc ille. Vult dicere, quia ergo hæc quidem materia, illud verò forma, & ſpecies ſunt, ſupple, partes ſubſtantiæ rei, aliud autem eſt ex his, ſupple compoſitum, & quia ſic eſt, ſequitur quòd materia, & forma erunt ſubſtantia, & cùm dicit, *& quod ex his eſt quidem cum materia pars alicuius*, oſtendit quomodo materia eſt vera pars compoſiti.

Quartò arguitur ſic; Quod eſt per ſe ſubiectum, & fundamentum formarum realium, eſt verum ens reale: patet, quia ens reale non poteſt fundari in ente non reali: ſed materia eſt huiuſmodi, vt patet *primo Metaph.* Eſt enim per ſe mutationum ſubiectum ſubſtantialium, vt patet *quinto Phyſ.*

Quintò arguit ſic, quod eſt terminus per ſe creationis, eſt verum ens reale, quia creatio per ſe terminatur ad ens exiſtens: ſed materia prima eſt terminus verè creationis, vt patet per Auguſt. *lib.* 3. Conf. qui dicit, quòd priùs ordine terminatur creatio ad materiam, quàm ad formam, ſed ſecundùm eum, primò fuit creata cum forma.

SCHOLIVM.

Obiicit tripliciter contra doctrinam datam de entitate materiæ, & rurſus probat eandem entitatem, quia res generabilis, non eſt ſimplex, nec ex aliquo & nihilo: ergo ex aliquo & aliquo, ſoluit tertium argumentum, & explicat quid ſit vnum per ſe.

Tex. 1. & 23.

SEd contra hoc obiicitur, [P] quòd ſcilicet materia non habeat tale eſſe in actu. Philoſophus enim *primo de Generatione*, arguit contra illos, qui ponebant ſubiectum generationis, ſiue materiam aliquod corpus in actu; quia tunc generatio, ſecundùm Philoſophum, non eſſet niſi alteratio: quia omne quod aduenit enti in actu, eſt accidens: igitur eodem modo hic, ſi materia ſit de ſe aliqua entitas in actu, vel actualiter diſtincta contra formam, & ſolùm diceretur ens in potentia, quia receptiua actus completiui ſpeciei. Quicquid igitur aduenirent, conſtitueret vnum ens per accidens cum eo: tolleretur igitur omnis mutatio ſubſtantialis per hunc modum. 12.

Prætereà [q] potentiale in omnibus aliis generibus à ſubſtantia, non eſt actu illius generis. Patet in omni genere accidentis: nam ſuſceptiuum coloris nihil eſt in genere coloris: igitur in genere ſubſtantiæ, receptiuum iſtius generis, nihil erit generis Subſtantiæ: igitur ſuſceptiuum formæ ſubſtantialis, non eſt realiter diſtinctum à forma ſubſtantiali: quia illud receptiuum non ponitur in aliquo genere, nec reducitur ad aliquod aliud genus, quàm ad Subſtantiam: non igitur realiter diſtinguitur à forma.

7. Metaph. tex. 49.

Prætereà [r] ex duobus entibus in actu, non fit per ſe vnum: igitur ex materia, quæ ſecundùm iſtum modum eſt in actu, non fieret per ſe vnum cum forma: nec reſultaret vnum compoſitum, quod eſſet per ſe vnum.

Reſpondeo vt priùs, quòd materia dicit entitatem aliquam poſitiuam extra intellectum, & cauſam ſuam, ſecundùm quam entitatem, eſt capax formarum ſubſtantialium, quæ ſunt actus ſimpliciter, vnde oportet, vel quòd res generabilis, & corruptibilis, ſit omnino ſimplex, vt forma: vel componatur ex aliquo, & nihilo: vel ſit compoſitum ex aliquo & aliquo. Primum eſt abſurdum, ſcilicet quòd generabile ſit ſimplex, & contra hoc ſunt rationes ſuperiùs factæ. Secundum etiam eſt impoſſibile, ſcilicet quòd aliquid componatur ex nihilo & aliquo: igitur ſequitur neceſſariò tertium, ſcilicet quòd aliquid componitur ex aliquo, & aliquo: ſicut ex materia & forma: non eſt autem inconueniens quòd in compoſito ſit aliquid & aliquid: ſicut non eſt inconueniens, quod aliquid ſit compoſitum. 13.

Tripliciter poteſt aliquid componi.

Et tunc ad argumentum tertium dico, quòd ſicut non repugnat [s] per ſe vni, quod ſit compoſitum, ita non repugnat ei, quod ſit ex aliquibus actualibus entitatibus, realiter diſtinctis

Sed dices, quod ita ex albo & ligno, poteſt fieri vnum per ſe: quia quoddam compoſitum.

Vnitas quid eſt.

Reſpondeo [t] in ente communi, vnitas, vel eſt idem quòd ens, vel eſt paſſio immediatè conſequens ens; & ideò non poteſt demonſtrari de ente: quia ſi demonſtraretur, aut hoc eſſet ex definitione ſubiecti, ſcilicet entis, vel vnius: ſed iſta ſunt tranſcendentia, & non habent definitionem: & ideò vnitas in communi, vel paſſio immediata entis, quæ eſt eſſe vnum, non poteſt demonſtrari de ente; vel ſi eſſe vnum ſit paſſio mediata, illud tamen, per quod ineſt enti, non eſt nobis notum. Sic etiam dico in ſpeciali, vnitas entis ſpecialis, vel eſt paſſio immediata eius, & ſecundùm hoc cuilibet enti ſpeciali immediatè ineſt ſua vnitas; vel ſi ineſt ex natura alterius, illud non eſt nobis notum.

Quando ergo quæritur, quare hoc compoſitum eſt per ſe vnum? non eſt reddenda

alia

alia cauſa, niſi quia habet talem formam, qua eſt per ſe ens: ideò per ſe vnum: & ita de compoſito, non eſt alia cauſa reddenda: & ideò ſicut ens per ſe, poteſt eſſe ſimplex, & compoſitum: ſic nec repugnat per ſe paſſioni entis, ſcilicet ſuæ vnitati, eſſe ſimplex, vel compoſita. *Ens per ſe vnum quid eſt.*

14. Sed dices, tu benè aſſignas rationem vnitatis ex parte totius, quia ſcilicet totum ideò eſt per ſe vnum, quia habet talem formam, & aliud eſt per accidens vnum, propter talem formam. Sed quæro de partibus compoſiti, vnde habent, quod iſtæ dant *eſſe* per ſe vnum, & aliæ non?

Reſpondeo, Phil. 8. Metaphy. quærit, quare aliquid eſt vnum: & dicit, quod ſimplex eſt vnum, quia ſtatim eſt id quod eſt. Sed in compoſitis eſt dare aliquam rationem; & neſciuit Philoſophus aliam dare, niſi quia hoc eſt actus, & illud potentia: ita quòd hoc eſt potentia eſſentialiter receptiua ſecundùm totum genus ſuum, & illud, actus eſſentialiter perficiens aliud: & ideò ex his fit vnum per ſe, ſcilicet ex materia, & forma. Non ſic eſt de ſubiecto, & accidente, quia enim tam materia, quàm forma ſunt cauſæ intrinſecæ entis compoſiti, ideò faciunt per ſe vnum: albedo verò, & homo non ſunt cauſæ intrinſecæ, quia homo in vltima actualitate ſua, poteſt eſſe ſine albedine: & ideò nec per ſe habet potentialitatem ad albedinem, & ideò tantùm faciunt vnum per accidens. Aliqua etiam conſtituunt vnum tantùm aggregatione, ideò poſſet eſſe vnum aggregatione. Aliqua etiam ſunt vnum vnitate ordinis: quia ſcilicet ordinantur ad vnum. *T. 15. & 16.* *Vnitas quadruplex, per ſe, per accidens, aggregatione, & ordine.*

15. Et ſi fiat altercatio, ſicut argutum eſt ſuprà, quòd ex actu & actu non fit vnum per ſe, nec ex *eſſe*, & *eſſe*; Dico, quòd ſi accipias *eſſe actu*, vt diſtinguitur contra potentiam, ſecundùm quòd actus, & potentia diuidunt totum ens, ſic dico quòd materia poteſt dici in actu, & licèt non dicatur actus, quia actus habet eam diſtinguere & denominare: poſſet tamen dici actus, ſecundùm quòd Ariſtoteles accipit actum *in 6. & 8. Meta.* Si autem actus diuidatur contra illud, quod recipit actum, ſic materia non eſt actus, quia eſt primum receptiuum actus: tale autem oportet eſſe denudatum ab omni actu, quia eſt diſtinguibile per omnem actum, vt ſic poſſit eſſe pars omnis entis. Cùm igitur dicis, quòd ex duobus entibus non fit vnum: dico quòd falſum eſt, quando vnum eſt in potentia ad aliud: & ſimiliter dicendum eſt de *eſſe*, & *eſſe*. *Materia quomodo actus & non actus.* *Tex. 4.* *Idem 9. Meta. in principio & t. 2. & 5. Meta. t. 14. Tex. 1. & inde.*

Ad aliud argumentum primum, cùm dicis, quod generatio eſſet alteratio, vt probatur per Ariſt. contra antiquos. Dico, quod antiqui ponebant corpus habens formam ſubſtantialem, eſſe materiam & ſubiectum generationis, vt patet primo de generatione: alij ſcilicet terram, &c. & ſequitur, quod faciebant omnem generationem alterationem, ſed in propoſito non pono, quod materia ſit actuata, & diſtincta, per aliquam formam ſubſtantialem.

Ad aliud de receptiuo in genere ſubſtantiæ, & accidentis; Dico, quod ſi albedo poneretur compoſitum ex partibus eſſentialibus, ſecundum quod Philoſophus videtur ponere 12. Meta. principia proportionabilia, in omni genere; tunc eſt ad oppoſitum. Et ſi hoc non ponatur, pono tunc in accidentibus receptiuum alicuius accidentis, non eſſe eiuſdem generis cum recepto, nec per ſe, nec per reductionem, & tunc etiam ſequitur oppoſitum, quia potentiale, & receptiuum accidentis alicuius in vno genere, alicuius generis prioris, eſt actuale, vt receptiuum in genere coloris, & vniuerſaliter in genere qualitatis, eſt aliquid actuale de genere priori, ſcilicet de genere quantitatis, vt ſuperficies reſpectu colorum: igitur potentiale, & receptiuum in primo genere, non poteſt eſſe de aliquo alio priori genere: ideo oportet eſſe de eodem genere, ſcilicet de genere ſubſtantiæ. *Tex. 19. Potentiale & eius actuale an ſint eiuſdem generis?*

COMMENTARIVS.

5. *Auer. 7. metaph tex. cõmen. 8 dicit quòd materia eſt aliquid exiſtens per ſe.*

P *Sed Contra hoc obiicitur*, Hîc Doctor, vt magis declaret intentum principale, adducit aliquas inſtantias, quæ videntur probare materiam primam, nullo modo eſſe ens in actu, quæ ſigillatim ſoluentur, & ratio prima ſtat in hoc, quia ſi materia eſſet ens in actu generatio eſſet alteratio; quia quod aduenit enti in actu, eſt tantùm accidens.

Dicit Doctor quòd antiqui ponebant corpus habens formam ſubſtantialem eſſe materiam, & ſubiectum generationis, vt patet primo de Generat. tex. comm. 1. *Hi*, inquit, *quidem inquiunt ignem, & aquam, & aërem, & terram, quatuor elementa, & ſimplicia magis eſſe, quàm carnem, & os, & talia ſimilium partium*, vide tex. ibi. Concedit ergo Doctor quòd hoc modo materia non eſt ens in actu.

Sed occurrit difficultas, quia ex quo Doctor ponit plures formas in aliquo compoſito ſubſtãtiali, vt patet de homine, videtur quòd generatio hominis ſit alteratio, quia anima intellectiua aduenit corpori organico, quod eſt ens in actu.

Dico quod aduenit alicui enti in actu substantiali, & vltimato erit accidens, vt post patebit in quarto, in materia de Eucharistia.

6. q Secundò arguitur principaliter, potentiale in omnibus aliis generibus à Substantia non est ens actu illius generis; patet, quia susceptiuum coloris nihil est in genere coloris; ergo receptiuum in genere Substantiæ nihil erit actu generis Substantiæ.

Respondet Doctor quòd si albedo poneretur composita ex partibus essentialibus, tunc argumentum esset ad oppositum, quia tunc susceptiuum esset ens actu illius generis, quia principia proportionalia sunt in omni genere, vt patet per Philosophum 2. Metaph. tex.com. 19. *Ex eisdem* (inquit) *erunt, quæ ad aliquid & substantia.* Vult enim ibi, quòd si aliquid in aliquo genere sit compositum intrinsecè, quòd partes componentes sint eiusdem generis; cùm ergo accidens non sit compositum ex partibus, ideò ponitur susceptiuum talis accidentis esse alterius generis: Et addit Doctor quòd quia potentiale, & receptiuum alicuius accidentis in vno genere respectu alicuius generis prioris, est actuale, vt receptiuum in genere coloris, & vniuersaliter in genere Qualitatis est, aliquod actuale de genere priori, scilicet de genere Quantitatis, vt superficies respectu colorum: ergo potentiale, & receptiuum in primo genere non potest esse de aliquo alio priori genere, & ideò oportet esse de genere Substantiæ, & ens actuale.

7 r Tertiò, & vltimo arguitur, ex duobus entibus in actu non fit per se vnum: igitur ex materia, si esset ens in actu, non fieret per se vnum compositum cum forma, quod est inconueniens.

f Respondet quòd *sicut non repugnat per se vni*, &c.

Sed dices, quòd ita ex albo, & ligno potest fieri vnum per se, quia quoddam compositum, puta album, & sic compositum naturale non esset magis vnum ens per se, quam compositum per accidens.

Aduerte hãc responsionem. t *Respondeo.* Hic Doctor innuit aliqua. Primò quòd vnitas in communi, vel est idem quòd ens, vel est passio immediata consequens ipsum ens, & ideò non potest demonstrari de ente, quia si demonstraretur, aut hoc esset ex definitione subiecti, scilicet entis, vel vnius, quæ non habent definitionem, cum sint transcendentia, vel si *vnum* sit passio mediata, illud tamen, per quod inest enti, non est nobis notum. Non enim est nobis magis notum quòd vna passio conuertibilis cum ente sit immediatior ipsi enti alia passione, vt clarè deducit Doctor *in 1. dist. 39.* & si vnitas in communi, non potest demonstrari de ente in communi, ita nec vnitas entis specialis, quia vel est passio immediata eius, & sic cuilibet enti speciali immediatè inest sua vnitas, vel si inest ex natura alterius, illud non est nobis notum. Quando ergo quæritur, quare hoc compositum est per se vnum, non possumus reddere aliam causam, nisi quia habet talem formam, quæ est per se ens, & ideò per se vnum.

Sed quare partes alicuius compositi habent quod constituat compositum per se, & aliæ quòd tantùm per accidens. 8.

Dico, quod Philosophus nescivit aliam causam dare, nisi quia hoc est actus, & illud potentia, ita quòd hoc est potentia essentialis receptiua secundùm totum genus suum, quia quælibet materia est essentialiter potentia receptiua, & ille actus essentialiter perficiens aliud, cuius est omnis forma substantialis, loquendo de forma partis, & sic ex his fit vnum per se, scilicet ex materia, & forma, vt patet 8. Metaph. ex eorum.

u *Etsi fiat altercatio*, &c. *Dico, quòd si accipiat esse actu, & Sic dico, quòd materia potest dici in actu* entitatiuo, *& licèt non dicatur actus*, scilicet formalis, *quia talis actus habet eam distinguere, & denominare, posset tamen dici actus, secundùm quòd Philosophus accipit actum, in 6. Metaph.* tex. comm. 4.

Aduerte tamen, quòd etiam forma dicitur actus entitatiuus, cùm sit ens entitatiuè. Dicitur etiam actus formalis ex hoc, quòd formaliter perficit, & formaliter distinguit; materia verò dicitur actus entitatiuus cùm sit ens quiditatiuè. Potest etiam dici actus materialis compositi. *Quare forma dicitur actus entitatiuus, & etiam materia.*

SCHOLIVM.

Materiam & formam esse primo diuersa, (quia scilicet vnum est receptiuum, aliud receptibile) non secundùm suas entitates absolutas, quia ens dicitur de eis in quid. ex Sco. 1. d. 3. q. 3.

16. SEquitur a secundò videre, quòd quomodo materia realiter distinguitur à forma. Vbi dico, quòd sunt omninò alterius rationis, & primò diuersa. Quod probo sic: Actus, & potentia, quæ sunt principia entis, sunt primò diuersa: materia & forma sunt huiusmodi: ergo. Si enim esset eiusdem rationis cum materia, non competeret sibi dare *esse*: & si materia esset eiusdem rationis cum forma, non competeret sibi recipere *esse*. Si etiam aliquid formæ includeretur in materia, forma quantùm ad hoc non esset apta nata recipi, sed magis recipere: & sic forma non esset primum receptum, sed aliquid eius esset non receptum, sed receptiuum, eodem modo, si aliquid materiæ esset inclusum in forma, ipsa non esset primò receptiua, sed recepta, quantùm ad aliquid sui: sic igitur sunt omnino alterius rationis & primo diuersa inter se. *Quo magis aliqua sunt distincta eo magis faciunt vnũ per se.*

Quomodo igitur ex quo b sunt duo principia distincta, & primò diuersa, possunt constituere aliquid vnum simpliciter? Dico quòd quantò aliqua sunt magis distincta, & diuersa, formaliter, tantò sunt magis dispositа ad faciendum per se vnum: quia

quia in illa conſtitutione non requiritur ſimilitudo in natura, ſed proportio conueniens, quæ poteſt eſſe inter primò diuerſa.

Dico igitur [c] quòd mihi eſt contradictio, quòd materia ſit terminus creationis, & pars compoſiti, & quòd non habeat aliquod *eſſe*, cùm tamen ſit aliqua eſſentia. Quòd enim aliqua eſſentia ſit extra cauſam ſuam, & quòd non habeat aliquod *eſſe*, quo ſit eſſentia: eſt mihi contradictio. *Materiam creari & non exiſtere eſt contradictio.*

17. d Obiicitur etiam ab aliis contra dicta, per Commentatorem 8. *Metaph. t.* 15. vbi dicit, quòd generans non facit aliud, quàm extrahere illud, quod eſt in potentia ad actum. Vnde dicit, quòd non largitur multitudinem, ſed perfectionem, ſed ſi produceret aliquam actualitatem, quæ priùs non fuiſſet in materia, iam largiretur multitudinem, quod eſt contra eum: oportet ergo quòd ſicut fuit tantùm vnũ in potentia, ita ſit vnum tantùm in actu: & ſic non erunt duæ entitates abſolutæ in generato.

Reſpondeo in generationibus, & corruptionibus, communiter concurrunt potentia obiectiua, & ſubiectiua: & ex potentia obiectiua trahit agens ad actum, illud quod eſt in tali potentia, puta totalem terminum generationis, qui includit formam, & materiam, dum eſt in potentia obiectiua, ſicut quando eſt in actu, habet vtrunque, & hoc modo agens non largitur multitudinem, ſed perfectionem ſolùm, ſicut enim totus ignis eſt factus in actu, ſic totus fuit in potentia; & hæc eſt prima extractio eius quod fuit in potentia obiectiua. Secunda extractio eſt ſecundùm quòd agens de potentia materiæ præexiſtentis, & quæ in fine generationis eſt pars compoſiti, educit formam, quæ eſt altera pars compoſiti, quæ priùs non fuit in actu, nec in re extrà, ſicut materia: & ſic agens, vel generans largitur multitudinem, loquendo de multitudine in actu: ſic igitur generans largitur perfectionem, prout accipit totum terminum generationis, quod erat in potentia obiectiua. Alio autem modo, accipiendo potentiam ſubiectiuam, vt de qua extrahit formam, ſic largitur aliquam multitudinem actualem. *Quia compoſitum eſt quod fit. 4. Phyſ. t. 52. & 12. Met. c. 28.* *Vide 12. Met. c. 18. Auer. hoc ſenſiſſe.*

18. Ad argumentum primum [e] dico, quod illa poſitio non facit ad propoſitum: quia Ariſtoteles non dicit eam ex intenſione, ſed arguendo ad partem falſam pro opinione antiquorum, quod patet primò ex proceſſu literæ, quia poſtquam dixit, quòd *nec eſt quid, nec quale*, &c. ſubdit: *Sic quidem intendentibus accidit materiam ſubiectum eſſe, ſed impoſsibile,* [f] ſed non eſt modus Ariſtotelis ſubiungere, *ſed impoſsibile*, ſuæ determinationi. Eſto tamen quòd ſit verum; [g] auctoritas tamen ſoluit argumentum: ponit enim illa, quibus ens determinatur, & diſtinguitur: diſtinctio autem vel determinatio fit ab actu actuante, & diſtinguente, qualis eſt forma: & nihil huiuſmodi eſt materia. *Ad arg. 1.*

Sed dices vltrà [h] quòd materia prædicatur de omnibus denominatiuè: vnde 7. *Metaph.* dicit Philoſophus, quòd *arca non eſt ligneum ſed lignea*: ergo de nullo prædicatur eſſentialiter: ergo ſi nullum eſt eorum, quæ ſunt, erit nihil. Dico, quòd ex hoc, quod materia prædicatur denominatiuè de aliquo, patet quòd non eſt nihil, ſed aliquid, quia *nihil* non denominat *aliquid*. *Tex. cõ. 25.*

i Dico igitur, quòd denominatiua propriè dicuntur, quæ differunt cadentia ab alio. Patet in Prædicamentis: caſus autem iſte poteſt eſſe, vel ſicut accidentis ad ſubiectum, vel ſicut formæ ad ſuppoſitum eiuſdem naturæ: & ſecundùm hoc, eſt duplex prædicatio denominatiua. Vna accidentis denominantis ſubiectum; alia formæ, non acceptæ in abſtracto, nec ſecundùm rationem quiditatis abſolutæ, ſed quaſi in concreto per cadentiam formæ ad ſuppoſitum naturæ propriæ, ſecundùm quod dicimus *homo eſt animatus*: non *homo eſt anima*, & iſto modo omnia ſuperiora dicuntur de ſuis inferioribus, vt *Socrates eſt homo*, *homo eſt animal*: non *homo eſt animalitas*, vel Socrates eſt humanitas. Et ſic etiam in propoſito dicitur, quòd materia eſt informata: non tamen, quod materia ſit forma. *Denominatiua quæ dicũtur eorum prædicatio duplex.*

19. k Ad aliud 5. Phyſic. *quod mouetur*, &c. Dico, quòd licèt entitas actualis mobilis non ſit mobili ratio recipiendi motum, ſed magis vt eſt ens in potentia, eſt tamen actus neceſſariò requiſitus ad hoc quòd moueatur: & ſic loquitur Philoſophus, dicens, *quod mouetur eſt*: non quòd hæc ſit conditio mobilis per ſe, ſed per accidens, requiſita tamen neceſſariò ad motum: per ſe autem conditio mobilis eſt eſſe in potentia, benè tamen poteſt eſſe aliquid conueniens alicui per accidens, & tamen neceſſariò per accidens: quia non includitur in ratione formæ illius, neceſſariò tamen requiſitum ad illud, quia ſine illo, illud non eſſet: ſicut priuatio eſt principium per accidens naturæ, primo Phyſic. tex. 66.

Priuatio principium per accidẽs naturæ, Scot. 1. Phyſ.q.20.

Ad probandum igitur quòd generatio non ſit motus, ſufficit Ariſtoteli quòd ſubiectum generationis, non neceſſariò eſt ens actu, ſed eſt ens in potentia: ſubiecto autem motus, ſiue ei quod mouetur, neceſſariò coniungitur, quod eſt ens actu, licèt per accidens, vt dictum eſt.

Materia non eſt ſcibilis per ſe, explicatur, Scot. 1. Phyſ.q.20.

1 Ad aliud de materia, quòd *non eſt ſcibilis*, &c. Dico, quòd Philoſophus indiſtinctè, & in vniuerſali loquitur de motu, vſque ad quintum librum, & ideò conſideratio eius de materia, ſe extendit ad ſubiectum, tam mutationis quam motus. Loquitur enim ibi de materia, vt eſt ſubiectum, non ſolùm in generatione, ſed etiam in alteratione: & vt habet ordinem ad tranſmutationem, ſic nec ſubiectum motus, nec mutationis eſt ſcibile per ſe, nec ſcitur per ſe, ſed in comparatione ad aliud: ſed non ſequitur quòd non ſit alio modo ſcibile per ſe, & ſecundùm ſe: ſicut ignis vt tranſmutatur localiter, non poteſt cognoſci, niſi per comparationem ad locum: poteſt tamen cognoſci alio modo, & perfectiori, quam per comparationem ad locum. Intentio autem Philoſophi eſt ibi quòd quantumcunque materia, vel ſubiectum cognoſcatur, & ſit cognoſcibile in ſe, & per ſe; eſt tamen cognoſcibilis in comparatione ad formam.

2. Dico igitur, quòd materia, ſecundùm ſe in ſua eſſentia eſt cognoſcibilis, ſed non à nobis. Primum patet, quia omnis entitas abſoluta in ſe, eſt cognoſcibilis: materia eſt huiuſmodi: ergo. Habet enim ideam in Deo, vel ex parte obiecti, vel ſecundùm rationem ex parte eſſentiæ, ſecundùm aliam opinionem. Secundum patet, nam forma eſt magis cognoſcibilis à nobis, quàm materia: ſed forma non cognoſcitur, niſi ex operationibus: igitur nec materia: quantò enim eſt aliquid magis remotum à ſenſibus, tantò minùs eſt à nobis cognoſcibile: cognoſcimus igitur materiam, vt dicit Commentator per tranſmutationem. Videmus enim vnam formam nouam poſt aliam, quia videmus nouam operationem, quæ arguit nouam formam: igitur ſubiectum tranſmutationis commune manet: hoc eſt materia. Non igitur ſequitur; eſt cognoſcibilis in analogia ad formam, igitur alio modo, vel in ſe, vel ſecundùm ſe non eſt cognoſcibilis.

Vide d. 35. & 36. pri. & report. & 2. de anima t. c. 92. 8. Met. c. 12. Materiam cognoſci ex tranſmutatione,

Materia eſt ens in actu, non actus informans.

Ad aliud de actu, dico, quòd ſi accipis actum pro actu informante, materia non eſt actus; ſi autem accipias actum pro omni eo, quod eſt extra cauſam ſuam, ſic materia poteſt dici ens actu, vel actus. Sed ſecundùm communem modum loquendi eſſe actu attribuitur, & appropriatur formæ. Ad vltimum, in oppoſitum patet, quomodo materia eſt ens actu, & quomodo non.

COMMENTARIVS.

a *SEquitur ſecundo videre*, &c. & infrà: *Sic igitur ſunt omnino alterius rationis, & primo diuerſa in ſe.*

Hìc Doctor videtur ſibi contradicere, quia *in primo, diſt.3. quæſt.3.* dicit expreſsè quòd materia, & forma non ſunt primo diuerſa, quia conueniunt quiditatiuè. Hìc verò dicit, quòd ſunt primo diuerſa.

Quomodo materia, & forma ſint primò diuerſa.

Reſpondeo, quòd materia, & forma ſunt primò diuerſa, vt ibi expoſui ſubiectiuè, ita quòd nullum genus prædicatur in *quid* de illis; non autem ſunt primò diuerſa obiectiuè, cum conueniant in conceptu entis quiditatiuè. Poteſt tamen dici, & addi, quod aliqua eſſe primò diuerſa, contingit dupliciter. Vno modo, quòd ſint primò diuerſa in conceptu dicto in *quid*, & ſic non ſunt primo diuerſa materia, & forma. Alio modo in realitate, ita quod conueniunt quiditatiuè in realitate eſſentiali, & ſic materia & forma ſunt primò diuerſa, quia non eſt aliqua natura, vel aliqua res præter quamcunque operationem intellectus, quæ ſit communis materiæ, & formæ quiditatiuè, & hæc diſtinctio patet à Doctore *in primo, diſt.8. q.2.* nam materia prima eſt tantùm receptiua formæ, & nullo modo receptibilis, forma autem maximè vltima eſt tantùm recepta, & nullo modo receptiua, nec aliquid ipſius. Si dicatur, quòd eſſe receptiuum, & eſſe receptibile ſunt tantum paſſiones conſequentes naturam eorum; ergo per illas non poſſunt dici primo diuerſa. Dico, quòd aliquid eſſe primò diuerſum ab alio, contingit dupliciter. Vno modo per ſuam rationem formalem, ſicut vltimæ differentiæ, quæ ex ſuis rationibus vltimatis ſunt primò diuerſa; patet à Doctore *in primo, diſt.3. quæſt.3.* Secundo modo per aliquid, quod non eſt de eſſentia eius, ſed conſequens naturam illius de neceſſitate; & ſic dicimus, quòd materia, & forma poſſunt dici primò diuerſa, quia ratio formalis receptibilitatis, & receptiuitatis inter ſe ſunt primò diuerſa, & ſic materia, & forma, quibus inſunt iſtæ rationes ſunt primò diuerſa.

2. Dicuntur etiam primo diuerſa primo modo in ſuis realitatibus, licèt non in conceptu quiditatiuo. Et hoc modo probat, quòd materia, & forma ſunt tales entitates, quibus de neceſſitate conueniunt tales rationes, nam materia eſt talis entitas, cui conuenit tantùm eſſe receptiuum, & forma talis entitas, cui conuenit, poſſe recipi. Si ergo materia, & forma eſſent eiuſdem rationis, ſequeretur quòd illud, quòd neceſſariò conuenit vni, neceſſariò etiam conpeteret alteri. Poſſet etiã dici, & credo ad mẽtem Doctoris quòd quãdo hìc loquitur, quòd materia, & forma ſunt alterius rationis, & per cõſequens ſunt primò diuerſa

Quomodo materia, & forma non ſint eiuſdem ſpeciei.

diuerſa, accipit quòd non poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, ſed ſuo modo differunt ſpecie: licèt propriè materia, & forma non ſint ſpecies, cum ſint partes ſpeciei. Pars autem ſpeciei non eſt ſpecies, vt ſuprà patet à Doctore *diſt. 1. quæſt. vlt. ſecundi*, ſi enim eſſent eiuſdem ſpeciei, ſi vni cõuenit eſſe receptiuum formæ ſubſtantialis, & alteri de neceſſitate conueniret. Si ergo materia, & forma ſunt alterius rationis, eo modo ſequitur. quòd ſunt primò diuerſa in realitate ſpecifica, licèt non in conceptu quiditatiuo, & ex hoc habetur intentum, quia ſi differunt ſpecie, differunt etiam realiter, nam quæ differunt ſpecie, differunt etiam realiter, & eſſentialiter.

3. b Quomodo igitur ex quo ſunt duo principia diſtincta, &c. *Dico, quòd quanto*, &c. Hoc debet ſanè intelligi, quia materia prima, & albedo ſunt magis diuerſa, quàm materia prima, & forma ſubſtantialis, & tamen non poteſt magis fieri per ſe vnum ex illis, cùm ex ſubſtantia, & accidente fiat tantùm ens per accidens *ex quinto Metaphyſ.* Dico, quòd debet intelligi, quando illa principia ſunt nata per ſe facere vnum, ſicut forma ſubſtantialis, & materia, vt patet 8. *Metaphyſ.* & vltra requirit, quòd talia principia immediatè ſint vnibilia, cuiuſmodi non eſt materia prima, & accidens, cum nullum accidens immediatè informet materiam, vt patet ſuprà à Doctore in hoc ſecundo, & in quarto, in materia de Euchariſtia. Debet etiam intelligi per ſe vnum quantùm ad rationem perfectionis vnitatis: quia illud eſt perfectius vnum, quod eſt compoſitum ex materia, & perfectiori forma ſubſtantiali, vt homo eſt compoſitus ex corpore, & anima intellectiua, quàm lapis, qui eſt compoſitus ex materia, & forma ſubſtantiali ignobiliori, non tamen homo eſt magis per ſe vnum, loquendo per ſe de ratione vnitatis compoſiti, quia lapis eſt ſic vnum compoſitum per ſe, ſicut homo.

Optima expoſitio verborum Scoti.

c *Dico igitur*, &c. Hìc cùm dicit Doctor, quòd materia eſt aliqua eſſentia, non debet accipi illa eſſentia propriè, cùm ſit pars eſſentiæ quiditatiuè, ſed accipitur *eſſentia* pro vera entitate ſumpta ab ente, & quod dicit, quòd *eſſentia extra ſuam cauſam habet verum eſſe*, ſic debet intelligi, quòd habet *eſſe* exiſtentiæ, quia quæcunque entitas habet *eſſe* extra ſuam cauſam productiuam, de neceſſitate habet *eſſe* exiſtentiæ, cùm vera productio neceſſariò terminetur ad *eſſe* exiſtentiæ, patet à Doctore *in primo diſtinct. 36. & in ſecundo, diſtinct. 2.*

4. d *Obiicitur etiam.* Nota hìc in litera, quòd agens extrinſecum dupliciter educit aliquid de potentia, ſcilicet de potentia obiectiua, & de potentia ſubiectiua. Quando producit, puta aliquem ignem de potentia obiectiua ad actum, tunc largitur tantùm perfectionem, & non multitudinem, quia ille idem ignis, qui priùs fuit in potentia obiectiua producitur in actu; ſed quando erat in potentia obiectiua habet imperfectum *eſſe*, quia tantum *eſſe* poſſibile. Dum verò eſt eductus, ſiue productus in actu habet perfectius *eſſe*, quia *eſſe* actuale, & ſic patet quomodo educens aliquid de potentia obiectiua, non largitur multitudinem entium, ſed tantùm perfectionem; quia illud idem, quod erat ſub *eſſe* imperfecto, producitur in *eſſe* perfecto, & hoc eſt largiri perfectionem.

Secundo verò modo quando agens intrinſecum educit aliquid de potentia ſubiectiua, non tantùm largitur perfectionem, ſed etiam multitudinem; patet quia quando ignis agit in aquam expellendo formam aquæ, producit de ipſa materia aquæ ignẽ, cuius ipſa materia eſt pars, & ſic ille ignis qui fuit in potentia obiectiua, & in *eſſe* imperfecto producitur in *eſſe* perfecto, & ſic largitur perfectionem, & quia in tali materia producit formam ſubſtantialem ignis, quæ informat ipſam materiam, dicimus quòd largitur multitudinem, quia in tali compoſito non tantùm eſt materia, ſed etiam forma partis, quæ educitur de potentia ſubiectiua, id eſt, de materia, quæ eſt ſubiectum illius formæ. Dicitur enim forma educi de potentia materiæ, quando talis forma ſic educitur, vt recipiatur in ipſa materia, & hoc modo largitur multitudinem.

Ad argumenta principalia. Primò arguit Doctor probãdo quòd materia non ſit ens poſitiuũ, quia omne ens poſitiuum creatum eſt in aliquo Prædicamento; ſed materia in nullo ponitur prædicamento. Patet minor per Philoſophum 1. Metaph. tex. com. 8. *Dico* (inquit) *materiam, quæ eſt ſecundùm ſe, nullatenus, neque quid, neque quantitas, neque aliquid aliud eorum dicitur, quibus ens eſt determinatum*, & parum infrà. *Quare quod eſt vltimum ſecundùm ſe, neque quid, neque quantitas, neque aliud aliquid eſt.* Hæc ille. 5. *Ad argum. princip.*

Ad 1. Optima expoſitio verborum Ariſt.

e Reſpondet Doctor, quod propoſitio illa Philoſophi non eſt ad propoſitum, &c. Nam aliqui volebant, quòd ipſa materia prima eſſet maxima ſubſtantia, & eſſet id, de quo quicquid eſt generatum prædicatur denominatiuè; ita quòd quando dicimus, quod materia talis eſt alba, vel quanta, & huiuſmodi, ſit prædicatio denominatiua. Similiter ſubſtantia, quæ dicitur genus, vel pertinet ad genus Subſtantiæ, prædicatur denominatiuè, vt cùm dicimus, materia talis eſt lapidea, & talis eſt ferrea. Dicunt igitur antiqui, quòd ipſa materia non eſt quid per ſe, id eſt, quòd ſubſtantia non prædicatur per ſe de illa, ſed denominatiuè; vt cùm dicimus: materia talis eſt lapidea, nec eſt quale, nec quantum, nec huiuſmodi. Volunt enim antiqui, quòd abſtractis omnibus accidentibus, nihil aliud videbant, niſi vltimum ſubiectum, & talem volebant eſſe maximè ſubiectum, ideò Ariſtot. arguit contra eos, vbi ſuprà, & hoc patet ex proceſſu literæ, quia poſtquam dixit Ariſtoteles quòd *nec eſt quid, nec quale.* Et ſubdit, *ex his igitur ſpeculantibus facit ad ſubſtantiam eſſe materiam, ſed impoſſibile, & hoc aliquid ineſſe videtur maximè ſubſtantiæ*, id eſt, concludendo Ariſtoteles quia ſpeculantibus ex his ſupradictis rationibus accidit dicere materiam iam eſſe ſubſtantiam ſe ſolam, & maximè. Con-tra quod arguit Philoſophus oſtendens, quòd materia non ſit maxima ſubſtantia.

6. *De ratione ſubſtantiæ ſunt duo.*

f *Sed impoſſibile*, &c. Nam de ratione ſubſtantiæ ſunt duo, ſcilicet quod ſit ſeparabilis ab aliis, & quòd ſit ſingulare alicuius ſpeciei ſpecialiſſimæ prædicamenti ſubſtantiæ. Dicit ergo, *ſed impoſſibile*, ſcilicet eſt materiam eſſe maximè ſubſtantiam, aut ſolam materiam eſſe ſolam ſubſtantiam, *etenim* pro quia *eſſe ſeparabile, & eſſe hoc aliquid videtur ineſſe maximè ſubſtantiæ*, quòd ſupple nõ competit materiæ.

Vnde ſubdit: *Quapropter ſpecies, & quod ex ambobus ſubſtantia videtur eſſe magis, quàm materia*, id eſt, forma, & compoſitum ex materia, & forma magis videtur eſſe ſubſtantia, quàm materia.

Verum eſt actu, non antè potentia.

g *Eſto tamen, quòd ſit verum*, Dicit Doctor, poſito etiam quòd materia non ſit nec *quid*, nec *quale*, loquendo de rationibus formalibus determinantibus contrahentibus ens ad tale, vel tale genus, tamen ex hoc non ſequitur quòd ipſa nihil ſit; non enim ſequitur, materia non eſt actus, vel forma determinans ens ad aliquod genus; ergo materia eſt in ſe nihil, non ſequitur. Poteſt etiam dici, quòd materia non eſt *quid* per ſe, nec *quale*, quia illud, quod per ſe ponitur in aliquo Prædicamento, eſt in recta linea Prædicamentali, quia vt ſic, recipit per ſe prædicationem illius Prædicamenti; pars autem contenti in tali genere per ſe non recipit prædicationem per ſe illius generis, cùm tantùm ſit ibi reductiuè, vt patet à Doctore *in quarto, diſt. 1. quæſt. vltima*: ideò non ſequitur; materia prima non eſt *quid* per ſe, ſiue non eſt ſubſtantia per ſe; ergo non eſt per ſe ens quiditatiuè, non ſequitur.

Quomodo materia non ſit quid.

h *Sed dices vltrà, quòd materia prædicatur de omnibus denominatiuè*: &c. 7. Metaph. tex. comm. 25. vbi vult Philoſophus, quòd arca non ſit lignum, ſed lignea, *Nec eſt* (inquit) *ſtatua lignum, ſed producitur lignea, non lignum; & anea, non æs; lapidea, ſed non lapis; & domus lateritia, & non lateres.* Hæc ille. Et ſic videtur, quòd nullo modo pertineat ad eſſentiam rei, cùm de nullo prædicetur eſſentialiter.

7. i *Dico igitur, quòd denominatiua propriè.* Hîc Doctor diſtinguit de denominatione denominatiua, & dicit quòd denominatiua propriè ſunt illa, quæ dicuntur cadentia ab alio, vt patet, quia *album* eſt denominatiuum, cùm cadat ab *albedine* in ſubiecto, quod denominat, quia hæc eſt falſa, *homo eſt albedo*, quia ipſa nullam cadentiam dicit ad ſubiectum, hæc autem vera, *homo eſt albus*, quia tunc *album* dicit cadentiam ad ſubiectum.

Caſus formæ eſt dupliciter.

Dicit tamen Doctor, quòd caſus formæ eſt dupliciter, vel dicit cadentiam ad ſubiectum, ſicut accidentis ad ſubiectum, vel ſicut formæ ad ſuppoſitum eiuſdem naturæ, & ſic duplex eſt prædicatio denominatiua. Hîc tamen nota, quòd *ſuppoſitum* hîc non accipitur ſolùm, prout accipitur diſt. 2. primi, quod dicit duplicem incommunicabilitatem, ſcilicet vt *quo*, & vt *quod*; vel vt accipitur diſtinctione prima, quæſtione prima tertij, vt dicit negationem duplicis dependentiæ ad aliud ſuppoſitum, ſcilicet actualis, & aptitudinalis; ſed capitur hîc *ſuppoſitum* largè, & impropriè. Nam Doctor hîc vult quòd homo dicatur ſuppoſitum reſpectu humanitatis, & etiam albedo reſpectu albedineitatis, vt patet *in primo, diſt. 5. quæſt. 2.* Et nota, quòd duplex eſt forma, ſcilicet forma totius, & forma partis. Forma totius tantùm intelligitur cadere ad ſuppoſitum, comparando illum ad partes, ex quibus conſtat, ſicut humanitas tantùm reſpicit hominem; & ſic dicimus, quòd *homo* dicit humanitatem, vt ad ſuppoſitum, ſicut dicimus quòd *album* dicit albedinem ad ſubiectum, nam propriè homo eſt humanitate homo; ſed humanitas, vt humanitas, dicitur abſtracta à ſuppoſito: ipſa enim humanitas non perficit, neque materiam, neque formam, vt patet à Scoto *in tertio, diſt. 2.* ſed dicimus, quòd eſt id, quo homo eſſentialiter eſt homo, vt patet ſuprà in ſimili *in primo, diſt. 4.* & hæc forma etiam partis eſt in duplici genere: nam quædam eſt accidentalis, & illa tantùm poteſt cadere ad ſubiectum, quia poteſt denominare illud; ſicut dicimus, *homo eſt albus*, & non poteſt cadere ad ſuppoſitum propriæ naturæ, nam ſuppoſitum albedineitatis eſt ipſa albedo abſtracta à ſubiecto. Si ergo poſſet cadere ad proprium ſuppoſitum, denominando illud, hæc poſſet eſſe vera, albedo eſt alba.

Duplex forma.

Nota tamen, quòd ipſa albedo dicitur forma partis, comparando ad ſuppoſitum per accidens; comparando verò ad ſuppoſitum ſaltem per ſe metaphyſicaliter, ipſa eſt forma totius reſultans ex realitate generis, & realitate differentiæ: ſed quia ipſa albedo eſt ſimplex, & nullo modo compoſita ex re, & re; ideò dicimus, quòd ipſa non eſt propriè forma partis, & ſic dico de quolibet accidente. Forma autem partis ſubſtantialis poteſt cadere, & ad ſubiectum, quod verè denominat; & ad ſuppoſitum eiuſdem naturæ, vt anima: nam anima, vt denominat corpus, cadit ad ſubiectum, quia informat ipſum: & hæc eſt vera, *corpus eſt animatum*, & eſt denominatiua, non accidentalis, cùm ipſa ſit ſubſtantia, nec propriè eſſentialis, cùm non ſit de eſſentia corporis: ſed poteſt dici denominatiua ſubſtantialis, non quòd ſit de ſubſtantia corporis, ſed quia denominans eſt ſubſtantia: ſicut etiam dicit Doctor *in tertio*, quòd hæc eſt ſubſtantialis, *Verbum eſt homo*: non eſſentialis, quia homo non eſt de eſſentia Verbi diuini: nec accidentalis, cùm non ſit accidens, ſed ſubſtantialis denominatiua. Eſt tamen diſſimilitudo in hoc, quia homo non informat Verbum diuinum, vt patet *in tertio*, nec perficit illud: anima verò informat corpus, & perficit illud. Poteſt etiam dici accidentalis iſta, *Corpus eſt animatum*, vt ly *accidentale* diſtinguitur contra prædicationem per ſe, nam hæc non eſt per ſe, *corpus eſt animatum*. Poteſt etiam comparari ad ſuppoſitum eiuſdem naturæ, puta ad hominem, cuius eſt pars eſſentialis, vt dicendo, *homo eſt animatus*; & hæc eſt denominatiua eſſentialis, quia ipſa anima eſſentialiter prædicatur de ipſo homine, cùm ſit de eſſentia hominis: & hæc eſt denominatiua per cadentiam formæ partis ad ſuppoſitum. Eſt etiam alia denominatiua eſſentialis, quæ eſt per cadentiam formæ totius ad ſuppoſitum, ſicut dicimus, *homo eſt animal*: nam ly *animal* dicit animalitatem cadentem ad hominem, quia hæc eſt falſa, *homo eſt animalitas*: quia animalitas intelligitur abſtracta ab omni ſuppoſito, & tamen eſt vera hæc, *homo eſt animal*; ſed eſt denominatiua eſſentialis: & de iſtis denominatiuis aliqua habuimus *in primo, diſt. 8. quæſt. vlt.*

8. *Quomodo albedo dicatur forma partis.*

9. Ad propoſitum ergo dico, quòd materia poteſt prædicari de materiatis denominatiuè, non tamen denominatione accidentali, cùm ipſa materia ſit ſubſtantia ſed vel denominatione eſſentiali, vel ſubſtantiali, vt *homo eſt corporeus, arbor eſt lignea.*

k Secundò principaliter arguit auctoritate Philoſophi *quinto Phyſic. tex. comm. 8.* vbi habetur: *Quod mouetur eſt, ſed quod generatur non eſt.* Pro intellectione huius argumenti eſt notandum,

Nota. dum, quòd quando Ariſtoteles loquitur propriè de ente perfecto,& conſtituto in *eſſe* vltimo ſpecifico, ſicut etiam dicit *tertio Phyſicorum*, quòd *motus eſt actus entis*, capit ibi *ens* pro vero ente naturali habente *eſſe* ſpecificum: quando ergo dicit, *Quòd mouetur eſt*, id eſt, quòd ſubiectum motus eſt ens ſpecificum, & perfectum,& quando dicit, *& quod generatur non eſt*, id eſt, quòd ſubiectum generationis non eſt ens completum, & ſic gloſſando, prout veritas eſt, argumentum hoc non concludit,quia quamuis materia prima, quæ generatur ſubiectiuè,ſiue quæ eſt ſubiectum generationis, non ſit ens completum, & perfectum, non tamen ſequitur quòd ſit nihil, imò eſt aliquod ens, cùm ſit pars eſſentialis compoſiti naturalis, & quod dicit hîc in argumento, quòd quando Ariſtoteles dicit *Quòd mouetur eſt, & quod generatur non eſt*, vtrobique accipitur *eſt*, & *non eſt* ſubiectiuè: & verum dicit, quia ſubiectum motus eſt ens completum, & ſubiectum generationis non eſt ens completum; & non accipitur terminatiuè,puta pro termino motus,vel pro termino generationis:patet,quia hæc eſt falſa, dicendo, *quod mouetur eſt*, quia quando motus ſit iam non eſt, & ſic patet argumentum.

10. Dattamen Doctor aliam reſponſionem, quæ in re coindicit cum præcedente, & nota hîc, quòd dicit quòd de ratione mobilis eſt eſſe ens in potentia, & quòd actu ſit ens, accidit ſibi tamen neceſſariò,&c. Vult dicere,quia Ariſtoteles *Tertio Phyſi. text. 6.* *in tertio Phyſicorum* dicit quòd motus eſt actus entis in potentia, ſicut alteratio eſt actus alterabilis inquantum alterabile: ſic dicimus, quòd ſi mouetur ad caliditatem vt octo, ſi haberet actu non moueretur ad illam,quia habitibus præſentibus ceſſat motus: ſed quia caret illa, & eſt in potentia ad recipiendum illam, ideò ad ipſam mouetur ſecundùm quam caliditatem alteratur; dicimus ergo quòd talis alteratio continua eſt actus ipſius alterabilis, inquantum alterabile, hoc eſt, inquantum contìnuè mouetur ad ipſam caliditatem: ſed habita tota caliditate,iam non dicimus quòd ſit actus alterabilis, inquantum alterabile, ſed eſt actus perficiens ſubiectum in *eſſe* quietum. De ratione mobilis eſt,quòd ſit in potentia ad motum, ſiue ad terminum motus: & quia talis motus quandiu durat ſemper eſt actus ipſius mobilis actus,dico imperfectus, & terminus motus habitus in *eſſe* quieto, dicitur actus perfectus accidentalis: tamen cum vltra mobile non moueatur, & quia talis actus imperfectus non poteſt ineſſe niſi enti in *eſſe* vltimo, & ſpecifico, cùm accidens non informet immediatè materiam,licèt ipſum compoſitum;ideò dicimus quòd illud quod mouetur,neceſſariò eſt ens actu in *eſſe* completo; accidit tamen ſibi in eo quòd mouetur,quòd ſit ens actu, id eſt, quòd non eſt de ratione formali mobilis inquantum mobile, quòd ſit ens actu, licèt neceſſariò ſit illud, ſed quòd ſit in potentia ad terminum motus,& quia materia non propriè mouetur cùm non ſit immediatum ſubiectum alicuius motus, vt patet *Tertio Phyſ. ibidem.* etiam *tertio Phyſicorum*, ſequitur, *& per conſequens*,&c. & ideò poteſt dici ens in potentia, vt diſtinguitur contra ens completum;ſufficit igitur Philoſopho,quod intendit probare,quòd generatio non ſit motus per hoc argumentum; *Quod mouetur eſt, & quod generatur non eſt, igitur generatio non eſt motus*: habet enim intentum,quòd generatio non eſt motus per hoc,quia ſubiectum generationis non eſt ens actu completum,ſubiectum verò motus eſt ens actu completum.

Tertiò arguitur auctoritate Philoſophi,1.Phyſic. tex. com.69. vbi habetur, quòd materia non eſt ſcibilis niſi in analogia ad formam, *Subiecta* inquit,*natura ſcibilis eſt ſecundum analogiam.* Et ibi Commentator, *& iſta ineſt materiæ, quæ eſt ſubiecta ſubſtantiæ,non poteſt intelligi per ſe, cum non ſit aliquid in actu, habens quiditatem, ſed intelligetur ſecundum comparationem propter latentiam ſuæ ſubſtantiæ.* Hæc ille. 11.

1 Reſpõdet Doctor & dicit,quòd Philoſophus non negat abſolutè, quòd materia prima non ſit per ſe cognoſcibilis,ſed quia ipſe loquitur indifferenter de materia, vt eſt ſubiectum generationis, vel mutationis, aut cuiuſcunque tranſmutationis,& vt ſic cognoſcitur per analogiam ad formam, quia videndo modò in materia formam corrumpi,modò aliam generari, ex tali tranſmutatione arguit aliquid eſſe ſubiectum tam generationis,quàm corruptionis: & etiam quia videmus aliquid alterari modò ad vnam formam, modò ad aliam, per huiuſmodi alterationes arguimus aliquid eſſe ſubiectum, & habere ſe per modum materiæ:non tamen ſequitur quòd illud non ſit per ſe,& in ſe cognoſcibile,& nota etiam quod dicit Doctor quòd materia eſt per ſe cognoſcibilis, ſed non ab intellectu noſtro pro ſtatu iſto cũ tantùm moueatur à ſenſibilibus, vt patet à Doctore *in primo*, *d.* 3. ſed eſt intelligibilis ab intellectu noſtro ſeparato:& licèt materia prima non ſit de numero actiuorum, tamen ego dico quòd ipſa poteſt mouere intellectum ad cognitionem ſui, cauſando illam partialiter, & quòd dicit,quòd *non eſt de numero actiuorum*,debet intelligi de actiuis & paſſiuis, quæ mutuò corrumpuntur,& generantur, & de qualitatibus conſequentibus huiuſmodi actiua, & paſſiua: certum enim eſt quòd materia prima non poteſt producere aliquam formam ſubſtantialem effectiuè, nec aliquam accidentalem corporalem, ſed benè poteſt producere aliquam ſpiritualem. Hoc idem dico de quantitate: licèt Franciſcus de Mayr. *in primo* teneat contrarium. Neſcio enim videre ex quo materia prima eſt verum ens abſolutum, & vera pars intrinſeca corporalis ſubſtantiæ, & includens quiditatiuè rationem entis, vt patet à Scoto *in primo, diſt.*3.*&* 8. Quòd ſi ipſa eſſet ſeparata à forma non poſſet cauſare cognitionem ſui partialiter. Nec credo quòd aliqua entitas, excepta Deitate, contineat materiam primam virtualiter,vel eminenter, ſecundùm totam ſuam entitatem, ac per conſequens poſſit cauſare cognitionem illius, quia ipſa eſt verum ens abſolutum tantùm creabile à voluntate diuina, & merè terminans creationem, vt patet à Doctore *in* 2. *diſt.* 12. & terminans creationem, neceſſariò eſt verum ens exiſtens, vt patet *diſt.* 1. *ſecundi*, *& diſt.*2.*tertij*. *An materia ſit per ſe cognoſcibilis.* *An materia ſit de numero actiuorum.*

Dico ergo, quòd ipſa ſi eſſet ſeparata, poſſet partialiter cauſare ſpeciem intelligibilem in aliquo intellectu;& alia cauſa partialis,& principalis eſſet intellectus agens cognoſcens ipſam abſtractiuè, & ſic talis ſpecies intelligibilis poſſet partialiter cauſare cognitionem materiæ primæ.

Dico etiam,quòd ſi materia eſſet perfectè præſens in propria præſentialitate, & exiſtentia alicuí intellectui,poſſet in illo partialiter cauſare cognitionem ſui intuitiuam.

12. Quartò arguit Doctor, & ratio ſtat in hoc: Si materia prima eſt ens poſitiuum, ergo erit aliquis actus, conſequens eſt falſum. Conſequentia probatur, quia omne ens poſitiuum eſt etiam actus. Patet, quia ens diuiditur per potentiam, & actum, vt patet 5. *Metaphyſ.* ſed conſequens eſt falſum, quia ſi eſſet actus, tunc diſtingueret, quia actus propriè diſtinguit, vt patet 7. *Metaph. tex. comm.* 49. materia autem non diſtinguit, quia in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum, 1. *Metaphyſ. tex. commen.* 17. ſecundùm aliam tranſlationem: *Quoniam*, inquit, *in fundamento naturæ, non eſt aliquid diſtinctum, manifeſtum eſt, quia non verè dicitur in illa ſubſtantia, quòd eſt alicuius diſpoſitionis, dico neque albæ, neque nigræ, neque alterius coloris.* Hæc ibi.

Materia eſt cauſa diſtinctionis minus principaliter.

m Reſpondet Doctor, diſtinguendo de actu ſcilicet formali, & entitatiuo. Secundo modo materia dicitur actus, cùm non ſit extra nihil: cùm enim ens diuidatur per actum, & potentiam, & omne quod habet *eſſe* extra ſuam cauſam, ſit in actuali exiſtentia, & realiter ſit ens in actu, ipſa materia prima, quæ eſt verè creata, erit ens in actu, non eſt autem actus formalis, videlicet informans, & perficiens aliquid: quia materia prima nihil poteſt informare, cùm ergo dicitur, quòd *actus diſtinguit*, &c. Dico, quòd *diſtinguere*, contingit multipliciter. Vno modo formaliter, & ſpecificè, & ſic materia prima non diſtinguit, cùm non ſit conſtitutiua alicuius ſpeciei. Secundò aliquid diſtinguit, ſine eſt principium diſtinguendi entitatiuè, ita quòd eo modo, quo aliquid conſtituit, eo etiam modo eſt ratio diſtinguendi conſtitutum ab alio. Patet enim quòd compoſitum ex materia, & forma, diſtinguitur à re non corporali, non tantùm per formam, ſed etiam per materiam, quam habet. Et cùm dicitur, quòd *in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum*, verum eſt formaliter, quia per materiam nulla diſtinctio formalis fit, nec ſimiliter in materia nudè accepta eſt aliqua diſtinctio formalis, vt patet ibi per illum textum, & per Commentatorem.

13. Quintò, & vltimò arguit Doctor, quia ſi materia eſſet actus, compoſitum non eſſet per ſe vnum. Reſponſum eſt in corpore quæſtionis ad hoc argumentum, ſcilicet quòd ex duobus entibus in actu vltimato non fit per ſe vnum.

Additur etiam, quòd ſi materia prima eſſet ens in actu, vel eſſet ens, quod eſt forma, vel eſſet ens, quod eſt compoſitum: ſed nec ſic, nec ſic; ergo nihil eſſet.

Quomodo materia ſit ens actu.

Reſpondeo, quòd eſſet ens actu, quod non eſſet forma, nec compoſitum, ſed eſt ens, quod eſt materia, ſicut & ſi quæreretur, ſubſtantia eſt ens, quod ens eſt? Dico, quòd eſt ens, quod eſt ſubſtantia, vt etiam in ſimili reſpondet Doctor *in primo, diſt. 2. par. 2. q. 1.* reſpondendo ad argumenta principalia.

Vltimò Doctor pro confirmatione ſuæ opinionis addit vnam rationem, fundatam ſuper auctoritate Philoſophi, probando quòd materia prima ſit verum ens actu. Nam Philoſophus 2. *Phyſic. tex. comm.* 28. vult, quòd materia ſit ens actu, quia eſt id, ex quo fit res, ſiue compoſitum, cui ineſt, vnde ſecundùm aliam tranſlationem ſic habetur:

Dicamus igitur, quòd cauſa dicitur vno modo de illo, ex quo fit res, & eſt in cauſato, vt cuprum ideli hominis, & argentum idoli annuli. Hæc ibi. Hoc idem patet 5. Metaphyſ. text. comment. 2. vbi ſic habetur: *Cauſa verò dicitur quidem vno modo, ex quo fit aliquid in exiſtente, vt æs ſtatuæ, & argentum phialæ*, & ſecundùm aliam tranſlationem: *Cauſa dicitur ſecundùm vnum modum, illud ex quo fit aliquid, & eſt in eo, vt cuprum in idolo, & argentum in annulo.* Hoc idem tex. commen. 4. *Elementum* (inquit) *dicitur, ex quo componitur primum in exiſtente indiuiſibili ſpecie in aliam ſpeciem*, id eſt, quòd elementum debet eſſe vnius rationis indiuiſibilis in partes alterius rationis, & per hoc diſtinguitur à toto heterogeneo, vt clariùs patet ſecundùm aliam tranſlationem: *Elementum* (inquit) *dicitur illud, ex quo componitur res primò, & eſt in ea, & non diuidiour ſecundum formam in aliam formam*, vide ibi Commentatorem clarè exponentem hunc textum.

Ex iſtis ergo auctoritatibus habetur, quòd materia ineſt compoſito, cùm fiat ex ea, nec oportet fugere ad oppoſitum; ſicut dicimus quòd ignis fit ex aqua, tanquam ex oppoſito, quod oppoſitum non ineſt igni generato, materia autem ineſt, & ideò ponitur, *cùm inſit* ab Ariſtotele ad differentiam oppoſiti, ex quo oppoſito fit res, non tamen ineſt. Et hoc clariùs ſuprà patuit *in primo, diſtinct. 2. parte 2. quæſt. 4.*

QVÆSTIO II.

Vtrum per aliquam potentiam materia poſſit eſſe ſine forma?

Alenſis 2. *p. q.* 12. *m.* 2. *art.* 1. Hugo Vict. 1. *de Sacra. p.* 1. *c.* 4. Magiſt *hic*. D. Th. 1. *p. q.* 66. *art.* 1. & *quodl.* 3. *art.* 1. D. Bon. *hic q.* 1. *art.* 1. Dur. *q.* 2. Ric. *q.* 1. & 4. Gabr. *q.* 1. *art.* 3. Greg. *q.* 2. Soncinas 8. *Met. q.* 1. Sco. 1. *Phyſ. q.* 19. 20. & 24. & 2. *Phyſ. q.* 7. Suares *Met. d.* 15. *ſec.* 9. 10. Conimbr. 1. *Phyſ. c.* 9. *q.* 6. Mairon. Baſſol. Leuchet. Tartar. *hic* Trombeta 8. *Met. q.* 1.

Arg. 1. Videtur quòd non. Quantò aliqua ſunt magis vnum, tantò ſunt minùs ſeparabilia: ſed materia eſt magis vnum cum forma, quàm paſſio propria cum ſubiecto; & paſſio non poteſt ſeparari à ſubiecto: ergo nec materia à forma. Maior eſt manifeſta. Minorem probo, quia materia facit vnum eſſentialiter cum forma, & per ſe: ſed propria paſſio non ſic facit vnum cum ſubiecto: quia facit vnum ſecundo modo dicendi per ſe, tantùm. 1.

Item,

Item, omni eo quod poteſt per ſe eſſe, poteſt aliquid fieri inferius. Probo, illud quod non poteſt per ſe eſſe, eſt inferius eo, quod poteſt per ſe eſſe: ergo Deus id poteſt facere: ſed nihil poteſt eſſe inferius materia; quia cùm materia ſit ens in potentia & propè nihil, tunc illud inferius, eſſet nihil. *Arg. 2.*

Item, priuationes ſunt oppoſitæ, ſicut & formæ, quibus ſunt oppoſitæ: ſed formæ oppoſitæ, nunquam ſunt ſimul in materia: ergo nec priuationes oppoſitæ: ſed priuationes oppoſitæ non ſunt ſimul, nec poſſunt eſſe, quia forma oppoſita vni, actu eſt in materia: ſi igitur materia non habet aliquam formam, ſunt in ea oppoſitæ priuationes ſimul, quod eſt impoſſibile, ergo, &c. *Arg. 3.*

Contrà non minùs dependet accidens à ſubſtantia, quàm materia à forma: ſed accidens poteſt fieri ſine ſubiecto: ergo & materia ſine forma. *Ratio opp.*

COMMENTARIVS.

ITVLVS quæſtionis intelligitur de forma abſoluta, à qua materia prima realiter diſtinguitur, & etiam de omni forma reſpectiua, à qua realiter diſtinguitur, licèt principaliter intelligatur de forma abſoluta, & ſenſus huius quæſiti eſt: An materia prima per aliquam potentiam poſſit actu exiſtere ſeparata ab omni forma tam ſubſtantiali, quam accidentali, à qua realiter diſtinguitur.

SCHOLIVM.

Omiſſâ ſententiâ negantium materiam diſtingui à forma, ponit opinionem D. Thomæ, & aliorum negantium poſſe ſeparari vlla potentia à forma, quia non habet exiſtentiam niſi ab ea. Alij idem dicunt, etiam tenentes habere exiſtentiam propriam, ſuadetur quinque rationibus.

2. RESponſio ſecundùm illos [b] qui dicũt quòd materia non eſt aliud à forma, non eſt mirum ſi non poteſt eſſe ſinè forma: idem enim non poteſt fieri ſine ſeipſo: ſed hoc eſt falſum, vt probatum eſt ſuprà, quia omne generabile eſt compoſitum ex re, & re. *Albertus Ægidius*

Alij dicunt materiam [c] habere realitatem diſtinctam à forma, non tamen poteſt eſſe ſine forma: quia non eſt actus, nec habens actum, quia eſt tantùm ens potentiale, vel poſsibile. Cùm enim diuidatur ens per actum & potentiam, materia non cadit ſub primo membro ſed ſub ſecundo: eſt enim potentia: nihil ergo habet actus, vel actualitatis, ſed tantùm habet *eſſe* potentiale: quod tamen *eſſe* eſt aliqualis realitas diſtincta à forma, & per hoc ſaluant compoſitionem realem, implicat autem contradictionem, quòd aliquid habeat *eſſe* tantùm potentiale, & ſit actualiter. *D. Tho. 1. p. q. 66. art. 1. quare Auer. 1. Phyſ. com. 70. & 76. & 8. Meta. c. 3. & alibi quæ re. Hen. vbi infra.*

Si illi intelligant per realitatem materiæ, aliquam entitatem, vel realitatem extra cauſam ſuam, non video quòd ſit contradictio, ſi ponatur virtute diuina ſine forma.

Alij habent aliam imaginationem de materia, quia ponunt eam eſſe terminum creationis, alium abſolutè à forma, tamen dicunt quòd non poteſt eſſe ſine forma: quod probant, quia ſi fieret ſine forma eſſet actus, ſed materia non eſt actus: ergo, &c. *Tho. Anglicus.*

Item, ſecundùm Boëtium, omne *eſſe* eſt à forma: ergo ſi materia ſit ſine forma, erit ſine *eſſe*; quod eſt contradictio. *1. tri. c. 3. vide Auer. 2. Phy. c. 12.*

Prætereà, quod non habet ideam non poteſt fieri ſine alio: materia eſt huiuſmodi: ergo &c.

Prætereà illud, in quod Deus non habet actionem, non poteſt fieri per ſe; ſed ſecundùm doctores peritiſsimos Deus non habet actionem in materiam: ergo &c.

Item, quæ analogantur in aliquo primo, illud eſt realiter in vno primo, & in aliis non, niſi per attributionem ad illud. Patet de ſanitate quæ eſt realiter in animali, & in vrina, non niſi per attributionem ad illud aliud: ſed *eſſe* eſt à forma; ergo materia non eſt niſi in analogia ad formam, cui primò attribuitur.

Item arguitur, ſi materia haberet *eſſe* per ſe ſine forma, tunc compoſitum non eſſet verè vnum, quia haberet in ſe plura *eſſe*.

COMMENTARIVS.

b *Reſponſio ſecundum illos.* Hìc Doctor primò recitat opinionem Alberti Magni, & Richardi, qui ponunt materiam primam nullo modo diſtingui à forma, & ſic habẽt dicere, quòd materia prima non poteſt exiſtere ſeparata à forma, quia tunc ſequeretur quòd idem poſſet ſeparari à ſeipſo, ſed hæc opinio improbata eſt ſuprà *quæſt. 1. huius diſtinctionis.*

c *Alij dicunt materiam habere realitatem,* &c. Sed hæc opinio improbata eſt vbi ſuprà, vbi probatum eſt, quod dicit entitatem realem actualem extra ſuam eſſentiam.

SCHO

SCHOLIVM.

Materiam ſeparabilem eſſe à forma, probat Scotus. Primò, eſt abſolutum prus illa. Secundò, abſolutum quod facit Deus per cauſam ſecundam poteſt per ſe facere. Tertiò, quod ſe ſolo creat, ſe ſolo conſeruare poteſt. Quartò, materia non determinat ſibi formam in ſpecie, ergo nec in genere: ſeparata ſi eſſet, & intra vniuerſum eſſet in loco definitiuè. Vide hîc latè in Reportat. vbi Doctor tractat de materia per 8. quæſt.

RESpondeo ad quæſtionem [d], tenendo vt in priori quæſtione dictum eſt, rem materialem eſſe compoſitam ex duobus, quæ ſunt partes rei compoſitæ; & quòd ſemper aliquid generati præexiſtit generato, ſub forma corrumpendi; Dico, quòd non eſt contradictio materiam eſſe ſine forma quacunque ſubſtantiali, & accidentali, quod probo: Abſolutum diſtinctum, & prius alio abſoluto, poteſt eſſe ſine contradictione, ſine illo: materia eſt ens abſolutum diſtinctum, & prius forma quacunque, ſubſtantiali ſcilicet & accidentali: igitur poteſt eſſe ſine alio abſoluto, ſiue ſine forma ſubſtantiali, vel accidentali abſoluta. Maior declaratur: nam ideò ponitur ibi *abſolutum*, ad excludendum correlatiuum, quia in his eſſet inſtantia, *prius* ponitur ibi ad excludendum ſimultatem originis, quæ includit etiam ſimultatem correlatiuorum. Minor etiam probata eſt ſuprà *in quæſt. præcedenti.* Quòd enim materia ſit quid abſolutum ſatis patet; quia facit compoſitionem realem, & abſolutam, quòd autem ſit prior forma, ſaltem naturâ, & origine, patet, quia eſt receptiuum formæ, & fundamentum eius: ſed receptiuum, & fundamentum formæ eſt prius forma. 3.

Vide Hen. quodl. 1. q. 10. Abſolutũ prius alio, poteſt eſſe ſine eo.

Prius origine creatur materia, quam forma.

Hoc etiam confirmatur per Auguſtinum, qui 13. *Confeſ.* dicit quòd prius origine terminatur creatio ad materiam, quàm ad formam; licèt ſecundùm eum, primò fuerit creata cum forma.

Quod facit Deus per cauſam ſecundam facere poteſt per ſe, ſi cauſa nõ ſit de eſſentia cauſati.

Item [e] quidquid Deus abſolutum facit in creaturis mediante cauſa ſecunda, poteſt facere ſine illa cauſa ſecunda, quæ non eſt de eſſentia cauſati: ſed forma eſt cauſa ſecunda, quæ non eſt de eſſentia materiæ, inquantùm materia eſt, mediante qua Deus dat *eſſe* materiæ: ergo Deus ſine illa, poteſt facere materiam. Quòd autem forma non ſit de eſſentia materiæ, patet, quia aliter adueniente alia, & alia forma, eſſet alia & alia eſſentia materiæ.

Item, quod Deus immediatè creat [f] immediatè conſeruat, vel poteſt conſeruare: ſed materia eſt terminus creationis etiam ſecundum alios, & ſic immediatè creatur à Deo, vt probabo: ergo, &c. Quia ex quo materia eſt aliquid primum in entibus, non poteſt ſubeſſe cauſalitati alicuius creaturæ: ſimiliter cùm non poſſit produci niſi per creationem, & nulla creatura poteſt creare, vt probabitur *in prima quæſt. quarti*, ſequitur neceſſariò quòd ſolus Deus eam creat; ſed entitas abſoluta, quæ eſt à ſolo Deo, ſine alia aliqua entitate abſoluta poſteriore poteſt conſeruari à Deo; quia Deus ſine omni abſoluto quod non eſt de eſſentia rei, & quod eſt poſterius ipſa re, poteſt rem conſeruare. 4.

De quo 1. d. 8. q. vlt.

Item, non eſt neceſſe Deum velle [g] aliquid aliud à ſe abſolutè, & de neceſſitate: ergo ſi vult neceſſariò formam eſſe, ad hoc quòd velit materiam eſſe: hoc non eſt ſimpliciter; ſed propter neceſſariam connexionem materiæ ad formam: ſed non eſt talis neceſſitas abſoluta connexionis materiæ ad formam. Probo, quia ſi eſt neceſſitas abſoluta connexionis materiæ ad formam vt tu dicis; igitur materia ſibi determinat aliquam formam de neceſſitate. Probatio conſequentiæ, Quod determinat ſibi aliquod genus, determinat ſibi aliquam ſpeciem in genere illo; & omne quod determinat ſibi ſpeciem, de neceſſitate determinat ſibi *eſſe* in aliquo vno individuo iſtius ſpeciei: vt omne quod de neceſſitate eſt homo, eſt hic homo, vel ille: ſed materia non determinat ſibi de neceſſitate hanc formam, vel illam: manifeſtum eſt: ergo nec totum genus formæ.

Determinãs ſibi genus, determinat ſibi ſpeciẽ eius.

1. Phyſ. t. c. 63. & 69.

Confirmatur, quicquid contingenter ſe habet ad quodlibet cuiuſlibet generis abſoluti habet ſe contingenter ad illud genus abſolutum: hoc patet: ſed materia contingenter ſe habet ad quamlibet formam: ergo & contingenter ſe habet ad totum genus formæ. Probo etiam, quòd ſi de neceſſitate abſoluta materia determinat ſibi genus formæ; quòd neceſſariò determinat ſibi vnum ſolum illius generis; quia vnum eſſentialiter vnum, & ſingulare, eſt impoſsibile dependere eſſentialiter, à pluribus eiuſdem generis: ſi ergo materia neceſſariò determinat ſibi totum genus formæ;

hoc

hoc eſt,quia neceſſariò determinat ſibi aliquod vnum illius generis;quod falſum eſt: ſi igitur contingenter ſe habet ad totum genus formæ, poteſt virtute diuina eſſe ſine forma.

5. Et ſi quæras [h] vbi eſſet illa materia ſine forma? Dico,quòd ſicut Angelus, qui non eſt quantus, eſt in loco aliquo definitiuè, non circunſcriptiuè, ſuppoſito quòd ſit in vniuerſo,ſi tamen fieret extrà vniuerſum,vbi locus non eſt,non eſſet in loco definitiuè:ſic materia,ſi fieret in vniuerſo ſine forma, eſſet definitiuè alicubi: ſi autem fieret extra vniuerſum,nuſquam eſſet localiter,vel definitiuè: tamen eſſet natura quædam abſoluta. *Materia ſeparata eſſet in loco definitiuè.*

Si quæras etiam [i], an habeat partes? Dico, quòd partes ſubſtantiales habet: illas enim non habet per quantitatem. Si dicas,quòd eſt ens in potentia, ergo ſi conſeruetur ſine forma, *eſſe* erit ſibi accidens. Dico, quòd falſum eſt, quia ſicut homo eſſentiam propriam habet extra omnem intellectum, ſic & *eſſe*,& tunc etiam haberet illud *eſſe*, ſicut & eſſentiam. Si etiam dicas, materia ſic exiſtens ſine forma, habet ſaltem reſpectum ad Deum conſeruantem:igitur habet aliquam formam. Dico,ſicut dictum eſt ſuprà *diſt. prima*, quòd ille reſpectus eſt idem realiter cum materia, nec eſt forma addita: quælibet enim eſſentia creata, non eſt aliud, quàm dependentia ſui ad Deum. *Materia habet partes ſubſtantiales.* *q.4.& 5.*

6. Ad argumenta principalia [k] Ad primum, *quanto aliqua ſunt magis*,&c. Dico, quod procedit de vnitate identitatis, quâ aliqua dicuntur vnum, quia idem realiter: non de vnitate vnionis aliquorum in tertio,ſicut ex materia, & forma fit vnum tertium, ſcilicet compoſitum. Si intelligitur primo modo, tunc maior propoſitio eſt vera:ſi ſecundo modo eſt falſa. Vel ſic,ſi maior intelligatur de vnione identitatis aliquorum inter ſe,minor eſt falſa;ſi autem intelligatur maior de vnione aliquorum in tertio, ſic maior eſt falſa,quia illo modo in maximè dependentibus,non poteſt eſſe ordo ad aliquod vnum,& in quibus eſt minima dependentia poſſunt ordinari ad aliquod vnum, ſiue ad vnionem totius. *Ad arg.1. Qua magis ſunt vnum ſunt minus ſeparabilia explicatur.*

Ad aliud dico,concedendo maiorem:quia non video quin eſſe in alio ente,ſit inferius,quàm eſſe in ſe,& quin ſit magis imperfectionis dependere, quàm non dependere. Et ideò dico,quòd omne *eſſe* cuiuſcunque alterius generis à ſubſtantia, ſcilicet accidentis,eſt imperfectius quocunque quod eſt pars ſubſtantiæ,ſicut eſt materia. Et tunc ad Auguſtinum,qui communiter hic allegatur, *Duo feciſti Domine, vnum prope te*, &c. Dico,quòd loquitur de ordine entium in genere ſubſtantiæ,& ibi eſt Angelus ens ſupremum,& materia ens infimum. *12. Confeſſionum c. 32.*

Sed dices [l]: Nihil alterius generis poteſt eſſe ſuperius Angelo: ergo nihil alterius generis poteſt eſſe inferius materia prima. Dico,quòd non eſt ſimile: ideò enim non eſt ſuperius, quia nullum genus eſt ſuperius genere Subſtantiæ: ſed alia genera ſunt inferiora. Vtrùm autem poſſet fieri in genere Subſtantiæ aliquid inferius,de hoc eſt dubium. *Materia quomodo prope nihil? Vide Var. in 2.d.9. q. 3.*

Ad tertium dico, quòd nullæ priuationes ſunt oppoſitæ in eodem: niſi ſint priuationes formarum oppoſitarum immediatarum, circa idem de neceſſitate ſequentium,& ſi ſic ſit;tunc dico quòd priuationes ſic ſunt incompoſsibiles, ſic enim ſe habent formæ oppoſitæ,quòd ſi ſuſceptiuum habet vnam,caret alia,& è conuerſo; alias eſſet contradictio, ſi formæ conſequerentur ſuſceptiuum de neceſsitate, & tamen poſſet eſſe ſine eis, Sed circa [m] materiam nullæ formæ ſic ſunt ſimpliciter immediatæ,licèt aliquæ ſint immediatæ reſpectu agentis naturalis,quod non agit,niſi in quanto;& per conſequens ſimpliciter,& immediatè non poteſt attingere ad nudam eſſentiam materiæ; nec etiam Deus poſſet facere materiam ſine forma, ſecundùm Ariſtotelem. Sed hoc fuit pro tanto, quia ipſe poſuit neceſſariam connexionem cauſarum, ita quod impoſsibile eſt,ſecundùm eum primas cauſas agere ſine ſecundis, ſiue cauſam omnino primam,ſine ſecunda cauſa;ſed ſi hoc negaſſet, habuiſſet ponere ſecundùm ea,quæ poſuit de materia,quod potuiſſet eam Deus feciſſe ſine forma. *Vide Rica. de media villa quodl 4.q.4. Quæ priuationes ſunt neceſſario oppoſitæ. Vide in 4. diſt.12. ad propoſitum.*

COMMENTARIVS.

1. d *Reſpondeo ad quæſtionem*, &c. *Abſolutum diſtinctum,& prius alio abſoluto,poteſt eſſe ſine contradictione ſine illo*; ſed materia prima eſt ens abſolutum, realiter diſtincta à qualibet forma abſoluta, & prior illa. Maior probatur,quæ vt clariùs intelligatur, adduco aliquas inſtantias.

Prima, quia intellectio diuina eſt quid abſolutum,

turum, & realiter diſtincta à relatione rationis cauſata ab intellectu diuino, & tamen non poteſt remanere ſeparata ab illa, vt patet ſuprà à Doctore *diſt. prima huius.*

Secundò, quia ſuſtinendo quòd Pater in diuinis, vel perſona Patris eſt quid abſolutum in ſe, ſiue ſuppoſitum abſolutum, ad quod Doctor videtur declinare *in primo, diſt.* 26. Certum eſt quòd illud ſuppoſitum eſt prius ſuppoſito Filij, & realiter ab illo diſtinctum, igitur poterit eſſe ſine illo, quod tamen eſt impoſſibile.

Dico ad primum, quòd non eſt ſimile, quia talis intellectio realiter diſtinguitur, tamen non poteſt ſeparari, quia ipſa cauſa productiua talis entis rationis de neceſſitate cauſat, vt patet à Doctore vbi ſuprà. Non eſt igitur repugnantia ex parte intellectionis, ſed eſt repugnantia ab intrinſeco neceſſariò conſequente poſterius, tamen non eſt repugnantia ex parte materiæ, neque ex parte agentis ſupernaturalis, cùm illud merè agat, & liberè conſeruet.

Ad ſecundum dico primò, quòd loquitur Doctor de diſtinctis verè realiter, quæ non tantùm diſtinguuntur in perſona, & proprietate, ſed diſtinguuntur etiam in natura, ſicut Franciſcus, & Ioannes: modò in propoſito, etiam ſuſtinendo quòd perſonæ diuinæ ſint abſolutæ, non tamen propriiſſimè diſtinguuntur realiter, cùm includant eandem eſſentiam ſingulariſſimam.

Secundò dico, quòd iſta repugnantia non eſt ab intrinſeco: non enim ex hoc, quòd perſona Patris eſt talis perſona abſoluta repugnat ſibi ratione ſuæ entitatis formaliter eſſe ſine perſona Filij, quia ſi (per poſſibile, vel impoſſibile) eſſet tantùm vna perſona eſſet perfectiſſima æquè ſicut nunc, vt patet ſuprà *in primo, & in ſecundo, diſt.* 1. *quæſt.* 1. ſed iſta repugnantia eſt quodammodo ab intrinſeco, quia memoria fœcunda eſt de ſe ratio formalis neceſſariò producendi Filium, vt patet *in primo, diſt.* 2. *& d.* 8. & quia illa perfectiſſimè reperitur in Patre, ideò Pater mediante illa neceſſariò producit Filium; non poteſt igitur eſſe perſona abſoluta Patris ſine perſona abſoluta Filij, quamuis ſit prior propter neceſſariam productionem ipſius Filij, & propoſitio Doctoris ſic debet intelligi: abſolutum realiter diſtinguitur ab alio, & prius eo quantùm eſt ex parte ſua, & ratione ſua entitatiua poteſt exiſtere ſine tali poſteriori, & quòd detur aliquod abſolutum quod ſic non poſſit exiſtere, hoc non erit propter rationem ſuam formalem, & intrinſecam, ſed magis per aliam rationem extrinſecam.

2. *Quomodo materia ſit ens abſolutum.*

e *Item quicquid Deus*, &c. Hæc eſt ſecunda ratio principalis. Vt iſta ratio clariùs intelligatur Doctor ſupponit aliqua. Primò, quòd ipſa materia ſit ens abſolutum: patet, quia compoſitum conſtitutum ex materia, & forma eſt verè ens abſolutum; ergo partes intrinſecè conſtituentes ſunt abſolutæ. Secundò, ſupponit quòd actio diuina priùs terminetur ad materiam, quàm ad formam: patet, quia ipſa præſupponit vt receptiua formæ. Tertiò, ſupponit quòd ipſa forma non dat *eſſe* eſſentiale materiæ, vt patet in litera. Si modò intelligeretur quòd *eſſe* exiſtentiæ materiæ, eſſet effectus formalis ipſius formæ, informantis materiam, argumentum non concluderet, quia à nulla potentia poteſt fieri effectus formalis alicuius *eſſe* ſine illa, & multò minùs exiſtere, impoſſibile enim eſt album eſſe ſine albedine: ſupplet enim Deus omnem cauſam ſecundam, ſcilicet effectiuam, & finalem, ſed non formalem, quia ſupplendo cauſam formalem eſt *eſſe* illius, ſi intelligatur quòd *eſſe* exiſtentiæ materiæ ſit cauſatum ab ipſa forma adueniente materia, argumentum concluderet, quia Deus poſſet dare ſibi tale *eſſe* abſque forma, cùm poſſit ſupplere cauſalitatem cuiuſcunque cauſæ ſecundæ. Sed iſte non eſt ſenſus literæ, quia forma in materia nihil cauſat, vel efficit, vt patet à Doctore *in iſto* 2. *diſt.* 25. dat enim tantùm tale *eſſe* formale.

Si verò ſic intelligatur quòd ipſa materia prima non poteſt produci in *eſſe* actuali exiſtentiæ, & non poteſt habere illud, niſi actu ſit forma. Contrà, quia creatio diuina priùs terminatur ad *eſſe* exiſtentiæ materiæ; ergo poteſt conſeruare illud abſque omni alio, quod non pertinet ad *eſſe* illius, & quod eſt poſterius, & realiter diſtinctũ, ſed fortè ad mentem illorum, qui dicunt quòd totum *eſſe* eſt à forma, ſi intelligunt illud *eſſe* ipſam formam, ſequitur quòd materia in ſe nihil eſt, cuius contrarium probatum eſt in iſta diſtinctione, quæſt. 1. Si verò intelligant, quòd ipſa forma cauſat *eſſe* in materia ſtat ratio Doctoris.

f *Item quòd Deus immediatè creat, immediatè conſeruat, vel poteſt conſeruare: ſed materia eſt terminus creationis*, vt patet per Auguſtinum 13. Confeſſ. & ſic immediatè creatur à Deo. Tum, quia non poteſt ſubeſſe cauſalitati agentis creati, cùm ſit ſimpliciter primum in entibus. Tum, quia non poteſt produci, niſi per creationem, & nulla creatura poteſt creare, vt probat Doctor *in quarto, diſt.* 1. *quæſt.* 1. & ſic ſequitur quòd à ſolo Deo ſit creata: tunc vltrà, ſed entitas abſoluta, quæ eſt à ſolo Deo ſine aliqua alia entitate abſoluta, à poſteriori poteſt immediatè conſeruari à Deo, quia ſicut Deus poteſt creare *A* ſine *B*, ita poteſt ipſum conſeruare ſine *B*. Si enim poteſt creare aliquod prius abſolutum ſine aliquo poſteriori, à quo realiter diſtinguitur, poteſt etiam illud conſeruare ſine tali poſteriori, cùm à tali poſteriori nullo modo dependeat, nec in *eſſe*, nec in *conſeruari*. Tum, etiam, ſi poteſt creare materiam primam in aliquo inſtanti priori ſine forma, poteſt etiam ipſum conſeruare pro quocunque inſtanti priori ſine forma, quia conſeruare rem, & eandem creare ſunt penitus idem ex natura rei, vt ſuprà patet diſtinct. 2. quæſt. 1. patet etiam in quodlib. quæſt. 12.

g *Item non eſt neceſſe Deum velle aliud à ſe abſolutè, & de neceſſitate*, vt clarè probat Doctor in primo, diſt. 8. quæſt. vlt. *Si ergo vult neceſſariò formam eſſe ad hoc, quòd velit materiam eſſe*, &c. patet, quia ſi non poteſt velle materiam eſſe ſine forma, hoc erit, quia inter materiam, & formam eſt ſimpliciter neceſſaria connexio; *ſed non apparet talis neceſſitas*, &c. *& quod ſibi determinat aliquam ſpeciem, ſibi determinat aliquod indiuiduum illius ſpeciei*, Patet iſta, quia ſi Franciſcus neceſſariò determinat ſibi animam ſenſitiuam, ſibi neceſſariò determinat hanc animam ſingularem, ita quòd ſicut impoſſibile eſt ipſum eſſe ſine anima, ita eſt impoſſibile eſſe ſine hac anima: ergo ſi materia prima determinat ſibi genus formæ, de neceſſitate ſequitur, quod determinat ſibi aliquam formam, ſine qua impoſſibile eſt ipſum eſſe, & ſic patet iſta ratio cum confirmatione ſequenti, quæ in re eſt eadem cum iſta ratione.

Contra

Contra hanc rationem nonnulli inſtant, dicentes, quòd corpus determinat ſibi locum, & tamen non ſequitur quòd determinet ſibi hunc locum, vel illum. Et ſimiliter, & ſubſtantia materialis determinat ſibi genus quantitatis, & tamen non ſequitur quod ſibi determinet hanc quantitatem.

Dico breuiter, quòd iſtæ inſtantiæ nihil valent, quia Doctor loquitur de determinatione ſibi neceſſaria; ſi enim corpus determinaret ſibi locum de neceſſitate eſſet in tali, vel tali loco, ſed quia contingenter determinat ſibi locum, ideò contingenter poteſt eſſe in tali, & tali loco, & ſic poteſt eſſe in omni loco, vt ſuprà patet *diſt. 2. q. 5.* & clariùs *in q. 11. quodlib.* Hoc idem dico de quantitate.

Vbi eſſet materia ſine forma.

h *Et ſi quæras, vbi eſſet illa materia ſine forma.* Hæc litera eſt ſatis clara, eſſet enim in loco tantum definitiuè, ſicut & ſubſtantia Angeli eſt in loco definitiuè, vt ſuprà patet *diſt. 2. quæſt. 5.* & ſi ipſa fieret extra vniuerſum in nullo loco eſſet definitiuè, ſicut nec Angelus ſi fieret extra vniuerſum.

i *Si quæras etiam, an habeat partes?* Dicit Doctor quòd habet partes ſubſtantiales, ſiue entitatiuas, & non haberet illas per quantitatem, cùm ponatur ſeparata à quantitate.

Si dicas, quod eſt ens in potentia, &c. Dicit, *quòd hoc eſt falſum, quia ſicut homo habet eſſentiam propriam extra omnem intellectum, ſic & eſſe*, id eſt, quòd ſicut habet eſſentiam propriam in *eſſe* reali, & actuali, ita exiſtentiam propriam in *eſſe* reali, & actuali, cùm ponatur gradus eius intrinſecus, vt ſuprà expoſui diſtinct. 3. quæſt. 1.

Si etiam dicas, materia ſic exiſtens ſine forma, &c. Dicit Doctor quòd talis reſpectus eſt idem realiter materiæ, vt ſuprà patuit, *diſt. 2. quæſt. 5.* in propoſito autem loquitur de forma realiter diſtincta ab ipſa.

5. Sueſſanus non intellexit Scotum.

Multi niruntur reprobare poſitionem Doctoris, inter quos eſt magiſter Auguſtinus Sueſſanus *in ſua Phyſica*, primò, quòd materia dicit aliquam entitatem realem realiter diſtinctam ab omni forma naturali, & ſecundò, quòd ipſa materia poteſt exiſtere ſine forma. Sed nec rationes Doctoris fideliter replicat, & minimè eius argumenta concludunt, vt patet intuenti illa in ſua phyſica; tamen pro iunioribus adduco illas ſingillatim eas ſoluendo. Prima ergo ratio principalis, ſecundùm iſtum, ad probandum, quòd materia ſit ens reale realiter diſtinctum à forma, erat, quòd ipſa eſt ſubiectum tranſmutationis, & manet eadem ſub vtroque termino, vt declaratum fuit ſuprà: ſed ipſe arguit ſic: ſubiectum in tranſmutatione ſubſtantiali non manet idem ſecundùm *quid*, cùm tranſmutatur ab vno accidente ad aliud: ergo materia prima, quæ eſt ſubiectum in tranſmutatione ſubſtantiali, manebit eadem ſecundùm *eſſe* ſimpliciter. Argumentum concludit à maiori, ſed negatur antecedens, & probatur ab ipſo, quia ſubiectum in tranſmutatione accidentali non manet idem ſecundùm *quid*, ſed variatur ſecundùm aliud, & aliud accidens: ſed hoc non valet, quia ſubiectum in tranſmutatione ſubſtantiali non manet idem ſecundùm *quid*, & manet idem ſimpliciter, & non ſecundùm *quid*: nam idem homo albus aliquando eſt albus, aliquando niger. Si dicat, quia album fit ex nigro, vt patet *ex primo Phyſic.* & tamen nigrum non manet idem, vt patet, hoc nihil eſt, quia aliud eſt fieri aliquid ex aliquo, tanquam ex oppoſito, & aliud eſt fieri tanquam ex ſubiecto. Primo modo non manet idem, ſed benè ſecundo modo, & hoc ſatis fuit dictum ſuprà *diſt. iſta. quæſt. 1. & in primo, diſt. 2.* & ſic dico de tranſmutatione ſubſtantiali, quòd illud, ex quo fit aliquid, tanquam ex oppoſito, non manet ſimpliciter idem: ſed illud, ex quo fit aliquid ex ſubiecto trãſmutationis ſimpliciter manet idem. Si etiam intelligat, quòd ſubiectum in tranſmutatione accidentali non manet idem quantùm ad reſpectum, quem priùs habuit, puta ad albedinem, quando fit ſub nigredine, admittitur: ergo non manet idem ſecundùm *eſſe* ſuum abſolutum, negatur conſequentia. Hoc idem dico de materia.

Primo Phyſ. contex. 43.

Si verò dicat quòd ſubiectum tranſmutationis accidentalis dicitur ſubiectum ſecundùm *quid*, & ſubiectum tranſmutationis ſubſtantialis eſt ſubiectum ſimpliciter in ſe loquendo; Dico, quòd primum eſt magis ens, quàm ſecundum, cùm primum ſit ſubſtantia completa, & ſecundum ſubſtantia incompleta, quæ eſt materia: & huiuſmodi ſubſtantia ſemper manet eadem. Si verò dicatur ſecundùm *quid* ratione termini recepti, tunc verum eſt quòd ſubiectum primo modo eſt ſubiectum ſecundùm *quid*, cùm dicatur ſubiectum tantùm reſpectu accidentis recepti, & aliud ſimpliciter, cùm recipiat formam ſubſtantialem; ſed quomodocunque accipiatur iſta ſubſtantia, in ſe, & ſecundùm *eſſe* reale, ſemper remanet eadem.

6. Materia eſt ens abſolutũ.

Secundò arguit ad idem, & dicit quòd ſi materia eſſet verè ens abſolutum, & exiſtens, habens proprium *eſſe*, tunc non eſſet vna numero per priuationem omnium formarum, quod eſt contra Ariſtotelem 10. *Metaph.* vbi Auerroës *comm. 28.* dicit quòd materia cognoſcitur negatiuè, & vult ibi, quòd Commentator dicat quòd cognoſcatur vna numero per negationem omnium formarum: ſed hoc nihil eſt, quia materia prima eſt verè vna numero per propriam hæcceitatem: ſed pro ſtatu iſto non poteſt cognoſci in ſe, & quomodo cognoſcatur à nobis quòd ſit vna numero, patet quòd per negationem omnium formarum. Et quia videtur quòd ipſa forma diſtinguat materiam. Dico, quòd ſi materia eſt ſeparata ab omni forma, & poſito quòd ſit vna numero per negationem omnium formarum, id eſt, quòd cognoſcatur ſic, ergo in ſe non eſt vna numero, negatur: non enim vult Ariſtoteles neque Commentator quòd vnitas numeralis materiæ ſit tantùm carentia, vel priuatio formæ, quia tunc eſſet ſimpliciter nihil: ſed vult quòd ex hoc cognoſcatur diſtincta numero propter diſtinctionem formarum, & ſic materia cognoſcitur per tranſmutationem formæ, & tamen in ſe eſt etiam cognoſcibilis, vt patet ſuprà. Ita vult quòd cognoſcatur vna numero per negationem cuiuſcunque formæ, ſed non vult quòd negatio formæ ſit ratio formalis, quare materia ſit vna numero, & ſic decipitur hîc. Aliud enim eſt dicere, quòd hoc cognoſcitur per *A* ergo eſt aliud *A*: & aliud eſt dicere habet *eſſe* tale per *A*. Patet, quia ſubſtãtia cognoſcitur per aliquod accidẽs, loquendo de aliquali cognitione ſemper; ergo ſubſtantia habet *eſſe* per accidens, hoc falſum eſt, & ſic materia

Quomodo materia ſit verè vna numero.

Materia in ſe eſt cognoſcibilis, non ab intellectu viatoris.

cognoſcitur vna numero negatione formarum, vt dicit Ariſtoteles & Commentator *vbi ſuprà*; ergo habet *eſſe* vnum ſolùm per negationem formarum, ita quòd talis negatio ſit ratio formalis conſtituendi illud in *eſſe* numerali, nec Ariſtoteles, nec Commentator hoc dicunt, & multò minùs ab eorum dictis elici poteſt.

Tertiò arguit contra illam rationem, quâ probat Doctor quòd materia ex quo cauſat compoſitum abſolutum reale, ergo materia habet *eſſe* poſitiuũ, & abſolutum, ita quòd ſicut forma nec in ſuo *eſſe*, nec in cauſando compoſitum depẽdet a materia, ita ſimiliter nec materia in ſuo *eſſe* nec in cauſando compoſitum dependet à forma, ergo habet proprium *eſſe*. Iſte arguit non intelligẽdo mentem Doctoris, quia accipit iſtam maiorẽ, Illa quæ ſunt ex æquo principia, & cauſa alicuius effectus, in ſuo genere cauſæ, neutrum, quantùm ad ſuum *eſſe*, dependet ab alio: ſed dominus Auguſtinus addit iſtam minorem: Agens, & finis ſũt cauſæ rerum naturalium ex æquo, quælibet in ſuo genere cauſæ, quod admitto: addit, ergo neutrum ſecundùm *eſſe* dependet ab alio, & ſic efficiens ſecundùm ſuum *eſſe* non dependet à fine, nec finis ab efficiente quod eſt contra Ariſtotelem 2. *Phyſic. tex. commen.* 30.

Quomodo cauſet cauſa finalis.

Dico, quòd efficiens quantùm ad ſuum *eſſe* nullo modo depẽdet à fine, vt à cauſa finali, quia cauſa finalis tantùm cauſat metaphoricè, ſcilicet inquantùm amata, & deſiderata, vt expoſui ſuprà, *in ſecunda diſtinctione primi*, nec finis quantùm ad ſuum *eſſe* in cauſando dependet ab efficiente, cùm finis inquantùm cauſa finalis, ſit prior efficiente; & ſi loquatur de fine producto, de quo ibi Ariſtoteles, talis finis productus non eſt cauſa finalis, quia cauſa finalis, vt huiuſmodi, præcedit efficiens, & omnẽ effectum efficientis productum propter illum finem, propter quem agit, vt eſt cauſa finalis; & ſic patet qũòd non intelligit nec mentem Doctoris, & multò minùs, &c.

8. Quartò arguit contra iſtam rationem, quâ probatur materiam habere verum *eſſe*, & proprium, quæ talis eſt; Omne prius abſolutum habet *eſſe* ſine poſteriore; ſed materia abſoluta, & prior forma, & compoſito, habet *eſſe* abſolutè, & non ab ipſa forma. Licet Doctor faciat hanc rationem, quã tenet, quòd ſcilicet materia poſſit exiſtere ſeparata ſine forma, non tamen facit iſtam, probando abſolutè quòd materia habet proprium *eſſe* ſine forma, quia hoc probauit aliis rationibus: & ſic patet, quòd non adducit hanc rationem ad mentem Scoti, quia præſupponit Scotus in iſta ratione, quâ vult probare quòd materia poſſit exiſtere ſine forma, quòd illa habeat proprium *eſſe* abſolutum prius ipſa forma, ſi tamen iſta ratione vtitur Auguſtinus ad probandum pro opinione Scoti quòd materia prima habeat proprium *eſſe*, ipſe addit vnam minorem ad maiorem; *omne prius abſolutum*, &c. ſed forma elementaris eſt prior abſoluta in materia, ipſis primis qualitatibus, & diſtincta realiter ab illis; ergo habet *eſſe*, & exiſtentiam propriam independentem ab ipſis qualitatibus. Conſequens eſt contra Ariſt. 2. *de Generat.* & etiam contra eos, aliter non implicaret contradictionem, formam elementarem eſſe, & exiſtere in materia ſine primis qualitatibus, quod Ariſtoteles derideret, & ita hæc poſitio non eſt peripatetica. Sed valde miror, quia Scotus expreſsè vult, quòd talis ſeparatio materiæ à forma ſit tantùm per voluntatem diuinam, & non per potentiam naturalem, & ſic non dicit quòd hæc poſitio ſit peripatetica, & ſic concedo quòd Deus poſſet facere formam elementarem in materia, puta formam ſubſtantialem ignis ſine omni qualitate elementari; ſi tamen talis qualitas diſtinguatur realiter, & idem concedo de omni alio abſoluto priori, & realiter diſtincto à poſteriori abſoluto.

Scotus loquitur de poſſibili, non de facto.

9. *Sueſſanus nõ percipit mentem Doctoris.*

Deinde Auguſtinus arguit contra rationes Scoti probantis, quòd materia poſſit exiſtere ſine forma per diuinam potentiam, & dicit, quòd illæ rationes Scoti ſunt Theologicæ, & ſic intromittit ſe arguendo contra rationes Theologicas, & arguit primò contra ſecundam, quæ talis eſt: *Quicquid poteſt Deus facere mediante cauſa ſecunda*, &c. ipſe arguit non intelligendo rationem Doctoris & addit iſtam minorem; ſed Deus facit parietem album mediante albedine: ergo poteſt facere ipſum album ſine albedine, & patet quòd non intelligit hanc rationem, quia Doctor non dicit quòd Deus poſſit facere effectum formalem ſine ſua cauſa formali, vt patet ſuprà in exponendo rationem. Addit etiam Auguſtinus: ſed calor poteſt calefacere, & efficere ignẽ formaliter calidum; ergo Deus poterit facere ignem calidum ſine calore, quod eſt cõtra eos, quia non poteſt Deus ſupplere vicem, vt ipſi dicunt, cauſæ formalis: ſed patet quòd non intelligit rationem Doctoris: & ſecundò verba ſua implicant. Cùm dicit quòd calor poteſt calefacere, & facere ignem calidum: nam effectus formalis non dicitur effectiuè fieri à forma; non enim albedo effectiuè producit album, ſed agens producens albedinem in ſubiecto producit album: albedo enim reſpectu albi tantùm concurrit, vt cauſa formalis, & nullo modo vt cauſa effectiua; & ſic patet, quòd verba ſua implicant.

10. Deinde arguit contra tertiam, quæ talis eſt: *Quicquid Deus poteſt immediatè producere diſtinctum ab alio, poteſt ipſum conſeruare ſine alio*, & ipſe addit hanc minorem: ſed Deus de facto creat omnes animas brutorum in materia ſine diſpoſitionibus qualitatiuis, & quantitatiuis apud eos in eodem libro, cùm ab agente naturali ſint; ergo illas poteſt conſeruare in materia ſine diſpoſitionibus qualitatiuis, & quantitatiuis, quod eſt falſum. Sed iudicio meo oportuiſſet, ipſum melius vidiſſe doctrinam Scoti, non enim dicit, quòd Deus creat animas in materia ſine diſpoſitionibus, vide expreſsè, vbi tractat hanc materiam *diſt.* 18. *ſecundi.* quem locum ipſe allegat, cùm huiuſmodi materiam in nullo alio loco huius ſecundi tractet. Patet etiam *in* 4. *diſt.* 10. contra opinionem illorum, qui volebant, quòd corpus Chriſti in Euchariſtia eſſet reductum ad minimam quantitatem, & ſubtiliùs in 4. *diſtinct.* 12. Si tamen hoc Doctor diceret, quòd poſſet facere animam, puta equi in materia ſine huiuſmodi diſpoſitionibus, non eſſet inconueniens, vt ipſe dicit, quòd poſſit eam conſeruare. An modò Deus poſſit facere huiuſmodi animas in materia ſine talibus diſpoſitionibus eſt alia difficultas. Et quod dicit, quòd creat ipſas animas ſine diſpoſitionibus huiuſmodi, cùm illæ ab agente ſunt: Si intelligit quòd Deus producit ipſas formas in materia vltimò diſpoſita ab agente naturali, quod concedit Doctor *in* 2. *diſt.* 18. & quòd ipſe Deus

non

non efficiat illas diſpoſitiones, tranſeat; ſed non ſequitur poſtea, ergo Deus poteſt facere ipſas animas in materia nullo modo diſpoſita: quia licèt Deus poſſit creare ipſam animam, & ſimul creare diſpoſitiones conuenientes in materia, ſi tamen creat ipſam animam, non creando huiuſmodi diſpoſitiones neceſſarias. Dico, quòd nunquam creat animam in materia ipſam informando, niſi priùs talis materia ſit diſpoſita, vel ab agente naturali, vel ſupernaturali. *Nota.*

II. Item arguit contra quartam rationem, quæ talis eſt, quòd ſi materia determinat ſibi formam de neceſſitate, ergo determinat ſibi aliquam de neceſſitate: patet, quia ſi determinat ſibi genus de neceſſitate, ergo de neceſſitate aliquam ſpeciem, & ſi aliquam ſpeciem, ergo aliquod indiuiduum. Addit Auguſtinus: ſed corpus determinat ſibi locum in genere, ergo locum in ſpecie; ergo locum hunc, vel illum, quòd eos concedere non credo. Dico abſolutè, quòd ſi corpus de neceſſitate determinaret locum in genere, de neceſſitate determinaret ſibi hunc locum, vel illum, & ſic concedo quòd ſicut Deus poteſt facere materiam exiſtere ſine omni forma, ita poteſt facere ſubſtantiam corpoream actu exiſtere ſine omni loco, & extra omnem locum, vt patet ſuprà *in diſt.* 2. & expreſsè *in quodlib. q.* 11. Addit Auguſtinus ſic dicens: Amplius addo; Sed *A* corpus continuum limitat ſibi partem diuiſibilem, aliter non eſſet continuum, 6. *Phyſic. &* 1. *de Generat.* ergo limitat ſibi locum in ſpecie; ergo partem aliquam in numero, quòd ipſi, vt credo, non concederent: poteſt enim continuum aliquod, vt *A* adhuc remanere continuum ſine illa parte. Patet quòd nihil concludit contra Scotum: ſi enim intelligit de corpore, puta de ſubſtantia corporea, vt præcedit omnem quantitatem, clarum eſt quòd ſi determinat ſibi quantitatem in genere, quòd etiam hanc quantitatem, vel illam, & ſi non determinat ſibi de neceſſitate hanc, vel illam; ergo nec in genere, & ſic concedo quòd poſſet Deus facere ſubſtantiam corpoream ſeparatam ab omni quantitate & accipio *ſubſtantiam corpoream*, quæ poteſt eſſe immediatè ſubiectum quantitatis, quæ eſt ſubſtantia compoſita ex forma, & materia ſubſtantiali. Si verò accipit *corpus continuum*, vt includit ſubſtantiam corpoream, & quantitatem ſimul, quia continuitas eſt ratione quantitatis, ſi ſic intelligat, quòd corpus continuum, puta bicubitale, determinat ſibi quantitatem in genere, de neceſſitate ſequitur quòd determinaret ſibi tantam partem, puta bicubitalem, & ſi non determinat ſibi illam de neceſſitate, vel aliam, ergo nec in genere, & ſic patet quòd iſtæ rationes Auguſtini ſunt valde friuolæ. *Rationes Sueſſani ſunt debiles.*

12. Deinde arguit contra vltimam, quæ talis eſt: *Quicquid contingenter ſe habet ad aliquod genus, contingenter ſe habet ad aliquam ſpeciem, & contingenter ad aliquod indiuiduum.* Iſta maior eſt Doctoris & vera. Sed ipſe Auguſtinus addit: ſed caliditas contingenter ſe habet ad gradus, ſiue intenſionis, ſiue remiſſionis: ergo poteſt eſſe ſine gradu remiſſionis, vel intenſionis, quod non concederent. Dico, quòd ſi hoc eſſet verum, quòd ſe haberet contingenter ad intenſionem, & remiſſionem, quòd etiam contingenter ſe haberet ad hunc gradum, & hunc; & ſic poſſet fieri ſine omni gradu intenſionis, & remiſſionis. Sed dico abſolutè, quòd non contingenter ſe habet ad totum genus intenſionis, quia fortè aliquis gradus intenſionis erit gradus intrinſecus alicuius indiuidui, qui non diſtinguitur realiter ab eo, cuius eſt gradus, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 8.

Item, dicit Auguſtinus reſpondendo ad argumenta Doctoris concedit quòd ipſa materia habet *eſſe* eſſentiæ, & *eſſe* exiſtentiæ ab ipſa forma, non tanquam à cauſa effectiua, ſed tanquam à cauſa formali: & ſic gloſſat illam propoſitionem Scoti quòd *Deus poteſt ſupplere omnem cauſam ſecundam effectiuam*, & dicit quòd tale *eſſe* materiæ diſtinguitur realiter à forma, & quòd tamen non ſequitur quòd poſſit habere proprium *eſſe* ab illa ſeparata, quia tunc haberet *eſſe* independens. Iſte Doctor, aut contradicit dictis ſuis, aut oportet ipſum concedere quòd ſi materia habet *eſſe* realiter diſtinctum à forma, quòd poſſit eſſe ſine forma. Primum patet, quia ſi vult quòd *eſſe* materiæ ſit effectiuè à forma, contradicit ſibimet, quia concedit quòd Deus poteſt ſupplere cauſam effectiuam: & etiam expreſsè vult ibi quòd ipſa materia habet *eſſe* ſuum à forma: ſicut dicimus quòd album habet *eſſe* ab albedine, quod non poteſt intelligi, niſi de effectu cauſæ formalis: & vltrà, poſito quòd ſibi non contradicat, falſum eſt quòd ipſa materia habeat ſuum *eſſe* à forma, vt à cauſa effectiua, vt ſuprà expoſui, & ſi habet *eſſe* effectiuè à forma, cùm ſit ens abſolutum, & diſtinctum realiter, quare Deus non poteſt facere illam ſine forma? Si vult quòd habet *eſſe* à forma non effectiuè, ſed habet *eſſe* tanquam à cauſa intrinſeca formali ipſius materiæ: ſed hoc non, quia materia tunc verè eſſet compoſita, & corrupta tali forma, corrumperetur talis materia, & ſic generationi naturali nihil ſubiiceretur vt pars intrinſeca ipſius geniti, quod eſt manifeſtè falſum, & improbatur ſuprà *diſt.* 12. *q.* 1. *huius*, quia eſt expreſsè contra Ariſtotelem, vt ibi patuit: & vltrà, ſi ipſa materia nihil aliud eſt, niſi effectus formalis ipſius formæ, tunc corrupta illa forma, corrumpitur & tale; quia corrupta cauſa formali, corrumpitur effectus illius, & ſic nihil materiæ remaneret. *Contradicit ſibi ipſi.*

13. Et ſi vis dicere, vt ipſe dicit, quòd in ipſa parte nos procedimus ex craſſa imaginatione, vel quia habemus imaginatiuam ſupra cogitatiuam, quòd materia, quæ erat cum *A* ſupple cum forma definit eſſe ſecundùm identitatem numeralem poſitiuam, & materia ſub *B* incipit eſſe alia propter aliam vnitatem numeralem poſitiuam, ſupple propter formam ſibi aduenientem, & ſic vult iſte quòd ſeparatâ formâ nihil materiæ remanet, ad quod ſequuntur multa inconuenientia. Quia ſi ipſa materia, vt dicit, vt eſt ſeparata ab omni forma eſt tantùm ens priuatiuum, & nullo modo poſitiuum, ſequitur quòd compoſitum naturale ex materia, & forma tanquam ex partibus intrinſecis erit partim poſitiuum partim priuatiuum, quod negaret Ariſtoteles *primo, Phyſic.* Si dicat, quòd materia, vt eſt in compoſito, habet *eſſe* poſitiuum, aut illud poſitiuum eſt à compoſito, & ſic *eſſe* poſitiuum compoſiti non dependeret à materia, quod eſt falſum; & cùm cauſet compoſitum partialiter, & intrinſecè, cauſat vt prior ipſo; aut ergo vt ens priuatiuum, & tunc compoſitum habebit *eſſe* priuatiuum à materia tantùm; aut vt ens poſitiuum, & habetur propoſitum; aut illud *eſſe* poſitiuum eſt à *Doctrina ſingularis.*

forma,vt cauſat; ergo materia prima, vt cauſat compoſitum,dependet à forma, quod eſt inconueniens.Tum etiã, quia illa forma producta,quę dat tale *eſſe* materiæ,quęro à quo producitur:nõ ab agente naturali,quia tale præſupponit materiam in quam agat,quæ eſt receptiua ipſius formæ,modò priuatio non poteſt recipere formam ſubſtantialem. Tum etiam,quia agens naturale educit formam de potentia materiæ; aut ly *materia* eſt tantùm priuatio, & tunc educeret illam de nihilo.

14. Si dicis, quòd illa priuatio non eſt ſimpliciter nihil,quia eſt negatio in ſubiecto apto nato,quæro tũc in quo fundatur talis negatio, certũ eſt,quòd nõ in alia priuatione, quia quæro de illa alia, & ſic eſſet proceſſus in infinitũ; aut fundatur in ente poſitiuo,& ſic habeo propoſitum,quia illud tale nõ eſt niſi materia. Tũ etiã,ſi agẽs naturale nõ præſupponeret aliquod ens poſitiuum tanquã ſubiectum receptiuũ ſuæ actionis,tunc produceret effectũ de nihilo ſimpliciter,& ſic crearet. Nec valet dicere, quòd præſupponit aliquod oppoſitum,puta ignis aquã,in quã agat,& tale oppoſitũ totaliter deſinit eſſe,quãdo producitur nouus ignis:ſi ſic, ſi aqua totaliter deſinat eſſe, & nihil aquæ poſitiuum remaneat, igitur annihilatur,& annihilans ipſam poſſet creare, quia tanta virtus requiritur in annihilando,quanta in creando, vt probat Scotus *in 4.diſt.1.q.1.& diſt.16.q.2.* Nec valet dicere quòd remanet ens poſitiuum, quia priuatio fundatur in aliquo,vt dixi ſuprà.Non ſequitur etiam quòd ignis producens ſignẽ agẽdo in aquam,tãquam in oppoſitum creat ipſũ, quia nihil ipſi præſupponit, quod pertineat ad *eſſe* ipſius. Et quòd dicatur tantùm præſupponere oppoſitũ quod corrumpat,ad hoc vt agat, & quòd præſupponat materiam tanquam receptiuam formæ,expoſui ſuprà *diſt.12.* & ſic patet quomodo non habemus craſſam imaginationem,ſed lucidiſſimam,& multò minùs imaginatiuam ſupra cogitatiuam, quia non tenemus illam opinionem maledicti Auerroïs quã tener de cogitatiua,& multi eius ſequaces, minùs quàm rectè ſentientes, & quod dicit ipſe, quòd hæc eſt reſponſio Auerrois 10. *Metaph. tex.commen.28.*quòd materia prima,vt eſt ſeparata ab omni forma, eſt vna numero,non tamẽ poſitiuè,hoc expreſsè non habetur ab Auerroë & vide expoſitionem ſuprà, quia vult quòd cognoſcatur materia,quod ſit vna numero per priuationem formarum,vt ſuprà expoſui.

Pulchra doctrina.

15. Deinde reſpondet ad primum argumentum factum à Doctore *in 2.diſt.12. q. 2.* quo probat materiam poſſe exiſtere ſine forma; *Omne abſolutum.*&c. negat minorem, quòd materia ſit ens abſolutum,quia materia, & forma dicuntur ad aliquid,*2.Phyſic. cap.26.* ſed ſalua ſemper pace,ipſe non intelligit, nec Ariſtotelem, nec Commentatorẽ. Quæro enim, aut ſunt ad aliquid eſſentialiter,& ſic tantùm ſunt duæ relationes,& ſic compoſitum naturale conſtitutum ex illis erit tantùm ens reſpectiuum; aut ſunt ad aliquid denominatiuè,ſicut pater,& filius; ergo fundamenta eorum ſunt entia poſitiua abſoluta. Intelligunt enim Ariſtoteles & Commentator quòd ſunt tantùm ad aliquid denominatiuè; ſe habent enim vt recipiens,& receptum. Deinde dicit quòd maior illa nõ eſt vera,niſi de priori,quod nullo modo eſt poſterius; modò materia eſt prior forma in genere ſuo, hoc eſt in genere cauſæ materialis, & poſterior, quia forma eſt prior illa in genere cauſæ formalis.Credo enim quòd ſe nõ intelligat, quia ſi materia eſt prior forma, vt cauſa materialis,quæro quod *eſſe* habet?Aut habet *eſſe* abſolutũ,& habeo intentum; aut reſpectiuũ cauſarũ ab ipſa.Si dicat,quòd illud *eſſe* abſolutum habet à forma,ergo vt cauſa materialis nõ erit prior forma,quod eſt contra ipſum. Prærereà: Effectus formalis cauſæ non poteſt cauſare,vt cauſa materialis,vt patet intuẽti,& tu vis quòd tale *eſſe* materiale ſit effectus cauſæ formalis. Prætereà,ſi tale *eſſe* ſit à forma,& poſterior ipſa forma,vt verò cauſat in genere cauſæ materialis,eſt prior,contrà,quia ſi tale *eſſe* habet à forma, hoc habet per formam iam productam ab agente,& ſic forma priùs habet *eſſe* in materia, & in eodem inſtanti quo forma habet *eſſe* in materia, eſt compoſitum, ergo tunc ſequitur quòd ipſa materia non poteſt cauſare compoſitum,vt prior forma.

Item, Reſpondet ad ſecundam rationem de creante,& conſeruante, quòd Deus non poſſit ſupplere cauſam formalem, & quòd *eſſe* materiæ eſt effectus formalis cauſæ, & iam dixi: quod non intelligit nec argumentum, nec mentem Scoti.

16. Ad alia argumenta ſequentia reſpondet,quæ reſponſiones ſunt nullius vigoris, vt patet tertio argumento contra argumenta,quæ ibi ipſe facit contra rationes Doctoris. Deinde iſte bonus vir arguit contra concluſionem, in qua probat, quòd materia poteſt exiſtere ſeparata à forma, quæ concluſio eſt ſimpliciter Theologica,& ipſe arguit argumentis phyſicis, & primò arguit ſic:Non magis dependet forma materialis educta de potentia materiæ ab ipſa materia, quàm materia à forma: ſed impoſſibile eſt formam naturalem exiſtere ſine materia, ergo nec è contra, hæc ratio poteſt colligi ex *7.Metaph.c.35.* Dico primò,quòd magis forma dependet à materia, quàm è contra,quia ſubiectum eſt magis independens à forma recepta,quàm è contra. Secundò dico, quòd poſito quòd ſit verum negatur de potentia Dei abſoluta, quòd forma ſubſtantialis non poſſit exiſtere ſine materia, vt patet ſuprà *in hoc ſecundò.*Tertiò dico,quòd ſimpliciter forma magis dependet à materia, quia ſecundùm Ariſtotelem agens naturale de neceſſitate præſupponit materiam, in quam producat ipſam formã, & ſi materia aliquo modo dependet à forma,nõ dependet tamen quantùm ad ſuum *eſſe* proprium, ſed quantùm ad ſuum *eſſe* formatum eo modo, quo dicimus quòd homo albus dependet ab albedine, ſed ſimpliciter eſt maior dependentia formæ ad materiam, ſicut etiam accidentis ad ſubiectum.

Nota & benè.

17. Secũdò arguit,quòd effectus denominatiuus reducitur ad aliquod tale per eſſentiam, vt eſſe album ad albedinem,Tranſeat illa:ſed eſſe exiſtentiæ eſt effectus denominans omnes res,iſta eſt ſimpliciter falſa. Tum, quia denominans propriè diſtinguitur realiter à denominato; ſed *eſſe* exiſtentiæ non ſic diſtinguitur,vt dictũ fuit ſuprà. Tum, quia *eſſe* exiſtentiæ eſt gradus intrinſecus illius,cuius eſt,& talis propriè non denominat rem cuius eſt. Tum, quia propriè denominans eſt alterius generis à re denomi

Quid ſit eſſe exiſtentiæ.

denominata,vt patet:ſed *eſſe* exiſtentiæ eſt ſimpliciter eiuſdem generis cum *eſſe* eſſentiæ, ſed ſupponatur iſta vt vera, addit; ergo tale *eſſe* exiſtentiæ reducitur ad aliquid tale per eſſentiã,vel illud eſt forma,vel materia, vel ambo: non materia, quia tunc compoſitũ haberet *eſſe* à materia per ſe contra Philoſophum, 7. Metaph. vbi ait, per materiam res non eſt per formã,*ex tex.commen.*22. Dico,quòd tale *eſſe* exiſtentiæ reducitur ad *eſſe* materiæ, & eſt idem realiter cum ipſa materia, & cùm dicit, quòd tunc compoſitum haberet *eſſe* per ſe à materia. Dico,quòd per ſe dependet à materia,tanquam à cauſa partiali, & quod dicit, quòd per materiam res non eſt,ſed per formam eſt,per Ariſtotelem. Dico, quòd Ariſtoteles intelligit, quòd compoſitum per materiam non habet *eſſe* vltimatum,& ſpecificum, ſed tantùm per formam,quia *eſſe* ſpecificum eſt à forma,& ſic intelligit Ariſtoteles.

17. *Optima expoſitio.* Tertiò arguit, quia eſſentialiter competit materiæ eſſe partẽ cõpoſiti.5.Metaph.tranſeat; ergo nullum poteſt habere ſibi *eſſe* proprium, niſi in compoſito:negatur conſequentia, & eſt repugnantia manifeſta in iſta conſequentia, quòd ſcilicet ſit pars eſsẽtialis alicuius,& quòd non habeat propriam entitatẽ: nam pars eſſentialis eſt prior compoſito,cùm conſtituat illud intrinſecè,ergo ſi nullũm *eſſe* habet,niſi *eſſe* cõpoſiti,& quòd vt conſtituit nihil ſit,tunc compoſitum dependebit eſſentialiter in ſua entitate poſitiua, & intrinſeca ab eo quod non eſt, quod tamẽ nullus ſani capitis affirmaret. Illud idem concluditur de forma,quia eſt æquè pars eſſentialis compoſiti; ergo, per te, nullum *eſſe* proprium habet niſi *eſſe* compoſiti. Dico ergo, quòd partes compoſiti, habent duplex *eſſe*, vt in compoſito:habent enim *eſſe* proprium prius ipſo compoſito,& habent *eſſe* compoſiti participatum ab ipſo compoſito, vt patet ſuprà, & clariùs videbitur *in quarto,diſt.*43.

Partes compoſiti habent duplex eſſe.

18. Quartò arguit:Si forma educta de potentia materiæ habet omnem potentialitatem ab ipſa materia; ergo omnem entitatem actualẽ habet materia à forma. Tenet cõſequẽtia,aliter enim plus forma penderet à materia,quàm è contra. Antecedens eſt Ariſtotelis 12. *Meta. tex. com.*51.vbi vult ſubſtantiam primam nullã habere potentialitatem, quia liberata à materia. Hæc eſt ratio Auerroïs 9. *Metaph.c.*2.vbi vult formas liberatas à materia nõ pati, nec recipere aliquo modo.Dico,quòd iſta ratio non concludit.Primò quando dicit de potẽtialitate,aut loquimur de potentialitate obiectiua tantùm: & certũ eſt quòd illã non habet à materia,quia potentia obiectiua reſpicit ipſum agens,vt patet ſuprà *diſt.*12.*q.*1.& patet,quia ſubſtantiæ ſeparata creata fuit in potentia obiectiua,& omne purum creabile eſt in potentia obiectiua,vt patet vbi ſuprà. Suppoſito etiã quòd potentialitas obiectiua ipſius formæ ſit à materia, quia talis forma non eſſet poſſibilis creari,niſi reciperetur in aliqua materia, ſicut formæ naturales:ſed tunc negatur cõſequentia,ſi forma ſubſtãtialis ignis habet potentialitatẽ obiectiuam à materia, in qua poteſt recipi,ergo ipſa materia totam entitatem actualem propriam habet à forma,non valet:ſed tantùm poteſt inferri,ergo ipſa materia habet *eſſe* formale ab ipſa forma,quæ producitur in materia,& tale eſſe formale eſt effectus formalis ipſius formæ:ſed vltra non ſequitur, quòd non habeat proprium *eſſe*,vt patet ſuprà. Si verò intelligit de potentialitate ſubiectiua ſcilicet quòd forma habeat potentiam ſubiectiuam à materia,verum eſt de facto,& ad mentem Ariſtotelis,quia nulla forma ſeparata poteſt eſſe ſubiectum accidentis, cùm illa talis ſit neceſſe eſſe ſecundùm ipſum, ſed loquendo de potentia diuina, multæ ſunt formæ naturales natæ informare materiã, quæ poſſunt ſeparari à materia, & eſſe ſubiectũ accidentis,& de facto etiam ſecundùm fidẽ Catholicam, Angeli ſunt ſubiectũ multorũ accidentiũ,vt patet ſuprà *in hoc ſecundo*,ſed tũc non ſequitur,forma habet potentialitatem ſubiectiuam à materia; ergo materia habet entitatem actualem propriam à forma: quia omne quod patitur eſt paſſiuum,non ſequitur, imò magis oppoſitum concluditur,vt patet intuenti.

Actui entitatiuo etiam correſpondet potẽtia obiectiua; actui formali correſpondet potentia ſubiectiua.

Angeli ſunt ſubiectum multorum accidentium.

19. Quintò arguit ſic: In genere potentialium, prima potentia eſt prima materia: ergo in genere actualium primò eſt forma, à qua omne, quod eſt aliquo modo in actu eſt. Conſequentia patet,quia actus, & potentia ſunt oppoſita. Hæc ratio nullius eſt vigoris, ſi enim loquatur de potẽtia paſſiua,ſiue receptiua, ſiue ſubiectiua,concedo quòd ſicut materia eſt primum receptiuũ,ita forma eſt primum receptũ:& ſicut forma eſt actus formalis,quia poteſt informare per receptionem ipſius, ita etiam materia eſt actus entitatiuus, & poſitiuus verè receptiuus ipſius formæ,& nihil amplius habens. Imò hoc argumentum eſt pro me,quòd materia, & forma verè,& realiter diſtinguuntur, vt patet ſupra à Doctore *diſt.*12.*q.*1.Et quod dicit, quòd actus, & potentia ſunt oppoſita, verum eſt de potentia obiectiua,& actu, vt patet *in quinto Metaph.* & expoſitum eſt ſuprà. Hoc patet *in diſt.*16. potentia verò ſubiectiua, & actus non ſunt oppoſita, vt patet ſuprà. Si verò intelligat de potentia obiectiua, quòd ipſa materia prima primò ſit potentia obiectiua, hoc eſt manifeſtè falſum, quia ita forma producibilis eſt ita in potentia obiectiua, ſicut & materia creabilis.

Potentia ſubiectiua, & actus nõ ſunt oppoſita.

Sextò arguit ſic: Si materia exiſteret exiſtentia ſibi propria,ergo quælibet forma haberet exiſtentiam propriam: concedo totum; ergo quælibet forma eſſet completa. O pulchra conſequentia! Formam eſſe completam, contingit dupliciter. Vno modo, quòd ſit ratio dandi *eſſe* vltimatum, & ſpecificum, ac completum, & tunc negatur quòd quælibet forma habeat tale *eſſe*, quia ſunt multæ formæ imperfectæ ordinatæ ad vlteriorem formam, vt patet in generatione prolis. Si verò loquatur de forma completa pro eo, quòd ex ipſa & materia poteſt fieri compoſitum tranſeat. Dico etiam, quòd quælibet forma poteſt eſſe completa in ſua entitate. Ipſe verò addit: Si talis forma eſt completa, quia habet propriam exiſtentiam, & materia propriam exiſtentiam. Ergo ex his non fit vnum ens per ſe, ſed tantùm aggregatione:ad hoc ſatis fuit reſponſum à Doctore *q.* 1.*diſt.* 12. *ſecundi*, vbi arguit contra ſe,quòd ſi materia eſſet ens actu, tunc ex ipſa,& forma non poſſet fieri vnũ:iſta enim propoſitio ex duobus entibus in actu nõ poteſt fieri vnum, debet intelligi de duobus entibus in actu completo, & perfecto, ſicut

Quomodo ſit intelligenda illa propoſitio ſcilicet. Ex duobus entibus in actu nõ poteſt fieri vnum.

Optima reſponſio.

ſicut ex Franciſco, & Ioanne non poteſt fieri vnum, & ſic patet ex iſtis quid concludat dominus Auguſtinus contra Doctorem.

20. *Caietanus nititur improbare poſitionem Doctoris.* Quidam nouus expoſitor ſancti Thomæ nititur improbare poſitionem Doctoris, & ſoluere eius rationes, quam poſitionem recito de verbo ad verbum, quæ poſitio ponitur in expoſitione, quam facit ſuper libro *de Ente, & eſſentia* ſancti Thomæ, *cap.* 5. Dicit ergo ſic: Quoad ſecundum S. Thomas *in prima parte ſummæ, q.66, artic.1. & in quæſt. de potentia Dei, q.4. artic.1. & in quodlib. q. 3. artic. primo*, confirmat id, quod hîc dicit, ſcilicet materiam non poſſe eſſe ſine forma, duabus rationibus.

Prima eſt ducens ad impoſſibile ſic: Si materia exiſteret abſque omni forma, materia ſimul eſſet, & non eſſet, hæc implicant contradictionem; ergo. Probatur quoad ſecundam partem, quia quoad primam ab aduerſariis conceditur. Impoſſibile eſt effectum formalem ſeparari à forma: ſed *exiſtere* eſt effectus formalis formæ, ſic enim definitur, *forma eſt, qua dat eſſe rei*: ergo impoſſibile eſt ponere exiſtentiam ſine forma. Sicut enim impoſſibile eſt eſſe album ſine albedine, ita eſſe in actu ſine actu, actus autem primus, cuius eſt dare *eſſe* idem eſt, quòd forma; ex illa ergo propoſitione, *Materia exiſtit abſque omni forma*, ſequuntur duo contradictoria ſimul vera; ex eo enim quòd materia exiſtit, ſequitur quòd ſit in actu; ex eo autem quòd abſque omni forma, ſequitur quòd non ſit in actu. Huic rationi dat Scotus quandam reſponſionem, quæ quia non niſi chimerica eſt, tanquam indigna de qua verba fiant omittatur, quolibet enim proferente contraria ſolicitum eſſe ſtultum eſt, ait Ariſtoteles, à quo didicimus in hoc nono Metaph. quid ſit actus, & quotuplex.

Quid ſit forma.

21. Secunda ratio ſancti Thomæ ad hoc idem eſt iſta: Omne indiuiduum determinatum ad genus completum, vel incompletum in rerum natura per ſe exiſtens, eſt in aliqua certa ſpecie per ſe, vel reductiuè: materia ſola neque per ſe, neque reductiuè eſt in aliqua ſpecie: ergo materia ſola non poteſt eſſe indiuiduum quodcunque in rerum natura. Minor eſt ex ſe clara, non enim facilè eſſet fingere in qua determinata ſpecie eſſet materia ſola. Maior probatur ex eo, quòd indiuiduum omne tam completum, quàm incompletum, ſi per ſe exiſtit in rerum natura ſeparatum (quod dico propter indiuiduum generis, vt hæc ſubſtantia, hoc animal, &c.) non continetur ſub genere per ſe, vel reductiuè immediatè ſed mediante ſpecie: inter genera enim & indiuidua mediat ſpecies; & inter principia generis, & principia indiuidui mediant principia ſpeciei pariformiter. Inſuper hæc maior poteſt probari ad hominem, aſſumendo dicta Scoti, in quinto argumento. Ibi enim expreſsè aſſumit, quòd quicquid determinat ſibi genus aliquod, determinat ſibi aliquam certam ſpeciem illius generis, & poteſt etiam ex dictis Scoti ibi arguere ad hominem, & probare oppoſitum intenti ſui ſic: Quicquid determinat aliquod genus, determinat ſibi aliquam ſpeciem illius generis: materia ſola determinat ſibi aliquid generis ſubſtantiæ; ergo determinat ſibi aliquam ſpeciem certam ſubſtantiæ ſaltem reductiuè; ergo materia ſola eſſet in aliqua ſpecie ſubſtantiæ. Hoc eſt falſum. Minor eſt omnium, & proceſſus eſt bonus; ergo hanc veritatem approbat Ariſtoteles vt ipſe Scotus confitetur loco allegato. Sed quia dicit ex falſo fundamento Ariſtotelem hanc concluſionem tenuiſſe ſcilicet ex hoc, quòd Deus non poteſt agere ſine cauſis ſecundis, offendo in hoc Scotum errare ex dictis Commentatoris 2. *Phyſicorum, cap.* 12. Auerroës ex eodem præciſè fundamento, quod ſanctus Thomas adduxit in prima ratione, tenet iſtam concluſionem, vbi nullam fieri mentionem de connexione cauſalitatis primæ cauſæ apparet, ſed tantùm de actu, & potentia, ita quòd ex natura actus, & natura primæ materiæ, quæ eſt pura potentia, concludit Auerroës quòd duo contradictoria eſſent ſimul vera, vt deductum eſt, &c. Auicenna quoque *in ſecundo Metaphyſic. ſua cap.* 3. tenet concluſionem Scoti eſſe impoſſibilem, & tamen poſuit expreſsè materiam eſſe creatam. Vnde hæc tanquam deſtructiua metaphyſicalium principiorum vitanda. Hoc de ſecundo.

Quoad tertium reſpondeo: ad primum, negatur antecedens, plus enim dependet potentia pura ab actu, quàm actus imperfectus ab actu perfecto. 22.

Inſtantia Domini Trombettæ. Sed contra hoc inſtat Antonius Trombetta ſic: Magis dependet poſterius à priori, quàm prius à poſteriori; ſed accidens eſt poſterius ſubſtantia, materia autem eſt prior forma; ergo magis dependet accidens à ſubiecto, quàm materia à forma. Fortè diceretur (ait) quòd materia non eſt prior, ſed poſterior forma. Contra. Nam licèt materia ſit poſterior forma ordine perfectionis, eſt tamen prior ordine generationis, & conſequenter prior ſimpliciter, vt arguatur ſic, quandocunque ſunt aliqui duo ordines, quorum vnus ſimpliciter eſt prior altero, quicquid eſt in ordine priore eſt ſimpliciter prius quocunque exiſtente in ordine poſteriore; ſed ordo originis & ordo perfectionis, ita ſe habent, quòd ordo originis eſt ſimpliciter prior ordine perfectionis, & hoc in natura limitata; ergo quicquid eſt prius origine eſt prius ſimpliciter quocunque priore ordine perfectionis; ſed ita eſt, quòd materia eſt prior origine forma, licèt forma ſit prior perfectione; ergo materia eſt ſimpliciter prior forma. Proceſſus bonus, & maior probatur, quòd ſcilicet ordo originis eſt ſimpliciter prior ordine perfectionis; nam priora generatione ſunt poſteriora perfectione; natura ſemper procedit ab imperfecto ad perfectum; ergo quicquid eſt imperfectius, eſt ſimpliciter prius quocunque perfectiori, ſed materia prima eſt imperfectior forma, ergo materia prima eſt ſimpliciter prior forma. Tunc vltrà eſt ſimpliciter prior forma, & omne prius in ſuo priori poteſt eſſe ſine poſteriori, ergo, &c.

23. *Quomodo forma ſit poſterior materia.* Ad hoc reſpondetur triplici reſponſione ad inſinuandum argumenti multiplicem defectum. Primò dicitur, quòd forma licet ſit poſterior materiâ ordine generationis, eſt tamen prior etiam ordine generationis materia exiſtente: magni enim refert dicere materiam, & materiam exiſtentem, ſicut ſuperficies eſt prior albedine, albedo tamen eſt prior ſuperficie habente eſſe album; ita in propoſito, cùm ſermo ſit de materia exiſtente, ſi enim poneretur materia ſola in rerum natura, oportet ipſam exiſtere, patet falſum aſſumi. Secundò dicitur, quòd aliud falſum ibi aſſumitur, ſcilicet quod ordo generationis ſit ſimpliciter prior ordine perfectionis, ſtando infra

fra limites naturæ finitæ : cùm enim actus ſit prior potentia ſimpliciter , tam ſi ponatur Deus finitus , quàm infinitus , vt patet *ex 9. Metaph. tex.commen.* 15.*&* 12.*tex.commen.* 30. & prioritas actus ſit prioritas perfectionis , conſequens eſt quòd ſecundùm Ariſtotelem & veritatem , ordo perfectionis ſit ſimpliciter prior ordine generationis. Amplius,id quod eſt prius natura , ratione,& tempore,eſt ſimpliciter prius : & ordo perfectionis eſt prior natura , ratione , & tempore, ordine imperfectionis , qualis eſt generationis, qui ſe tenet ex parte cauſæ materialis : ordo igitur perfectionis eſt prior ſimpliciter , mediáque propoſitio eſt Ariſtotelis 8.*Phyſicor.tex.commen.* 75.expreſsè loquitur in natura finita ad probandum , ſcilicet motum circularem eſſe primum. Vnde ad probationem , conceſſo quòd priora generatione ſunt imperfectiora , & quòd natura procedit de imperfecto ad perfectum , negatur conſequentia ; ergo ordo generationis eſt ſimpliciter prior,licet enim agens naturale priùs attingat imperfectum, quàm perfectum , oportet tamen prius agens in ſe perfectum eſſe , vt dicitur *in* 12. *Metaph.tex.commen.* 40. Hîc aduerte tu, quòd oportet mendacem eſſe memorem. In quæſt. de primo cognito. Antonius Trombeta quas impugnat poſitiones, has aſſumit,&c.Tertiò dicitur,quòd dato toto proceſſu,vltima conſequentia nihil valet, falſum eſt enim quòd omne prius poſſit ſecundùm *eſſe* abſolui à poſteriori quolibet,vt ad ſecundum dicetur.

Sed contra primam reſponſionem, quæ ponit materiam non habere propriam exiſtentiam, ſed eam mendicare à forma,inſtatur ſic : Cuicunque conuenit actu cauſare , pro aliquo ſigno conuenit,& exiſtere pro eodem ſigno,ſed materiæ primæ in primo ſigno,quo recipit formam conuenit cauſare ; ergo pro tunc ſibi conuenit exiſtere, ſed pro illo ſigno non habet exiſtentiam formæ ; ergo propriam. Et confirmatur,quia materia aut cauſat compoſitum , & recipit formam quando exiſtit ; aut quando non exiſtit ; non quando non exiſtit ; ergo quando exiſtit , ergo pro tunc conuenit ſibi propria exiſtentia , quia ex natura formæ , ſequitur totum compoſitum. Et confirmatur ſecundò, quia cauſa non mendicat à ſuo effectu ; materia autem cauſat exiſtentiam compoſiti & formæ ; ergo non mendicat exiſtentiam ab eis,&c.

Ad hoc dicitur,quòd ſufficit cauſæ pro quodlibet inſtanti temporis, quo actu cauſat , habere exiſtentiam,nec apparet neceſſarium , quòd pro quolibet ſigno naturæ inſit exiſtentia ſibi quo ineſt cauſalitas, ordo enim naturæ talis eſt in eodem inſtanti temporis , quòd ſi materia recipit formam,ex quibus reſultat compoſitum,cui iam *eſſe* actualis exiſtentiæ aduenit, quo ipſum compoſitum primò, forma ſecundò,& materia tertiò exiſtunt. Ad formam autem primæ inſtantiæ,negatur maior.

Quando materia exiſtat.

Ad primam confirmationem dicitur , quòd materia cauſat quando exiſtit, quia pro omni inſtanti quo cauſat, exiſtit, *quando* enim eſt terminus temporalis.

Ad ſecundam confirmationem dicitur , quòd licèt cauſa, vt cauſa non mendicat à ſuo effectu, tamen cauſa materialis mendicat à ſuo effectu, qui eſt eius cauſa in altero genere cauſæ,eo quòd ſunt ſibi inuicem cauſæ *quinto Metaph. tex. com.* 2. Oportet autem has reſponſiones à Scoto admitti , quia cùm Scotus ponat *ſecundo ſententdiſtin.* 3. *q.* 3. exiſtentiam eſſe vltimum actum poſteriorem tota coordinatione prædicamentali , licèt non diſtinctum realiter à re , cuius eſt, oportet eſſentiam materiæ ex natura rei habere habitudinem ad ſuam exiſtentiam , vt potentiam ad actum, & tunc poteſt argui ſic ; eſſentia materiæ,vt diſtincta contra ſuam exiſtentiam , cauſat ex natura rei in genere cauſæ materialis ſuam exiſtentiam recipiendo eam : ergo ſibi pro illo ſigno conuenit exiſtentia , & ſic habet exiſtentiam antequam recipiat eam. Similiter ſtando in illo ſigno , aut eſſentia materiæ recipit ex natura rei ſuam exiſtentiam quando eſt,aut quando non eſt, &c.

Ad ſecundum principale , negatur maior. Ad eius probationem dicitur , quòd non ſola dependentia , ſed neceſſaria connexio aliquorum poteſt eſſe cauſa inſeparabilitatis eorum. Ad id quod adducitur ex quinto Met. dicitur , quòd vniuerſalis affirmatiua non conuertitur ſimpliciter ; iſta enim eſt vera : quæcunque poſſunt eſſe ſine aliis , & alia non ſine ipſis , ſunt priora; ſed non conuertitur,quæcunque ſunt priora poſſunt eſſe ſine aliis,& alia ſine ipſis.Et nota quòd maxima illa Scoti *omne prius abſolutum*, &c.non poteſt ſaluari ſequendo viam Scoti , quod pro nunc ex duobus manifeſtatur.Primò ex eo,quòd partes eſſentiales ſimul ſumptæ ſunt priores toto, & tamen apud Scotum non poſſunt eſſe ſine toto. Secundò ex eo , quòd prædicamentum Quantitatis eſt abſolutum prius prædicamento Qualitatis , præſertim quoad quartam ſpeciem eius ; & tamen non poteſt fieri quantitas continua, niſi figura fieri dicatur, aut finita , aut infinita : non infinita , quia illa ratio dabilis , & ſi fortè imaginetur dari , adhuc cùm oporteat eſſe lineam, aut ergo linea recta , aut curua, & ſic eſſet figurata ; ſi finita,ergo figurata, figura autem eſt quæ termino,vel terminis clauditur, & ſimiliter, aut habet lineas rectas, aut curuas,aut circulares. 25.

Ad tertium , quicquid ſit de maiori , negatur minor : forma enim etſi non ſit de eſſentia materiæ , eſt tamen de eſſentia materiæ exiſtentis.

Ad quartum dicitur , quòd cùm medium ſit duplex,effectiuum & formale , quicquid immediatè Deus cauſat effectiuè poteſt abſque media cauſa effectiua conſeruare , non autem abſque media cauſa formali, quale medium eſt forma reſpectu materiæ. 26. *Medium duplex.*

Ad quintum negatur, quòd inter materiam & formam non ſit neceſſaria connexio. Ad cuius probationem negatur conſequentia , cuius probationis falſa eſt maior. Per id autem quòd additur, ſcilicet ſecundùm quòd neceſſariò eſt homo,neceſſariò eſt hic,vel ille homo , nihil aliud habetur , niſi quia quòd materia neceſſariò determinat ſibi genus formæ ; ideò materia non poteſt eſſe ſine hac , vel illa forma quod eſt intentum neceſſarium : non enim valet conſequentia : *A* neceſſariò eſt homo : ergo *A* neceſſariò eſt hic,vel ille determinatè, ſed vagè, & ſic conceditur:materia neceſſariò determinat ſibi formam , ergo neceſſariò determinat ſibi hanc, vel illam formam , non determinatè , ſed vagè. Ad confirmationem , cùm dicitur : Quicquid contingenter ſe habet ad quodlibet generis abſoluti , contingenter ſe habet ad genus ipſum,

eodem modo reſpondetur, diſtinguendo contingenter ſe habere ad quodlibet determinatè, vel vagè. Primo enim modo falſa eſt maior. Secundo verò falſa eſt minor. Materia enim non contingenter, ſed neceſſario ſe habet ad quamlibet formam indeterminatè, & vagè.

Ad aliam probationem dicitur, quòd vnum eſſentialiter vnum & ſingulare negatiuè, ſicut eſt materia prima, poteſt eſſentialiter dependere in *eſſe* à pluribus eiuſdem generis indeterminatè, & vagè ſecundùm quòd illa plura habent vnam rationem communem, ſicut in propoſito omnes formæ conueniunt in hoc, quòd dant *eſſe* actuale. Reflecte hoc argumentum contra Scotum de quantitate & figura, & fortè perſuadebis infirmitatem eius, quantitas enim continua determinat ſibi generis figuram, nullam tamen ſibi figuram vendicat. Hoc de quarto.

27. Nunc reſpondendum eſt dictis huius noui expoſitoris. Primò reſpondeo ad argumenta facta contra poſitionem Doctoris. Secundò oſtendo reſponſiones factas ad rationes Doctoris minimè ſoluere illas. Quantùm ad primum, patet reſponſio ad primam rationem, ex dictis ſuprà, quomodo materia ſeparata eſſet verè actus entitatiuus includens propriam exiſtentiam, vt gradum ſibi intrinſecum; & talis actus nullo modo eſt à forma, & ſic non eſt contradictio ipſam eſſe in actu, & non in actu, accipiendo *actum* diuerſimodè, & eſſet quidem in actu entitatiuo, & propria exiſtentia, & non eſſet in actu formali, & formaliter diſtinctiuo. Et cùm dicit, quòd effectus formalis non poteſt eſſe ſine cauſa formali conceditur, ſed poſtea negatur quòd actualis exiſtentia ſit effectus formalis formæ, imò actualis exiſtentia eſt gradus intrinſecus rei cuius eſt, non enim effectus formalis animæ eſt *eſſe* exiſtentiæ, ſed eſt *eſſe* animatum. Et vltrà, ſi *eſſe* exiſtentiæ materiæ eſt effectus formalis formæ, per hoc erit, quia forma recipitur in ſubiecto: modò videtur repugnantia, quòd ens reale actu exiſtens verè recipiatur in aliquo, nullum *eſſe* reale habente.

Quomodo materia ſit in actu entitatiuo.

28. Ad ſecundam rationem, quæ eſt de individuo, cùm dicit, quòd individuum determinatum ad genus completum, vel incompletum in rerum natura per ſe exiſtens, eſt in aliqua certa ſpecie per ſe, vel reductiuè. Dico, quòd ſi intelligatur eſſe in actu in aliqua ſpecie, negatur: certum eſt enim quòd anima intellectiua ſeparata, nec per ſe reductiuè eſt actu in aliqua ſpecie ſubſtantiæ, imò vt ſic, in nullo genere eſt per ſe, cùm omnia genera abſtrahant ab actuali exiſtentia. Si tamen conſiderentur etiam genera quoad actualem exiſtentiam, adhuc dico quòd non eſt in actu in aliqua ſpecie, quia eſſe actu in aliqua ſpecie, per ſe eſt actu eſſe in recta linea prædicamentali: hoc autem non competit patri, *eſſe* verò actu reductiuè in aliqua ſpecie ſpecialiſſima eſt ipſum eſſe actu partem ſingularis compoſiti actu exiſtentis ſub aliqua ſpecie ſpecialiſſima in recta linea prædicamentali. Hoc idem dico de materia ſeparata ab omni forma, quòd ipſa non eſt actu in aliqua ſpecie, & tamen eſt ſingularis. Si verò accipiatur aliquid eſſe in genere, vel in ſpecie reductiuè tantùm potentialiter, dico quòd partes ſunt præcisè in illa ſpecie, in qua per ſe ponitur compoſitum ex illis partibus. Patet, quia dicuntur eſſe in genere tantùm per compoſitum, cuius ſunt partes. Eſt tamen differentia inter materiam & formam, quia forma eſt præcisè nata reduci ad talem, vel talem ſpeciem, nam anima intellectiua nata eſt tantùm eſſe reductiuè in aliqua ſpecie animalis, vt pars ſpeciei animalis; materia verò nata eſt eſſe diuerſimodè pars alterius, & alterius ſpeciei, ſecundùm quòd ponitur alterius, & alterius formæ, vt patet. Dico etiam quòd ſi materia prima eſſet ſeparata, quòd actu nec per ſe, nec reductiuè eſſet in aliquo genere. Sed ſi tunc quæratur quid erit tunc illa materia ſeparata? dico quòd erit ens, & ſi vltrà quæratur, quod ens erit? Dico quòd erit ens quod eſt materia, & ſi vltrà quæritur, aut eſt ſubſtantia, aut eſt accidens, vel per ſe, vel reductiuè. Dico quòd actu nec eſt Subſtantia, quæ eſt genus, nec accidens quod eſt genus, quia nulla pars ſubſtantiæ recipit prædicationem Subſtantiæ, quæ eſt genus, niſi actu ſit in tali genere. In re tamen dico, quòd materia eſt ens realiter diſtinctum à quodlibet accidente, & eſt vera ſubſtantia, licèt vt ponitur ſeparata à forma non recipiat prædicationem ſubſtantiæ pro vt Subſtantia ponitur prædicamentum. Alia verò quæ dicit quodammodo in deriſionem Doctoris ſubtilis, vt indigna reſponſione omittantur.

Differentia eſt inter materiam, & formam.

Materia ſeparata eſt ens.

29. Et quod dicit ſecundùm Doctorem hanc concluſionem tenuiſſe, ſcilicet quòd Ariſtoteles ex hoc tenet materiam non poſſe ſeparari à forma, quia eſt impoſſibile Deum agere ſine cauſis ſecundis, hoc patet eſſe verum, & cùm dicit Doctorem ſubtilem in hoc errare ex dictis Commentatoris 2. *Phyſic. cap.* 12. vbi Commentator tenet materiam non poſſe ſeparari à forma, & tamen nullam mentionem facit de connexione ſecundarum cauſarum. Dico, quòd oportet melius intelligere Commentatorem. Commentator enim præſupponit ordinem eſſentialium cauſarum, ita quòd ſecundùm eum, impoſſibile eſt primum aliquid producere de nouo non occurrente cauſa ſecunda. Et quia omne agens naturale agit tantùm in ſuppoſita materia: ideò ſequitur quòd in eodem inſtanti, quo forma ſubſtantialis corrumpitur ab aliquo agente naturali, de neceſſitate naturæ cauſatur alia forma ſubſtantialis in illa materia: Non enim agens naturale per ſe intendit corruptionem formæ, ſed tantùm per accidens, quia producit formam incompoſſibilem formæ corrumpendæ, & quia agens naturale dum agit in paſſum, ſic in vltimo inſtanti diſpoſitionis paſſi inducit formam in materia, quòd eſt impoſſibile ipſam formam non induci ſtante perfecta diſpoſitione paſſi, propter ordinem eſſentialem cauſarum; ſed ſi talis ordo non eſſet, ita quòd prima cauſa poſſet attingere, & ſeparatim producere quemcunque effectum, eſſentialiter non dependentem ab alio, haberet dicere quòd prima cauſa poſſet producere primam materiam actu exiſtentem, & ab omni forma ſeparatam. Nec habetur à Cõmentatore quòd repugnat materiæ ex ſua ratione formali poſſe exiſtere ſine forma: ſed iſta repugnantia eſt ab extrinſeco, quia agens naturale corrumpendo formam in materia, neceſſariò in eodem inſtanti inducit aliam.

Oportet melius intelligere Auerroem.

Et cùm

30. *Quomodo ſit intelligendus Comment.*

Et cùm dicit Commentator, quòd ſi eſſet ſeparata ab omni forma, eſſet in actu & non in actu; loquitur ibi de actu formali & ſpecifico, id eſt, quòd ſi ſepararetur materia à forma, quæ dat *eſſe* ſpecificũ, & ex alia parte diceretur habere verum *eſſe* cõpletum, quòd tunc eſſet in actu ſpecifico, quia in *eſſe* completo; & non eſſet in actu ſpecifico, quia ponitur ſeparata ab illo: non tamen negat quin ſeparata haberet aliquem actũ licèt non formalem, vnde ipſe 2. *Phyſ. cap.* 12. ſic dicit: *Materia autem differt à forma, ſed nunquam denudata à forma, imò cùm ſeparatur à forma, induit aliam, quoniam ſi denudaretur ab omnibus formis, ſcilicet prima materia, tunc quod non eſt in actu, eſſet in actu, & cum notificat, quòd natura dicitur de forma, incepit etiam declarare formam eſſe digniorem, quàm materia, deinde induxit rationem ſuper hoc, & dixit: Omne enim dicitur eſſe illud quod eſt cùm fuerit in ſua perfectione, id eſt, omne enim non dicitur eſſe ſimpliciter, niſi cùm fuerit in ſua vltima perfectione, quod eſt habere formam.* Hæc ille. Et per hoc etiam patet ad omnes alias auctoritates tam Philoſophi, quàm Commentatoris, quàm etiam Auicennæ, quòd licèt non faciant mentionem de connexione eſſentialium cauſarum, quando dicunt materiam non poſſe ſeparari à forma, tamen, vt dixi, ſi concederent primum poſſe agere ſine cauſis ſecundis, haberent etiam concedere ipſum poſſe producere materiam per ſe exiſtentem, & actu ſeparatam ab omni forma.

31. *Reſponſiones Caietani non euacuant rationes Doctoris.*

Quantùm ad ſecundum principale, oſtendendum eſt reſponſiones huius expoſitoris nõ euacuare rationes Doctoris. Cùm dicit ad primum argumentum factũ pro opinione Doctoris quod eſt tale: *Magis dependet accidens à ſubſtantia quàm materia à forma: ſed accidens poteſt eſſe ſine ſubſtantia, vt patet de ſacramento Altaris; ergo & materia ſine forma.* Dicit iſte maiorem eſſe falſam, quia plus dependet potentia pura ab actu, quàm actus perfectus ab actu imperfecto. Dico primò, quòd ſupponit vnum falſum, ſcilicet quòd materia prima ſit tantùm potentia pura, vt ſuprà oſtenſum eſt. Dico ſecundò, quòd hoc poſito, quæro tunc quid aduenit tali potentiæ per formam? Si tu dicis quòd *eſſe* exiſtentiæ, tunc quæro in quo fundatur tale *eſſe* exiſtentiæ? Certum eſt quòd in nihilo non fundatur, ergo in aliquo priùs exiſtente. Dico etiam quòd ſi materia ponatur pura potentia, & prior omni actu, ergo vt talis pura potentia non dependet aliquo modo à forma; quia licèt *eſſe* ſecundùm ipſum, dependeat quo ad *eſſe* exiſtentiæ à forma, tamen vt pura potentia, non dependet à forma; & ſic ſtat propoſitio, quòd materia prima vt eſt pura potentia inquantùm huiuſmodi, minùs dependet à forma, quàm accidens à ſubſtantia. Et ſi dicatur quòd dependet quantùm ad *eſſe* exiſtentiæ, quod eſt effectus formalis ipſius formæ, tunc quæro à te de accidente in ſubſtantia, aut includit propriam exiſtentiam, aut præcisè exiſtentiæ ſubſtantiam? Si primò, adhuc magis dependet à ſubſtantia, quàm materia in ſuo *eſſe* abſoluto à forma, cum ſit prior tali forma. Si ſecundò, erit æqualis dependentia quantùm ad *eſſe* exiſtentiæ, quia vtrobique ponitur effectus formalis ipſius formæ. Et concedo argumentum magiſtri Antonij Trombettæ, nec iſte nouus expoſitor ſoluit illud, & quia difficile eſt ſoluere illud, ideò plures inducit reſponſiones. Cùm primò dicit, quòd aliud eſt loqui de materia, vt materia; & aliud de materia, vt exiſtente. Primo modo eſt prior forma. Sed ſecundo modo eſt poſterior, quia vt ſic, eſt effectus formalis eius. Dico, quòd oporteret iſtum expoſitorem ſoluere omnes rationes factas à Doctore *in præſenti diſt. q. prima*, quibus probat materiam dicere veram entitatem, aliam ab entitate formæ, aliter compoſitum naturale non eſſet compoſitum ex partibus, ſed eſſet ſimplex, vt priùs patuit, quas tamen rationes non ſoluit.

Caietanus non ſoluit argumentum Antonij Trobetæ.

32. Cùm ſecundò dicit, quòd ordo generationis in natura limitata non eſt ſimpliciter prior ordine perfectionis, quia actus eſt prior potentia ſimpliciter, vt patet 9. *Metaph. tex. comm.* 15. & prioritas actus eſt prioritas perfectionis, & ſic ordo perfectionis eſt ſimpliciter prior. Dico, quòd hæc reſponſio eſt quædam fuga. Aliud eſt enim loqui de priori ſimpliciter, & aliud eſt loqui de priori duratione: cõceſſo enim quòd ordo perfectionis ſit ſimpliciter prior in natura limitata, quia perfectior, non tamen ſequitur quòd ſit ſimpliciter prior duratione ordine originis. Patet enim expreſsè, quòd in natura limitata prior duratione eſt ordo originis, quàm ordo perfectionis. Priùs enim homo eſt viuens vita vegetatiua, & pòſt ſenſitiua, & vltimò intellectiua; in primo verò ente eſt ſimpliciter idem ordo originis, & ordo perfectionis, quia ſimpliciter primum origine eſt Deitas, quæ etiam eſt ſimpliciter prima perfectione, vt ſuprà patuit *diſt. 1. q. 1. huius ſecundi:* modò argumentum Magiſtri Antonij procedit de priori origine. Certum eſt enim quòd prius origine dependet à poſteriori origine, quàm poſterius origine dependeat à priori origine: ſic enim arguit Philoſophus 7. *Metaph. tex. commen.* 4. vbi arguit ſubſtantiam eſſe priorem naturaliter omni accidente, & ſic patet hanc ſolutionem minimè valere.

33. Et quod adducit, quòd licèt priora generatione ſint imperfectiora, & quòd natura procedit de imperfecto ad perfectum; negatur tamen quòd ordo generationis ſit ſimpliciter prior: quia licèt agens naturale priùs attingat imperfectum, quàm perfectum oportet tamen prius agẽs in ſe perfectum eſſe, vt dicitur *in* 12. *Metaphyſ. tex. commen.* 40. Dico, quòd eſt conterere tempus, quia argumentum Trombettæ non percipitur ab iſto, quia non loquitur ſimpliciter de ordine originis reſpectu cuiuſcunque, ſed tantùm reſpectu eiuſdem: ſic quòd in eodem ente limitato eſt ſimpliciter prior ordo originis ordine perfectionis, quia tale ens priùs eſt ſub *eſſe* imperfecto, quàm ſub *eſſe* perfecto, vt patet de homine generato. Cùm ergo materia prima ſit ſimpliciter primum in generatione, ſequitur quòd materia prima erit ſimpliciter prior forma ordine originis, licèt ſit poſterior ordine perfectionis: & hoc eſt, quod intendit magiſter Antonius, cùm à magiſtro ſuo Doctore ſubtili non deuiat. Vult enim Doctor ſubtilis vt ſuprà dixi, quòd in primo ente ſit ſimpliciter idem ordo originis, & ordo perfectionis, ſic quòd illud, quod eſt prius ſimpliciter origine, eſt etiam ſimpliciter prius perfectione: in eodem verò ente naturaliter genito, vt ſeruetur proceſſus naturalis, non ſunt ſimpliciter idem ordo originis, & ordo naturæ, quia ordo originis eſt ſimpliciter prior. Et cùm dicit de tanto viro, cuius forte iſte nouus expoſitor non eſſet bonus diſcipulus,

quòd

quòd oportet mendacem eſſe memorem, quòd magiſter Antonius hîc aſſumit propoſitiones, quas impugnat in quæſtione de primo cognito. Dico, quòd ad pauca reſpicientes faciliter nunciant. Patet enim intuenti magiſtrum Antonium nec in hoc, nec in aliis ſibi contradicere, ſi enim hîc non intelligit rationem, quam adducit magiſter Antonius, quomodo audebit iudicare virum ita excellentem in doctrina in vno loco aſſerere vnam propoſitionem, & eandem in alio loco negare?

34. Cùm tertiò dicit, quòd dato toto proceſſu, vltima conſequentia non valet, videlicet, quòd omne prius poſſit ſecundùm rem abſolui à poſteriori quolibet. Dico, quòd ſi concedit omnia conſequentia in illa ratione, quòd neceſſariò habet concedere vltimam conſequentiam, quam negat, quia ſi *A* eſt ſimpliciter prius origine *B*, & eſt realiter diſtinctum à *B*, ſtatim ſequitur quòd poſſit exiſtere ſine *B*: quærat ergo alias reſponſiones, ſi vult ſoluere rationem magiſtri Antonij.

Quomodo materia habeat propriã exiſtentiam.

Ad illud, quod dicit, reſpondendo ad vnam rationem, quam facit Doctor *præſenti diſt. q.* 1. quâ probat quòd materia prima habet propriam exiſtentiam, quia ponitur ipſam cauſare compoſitum, & in quocunque ſigno cauſæ cauſat, in eodem etiam verè exiſtit, cùm dicit quòd ſufficit cauſæ pro quolibet inſtanti temporis, quo actu cauſat, habere exiſtentiam, licèt non pro quolibet ſigno naturæ inſit exiſtentiæ quo materiæ cauſalitas. Hæc enim reſponſio minimè valet, eſt enim impoſſibile effectiuum in aliquo inſtanti aliquid cauſare, & in eodem inſtanti actu non exiſtere. Si enim ſanctus Thomas ponit poſſibile mundum fuiſſe ab æterno, vt patet *in* 1. *p. q.* 46. & ex alia parte habet ponere cauſam primam eſſe ſaltem priùs naturâ effectu in eodem priori, quo cauſaret, in eodem etiam actu exiſtere; nulla enim cauſa cauſat, niſi inquantùm actu exiſtit: ergo ſi materia prima in aliquo priori naturæ priùs cauſat compoſitum, quàm ipſa forma, ſequitur quòd in tali priori actu exiſtit. Et cùm dicit iſte, quòd ordo naturæ talis eſt, quòd in eodem inſtanti temporis materia recipit formam, ex quibus reſultat compoſitum, cui iam *eſſe* actualis exiſtentiæ aduenit, quo ipſum compoſitum primò, forma ſecundò, & materia tertiò, exiſtunt. Contrà, quia quæro, ſi forma, vt cauſat, & prior compoſito actu exiſtat, vel ne? Si non, ergo intrinſecè, & realiter non cauſat: ſi ſic, ergo priùs exiſtit ipſo compoſito. Hoc idem dico de materia, quæ ſi realiter intrinſecè, & vt pars compoſiti cauſat compoſitum in illo priori, quo cauſat ipſum, erit exiſtens exiſtentia propria.

35. Ad illud, quod dicit ad confirmationem Doctoris factam q. 1. quâ probat Doctor quòd ſi materia exiſteret per formam, tunc mendicaret à forma tale *eſſe*, cùm dicit iſte, quòd non eſt inconueniens, materiam mendicare *eſſe* à forma, quia ſi materia non haberet propriam exiſtentiam, & propriam entitatem nullo penitus modo cauſaret realiter, & intrinſecè cõpoſitum; non enim eſt imaginabile aliquid realiter componi in actuali exiſtentia ex pluribus partibus, & quòd quælibet pars realiter conſtituens non dicat propriam entitatem, & propriam exiſtentiam, & præcipuè loquendo de materia, quæ non tãtum ponitur pars compoſiti, ſed ponitur realiter receptiua formæ. Et cùm dicit per Philoſophum 5. *Metaph. tex. commen.* 2. quòd cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, miror quòd non percipiat textum Ariſtotelis: non enim dicit ibi, nec alibi quòd materia ſit cauſa formæ, dando ſibi *eſſe*, nec quòd forma ſit cauſa materiæ: licèt cauſa finalis, & efficiẽs aliquando ſint ſibi inuicem cauſæ, & ſimiliter formalis; non tamen reperitur quòd cauſa materialis, & formalis ſint ſibi inuicem cauſæ quo ad *eſſe* primum illorũ. Vnde ſic dicit 5. Metaph. tex. commen. 2. *Et ad inuicem cauſæ ſunt, vt laborare cauſa eſt euexiæ, & hæc laborandi, ſed non eodem modo, verum hoc quidem vt finis, illud verò, vt principium motus.* Hæc ibi. Et ſecundùm aliam tranſlationem, *Quia igitur cauſæ dicuntur multis modis, accidit vt plures cauſæ ſint eiuſdem, ſed modo accidentali, ars enim idolorum eſt cauſa, & cuprum etiam, & non eſt aliud, niſi per hoc, quod eſt idolum, ſed non eodem modo, ſed alterum eſt ad illud, ex quo fit motus, & exercitium, & ſanitas ſui ipſius ad inuicem, exercitium enim eſt cauſa ſanitatis, & ſanitas eſt cauſa exercitij, ſed non eodem modo, ſed hoc tanquam complementum, & hoc tanquam principium motus.* Et Commentator ibi dicit, *quòd ars idolificandi eſt cauſa idoli, & ſimiliter cuprum eſt cauſa idoli, ſed duobus modis; cuprum enim eſt cauſa materialis, ars autem idolificandi eſt cauſa mouens, & generans.* Et infrà: *Et cauſæ quæ ſunt in eadem re, ſunt cauſa ſui ipſius ad inuicem, ambulatio enim eſt cauſa ſanitatis tanquam agens. Sanitas autem eſt cauſa ambulationis tanquam finis.* Hæc ille. Quærat ergo iſte nouus expoſitor aliquem textum Ariſtotelis vel Commentatoris, qui expreſsè dicat, quòd cauſa materialis, & formalis ſint ſibi inuicem cauſæ, modo præexpoſito, quia in textu, quem allegauit, nihil horum reperitur.

Doctrina ſingularis.

36. Et cùm dicit, quòd oportet has reſponſiones à Scotiſtis admitti, quia cùm Scotus ponat 2. *Sent. diſt.* 3. *q.* 3. exiſtentiam eſſe vltimum actum poſteriorem tota coordinatione prædicamentali, licèt non diſtinctum realiter à re, cuius eſt, oportet eſſentiam materiæ ex natura rei habere habitudinem ad ſuam exiſtentiam, vt potentia ad actum, & ſic in genere cauſæ materialis cauſat ſuam exiſtentiam, recipiendo eam; ergo ſibi pro illo ſigno conuenit exiſtentia, & ſic habet exiſtentiam, antequam recipiat eam.

Dico, quòd ſi iſte adduceret aliquod dictum Thomæ, fortè crederetur ei quòd & dictum, & mentem S. Thomæ percipiat, ſed cùm adducit dicta Doctoris ſubtilis non creditur ipſum percipere, nec dicta, nec intentionem eius, vt patet in multis dictis, quæ adducit, quæ notaui in primo, & in iſto ſecundo: ſic non eſt mirum, quòd nunc adducat dictum Doctoris non rectè intellectum. Non enim dicit Doctor quòd eſſentia rei ſit cauſa materialis exiſtentiæ, nec etiam dicit quòd ſit in potentia receptiua eiuſdem, cùm talis potentia realiter diſtinguitur ab actu recepto: nec etiam dicit, quòd cauſa materialis eo modo, quo ponimus ſubiectum reſpectu paſſionis, à qua realiter non diſtinguitur, cùm exiſtentia rei nec ponatur paſſio, nec quaſi paſſio; eſt ergo exiſtentia rei tantùm gradus intrinſecus, cuius eſt, quia data

qua

quæcunque eſſentia in *eſſe* reali actuali,& circunſcripta paſſione, adhuc talis eſſentia verè exiſtit. Et de hoc vide diffusè,quæ expoſui *in iſto 2. diſt. 3.q.1. in corpore quæſt.*

37. Dico ſecundò, quòd etiam poſito quòd eſſentia ſit quaſi receptiua exiſtentiæ, non tamen ſequitur propoſitum ſuum, quia aliud eſt loqui de cauſa verè reali, per quam cauſatur aliud realiter diſtinctum; & aliud eſt loqui de cauſa, per quam quaſi cauſatur aliquid, quod eſt idem realiter. Primo enim modo talis cauſa neceſſariò exiſtit propria exiſtentia.Sed ſecundo modo non eſt verum.

Ad illud,quod dicit,reſpondendo ad primum argumentum Doctoris *q.2. præſentis diſt.*de ſeparabilitate materiæ à forma. Cùm dicit,quòd maior eſt falſa. Hîc non oportet multum inſtare, cùm propoſitio Doctoris ſit ita euidens, quòd nulli percipienti terminos debet eſſe dubia. Et cùm dicit,quòd non ſola dependentia,ſed neceſſaria connexio aliquorum poteſt eſſe cauſa inſeparabilitatis eorum,hoc dictum videtur implicare,maximè in abſolutis, quòd dentur aliqua duo abſoluta, inter quæ ſit neceſſaria talis connexio, quòd vnum non poſſit eſſe ſine altero; & quòd vnum ſit ſimpliciter independens ab altero.Sint *A*,& *B*:& *A* ponitur priùs *B*, & realiter diſtinctum à *B* & nullo modo dependens à *B* & quòd habeat neceſſariam connexionem ad *B*, videtur ſimpliciter impoſſibile.

38. Et cùm dicit ad illud de quinto Meraph.videlicet, Prius enim eo quòd prius non dependet à poſteriori.tex.comm. 16.cùm dicit,quòd vniuerſalis affirmatiua non cõuertitur ſimpliciter, quia iſta eſt vera,quæcunque poſſunt eſſe ſine aliis,& alia non ſine ipſis, ſunt priora; ſed non conuertitur, quæcunque ſunt priora, poſſunt eſſe ſine aliis,& alia ſine ipſis.Dico,quòd quantò plus nititur improbare ſolidiſſimam doctrinam Doctoris ſubtilis, tantò plus ſe oſtendit ipſam minimè percipere. Nec enim Doctor loquitur hîc de priori,à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequẽtia,imò vult hîc expreſsè,quòd ſicut materia poteſt exiſtere ſine forma per diuinã potentiam, ita forma poteſt exiſtere ſine materia:ſed accipit tamen hanc propoſitionem,quòd abſolutũ prius alio realiter diſtinctũ ab ipſo,à quo eſſentialiter non dependet per diuinã potentiam, poteſt exiſtere ſine illo alio. Siue modò illud aliud poſſit exiſtere ſine priori,ſiue non,non eſt ad propoſitũ Doctoris: cõmuniter enim nõ potens euidenter ſoluere aliquam rationẽ transfert ſe ad alia impertinentia, vt rationem illam declinet. Et cùm adducit inſtantias contra illam propoſitionem, primò de partibus eſſentialibus ſimul ſumptis reſpectu totius, quæ ſunt priores toto, & tamen non poſſunt exiſtere ſine toto. Dico, quòd ex quo totum eſſentialiter diſtinguitur à ſuis partibus,vt vult Doctor *in tertio,diſt.2. q. 2.* vbi vult, quòd totum eſſentiale ſit ens aliud ab omnibus partibus coniunctim, & diuiſim, videtur etiam non eſſe inconueniens,quòd dentur partes ſimul ſumptæ ſine illa tertia entitate cauſata ab illis,& hoc ſecundùm aliquos. Dico tamen, quòc hoc non eſt contra propoſitionem Doctoris,quia loquitur de abſoluto ſimpliciter prius alio, & ſic concedo quòd partes compoſiti,vt abſolutè ſumptæ,poſſunt exiſtere ſine tali compoſito;ſed partes, vt actu vnitæ non videntur poſſe exiſtere, & tunc non fit comparatio abſoluti ſimpliciter ,ſed abſoluti ſub relatione illa,quæ eſt vnio partium: ſicut etiam licèt Franciſcus abſolutè poſſit eſſe ſine filio, tamen vt ſub paternitate non poteſt exiſtere ſine filio, quamuis realiter diſtinguitur ab illo,ſic in propoſito.Dico etiam,quòd hæc inſtantia non eſt multùm ad propoſitum contra propoſitionem Doctoris, quia aliud eſt loqui de abſoluto priori realiter diſtincto, quo poſito non ſequitur neceſſariò neceſſitate abſoluta illud aliud, à quo realiter diſtinguitur; & aliud eſt loqui de abſoluto priori, &c. ad quod poſitum de neceſſitate abſoluta ſequitur aliud in *eſſe*, & *conſeruari*.

Totum eſſentiale realiter diſtinguitur à ſuis partibus.

39. Primo modo propoſitio Doctoris eſt vera, & minor ſubſumpta eſt ſimiliter vera, quia materia eſt ens abſolutum prius forma, realiter diſtinctum non dependens à forma, nec forma ad ipſum poſitum neceſſitate abſoluta dependet in *eſſe* & *conſeruari*.

Secundo modo fortè propoſitio non eſt vera, & ſic eſt in propoſito de partibus ſimul ſumptis reſpectu compoſiti, quia ipſis poſitis ſimul vnitis, ſic neceſſariò ſequitur vnitas compoſiti, quòd eſt impoſſibile ipſum non ſequi.Debet ergo intelligi propoſitio Doctoris de abſoluto priori non dependens à poſteriori, nec in *eſſe*,nec in *conſeruari*, quod non eſt cauſa ſimpliciter neceſſaria poſterioris in *eſſe*, & *conſeruari*. Dico etiam, quòd aliud eſt conſiderare abſolutum prius in ſe reſpectu poſterioris abſolutè ſumpti; & aliud etiam ipſum conſiderare vt cauſam ſimpliciter neceſſariam in *eſſe* & *conſeruari* reſpectu alicuius effectus. Et ſi primo modo non repugnat, poſſe exiſtere ſine poſteriori, ſecundo tamen modo repugnat eſſe ſine poſteriori, quia vt ſic, ponitur cauſa ſimpliciter neceſſaria reſpectu poſterioris, ſicut etiam dicit Doctor ſupra *diſt.1.q.5.* quòd non repugnat cœlo abſolutè ſumpto poſſe exiſtere ſine motu,tamen vt cœlum comparatur ad Intelligentiam mouentem, repugnat ſibi poſſe eſſe ſine motu, & hoc non ex ratione ſua propria, ſed quia Intelligentia ſecundùm viam Philoſophi de neceſſitate mouet cœlum; ſic in propoſito, partes compoſiti ex ſua ratione intrinſeca non repugnat poſſe exiſtere ſine entitate compoſiti; & ſi eis repugnat, ex hoc repugnat, quia ſimpliciter de neceſſitate, & ſimul vnita cauſant compoſitum, & ſic patet intellectus propoſitionis Doctoris, quem iſte ignorauit. Per hoc etiam patet ad aliam inſtantiam de quantitate reſpectu figuræ. Si enim daretur quantitas actu exiſtens propria exiſtentia prior figura realiter diſtincta ab illa, à qua non dependeret, quæ non eſſet cauſa neceſſaria abſolutè talis figurati, illa quantitas per diuinam potentiam poſſet exiſtere ſine figura. Sed vtrùm poſſit dari aliqua quantitas ſic realiter diſtincta à qualibet figura, hoc non eſt præſentis ſpeculationis.

Abſolutum non repugnat eſſe ſine poſteriori.

40. Ad aliud cùm dicit, quòd etſi forma non ſit de eſſentia materiæ, eſt tamen de eſſentia materiæ vt exiſtentis, patet ex *ſuprà* dictis hoc non eſſe verum, vbi oſtendimus materiam dicere propriam exiſtentiam. Et cùm dicit, quòd etſi Deus poſſit ſupplere cauſalitatem cauſæ efficientis, non tamen cauſalitatem cauſæ formalis, in hoc benè dicit: ſed cùm infert quòd *eſſe* exiſtentiæ materiæ eſt effectus formæ, hoc patet eſſe falſum, vt *ſuprà* diximus. Si enim *eſſe* exiſtentiæ materiæ, eſſet cauſatum à forma, certum

An forma ſit de eſſentia materiæ.

certum eſt quòd non eſſet cauſatum à tali forma in ratione cauſæ formalis, ſed ſimpliciter in ratione cauſæ efficientis, & ideò ratio Doctoris optimè concludit: Et per ea, quæ diximus *ſuprà* in exponendo rationes Doctoris patet ad illa alia quæ dicit iſte Doctor: illa enim diſtinctio de determinato, & vago in propoſito nihil valet, quia certum eſt quòd ſi *A* neceſſariò determinat ſibi aliquod genus formæ, & cùm non ſimul poſſit eſſe ſub toto illo genere, ſequitur quòd neceſſariò determinauit ſibi aliquam vnam formam, & ſic illam præcisè, quòd non poſſet eſſe ſub alia, aliter non determinaret illam neceſſariò: dicere enim quòd determinat ſibi vagè, hoc eſt fugere rationem Doctoris. Si enim ſignata quacunque non determinat ſibi neceſſariò nec iſtam, nec iſtam, ſtatim ſequitur quod nec etiam neceſſariò determinat ſibi genus formæ, & ſic patet improbatio huius noui expoſitoris.

41. *Reſpondet ad argumenta principalia.*

k *Ad Argumenta principalia.* Ad primum dicit quòd duplex eſt vnitas, ſcilicet identitatis, & vnionis aliquorum in tertio. Secundo modo materia, & forma ſunt magis vnum, quia conſtituunt vnum compoſitum magis per ſe vnum, quàm ſubiectum, & propria paſſio, & quæ ſunt ſic magis vnum vnitate vnionis, ſequitur quòd ſint minùs ſeparabilia. Sed benè ſequitur de illis, quæ ſunt magis vnum vnitate identitatis realis, quia quantò aliqua ſunt magis vnum, & idem realiter, tantò ſunt minus ſeparabila, & probat Doctor quòd illa, quæ ſunt vnum vnitate vnionis, quæ etiam ſunt valde ab inuicem ſeparabilia poſſunt habere ordinem ad aliquod vnum conſtituendum, quàm aliqua minùs ab inuicem ſeparabilia: patet, quia in maximè dependentibus poteſt eſſe ordo ad aliquod vnum, nam forma maximè dependet à materia cùm non poſſit exiſtere ſine materia virtute naturali, & è contra. Et tamen ex his ſit per ſe vnum tertium, & ſi maximè dependent ab inuicem, ſequitur quòd inter illa eſt vera diſtinctio, & ſeparatio, & aliqua ſunt inter quę eſt minima dependentia, quæ tamen non poſſunt ordinari ad aliquod vnum, quia duæ albedines numero minimè dependent ab inuicem, & tamen non poſſunt ordinari ad aliquod vnum conſtituendum.

Difficultas. Sed in litera accidit difficultas, quia dicit Doctor quòd vnitas vnionis per ſe aliquorum, communiter requirit maiorem diſtinctionem illorum, & quantò magis vnum per ſe, tantò videtur maior diſtinctio: ſed contrà, quia ipſe *in primo, diſt.* 5. *q.* 2. vult quòd perſona diuina ſit maximè vna, conſtituta ex eſſentia & proprietate: & ibi non loquitur de vnitate identitatis realis, vt patet *ibi*, & *diſt.* 26. & tamen conſtituentia ſunt magis vnum per ſe, quàm conſtituentia aliquod compoſitum creatum.

Reſponſio. Dico, quòd hæc eſt parua difficultas, primò, quia hîc loquitur de vnitate vnionis in aliquo tertio, quæ vnio ſemper requirit diſtinctionem realem partium vnibilium; in diuinis autem ad intrà non eſt aliqua vnio aliquorum reſpectu tertij, quia nulla conſtituentia tertium in diuinis diſtinguuntur realiter ab inuicem. Tum etiam, quia Doctor hîc loquitur de compoſito per ſe ex partibus eſſentialibus, quarum vna eſt per ſe potentia, & alia per ſe actus, vt patet *in quæſt. præcedenti*, & 8. *Met.* in diuinis autem ad intrà nulla eſt compoſitio, vel quaſi compoſitio, nec potentia, vel quaſi potentia, vt patet *in* 1. *d.* 5. *q.* 2. & *diſt.* 16. Dicitur ergo in diuinis perſona maximè per ſe vna, quia eſſentia diuina conſtituens eſt infinita. Tum, quia terminus formalis productionis vnius perſonæ eſt formaliter infinitus, qui eſt ipſa eſſentia diuina, vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 2. & *diſt.* 5. *q.* 2. & *diſt.* 26. Tum etiam; quia perſona conſtituta nullam imperfectionem præſupponit in conſtituentibus, cuius compoſitum ſit, quia præſupponit potentialitatem. Ad ſecundum patet reſponſio.

42. *Materia eſt infimum ens.*

l *Sed dices.* Hîc arguit Doctor probando quòd materia ſit minimum ens inter omnia entia, ſicut ex quo Angelus eſt ens ſupremum ſubſtantiale creatum, & materia infima ſubſtantia creata, videtur ſequi quòd ſicut nihil alterius generis à ſubſtantia poteſt fieri ſuperius ipſo Angelo, ergo nihil alterius generis à ſubſtantia poteſt fieri inferius ipſa materia; ergo ipſa materia eſt minimum ens ſimpliciter. Reſpondet quòd non eſt ſimile, quia nullum eſt genus, quod ſit ſuperius ſubſtantia, etiam minima, ſed omnia genera ſunt ſimpliciter inferiora etiam ad minimam ſubſtantiam.

m *Sed circa materiam.* Dicit Doctor quòd non ſunt aliquæ priuationes oppoſitæ in materia, niſi ſint priuationes formarum oppoſitarum immediatarum: exemplum de ſanitate, & infirmitate, quæ ſunt oppoſita immediata circa idem. Neceſſe eſt enim corpus humanum eſſe ſub altera illarum formarum, nam dum eſt ſub ſanitate, eſt ibi priuatio ægritudinis, & è contra; modò circa materiam, abſolutè loquendo, nullæ ſunt formæ oppoſitæ immediatè, ita quòd de neceſſitate altera illarum inſit, quæ dicatur *A* cum priuatione alterius, quæ dicatur *B*, ſic quòd ipſum *A* non poſſit expelli à materia, niſi immediatè introducatur ipſum *B*. Patet enim quòd ſtante materia ſub quacunque forma, immediatè fieri poteſt ſub alia, quæcunque ſit illa, vt puta ſi eſt ſub forma ignis, abſolutè poteſt priuari illa forma, & fieri ſub quacunque alia; nam Deus poteſt expellere illam formam, & introducere quamcunque aliam, ſicut ſibi placuerit, quod non poſſet fieri ſi illę formæ eſſent, oppoſitæ immediatè circa idem. *Doctrina ſingularis.*

43. Addit tamen Doctor quòd aliquæ formæ ſunt immediatè circa materiam, comparando ipſam ad agens naturale, quia agens naturale agit tantùm in quanto. Exemplum, ignis agit in aërem, ſic agit in aërem, quòd de neceſſitate expellit formam aëris, & tantùm introducit formam ignis, & non aliam poteſt introducere; & ſic forma ignis, & forma aëris poſſunt dici formæ oppoſitæ immediatè circa materiam, vt materia aëris comparatur igni, qui eſt cauſa naturalis. Cùm verò dicit quòd agens naturale immediatè non poteſt attingere ad nudam eſſentiam materiæ, videtur ſibi contradicere, quia in 4. *diſtinct.* 12. vult quòd agens naturale producat formam ſuam ſubſtantialem in materia immediatè, expellendo formam priorem, ergo immediatè attingit illam, maximè in compoſito, vbi non ſunt plures formæ, ſicut forte in ſimplicibus, puta in elementis.

Dico, quòd non eſt contradictio, quia hîc intelligitur, quòd agens naturale immediatè non

non attingit materiam, id eſt, quòd non poteſt immediatè agere circa illam, niſi priùs expellat diſpoſitiones contrarias, puta in aere, facientes pro conſeruatione aeris, & non poteſt illas expellere, niſi introducat diſpoſitiones facientes pro forma introducenda: & ſic debet intelligi, ſed in vltimo inſtanti diſpoſitionis immediatè attingit materiam, producendo formam ſubſtantialem in materiam, expellendo aliam ſibi contrariam.

Nec etiam Deus, &c. Dicit Doctor, quòd ſequendo viam Ariſtotelis Deus non poſſet facere materiam ſine forma, quia ipſe vult quòd ſit neceſſarius ordo inter cauſas primas, & ſecundas, quia impoſſibile eſt, apud ipſum, primam cauſam poſſe producere aliquod materiale, vel corrumpere, ſine cauſa ſecunda, & quia cauſa ſecunda nunquam poteſt expellere vnam formam à materia, niſi neceſſariò introducat aliam, ideò Deus, qui non poteſt aliquid cauſare in iſtis inferioribus, niſi mediantibus cauſis ſecundis, non poteſt facere materiam ſine forma, ſed ſi Ariſtoteles negaſſet talem ordinem cauſarum, & poſuiſſet Deum immediatè poſſe agere ſine ſecunda cauſa, haberet concedere, quòd poſſet facere materiam primam ſine forma.

SCHOLIVM.

Soluit quinque rationes allatas n. 2. pro ſententia D. Tho. & ſunt faciles.

7. AD primam [n] rationem alterius opinionis dico, quòd ſi accipiatur actus, prout diſtinguitur contra potentiam ſecundùm quæ, ſcilicet actum, & potentiam, totum ens diuiditur; ſic actus non conuertitur cum forma. Secundùm hoc enim, omne quod eſt extra cauſam ſuam, eſt in actu: & ſecundùm hoc etiam priuationes dicuntur eſſe actu: vnde cæcitas dicitur eſſe actualiter in oculo carente viſu, ſicut dicitur in quarto, & ſeptimo Metaphyſ. Si autem loquaris de actu, ſecundùm quòd loquitur Philoſophus 7. Metaphyſ. ſcilicet ſecundùm quòd eſt actus receptus, & actuans, & diſtinguens: ſic diſtinguitur contra receptiuum: & materia eſt receptiuum illo modo, & non eſt actus. *Tex. 2. 4. & 27.* *Tex. 23. & 49.*

Ad auctoritatem Boëtij, omne *eſſe* eſt à forma, verum eſt *eſſe* ſpecificum, & perfectum. Vel dicendum, quòd loquitur de facto, & non de poſſibili fieri per potentiam Dei, & *eſſe* etiam formale, licèt ſit communicatum materiæ à forma; tamen eſt communicatum materiæ *eſſe* proprium, quod eſt idem cum eius eſſentia, non ſibi communicatum à forma, ſicut nec eius eſſentia. *Vide 9. Met. t. 27. & 10.* *Met. t. 15.* *Quale eſſe eſt à forma.*

Ad aliud dico [o], ſiue idea accipiatur pro obiecto cognito, ſiue pro ratione cognoſcendi, falſum eſt quòd materia non habeat ideam: imò quocunque modo idea accipiatur; Dico, quòd materia ipſa habet ideam. Sicut enim materia eſt quid creabile diſtinctum à forma, ſic eſt quoddam ideale, quod habet ideam diſtinctam: ſiue etiam idea ponatur ratio imitandi eſſentiam diuinam in tali gradu, adhuc habet ideam, quia alium gradum imitandi habet materia eſſentiam diuinam, quam forma, vel aliud quodcunque. *De hoc 1. d. 3. q. 4. & d. 35. & 39.*

8. Ad aliud quod ipſi dicunt, quòd Deus non habet actionem in eam: Dico, quòd falſum eſt: & ſi dicunt hoc doctores periti, non tamen in hoc ſunt periti: imò ſecundùm eos, habet eam pro termino actionis ſuæ: ergo poteſt aliquid circa eam agere: & hoc concedunt alij, quòd nullum agens naturale poteſt attingere eſſentiam materiæ. Deus tamen poteſt, vt illi dicunt in quarto Sententiarum, & hoc neceſſariò habent dicere ſui ſequaces.

Ad aliud de analogia [p], quod illud recipitur tantùm in vno realiter, & in aliis per attributionem: Dico, quòd hoc eſt falſum, quia ſi ita eſt in vno exemplo, in centum eſt contrarium, nulla enim maior eſt analogia, quàm ſit creaturæ ad Deum in ratione eſſendi; & tamen ſic eſſe, primò & principaliter conuenit Deo, quòd tamen realiter, & vniuocè conuenit creaturæ. Simile eſt de bonitate, & ſapientia, & huiuſmodi. Gradus etiam ſunt in perfectionibus ſpecierum, & per attributionem ſe habent ad aliquam perfectionem, & tamen non eſt tota perfectio in vna: nec etiam tota entitas in ſubſtantia ita quod accidens non ſit ens, nec habeat formalem entitatem, quamuis per attributionem ſe habeat ad ſubſtantiam. Nec etiam exemplum multum valet: quia non eſt idem conceptus ſanitatis, qui dicitur de vrina, & de animali, & de dieta: nam non eſt idem formalis conceptus ſanitatis, vt eſt æqualitas humorum, & vt eſt quid cauſatiuum ſanitatis, vel ſignificatiuum ſanitatis, licèt in vtroque materialiter includatur formalis conceptus ſanitatis: & tunc dico, quòd huiuſmodi conceptus ſunt formaliter diuerſi in illis, de quibus dicuntur. Nam cauſatiuum ſanitatis eſt formaliter in diæta, vel in tali potione, vel herba: ſignificatiuum in vrina eſt: & hi conceptus formaliter diuerſi, ordinantur ad illum conceptum ſani *Sanitas formaliter eſt tantùm in animali.*

ſanitatis, qui eſt æqualitas, vel proportio humorum, quæ vt ſic, formaliter eſt ſolùm in animali.

9. Henr. quodl.1. q.10. Ad aliud reſpondet vnus doctor, [9] quòd materia poteſt intelligi habere triplex *eſſe*. Primò *eſſe* ſuum, quòd debetur ſibi ſecundùm quòd eſt aliqua eſſentia diſtincta à quacunque alia. Aliud *eſſe*, quod communicatur ſibi à forma. Tertium *eſſe*, quod communicatur ſibi ſupernaturaliter à Deo: & illud *eſſe* communicatum ſibi à Deo, non habet, quando eſt in compoſito: quia repugnaret per ſe vnitati * ſuppoſiti: ſed illud haberet, ſi Deus faceret ipſam ſine forma. Sed hoc eſt falſum, quia hoc non eſt aliud dicere, quàm materiam, ſine omni addito non poſſe eſſe ſine forma.

al. compoſiti.

Item ſicut accidenti, poſtquam panis tranſſubſtantiatur, non communicatur aliud *eſſe* quàm habuit, quando fuit actu informans panem, ſed idem ſibi conſeruatur (ſicut probabitur in quarto libro) ergo ſimiliter in propoſito non communicaretur materiæ aliud *eſſe* ab illo, quod habet dum eſt ſub forma.

d.12.q.1.

Et eædem rationes quæ ibi poſitæ ſunt de accidentibus, concludunt de materia.

Si verò intelligit ſic, quòd materiæ ſeparatæ à forma, & ſine forma communicatur *eſſe* à Deo, non actus aliquis: ſed negatio ipſius *eſſe* communicati à forma, id eſt, quod materia ſit per ſe exiſtens, ſine *eſſe* ſibi communicato à forma, ita quòd per ſe eſſe, ſit quædam negatio talis *eſſe* communicati à forma, quia in iſto *eſſe* per ſe, non recipit *eſſe* à forma: ſi, inquam, ſic intelligit, poteſt concedi, quòd materiæ ſeparatæ communicatur à Deo huiuſmodi *eſſe*, vel per ſe eſſe negatiuè, vt dictum eſt: & conſequenter etiam poſſet dici quòd tale *eſſe* non conuenit ſibi in compoſito: & eadem ratione, ſicut ſuprà dictum eſt: quia compoſitum, ſecundùm hoc, non eſſet vnum, oportet enim ad vnitatem per ſe compoſiti, materiam recipere formam, & ſubeſſe formæ, non quod tunc materiæ detur aliqua actualitas noua quando non eſt ſub forma.

10. Poſſet etiam fieri vna ratio contra concluſionem principalem ſic: Materia videtur plus dependere à forma, quàm forma quæcunque à materia: ſed formæ naturales aliquæ non poſſunt ſeparari à materia: ergo nec materia à forma. Minorem probo, quia ſi eſſent ſeparatæ, eſſent ſpirituales, & ſic intellectuales, & per conſequens immateriales: ſed formam talem eſſe intellectualem, vel formam materialem eſſe immaterialem, videtur includere contradictionem: ergo nec materia poteſt ſeparari à forma.

Formam ſeparabilem eſſe à materia.

Poteſt dici vno modo, quòd licèt entitas materiæ ſit minùs perfecta, quàm formæ, non tamen plus eſt dependens, imò minùs, & ideò poteſt fieri ſine forma, & non è conuerſo.

Alio modo poteſt dici, quòd forma eſt magis ens: nec tamen eſt cauſa conſtituens *eſſe* materiale, ſed eſt cauſa concurrens ad *eſſe* compoſiti conſtituendi; & ideò poteſt ſeparari forma à materia, ſicut è conuerſo.

Et ad probationem, iſtæ formæ eſſent ſpirituales, Dico, quòd non oportet; quia ſicut quantitas eſt forma eiuſdem naturæ, quando ſeparatur, & quando eſt in ſubiecto, ſic etiam iſtæ formæ eſſent eiuſdem naturæ, ſi ſeparentur, ſicut cùm ſunt conjunctæ, ſiue cùm informant materiam, nec eſſent intellectuales, quia hoc repugnat eis ſecundùm ſe.

COMMENTARIVS.

1. n AD primam rationem alterius opinionis Sancti Thomæ Reſpondet Doctor *quòd ſi accipiatur actus prout diſtinguitur contra potentiã*, &c. Dicit quòd materia ſeparata à forma non eſt potentia, accipiendo *potentiam*, ſicut dicimus quòd ens diuiditur in actum, & potentiam, quia illa potentia eſt tantùm potentia obiectiua: ſed materia eſt in potentia ſubiectiua, quia habens *eſſe* extra ſuam cauſam. Addit Doctor, quòd ipſa non eſt actus receptus, vel actuans, & diſtinguens, quia hoc competit formæ; ſed materia eſt benè actus receptiuus. Sed quia dicit quòd *diſtinguere tantùm competit formæ*, debet intelligi de diſtinctione ſpecifica, & formali; patet, quia certum eſt quòd ipſa materia etiam diſtinguit compoſitum materiale à non materiali; etiam certum eſt quòd ipſa materia diſtinguitur à forma, & non per formam. Dico ergo quòd ipſa materia poteſt diſtinguere materialiter compoſitum materiale à non materiali: diſtinguitur etiam à forma per ſuam propriam entitatem, & non per formam. Si ergo comparatur compoſitum, & materia, & forma ad aliud, dico, quòd forma eſt ratio diſtinguendi ipſum formaliter & ſpecificè, & non materia. Si verò forma comparatur ad materiam, dico, quòd non eſt ratio ipſam diſtinguendi, ſed ipſa forma entitatiua diſtinguitur ab entitate materiæ.

Quomodo materia non ſit potentia.

2. o Ad ſecundã reſpondet quòd ſi *idea* accipiatur pro obiecto cognito, puta, ꝙ homo cognitus ab intellectu diuino dicatur idea hominis, vt ipſe Doctor intẽdit *in* 1.*d.*3.*q.*4. *&d.* 35.36. *&*39. ipſa materia habet ideã in mẽte diuina. Si verò accipiatur pro

Quomodo materia habeat Ideam.

pro ratione cognoſcendi, quia alij dicunt, quòd in eſſentia diuina ſunt rationes aliæ, & aliæ cognoſcendi obiecta, & illæ rationes dicuntur ideæ, & non ipſa obiecta cognita, cuius oppoſitum probatum fuit ſuprà *in* 1. *diſt.* 35. Si tamen ſic accipiantur ideæ, dico, quòd materia prima habet ideam in mente diuina, quia ſic poteſt habere rationem cognoſcendi in mente diuina, ſicut forma, & compoſitum, cùm ipſa materia prima ſit verè creabilis.

Ad tertiam patet reſponſio.

Subſtantia & accidens analogantur in ente.

p Ad quartam patet vſque ad illud: *Nec etiam exemplum*, &c. Vult enim dicere, quòd ſi ſubſtantia, & accidens analogantur, puta in ente, quòd ipſum ens eſt tantùm realiter in primo analogato, quod eſt ſubſtantia, & in accidente non ſit realiter, ſed tantùm per attributionem ad ſubſtantiam, & exemplificat hîc, quia vrina, & corpus ſanabile analogantur in ſanitate, ita quòd primum analogatum eſt corpus ſanabile, ideò ſanitas eſt tantùm realiter in corpore ſanabili, & in vrina tantùm per attributionem; & ſic arguit in propoſito de *eſſe* reſpectu formæ, & materiæ, quia forma, & materia analogantur in ipſo *eſſe*, & primum analogatum eſt ipſa forma: ergo ipſum *eſſe* eſt tantùm realiter in ipſa forma, & in materia, tantùm per attributionem ipſius ad formam, & patet quòd illa propoſitio eſt manifeſtè falſa.

3. Dicit ergo Doctor quòd exemplum non eſt ad propoſitum, quia ſanitas illa eſt analogum æquiuocum, & illud tale realiter recipitur in vno primò analogato, quia *ſanitas* in communi dicit tantum nomen: ſi ergo accipiatur pro potiori ſignificato, & pro vera ſanitate, illa tantùm reperitur in adæquatione humorum. Quando autem analogum eſt vniuocum, quod non tantùm dicit nomen commune, ſed etiam conceptum, vt *animal* reſpectu hominis, & aſini, non ſequitur quòd animal tantùm reperiatur in homine, loquendo de vero animali, & nullo modo realiter reperiatur in aſino: ſic in propoſito, *eſſe* reſpectu materiæ, & formæ eſt analogum vniuocum, dicit enim vnum nomen, & eandem rationem ſecundùm illud nomen communem materiæ, & formæ: ideò non ſequitur, *eſſe* principaliter eſt in forma, & realiter; ergo realiter non eſt in materia: & ſic patet quòd exemplum non eſt ad propoſitum. Et quòd *ſanitas* ſit analogum, & æquiuocè, oſtendit Doctor ibi, quia illud eſt æquiuocum pluribus, quod eſt vnum ſecundùm nomen, ſed ſunt diuerſæ rationes ſecundùm illud nomen ſumptæ, vt patet de *cane* reſpectu canis latrabilis, & piſcis marini, nam vterque eſt canis, ita quòd nomen *canis* eſt commune illis, ſed eſt alia ratio canis latrabilis ſumpta ſecundùm nomen *canis*, & alia piſcis marini.

q Ad quintum *Reſpondet vnus Doctor*, &c. Arguit modò Doctor contra hoc, quod dicit ille Doctor, quòd quando materia ſeparatur à forma, Deus communicat ſibi *eſſe*. Dicit Doctor quòd hoc eſt falſum, quia tunc materia prima ſeparata non poſſet habere *eſſe*, niſi per aliquod ſibi additum, quod videtur inconueniens, videtur enim quòd illud proprium *eſſe*, quod habet in compoſito, illud idem habeat ſeparata ab ipſo, quia nec à compoſito, nec à forma, habet ſuum proprium *eſſe*, quia ſi ſeparetur à forma, non oportet dare ſibi nouum *eſſe* quo exiſtat, &c. Litera ſequens eſt clara.

DISTINCTIO XIII.

De productione lucis.

A PRima autem diſtinctionis operatio fuit formatio lucis, ſicut oſtendit ſcriptura Geneſis, quæ commemorata rerum informitate, earum diſpoſitionem à luce inchoauit, ſubdens: Dixit Deus, Fiat lux: & facta eſt lux, & diuiſit lucem à tenebris, appellauítque lucem diem, & tenebras noctem. Et factum eſt veſpere & manè dies vnus. Congruè mundi ornatus à luce cœpit: vnde cætera quæ creanda erant, viderentur.

Qualis fuerit lux illa, corporalis an ſpiritualis?

B SI quæritur, qualis illa lux fuerit, corporalis ſcilicet, an ſpiritualis? Id reſpondemus quod à ſanctis Patribus legimus traditum. Dicit enim Auguſtinus quia lux illa corporalis, vel ſpiritualis intelligi poteſt. Si ſpiritualis accipitur, Angelica natura intelligitur, quæ priùs informis fuit, ſed poſtea formata eſt cùm ad Creatorem ſuum conuerſa ei charitate adhæſit: cuius informitatis creatio ſuperiùs ſignificata eſt, vbi dictum eſt: In

Lib. Gen. ad literam 1.c.3.

principio creauit Deus cœlum & terram. Hic verò eiuſdem formatio oſtenditur cùm ait, Fiat lux, & facta eſt lux. Hæc ergo Angelica natura priùs tenebræ, & poſtea lux fuit, quia priùs habuit informitatem & imperfectionem, deinde formationis perfectionem; & ita diuiſit Deus lucem à tenebris. Nam vt ait Auguſtinus ſuper Geneſ. [Huius creaturæ informitas & imperfectio fuit antequam formaretur, in amore conditoris. Formata verò eſt quando conuerſa eſt ad incommutabile lumen Verbi.] Si verò corporalis fuit lux illa, quod vtique probabile eſt, corpus lucidum fuiſſe intelligitur, velut lucida nubes: quod non de nihilo, ſed de præiacenti materia formaliter factum eſt vt lux eſſet, & vim lucendi haberet cum qua dies prima exorta eſt, quia ante lucem nec fuit dies, nec nox, licèt tempus fuerit.

Lib. 1. c.5.

Hic de corporali lupe.

Quòd lux illa facta eſt, vbi Sol apparet, quæ in aquis lucere poterat.

C SI autem quæritur, Vbi eſt facta lux illa, cùm abyſſus omnem terræ altitudinem tegeret? Dici poteſt in illis partibus facta eſſe, quas nunc illuſtrat Solis diurna lux. Nec mirum lucem in aquis poſſe lucere, cùm etiam nautarum operatione ſæpiùs illuſtrentur, qui in profundum merſi, miſſo ex ore oleo aquas ſibi illuſtrant: quæ multò rariores fuerunt in principio quàm modò ſunt: quia nondum congregatæ fuerant in vno loco. Facta eſt ergo lux illa, quæ vicem & locum Solis tenebat: quæ motu ſuo circumagitata, noctem diémque diſcernebat. Ibi ergo primum lucem apparuiſſe veriſimile eſt, vbi Sol quotidiano curſu circumuectus apparet, vt eodem tramite lux circumcurrens, ac primò ad occaſum deſcendens veſperam faceret: deinde reuocata ad ortum, auroram, id eſt, manè illuſtraret: & ita diuiſit Deus lucem & tenebras, & appellauit lucem diem, & tenebras noctem.

Quod dies diuerſis modis accipitur.

D HIc notandũ eſt, quòd dies diuerſis modis accipitur in ſcriptura. Dicitur dies lux illa, quæ illo triduo tenebras illuminabat: & dicitur dies enim illuminatio ipſa aëris. Dicitur etiá dies ſpatium vigintiquatuor horarum: qualiter accipitur cùm dicitur, Factum eſt veſpere & manè dies vnus. Quod ita diſtinguendum eſt, factum eſt veſpere priùs, & poſtea manè: & ita fuit dies vnus expletus viginti quatuor horarum. Dies, ſcilicet naturalis, qui habuit veſperam, ſed non manè. Manè enim dicitur finis præcedentis, & initium ſequentis diei, quod eſt aurora: quæ nec plenam lucem, nec omnino tenebras habet. Manè ergo primus dies non habuit: quia nec dies præceſſerat, qui ſequentis diei initio terminaretur: & eo præcipuè: quia luce apparente, mox ſuper terram plenus atque præclarus dies extitit; qui non ab aurora, ſed à plena luce inchoauit: & manè ſequentis diei conſummatus eſt. Vnde Beda ſuper Geneſ. [Decebat vt dies à luce inciperet, & in manè ſequentis diei tenderet: vt opera Dei à luce inchoaſſe, & in lucem completa eſſe ſignificarentur.] Reliqui autem dies manè habuerunt, & veſperam: quorum quiſque à ſuo manè incipiens, vſque ad alterius diei manè tendebatur.

Aug. ſuper Gen. c.10. Qualiter diſtingui debeat illud, Et factum eſt veſpere & mane dies vnus.

Beda in gloſſa ſuper prin. Gen aſcribitur Aug. ſententia.

De

De naturali ordine computationis dierum, & de illo qui pro myſterio introductus eſt.

E HIc eſt naturalis ordo diſtinctionis dierum, vt diſtinguantur atque computentur dies à manè vſque ad manè. Poſtea verò in myſterio factum eſt, vt dies computentur à veſpera in veſperam, & adiungatur dies præcedenti nocti in computatione: cùm iuxta naturalem ordinem præcedens dies ſequenti nocti adiungi debeat: quia homo à luce per peccatum corruit in tenebras ignorantiæ & peccatorum, deinde per Chriſtum à tenebris ad lucem rediit. Vnde Apoſtolus, Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Primus itaque dies non ab aurora, ſed à plena luce incipiens, & poſt veſperam paulatim occidente luce excipiens manè ſequentis diei, expletus eſt. Vnde Beda [Occidente luce & paulatim poſt ſpacium diurnæ longitudinis inferiores partes ſubeunte, factum eſt veſpere: ſicut nunc vſitato curſu Solis fieri ſolet. Factum eſt autem manè eadem luce ſuper terram redeunte, & alium diem inchoante: & dies expletus eſt vnus viginti quatuor horarum. Fuítque nox illo triduo omnino tenebroſa, quæ poſt creata ſidera aliqua luce claruit.

Exod.12.

Ephes.5.

Beda in gloſ. ſuper Gen. attribuitur Auguſt.

Cur Sol factus eſt, ſi lux illa ſufficiebat?

F SOlet autem quæri, [quare factus eſt Sol, ſi lux illa ad faciendum diem ſufficiebat? Ad quod dici poteſt, quoniam lux illa fortè ſuperiores partes illuſtrabat, & ad illuminationem inferiorum Solem fieri oportebat. Vel potiùs ideò, quia facto Sole diei fulgor auctus eſt. Ampliori enim multò luce radiauit dies poſtea, quàm antè.] Si autem quæritur, quid de luce illa factum ſit, cùm modò non appareat? Poteſt dici aut de ea corpus Solis formatum, [aut in ea parte cœli eſſe in qua Sol eſt: non quod ipſa ſit Sol, ſed ſic ei vnita, vt diſcerni non valeat.]

Aug. ſuper Gen. ad literam li. 1. c. 11.

Ibidem, c. 10. refert iſtam ſententiam Aug. non approbans eam.

Quomodo accipiendum ſit illud, dixit Deus, *an ſono vocis id Deus dixerit, an aliter?*

G PRæterea inueſtigandum eſt quomodo accipiendum ſit quod ait, *Dixit Deus*, vtrùm temporaliter, vel ſono vocis illud dixerit, an alio modo? Auguſtinus ſuper Geneſim tradit, [nec temporaliter, nec ſono vocis Deum locutum fuiſſe: quia ſi temporaliter, & mutabiliter. Et ſi corporaliter dicatur ſonuiſſe vox Dei, nec lingua erat quâ loqueretur, nec erat quem oporteret audire & intelligere. Benè ergo vox Dei ad naturam Verbi, per quod omnia facta ſunt refertur. Dixit ergo Deus *fiat*, &c. non temporaliter, non ſono vocis, ſed in Verbo ſibi coæterno, id eſt, Verbum genuit intemporaliter in quo erat: & diſpoſuit ab æterno, vt fieret in tempore, & in eo factum eſt.]

Aug. lib. 1. c. 2. 4. & 9.

Quomodo accipiendum ſit quod dicitur Pater operari in Filio, vel per Filium, vel in Spiritu ſancto.

H Hic quæri ſolet, quomodo accipiendum ſit quod dicitur Pater operari in Filio, vel per Filium, vel in Spiritu ſancto. Hæc enim ſcriptura frequenter nobis proponit: vt, Omnia in ſapientia feciſti Domine, id eſt, in Filio: &, In principio, id eſt in Filio, creauit Deus cœlum & terram. Et illud, Per quem fecit & ſecula. Super illum quoque Pſalmi locum, Verbo Domini cæli firmati ſunt, &c. dicit Auguſtinus [quòd Pater operatur, per Verbum ſuum & Spiritum ſanctum.] Quomodo ergo hoc accipiendum eſt? Putauerunt quidam hæretici, quòd Pater velut auctor & artifex, Filio & Spiritu ſancto in rerum operatione quaſi inſtrumento vteretur, ex prædictis verbis errandi occaſionem ſumentes: quod velut blaſphemum, atque ſanæ doctrinæ aduerſum abiicit pia fides. Non eſt itaque intelligendum, ideò ſcripturam frequenter commemorare Patrem operari in Filio, vel per Filium, tanquam Filius non poſſet facere, ſi ei non porrexiſſet Pater dexteram, vel tanquam aliquod inſtrumentum fuerit Patris operantis, ſed potiùs illis verbis Patrem intelligi voluit cum Filio & Spiritu ſancto operari, & ſine eis nihil facere.

Pſal. 103. Geneſ. 1. Heb. 1. a. Pſal. 32. b.

Hic aperit ex quo ſenſu dicatur Pater operari in Filio vel per Filium.

Contra hanc expoſitionem ſurgit hæreticus,

I SEd dicit hæreticus, hac ratione poſſet dixiſſe Filium operari per Patrem, vel in Patre, & Spiritum ſanctum cum vtroque, vel per vtrunque, quia Filius cum Patre, & Spiritus ſanctus cum vtroque operatur. Cui breuiter reſpondetur, Ideò illud dictum eſſe, & non iſtud, vt in Patre monſtraretur auctoritas. Non enim Pater à Filio, ſed Filius à Patre operatur, & Spiritus ſanctus ab vtroque. Ideóque etiam Filius per Spiritum ſanctum legitur operari, quia cum Spiritu ſancto operatur hoc ipſum à Filio, habente vt operetur.

Ioan. 16. c.

Alia prædictorum expoſitio.

K POteſt & aliter illud accipi, vt dicatur Pater in Filio, vel per Filium operari, quia eum genuit omnium opificem: ſicut dicitur Pater per eum iudicare, quia genuit iudicem: ita & per Spiritum ſanctum dicitur operari ſiue Pater, ſiue Filius: quia ab vtroque procedit Spiritus ſanctus factor omnium. Vnde Ioannes Chryſoſtomus in expoſitione Epiſtolæ ad Hebræos ſic ait, [Non vt hæreticus inaniter ſuſpicatur tanquam aliquod inſtrumentum Patris extiterit Filius: neque per eum Pater dicitur feciſſe, tanquam ipſe facere non poſſet, ſed ſicut dicitur Pater iudicare per Filium; quia iudicem genuit: ſic etiam dicitur operari per Filium, quia eum conſtat opificem genuiſſe. Si enim cauſa eius Pater eſt, ſecundùm quòd Pater eſt, multò amplius eorum cauſa eſt, quæ per Filium facta ſunt.] Hæc de opere primæ diei dicta ſunt.

Chryſoſt. Hom. 2. ad primum caput ad Hebræos.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm lux gignat lumen tanquam propriam ſpeciem ſenſibilem ſui?

Alenſis 1.*p.q.*2.*m.*3.*a.*1.*&* 2.*p.q.*46.*m.*5.D.Bon.*hîc a.*3,*q.*1.Ric.*a.*2.*q.*1.2.3.Henr.*quodl.*3.*q.*12.D.Dh.1. *p.q.*67.*a.*2.3.Dur.*hîc q.*2.Auic.6.*nat.p.*5.*c.*20.Ariſt.1.*de Anima c.*7.Conimbr.2.*de cælo c.*7.*q.*4.

CIrca iſtam diſtinctionem decimam tertiam quæro ſimul de luce,& lumine, & primò quæro, Vtrùm lux gignat lumen tanquam propriam ſpeciem ſenſibilem ſui? Quòd non Auguſtinus ſeptimo ſuper Gene.ad literam: *Anima illuſtrat corpus per lucem,& aërem,&c.*

Prætereà,lumen gignit ſubſtantiam,vt patet de igne:ergo eſt ſubſtantia.Prætereà,lumen frangitur,& reflectitur: ergo eſt corpus,quia iſtæ ſunt paſſiones corporis.

Prætereà,quòd non ſit ſpecies, quia denominat medium, non ſic ſpecies coloris. Excludit etiam oppoſitum, ſcilicet tenebram, non ita ſpecies: ſimul enim ſunt ſpecies oppoſitorum,vt ſimul ſunt ſpecies albi,& nigri in medio.Tertiò,quia habet effectum realem in medio,& organo,ſcilicet viſum corrumpere,& gignere calorem: effectus realis non conuenit ſpeciei,&c.

Contrà,lux eſt de ſe ſenſibilis,*ſecundo de Anima*, ergo habet aliquam ſpeciem ſenſibilem,non aliam à lumine:ergo,&c. *Tex.68. Vide Auicen. 6. naturalium, parte 3.c.1*

Hîc tria ſunt videnda.Primò quid ſit lux. Secundò, quid lumen. Tertiò, qualiter lumen à luce gignatur.

SVPPLEMENTVM R. P. PONCII.

Circa iſtam diſtinctionem 13. Cur hanc quæſtionem non explicauerit Lychetus, nec coniicere quidem poſſum; in primis enim nulla occurrit,quin ex ſcripto Anglico ſit, dubitandi ratio;deinde non tam facilis eſt, quin tam indigeat explicatione quàm aliæ plurimæ ab ipſo explicatæ:Prætereà ſi fuiſſet etiã facilis, hoc ipſum ſignificandum erat, vt in ſimilibus aliis occaſionibus ſolebat. Vt vt ſe res habet quoad Lychetum, nunc aliqua addenda maioris claritatis gratiâ iudicabantur. Et quantùm ad ea quæ continet,propoſitis tribus rationibus pro parte negatiua,& vna pro affirmatiua,decernitur primò lucem non eſſe ſubſtantiam:ſecundò,idem docetur de lumine, & oſtenditur eſſe ſpeciem ſenſibilem lucis:tertiò declaratur, quomodo lux cauſatur à lumine, vbi multa ad perſpectiuam ſpectantia tanguntur:quartò denique ſoluuntur argumenta principalia. *Summa quæſtionis.*

SCHOLIVM.

Lucem non eſſe ſubſtantiam,probatur. Primò,quia eſt ſenſibile.Secundò,in igne eſt accidens. Tertiò,non eſt alia qualitas quæ ſequatur formam corporum cæleſtium.

DE primo dico, [a] quòd lux non poteſt poni ſubſtantia, quia eſt per ſe ſenſibilis, non ſic ſubſtantia:ergo, &c. Lux etiam in aliquo eſt accidens: ergo in nullo eſt ſubſtantia;quod enim verè eſt,nulli accidit:*ex primo Phyſ.* Antecedens patet, quia ſi in igne eſſet lux forma ſubſtantialis; vel eſſet vltima differentia ſpecifica, vel aliqua imperfectior:quæ eſſet in potentia ad formam ſpecificam:non primo modo,quia tunc quæcunque haberent lucem,eſſent eiuſdem ſpeciei. Non ſecundo modo, quia tunc iſta forma eſſet imperfectior forma ſpecifica ignis,& ita non eſſet forma ſubſtantialis alicuius corporis cæleſtis,in quo nulla eſt forma ſubſtantialis imperfectior forma elementari. *Tex.27.*

Tertiò eſt probabile formam ſubſtantialem corporis cæleſtis, conſequi aliquam formam actiuam, ſicut formas ſubſtantiales generabilium, & corruptibilium conſequuntur qualitates actiuæ. Non eſt autem alia qualitas conſequens formam ſubſtantialem corporis cæleſtis quàm lux:confirmatur per Damaſcenum *lib.*2. *cap.*8. quære.

COMMENTARIVS.

2. 3 SVPPLEM. PONCII. *Veteres quidam putauerũt lucem eſſe ſubſtantiam.*

DE *primo dico*, &c. Vetus erat inter antiquiores Philoſophos ſententia, aſſerens lucem & lumen eſſe ſubſtantiam. Ita Empedocles apud Ariſtotelem 2. *de Anima text.* 70. Lucretius 4. *de Rerum natura.* Simplicius 2. *Cæli; commen.* 79. quos ex ſcriptoribus recentioribus ſequitur Sebaſtianus Baſſonus *lib.* 2. *de Cælo: intentione* 2. aſſerens lumen eſſe particulas corporis immiſſas à corpore lucido. Quibus etiam fauere videtur Ariſtoteles *ſect.* 11. *problem.* 33. qui aſſignans rationem, cur nox ad audiendum aptior ſit die: *Quia*, inquit, *per inanius facultas audiendi amplior, quàm per plenius datur: eſt autem aër interdiu denſior, vt qui luce radiiſque refertus ſit; noctu autem rarior, quòd ex eo ignis & radij deceſſerunt, quæ corpora eſſe dixeris.* Auguſtinus 2. *de lib. arb.* dicens lumen primum locum tenere inter corpora: & Theodoretus *quæſt.* 7. *ſuper Geneſ.* inquiens, lucem eſſe ſubſtantiam per ſe cohærentem: & Damaſcenus 2. de fide; *Neque enim*, inquit, *ex quorundam ſententia ignis quidquam aliud eſt, quàm lux.* & cap. 8. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Quibus nimirum verbis hoc indicare vult aërem minimè à ſe lumen habere; verùm aliam quandam atque ab aëre diuerſam eſſe luminis ſubſtantiam.*

Lux non eſt ſubſtantia.

Contrà hãc ſententiã ponit hîc Doctor primũ concluſionẽ huius quæſtionis, quæ eſt; Quòd lux non ſit ſubſtantia. Hanc tenet expreſsè Philoſophus 2. *de Anima: tex.* 69. dicens lumen eſſe actum perſpicui, & non eſſe neque ignem, neque vllum corpus, neque defluxum corporis: quem ſequuntur cæteri Philoſophi, & Scholaſtici hîc cum Doctore, & cum D. Thoma 1. *par. quæſt.* 79. *ac in libris de Anima*, dum agunt de obiecto viſus: ac ſpeciatim Conimbricen. 2. *de Cœlo cap.* 7. *quæſt.* 2. Ruuius 2. *de Anima cap.* 7. Auerſa *de Anima quæſt.* 54. *ſ.* 2. Poteſt autem hæc concluſio intelligi duplici ſenſu: primò ſic, vt intelligatur de ſubſtantia compoſita ex materia & forma; ſecundò ſic vt intelligatur de ſubſtantia incompleta, qualis eſt forma ſubſtantialis; & vtroque ſenſu intelligitur communiter, & probatur hîc à Doctore.

3. *Probatio. Subſtantia non eſt per ſe ſenſibilis.*

Probat primò Doctor, quia lux eſt per ſe ſenſibilis, vt patet experientiâ quotidianâ; ſed nulla ſubſtantia eſt talis: ergo lux non eſt ſubſtantia. Hac ratione vtuntur Conimbrienſes, & Ruuius *ſuprà*, probátque tam de lumine quàm de luce, quòd non ſint neque ſubſtantiæ compoſitæ ex materia & forma, neque forma ſubſtantialis. Verùm meo iudicio ſecundùm ſe non conuincit; quia negari poſſet Minor: quamuis enim cæteræ ſubſtantiæ non ſint per ſe ſenſibiles, ſed tantùm ratione ſuorum accidentium, vt colligitur ex eo, quòd eodem modo afficerentur ſenſus per ſubſtantias quaſcunque alias relictis eorum accidentibus, & deſtructis ſubſtantiis, vt patet in myſterio Euchariſtiæ; tamen poſſet dici quòd hoc non eſſet verum de ſubſtantia lucida. Nihilominus in primis quandoquidem cæteris omnibus ſubſtantiis competat eſſe ſenſibiles, ſolummodo ratione ſuorum accidentium, omnino probabilius eſt id eſſe verum de ſubſtantia lucida; præſertim cùm nihil impediat.

Replica.

Solutio.

Probat ſecundò Doctor, quia lux in aliquo eſt accidens: ergo in omni; & conſequenter non eſt nec forma ſubſtantialis, nec ſubſtantia vlla. Prima conſequentia patet, tum ex authoritate Philoſophi 1. *phyſic. tex.* 27. dicentis, *Id quod verè eſt*, id eſt, quod eſt ens per ſe exiſtens, *nulli accidere*, hoc eſt non eſſe accidens prædicamentale reſpectu vllius ſubiecti: tum etiam ratione, quia eo ipſo, quo eſſet in vllo accidens, eſſet ex natura ſua aptum inhærere, ita vt naturaliter non poſſet exiſtere abſque ſubiecto: ergo non poteſt eſſe naturaliter ens per ſe exiſtens.

1. *Probatio. Lux in aliquo accidens.*

Quod ſemel eſt ſubſtantia, nunquam eſt accidens.

Probatur igitur Antecedens, in quo eſt tota difficultas, quia in igne eſt accidens, nam non eſt in igne forma ſubſtantialis, quod optimè probat Doctor, quia aut eſſet forma ſubſtantialis ſpecifica ignis, vel aliqua forma imperfectior, antecedens formam ſpecificam vltimam ignis, ſicut in ſententia Scotiſtarum, forma corporeitatis ſe habet in viuentibus: ſed neutrum dici poteſt: ergo non eſt in igne forma ſubſtantialis. Probatur Minor quoad primam partem, nimirùm quòd non ſit forma ſpecifica ignis, quia ſi eſſet, omnia lucida eſſent eiuſdem ſpeciei cum igne: quæ conſtant enim forma ſubſtantiali eiuſdem rationis ſpecificæ, ſunt eiuſdem ſpeciei. Probatur Minor quoad ſecundam partem, nimirùm quòd lux non ſit aliqua forma ſubſtantialis ignis imperfectior forma eius ſpecifica: tum quia non conſtat ignem habere vllam formam perfectiorem, quàm lux, ex ſuppoſitione quòd lux ſit forma ſubſtantialis ipſius; tum, quia ſic corpora cæleſtia lucida, vt Sol, & Luna, conſtarent aliqua forma ſubſtantiali imperfectiori, quàm corpora ſublunaria non viuentia, quod videtur abſurdum; tum denique quia nullæ ſubſtantiæ habent plures formas ſubſtantiales præter viuentia, ſecundùm omnes.

Corpora cæleſtia non habent imperfectiores formas ſubſtantiales, quam ſublunaria non viuentia.

4. *Sola viuentia habent plures formas ſubſtantiales. Replica.*

Vnam reperio difficultatem in hoc diſcurſu, circa probationem primæ partis Minoris, vbi dicitur quòd ſequeretur omnia lucida eſſe eiuſdem ſpeciei cum igne, ſi lux eſſet forma ſpecifica ſubſtantialis ignis; nam hoc non ſequeretur, niſi lux in omnibus lucidis eſſet eiuſdem rationis: ſi enim non eſſet eiuſdem rationis in iis omnibus, quamuis lux ignis eſſet forma ſubſtantialis ſpecifica ignis, & lux aſtrorum, verbi gratiâ, eſſet forma ſpecifica aſtrorum, certum eſt quòd ignis & aſtra non deberent eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ: quòd autem eſſent eiuſdem ſpeciei ſubalternæ, quatenus ſcilicet conuenirent in *eſſe* ſubſtantiæ lucidæ vt ſic, non eſſet inconueniens, ſicut non eſt inconueniens quòd conueniant in ratione ſubſtantiæ materialis vt ſic; quæ ratio eſt ſpecies ſubalterna ad ſubſtantiam vt ſic, communem ſpirituali & materiali. Itaque vt prædictus diſcurſus eſſet efficax, probandum eſſet quòd lux in omnibus ſit eiuſdem rationis ſpecificæ; quod non eſt valde facile; nam in primis non videtur repugnare, quòd dentur luces diſtinctæ ſpeciei, vt tenet Auerſa *ſuprà*, *in ſolutione* 7. *dubitationis*; & hoc ſuppoſito, vnde ſcitur non dari tales? prout dari tenet Albertus Magnus 2. *parte ſummæ quæſtione de lumine*, aſſignans tres lucis ſpecies; primam, quæ conuenit corporibus beatis: ſecundam, quæ cæleſtibus: tertiam, quæ ſublunaribus. Nihilominùs quia communior ſententia cum D. Thoma 4. *diſt.* 44. *quæſt.* 2. *art.* 4. & Doctore *hîc* id ſuppo-

An dentur luces diuerſæ ſpeciei.

Solutio.

nente,

ente,tenet nòn diſtinguì illas luces ſpecie, quæ de facto dantur; & quia nullum eſt indicium, quòd ſic diſtinguantur, nec debent multiplicari ſpecies ſine fundamento, probabilius multò eſt eas non diſtinguì, & hoc ſufficit ad probabilitatem prædicti diſcurſus. Confirmatur, quia nullus tenet luces corporum ſublunarium eſſe diſtinctæ ſpeciei, ſed ſunt quædam ſublunaria lucida præter ignem, illa nimirùm quæ *in lumine* (verba ſunt Philoſophi 2. de Anima, tex. 67.) *non videntur, in tenebris autem faciunt ſenſum, vt quæ ignea videntur & lucentia, fungus, cornu, capita piſcium & ſquamæ, & oculi*: ergo lux in igne non eſt forma ſubſtantialis, aliàs eſſet eiuſdem ſpeciei cum his aliis, in quibus ſimiliter deberet eſſe forma ſubſtantialis. Confirmatur ſecundò, quia nemo dicit nigredines aliquas inter ſe diſtingui ſpecie, aut albedines; ergo neque debet dicere quod luces ſint diſtinctæ ſpeciei; quia eadem eſt ratio.

Probatio 3. Qualitates actiuæ ſequuntur formas ſubſtantiales cæleſtes.

Tertia ratio Doctoris eſt, quòd veriſimile ſit aliquam qualitatem actiuam ſequi ad formas ſubſtantiales corporum cæleſtium, ſicut ſequitur ad formas ſublunares: ſed nulla qualitas poteſt congruentiùs aſſignari, quàm lux; ergo ſatis veriſimile eſt lucem eſſe qualitatem in corporibus & conſequenter nulli eſſe formam ſubſtantialem, ex principio ſuprà poſito: quod, id quod in aliquo eſt accidens, in nullo poſſit eſſe ſubſtantia, quo principio vtitur Auerſa *ſuprà*. Addit ad hæc Doctor concluſionem hanc confirmari per Damaſcenum *lib. 2. cap. 8.* qui tamen ad propoſitum conducens nihil habet præter verba *ſuprà* citata; ex quibus hæc concluſio non aliter confirmari poſſe videtur, quàm quatenus ex iis ſequitur, (vt poſteà videbimus) lumen non eſſe ſubſtantiam: hinc enim, licèt ſimpliciter non ſequatur concluſio, tamen ſequitur ad hominem contra aduerſarios, qui æqualiter dicunt lumen & lucem eſſe ſubſtantias, ſeu formas ſubſtantiales.

S. Thomas probat *1. par. quæſt. 67.* lucem non eſſe corpus, ex eo quod lumen non ſit corpus; quod probatur ab ipſo tribus rationibus, de quibus poſtea. Sed quia hæc probatio ſupponit lumen & lucem eſſe eiuſdem rationis, quod nos *infrà* negabimus, ea non poſſumus vti, niſi ad hominem eo modo, quo vti poſſumus confirmatione præmiſſa ex Damaſceno: & ſanè omnibus tam incerta videri debet, quàm incertum eſt id, cui innititur, nimirùm lumen & lucem eſſe eiuſdem rationis.

5. Satisfit auctoritatibus Philoſophi & Patrum.

Hæc ſunt fundamenta præcipua huius concluſionis. Ad authoritates autem oppoſitas reſpondeo Philoſophum dubitatiuè tantùm propoſuiſſe illam rationem ſicut ſolet in problematicis ſatis frequenter. Auguſtinus autem & Theodoretus capiunt *lucem* pro ſubſtantia lucida ignis, vt exponit benè D. Thomas *ſuprà*. Damaſcenus autem in primo loco non id aſſerit ex propria, ſed aliorum ſententia, vt patet ex ipſis verbis: in ſecundo verò loco capit *ſubſtantiam* pro entitate aliqua diſtincta ab entitate aëris.

Ex his ſequitur lucem eſſe qualitatem, nam certum eſt quòd non ſit quantitas nec relatio vlla extrinſecus, aut intrinſecus aduenies: ergo cùm, (ex dictis) ſit accidens; nec aliud accidens detur præter quantitatem, relationes intrinſecus & extrinſecus aduenientes, & qualitatem, ſequitur neceſſariò, quòd ſit qualitas: & cùm ſit perceptibilis ſenſu externo, ſequitur ſimiliter eam ſpectare ad tertiam ſpeciem Qualitatis, ad quam pertinent colores. *Lux eſt qualitas.*

Sequitur ſecundò eam educi de potentia ſui ſubiecti, quandoquidem ab eo dependeat in *eſſe*, & *fieri*, nec ſit ſupernaturalis, aut etiam ſpiritualis; nam ſi vlla forma educatur ex potentia ſui ſubiecti, maximè id conuenit formæ corporali naturalis ordinis, non potenti eſſe, nec conſeruari ſine ſuo ſubiecto. Vnde mirum eſt Bandinum 2. *de Anima digreſſ. 37.* id negaſſe: nec refert quòd diffundatur lux in inſtanti, aut potiùs lumen: nam hoc tam commodè fieri poteſt educendo lumen, quàm ipſum de nouo producendo ſine eductione. *Educitur è potentia ſubiecti.*

Poſſet autem *lux* deſcribi eſſe *qualitas ex ſe viſibilis independenter ab alia qualitate, quæ non ſit ſpecies intentionalis eius, & conſequens ad naturam ſui ſubiecti; ita vt connaturaliter non poſſit deſtrui aut produci, niſi eo deſtructo, vel producto.* Dixi *ex ſe viſibilis*, vt excludantur colores, quæ qualitates quidem viſibiles ſunt, ſed non poſſunt videri, niſi dependenter à lumine, quod tamen non eſt ſpecies intentionalis eorum. Dixi etiam *independenter à qualitate alia, quæ non ſit ſpecies viſibilis, ſeu intentionalis*, quia, ſecundùm communiorem ſententiam, nulla qualitas poteſt videri, aut percipi independenter ab huiuſmodi ſpecie intentionali. Dixi quoque *conſequens ad naturam ſui ſubiecti*, vt excludam lumen, quod eſt viſibile independenter ab omni qualitate, præter ſpeciem intentionalem ſui ipſius; & tamen in noſtra ſententia mox proponenda, non eſt lux, ſed potiùs ſpecies intentionalis lucis, & per hoc diſtinguitur ſufficienter à luce, quod hæc conſequatur naturam ſui ſubiecti, lumen non item; cùm adueniat ſuo ſubiecto per applicationem cauſæ extrinſecæ, verbi gratiâ, corporis lucidi. *Deſcriptio lucis.*

SCHOLIVM.

Lumen non eſſe ſubſtantiam completam, vel incompletam, ſed qualitatem de tertia ſpecie, id eſt, lucis ſenſibilem ſpeciem, & explicat quid ſit intentio.

3. DE ſecundo dico, b quòd lumen non eſt ſubſtantia completa, hoc eſt, per ſe ſubſiſtens, quia nec ſpiritualis, cùm ſit extenſibilis: nec corporalis, quia tunc duo corpora eſſent ſimul: eſt enim lumen cum toto aëre. Nec oportet aërem moueri localiter aduenientе lumine, & non moueri recedente, vel non aduenientе lumine: quia tunc in medio illuminato non eſſet reſpiratio aëris, ſi illud corpus eſſet localiter motum propter lumen. Nec etiam lumen eſt forma ſubſtantialis, quia illud, cui aduenit, manet perfectum in ſpecie, illo recedente: ſicut apparet de aëre quandoque illuminato, *2. de Anima tex. 69.*

nato, quandoque tenebroſo. Nec eſt materia: patet nec aliquid pertinens ad genus Subſtantiæ, nec eſt veriſimile, quòd ad aliquod aliud genus pertineat præterquam ad genus Qualitatis.

Intentio eſt id quo in obiectum effectiuè tenditur ſpeciei,

Cùm autem quantùm ad tertiam ſpeciem, diſtinguatur qualitas in qualitatem ſenſibilem, & in qualitatem, quæ eſt ſpecies, ſiue intentio qualitatis ſenſibilis. Notandum eſt, quòd *intentio* non dicitur hîc illud, in quod tendit ſenſus, quia hoc modo ipſum obiectum eſſet intentio: ſed intentio hîc dicitur illud, per quod, tanquam per principium formale, in obiectum tendit ſenſus; & ſicut quidquid eſt ſignum, eſt res, ſecundùm Auguſtinum *de Doct. Chriſtiana*, licèt non è conuerſo: & ideò in diſtinctione rei, & ſigni, *res* accipitur pro illa re, quæ non eſt ſignum, licèt illa quæ eſt ſignum ſit etiam res: ita in diſtinctione rei, & intentionis, licèt intentio ſit res, & fortè ſenſibilis res, in quam poſſit ſenſus tendere: tamen illa dicitur intentio, quæ non eſt tantùm res, in quam tendit ſenſus, ſed eſt ratio tendendi in alterum, cuius eſt propria ſimilitudo.

Si lumen non eſſet ſpecies lucis, poſitum ſuper oculũ impediret viſionem. 2. de Anima t. 73. & 75.

Hoc modo dico [c] quòd lumen propriè eſt intentio, ſiue ſpecies ſenſibilis ipſius Lucis. Quod probatur tum, quia ſi non eſſet intentio, tunc poſitum ſupra ſenſum prohiberet ſenſum: quia quod eſt tantùm ſenſibile, & non ratio ſentiendi, ſi ponatur ſupra ſenſum, impedit ſenſationem: quia ſenſibile ſupra ſenſum poſitum, non ſentitur; & ita lumen ſuprapoſitum oculo, impediret ipſum videre: hoc autem eſt falſum, & contra Commentatorem ſuper *de ſenſu & ſenſato*, vbi vult, quòd neceſſe eſt lumen proprium in oculo eſſe, ad hoc vt recipiat ſpecies colorum, & videat.

Species lucis prius concurrit ad viſionem quam ſpecies coloris.

Modus ponitur iſte, [d] quòd ſicut lux, vt viſibile, eſt prius naturaliter colore, ita & ſpecies eius eſt naturaliter prior ſpecie coloris; & ita tam in perficiendo medium, ita quòd medium non illuminatum, non ſit capax ad percipiendum colores, quàm in perficiendo viſum, ita quòd organum non illuminatum, non ſit viſiuum proximè.

COMMENTARIVS.

6. SVPPLEM. PONCII.

b DE *ſecundo dico quòd lumen*, &c. Hîc proponit Doctor ſuam ſententiam de lumine, circa quod qui putarunt lucem eſſe ſubſtantiam, ſeu formam ſubſtantialem, idem exiſtimarunt de lumine; & in ſumma quidquid diuerſitatis eſt in opinionibus de luce, id totum etiam de lumine occurrit; ſiue quia plures exiſtimant ea eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ; ſiue quia eadem ratio diſcurrendi de ipſis currere videtur. Noſter autem Doctor primò concludit cum D. Thoma *ſuprà* ac communi ſententia, lumen non eſſe ſubſtantiam completam per ſe ſubſiſtentem. Probat hoc optimè, quia ſi eſſet talis, vel eſſet ſpiritalis, vel corporalis; neutrum dici poteſt: ergo.

Lumen non eſſe ſubſtantiam probatur.

Probatur Minor quoad primam partem, quia ſubſtantia ſpiritualis non eſt ſenſibilis per organum corporeum, nec diuiſibilis in plures partes integrantes, vt lumen eſſe conſtat experientiâ. Probatur Minor quoad ſecundam partem, quia lumen eſt in eodem loco cum ſubſtantia aëris; nec enim adueniente lumine & occupante totum noſtrum hemiſphærium ab eodem hemiſphærio recedit localiter aër, quia aliàs non fieret reſpiratio in illo contra experientiam; ſed duo corpora non poſſunt eſſe naturaliter in eodem loco: ergo lumen non eſt corpus, nec conſequẽter ſubſtantia corporalis per ſe ſubſiſtens. Hæc probatio eſt Philoſophi 2. *de Anima text.* 69.

Replica.

D. Thomæ *ſuprà*, & aliorum communiter. Reſponderi tamen poſſet iuxta ſententiam Baſſoni 2. *de Cœlo*, *intentione* 2. lumen non eſſe in eodem loco cum aëre, ſed immiſceri per ipſum totum, eſſéque particulas aliquas tenues ſubſtantiales immiſſas à corpore lucido illuminante.

Impugnatio.

Sed contra, primò, quia ipſamet lux eſt qualitas, vt *ſupra* viſum eſt; ergo corpus lucidum vt ſic, non producit particulas ſubſtantiales. Secundò, quia impoſſibile videtur quod per aërem totum in tanta abundantia immiſceantur tot particulæ ſubſtantiales, quin vehementer moueretur localiter; experientiâ autem patet non neceſſariò aërem localiter moueri, vt illuminetur.

Lumen non eſt particula aliqua ſubſtantialis tenuis immiſſa à corpore lucedo.

Tertiò, quia vel illæ particulæ egrediuntur à corpore lucido, eo modo, quo vapores egrediuntur ex corporibus humidis, vel producerentur de nouo in ipſo aere; neutrum dici poteſt. Non primum, tum, quia incredibile eſt tot particulas ſubſtantiales egredi à Sole, quot neceſſariæ ſunt ad illuminationem totius aëris; tum, quia deberent tranſire per cœlos omnes inferiores Sole particulæ illæ, & ſic darentur in cœlo pori, quod eſt contra omnes, & contra rationem; quia quãdo non ſunt iſtæ particulæ in illis, eſſent vacui; nec enim poteſt aſſignari quibus aliis particulis replentur; tum, quia non poſſunt tranſmitti in inſtanti, & ſic cælum non illuminaretur in inſtanti contra experientiam; qua ratione vtitur S. Thomas, tum denique, quia ſequeretur Solem eſſe corruptibilem, & paulatim extenuandum, & mille alia abſurda, quæ facilè conſiderari poſſunt.

Lumen non eſt particula ſubſtantialis producta ex materia corporis illuminati.

Non etiam ſecundum; quia quæro ex qua materia generarentur? Si ex materia aëris, ergo aër corrumperetur, quoad maximam ſui partem, quoties illuminaretur, quod eſt abſurdiſſimum; imò quoad omnem deberet corrumpi; quia non eſt potior ratio cur quoad aliquas, quam quoad omnes. Si ex alia aliqua materia reperta quaſi in poris aëris; ergo in inſtanti, dum aperiretur feneſtra magnæ aulæ oppoſita Soli, ſubitò generarentur plurimæ

particulæ

particulæ ſubſtantiales in illa aula, & rurſus clauſâ feneſtrâ deſtruerentur. Tum ſic quæro, vtrùm loco illarum generarentur aliæ tot particulæ ſubſtantiales? Si non; ergo daretur materia ſine forma. Si ſic; non poteſt aſſignari cauſa effectiua illarum, vt eſt euidens. Adde nullas dari ſubſtantias de facto, quæ in conſeruari dependent à cauſa ſecunda primò productiua eodem modo applicata, quo erat quando producebantur; ſed illæ ſubſtantiæ, quibus illuminaretur aër, dependerent in *conſeruari* à Sole ſine interiectione feneſtræ applicato, quandoquidem feneſtrâ clauſâ deſinerent.

7. *Experientiâ probans lumen eſſe ſubſtantiam.*

Nec experientia, quâ mouebatur Baſſonus, quidquam probat; nimirùm illa, quâ conſtat quòd radij ſolares, incidentes in aditum camini notabiliter impediunt egreſſum fumi, quod fieri non poſſet niſi illuminatio aëris fieret per ſubſtantiarum intermixtionem. Hæc, in quam, experientia non concludit: ſed nec benè tamen ad eam reſpondere videtur Auerſa *ſuprà* dicens, illud impedimentum prouenire ex eo quòd radij ſolares ſecum ferant calorem, quo rarefaciunt aërem, & ſic rarefactum impellunt localiter in eam partem, in quam ipſimet diriguntur, ac ita impediunt egreſſum fumi. Contra hoc enim facit quòd radij ſolares nihil aliud ſint quàm partes luminis producti per lineam rectam à Sole, aut ipſæmet partes aëris effecti partibus illis luminis: vndè quantumuis rarefieret aër propter calorem ſimul cum lumine productum à Sole, tamen non apparet vnde impelli poſſet aër ille rarefactus à radiis ſolaribus vllo modo, aut ſaltem vnde impelleretur in partem inferiorem vſque ad terram potiùs quàm in aliam quamcunque partem.

Reſponſio Auerſa reiicitur.

Vera reſponſio.

Itaque meliùs reſpondetur aërem affectum iſtis qualitatibus, quibus tum afficitur, quando illuminatur radiis ſolaribus, non tam facilè aut cedere fumo, aut illum intrà ſe recipere, quàm aliàs feciſſet, eóque impedire egreſſum fumi; ſi tamen vera eſt illa experientia, tum, cùm non flat ventus contra fumum, vt ſanè exiſtimo non eſſe veram; quòd autem flante ſic vento impediretur fumus nihil dubij eſſe poteſt, & ad id impedimenti omnino impertinens eſſet præſentia luminis. Adde nihil prorſus iuuare ad ſoluendam illam experientiam ſubſtantias illas lucidas commiſceri aëri, cur enim iis potiùs impediretur fumi egreſſus, quàm illis ſubſtantiis, quarum loco ſuccedebant.

8. *Lumen non eſt forma ſubſtantialis, nec materia prima nec aliquid ſubſtantiale.*

Concludit ſecundò Doctor cum eadem communi ſententia, lumen non eſſe formam ſubſtantialem, nec materiam, nec aliquid omnino pertinens ad prædicamentum ſubſtantiæ, ſed potiùs eſſe qualitatem. Prima pars patet, tum, quia eſt per ſe ſenſibilis; tum, quia ipſamet lux vt *ſuprà* viſum eſt, non eſt talis forma, tum denique, quia nullæ ſubſtantiæ eo adueniente corrumpuntur, ex quarum materia educeretur; ſicut nec vllæ etiam ſubſtantiæ eo recedente generantur ex materia per lumen informata, vt patet, cùm non poſſit aſſignari cauſa productiua earum. Secunda pars de materia eſt per ſe nota, tum, quia Sol non habet virtutem productiua materiæ, quia aliàs poſſet naturaliter creare, tum, quia materia non eſt ſenſibilis per ſe ſenſu externo ſicut lux; tum, quia non poteſt aſſignari qua forma informaretur. Tertia pars etiam patet, quia certum eſt quòd non ſit nec quantitas, nec relatio vlla extrinſecus, aut intrinſecus adueniens: ergo à primo ad vltimum, neceſſariò ſequitur quòd ſit qualitas. Et quia eſt per ſe ſenſibilis à ſenſu externo, propterea debet neceſſariò eſſe de tertia ſpecie qualitatis, in qua ponitur paſſio & patibilis qualitas, atque adeò omnis qualitas per ſe ſenſibilis.

Lumen eſt qualitas.

9.

Sed quia adhuc dubitari poſſet, quandoquidem ad tertiam illam ſpeciem pertineant & qualitates aliquæ reales, & qualitates intentionales, quæ ſcilicet eſſent ſpecies, ac intentiones qualitatum rei alicuius, quia, inquam, dubitari poſſet cuius ex his generis ſit lumen? Vt reſoluat hanc difficultatem Doctor, prænotat primò, quando quæritur, an lumen ſit qualitas realis, vel intentio? capi *intentionem* pro principio formali, effectiuè determinante potentiam ad perceptionem qualitatis ſenſibilis, hoc eſt pro ſpecie impreſſa iſtius qualitatis. Prænotat ſecundò, quando quæritur, an lumen ſit qualitas realis? non capi *qualitatem realem* pro qualitate reali, oppoſita qualitati rationis, hoc eſt pro qualitate realiter exiſtente, ſeu potente exiſtere exiſtentiâ verâ & reali, quia non poteſt eſſe dubium quin lumen ſit talis qualitas, quandoquidem euidens ſit quòd non ſit ens rationis; ſed capi *qualitatem realem* pro ea, quæ non eſt intentionalis; & capi *intentionem*, ſeu *qualitatem intentionalem*, non pro ea, quæ non eſt realis, ſed pro ea, quæ vltra hoc habet eſſe ſpeciem determinantem potentiam ad ſenſationem.

An lumen ſit qualitas realis vel intentionalis.

Lumen eſt qualitas realis pro vt talis dicitur quæ non eſt rationis.

Ad quod meliùs declarandum, vtitur ſimilitudine ex doctrina communi, ex Auguſtino *de doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 1.* deſumpta: quemadmodum enim quando quæritur de diſtinctione rei & ſigni, non capitur *ſignum* pro aliquo quod non ſit res; quia omne ſignum ſine dubio eſt res realiſſima, quantum ad materiale (quidquid ſit de formali) ſed pro aliquo, quod vltra hoc quod eſt eſſe rem, habet repræſentare aliud, & *res* non capitur pro eo quod habet *eſſe* à parte rei vel actu vel poſſibiliter; ſed pro eo, quod cum hoc non habet repræſentare aliud: ita etiam quando quæritur hîc, An lumen ſit realis qualitas, vel intentionalis? non capitur *qualitatis realis* pro ea, quæ habet *eſſe* reale; ſed pro ea, quæ cum hoc non habet eſſe ſpeciem impreſſam. Nec capitur *qualitas intentionalis* pro ea, quæ non ſit realis; ſed pro ea, quæ vltra hoc habet eſſe ſpeciem impreſſam. Aduerte autem, quando dicit Doctor quòd intentio ſit fortè ſenſibilis qualitas, propterea illum addidiſſe ly *fortè*; quia inter Doctores dubitatur an ſpecies viſibiles videri poſſunt: vnde noluit Doctor abſolutè id aſſerere, ſed dubitatiuè, quia nondum reſoluit quid eſſet dicendum.

c *Hoc modo dico*, &c. His ſuppoſitis ponit tertiam concluſionem de lumine, quæ eſt, quòd lumen ſit propriè, & non tantùm metaphoricè, ſpecies impreſſa viſibilis ipſius lucis, atque adeò qualitas intentionalis, non realis in ſenſu explicato. Hæc concluſio eſt non ſolùm Doctoris, ſuorúmque diſcipulorum, ſed etiã Ægidij *de Anima t. 76* Thiennenſis *ad textum 71.* Buridani *quæſt. 71.* & aliorum; eam probabilem iudicat ipſe S. Thomas *in 4. diſt. 1. quæſt. 1.*

10. *Lumen eſt propriè qualitas intentionalis, & ſpecies viſibilis impreſſa lucis.*

*quæſt.*1.& magis expreſsè 2.*diſt.*12. *quæſt.*1. *art.*3. contra quem tamen eſt *in* 1. *parte quæſt.* 67. & contra Ruuium 2.*de Anima cap.*7.*quæſt.*2.Auerſam *quæſt.*54. *ſ.*2.& alios. Probat Doctor hanc concluſionem, quia ſi lumen non eſſet qualitas intentionalis,ſed qualitas realis ſenſibilis tantùm, quando poneretur ſupra ſenſum impediret ſenſationem;nec viſus poſſet videre ipſum:nam iuxta vulgare axioma, *ſenſibile ſupra ſenſum poſitum impedit ſenſationem.*Quod axioma à pluribus intelligitur vniuerſaliter de omni ſenſibili ; & magis patet eſſe verum de ſenſibili pertinente ad potentiam viſiuam, quàm de vllo alio ſenſibili pertinente ad alias potentias externas aut ſaltem quàm de ſenſibili ſpectante ad potentiam guſtatiuam, ac tactiuam ; vnde de ſenſibilibus harum potentiarum à multis probabiliter negatur. Sed tantùm abeſt, vt lumen poſitum ſupra oculum impediat ſenſationem, vt etiam non poſſit videre oculus, quin lumen ponatur per totum medium vſque ad ipſum oculum, imò & quin ponatur in ipſomet oculo ſecundùm Commentatorem & Philoſophum 2. *de Anima,tex.*73.

Probatio.

11. *Reſponſio Caietani.*

Hanc probationem valde difficilem agnoſcit Caietanus 1. *par. quæſt.* 67. vt autem eam ſoluat & ſaluet D.Thomam, aſſerit lumen eſſe qualitatem eminenter intentionalem & realem ; intentionalem quidem, quia non impedit ſenſationem, ſed potiùs concurrit cum potentia ad eam habendam per modum ſpeciei impreſſæ, realem verò, quia cauſat tranſmutationes reales calefaciendo, &c. Sed hæc reſponſio imprimis admittit ſententiam Doctoris cui ſufficit quòd lumen ſit ſpecies intentionalis, ſiue ſit talis virtualiter, ſiue formaliter, imò certum eſt quòd ſi ſit talis vllo modo, ſit talis formaliter; quia eſſe ſpeciem intentionalem formaliter nihil aliud eſt, quàm eſſe qualitatem determinantem potentiam ad ſenſationem eo modo, quo aliæ ſpecies determinant; hoc autem conuenire lumini fatetur Caietanus : ergo lumen ſecundùm ipſum, eſt formaliter qualitas intentionalis.

Impugnatur.

Lumen non ſolùm eſt qualitas intentionalis virtualiter, ſed formaliter.

Impugnatur 2.

Rurſus hæc reſponſio eſt contra mentem D. Thomæ,qui omnino dum aſſerit lucem eſſe qualitatem realem, & non intentionalem ; intelligit per hoc quòd ſit qualitas realis, eiuſdem ſpeciei cum luce:vnde ad probandum, quòd lux non ſit corpus,aut forma ſubſtantialis,vtitur argumentis id probantibus de lumine, quod non ſatis rectè faceret, niſi exiſtimaret lumen & lucem eſſe eiuſdem rationis. Sed ſecundùm Caietanum lumen & lux non eſſent eiuſdem rationis : neque enim ipſa lux eſt virtualiter, aut formaliter intentionalis qualitas, ſicut ipſe dicit lumen eſſe. Tertiò denique, non ſatis probat Caietanus lumen eſſe vllo modo qualitatem realem prout qualitas realis opponitur qualitati intentionali; nam falſum eſt quòd ait lucem calefacere,vt poſteà videbimus.

Probatur 2.

Probari poteſt Concluſio hæc ſecundò, quia omnes conditiones conuenientes ſpeciei lucis impreſſæ, conueniunt lumini : ergo eſt talis ſpecies,& conſequenter qualitas intentionalis. Probatur Antecedens, quia dependet in *fieri* & *conſeruari* à lumine, caret contrario,producitur inſtantaneè, deſeruit, & omnino neceſſarium eſt ad videndam lucem, ſed hæ ſunt omnino conditiones requiſitæ ad ſpeciem intentionalem lucis.

Omnes cõditiones ſpeciei impreſſæ conueniunt lumini.

Confirmatur, non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate ; ſed non eſt neceſſitas aſſerendi alias ſpecies lucis præter lumen : ergo non ſunt aliæ ſpecies ponendæ ; eſſent autem,ſi ipſum lumen non eſſet ſpecies. Hæc confirmatio coincidit cum ratione, quàm ponit Doctor in initio quæſtionis pro parte affirmatiua eius. Argumenta,quæ contrà hanc concluſionem faciunt, inferiùs proponemus num.24.& 27.

12. *Quomodo lumen ſit neceſſarium ad videndum.*

d *Modus ponitur iſte*, &c. Suppoſito quòd lumen ſit ſpecies intentionalis lucis, oſtendit hîc Doctor qua ratione poſſet eſſe neceſſarium ad videndum tam lucem quàm colores,quandoquidem enim lux ſit prius naturaliter viſibilis, quàm color, vt patet ex eo quòd poſſit lux videri ſine colore, color autem videri non poſſit ſine luce ; hinc fit vt ſpecies lucis ſit prior naturaliter, quàm ſpecies coloris, & hoc tam ex parte medij,quàm ex parte organi;ſic vt nec medium vllum, quod non ſit illuminatum, poſſit proximè eſſe aptum ad recipiendas ſpecies colorum ; nec organum vllum, quod non ſit illuminatum,poſſit eſſe proximè aptum ad videndum aliquid ſiue coloratum,ſiue lucidum.

Requiritur lumen ex parte medij ad videndos colores.

Circà hoc quod dicit hîc Doctor, lumen requiri ex parte medij ad videndum colores, eſt inter authores controuerſia, ſed ſententia Doctoris eſt communior, quàm tenent Commentator 2. *de Anima commen.*67.Soncinas *quæſt.*9.*Metaph.* Toletus *de Anima quæſt.*17.Auerſa *quæſt.*54.*ſ.* 3. Conimbricen.2.*de Anima cap.*7. *quæſt.*4. contra Hurtadum *diſp.* 17. *de Anima ſ.*1. dicentem lumen requiri quidem ex parte obiecti, non verò ex parte medij,neque ad videndum colores, neque ad videndum lumen. Et contra Ruuium 2. *de Anima quæſt.*7. qui licèt admittat lumen ex parte medij requiri ad vîdendos colores, negat tamen illud requiri ad videndam lucem.

13. *Probatio.*

Probatur autem noſtra ſententia inprimis quoad neceſſitatem luminis ex parte medij ad videndos colores;quia colores non poſſunt videri, niſi poſſint tranſmittere per totum medium vſque ad potentiam ſuas ſpecies viſibiles;ſed hoc non poſſunt facere,niſi medium ſit illuminatum: ergo requiritur lumen ex parte medij ad videndos colores.Probatur Minor;quia ſecundum Philoſophum 2.*de Anima cap.*7.*text.*67. color definitur eſſe *qualitas, qua mouet perſpicuum actu*, hoc eſt, quæ per productionem ſpecierum impreſſarum mouet medium diaphanum,ſeu tranſparens, quod actu eſt perſpicuum, ſeu luminoſum,vel lucidum : ergo non poteſt mouere aliud medium,quod non ſit actu perſpicuum,& conſequenter non poteſt tranſmittere ſpecies, niſi per medium illuminatum, aut lucidum. Probatur conſequentia;quia ſi poſſet mouere illa corpora diaphana, quæ non eſſent actu perſpicua, malè definiretur per hoc quod moueret actu perſpicua;nam etiam ſonus mouet actu perſpicua:ergo conueniret ſono iſta definitio Philoſophi, niſi intelligeretur ſic, vt color non haberet mouere, niſi quæ actu eſſent perſpicua. Ratio autem à priori eſt, quam inſinuat Doctor, prioritas luminis in ratione viſibilis ad colorem. Et ſanè ſicut ex illa prioritate fit, vt color non poſſit effundere ſpecies, niſi ſit illuminatus, quod adverſarij fatentur ; ita videtur, quòd non poſſit etiam in aliquo medio producere ſpeciem,niſi in medio luminoſo.

Color eſt qualitas mouens actu perſpicuum.

Confirmatio.

Confirmatur:ſecundùm Aduerſarios requiritur lumen ex parte obiecti colorati, vt videatur; ergo

ergo etiam requiritur neceſſariò ex parte medij. Probatur conſequentia ; quia lumen eſt ſpecies intẽtionalis lucis;vt patet ex dictis:ergo quotieſcunque videtur lumen, aut lux, debet neceſſariò effundi lumen per totũ mediũ quia per totũ mediũ effũditur neceſſariò ſpecies lucis aut luminis, quod videtur:ſed quotieſcũq; videtur color debet neceſſariò videri lux , aut lumen , ſecundùm aduerſarios , quia aliàs non requireretur lumen ex parte obiecti.

Reſponſio Suarij.

Reſpondet ad hoc Suarez 3. *de Anima, cap.* 13. lumen quidem requiri ex parte medij,ſed non per ſe tamen, ſed ſolummodò per accidens.

Impugnatio.

Sed contra primò, quia nobis ſufficit quòd aliquo modo requiratur. Deinde Philoſophus omnino videtur per ſe id exigere , & non poteſt præterea oſtendi cur per ſe requiratur ex parte obiecti , & non requiratur ſic ex parte medij.

14. *Requiritur lumen ad videndum lucida ex parte medij.*

Probatur etiam noſtra ſententia quantùm ad neceſſitatem luminis ex parte medij ad videnda corpora lucida;tum, quia,vt dixi, lumen eſt ſpecies lucis;ergo neceſſariò debet diffundi per totum medium,vt lux videatur ; tum, quia non eſt maior ratio , cur requireretur ad videndos colores , quàm ad videndam lucem ; quòd autem ait Ruuius,lumen,ex eo quòd perfectior qualitas ſit quàm color , poſſe mouere diaphanum non actu perſpicuum , quamuis color ex eo, quòd ſit imperfectior , id facere non poſſit , omnino gratis dicitur.

Reſponſio Ruuij.

Reijcitur.

Dices eſſe aliquam tamen rationem,quia lumen non requirit actu perſpicuum , tanquam ſubiectum, quia conſtituit actu perſpicuum:ergo nec requirit actu perſpicuum , vt moueat intentionaliter. Reſpondeo negando conſequentiam, quia inde ſequeretur quòd color non requireret actu perſpicuum , vt moueret intentionaliter, quandoquidem non requirat actu perſpicuum tanquam ſubiectum.

Confirmatur;quia non deſumitur maior perfectio lucis ex eo quòd poſſit mouere actu non perſpicuum, ſed ex aliis capitibus diſtinctiſſimis, nimirùm ex eo quòd conueniat corporibus perfectioribus , quàm corpora quibus conuenit color ; aut ex eo quòd poſſit facere , vt aliqui putant, tranſmutationes reales calefaciendo , quod nequit facere color : ergo impertinens eſt maior perfectio eius ad mouendum actu non perſpicuum.

Confirmatur ſecundò ; quia aliquid aliud non magis perfectum , quàm color, poteſt mouere actu non perſpicuum,& perſpicuum actu , vt ſonus:ergo non ex maiori perfectione luminis oritur vt poſſit mouere actu non perſpicuum.

15. *Obiectio probans lumen non requiri ad videndos colores ex parte medij.*

Obiicies contra primam partem tenentem lumen requiri ad videndum colores , quia ex obſcuriſſimo loco videntur colores diſtantes , illuminari per aliquod corpus lucidum : ergo non requiritur lumen per totum medium. Confirmatur ab Hurtado , quia ſi eſſet lumen aliquod in medio productum in illo caſu viderentur colores intermedij , ſicut de die , quando lumen eſt diffuſum per totum medium , non ſolùm videntur colores remotiores, verùm etiam colores intermedij;ſed hoc eſt falſum:ergo,&c.

Reſponſio.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens ; ex obſcuriſſimo loco, in quo nihil eſt luminis,nego;in quo aliquid,ſed valdè parum eſt luminis,concedo antecedens;ſed nego conſequentiam.

Ad confirmationem reſpondeo , negando ſequelam maioris ; quia poſſet fieri,vt lumen medij eſſet tam exiguum , vt non ſufficeret ad illuminandos colores vicinos ſic , vt poſſent producere ſpecies viſibiles, licèt eſſet ſufficiens ad hoc quòd color remotus , qui eſſet ſufficienter illuminatus per lumen poſitum ex parte ipſius, cauſaret per totum iſtud medium ſpecies viſibiles ſui. Fateor autem , propter illam experientiam, multò maius lumen requiri ex parte obiecti, quàm ex parte medij;ex quo etiam prouenit , vt licèt de loco vmbroſo videre poſſemus corpus aliquod coloratum remotum ſufficienter illuminatum , non poſſemus tamen videre ex loco , in quo eſſet iſtud corpus illuminatum, videre aliud corpus coloratum,exiſtens in loco vmbroſo.

Maius lumẽ requiritur ex parte obiecti quam medij.

16. *Obiectio probans non requiri lumen ex parte medij ad videnda lucida.*

Obiicies ſecundò pro Ruuio contra concluſionem , quatenus dicit lumen in medio non requiri ad videndum corpus lucidum , ſecundùm Philoſophum *lib. de ſenſu & ſenſibili cap.* 2. Corpora quædam ſunt ſplendida, quæ in tenebris videntur, vt oculi felium, fungi, capita quorundam piſcium:ergo non requiritur ad hæc videnda lumen ex parte medij , nec conſequenter ad videnda vlla corpora lucida.

Reſponſio.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens ; in tenebris, id eſt, vbi nihil eſt lucis, nego ; in tenebris, hoc eſt, vbi non eſt lux ſufficiens ad videndos colores vicinos iſti medio,concedo antecedens, & nego conſequentiam.

Replica.

Dices ſi eſſet aliquid luminis in medio , in quo corpora iſta videntur , maximè eſſet illud, quod cauſaretur ab iſtiuſmodi corporibus ; ſed iſta non cauſant lumen ſecundùm Philoſophum *ibidem* dicentem quòd iſtiuſmodi fulgeant quidem,ſed non faciunt lumen.

Reſpondeo negando minorem;& ad Philoſophum dico quòd ſolùm velit illa non facere lumen ſufficiens ad videnda alia obiecta per totum medium applicata,ſicut facit Sol,& ignis.

Reſpẽſio.

Obiiciet præterea idem Ruuius experientiam, quâ conſtat non ſolùm videri corpora lucida in tenebris , ſed quo magis eſt obſcurum medium, eo melius ea videri:ergo lumen non eſt neceſſarium ex parte medij ad videndum corpora lucida.

Alia obiectio ad idem.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens:quo magis eſt obſcurum per negationem luminis omnis , nego antecedens : quo magis eſt obſcurum per negationem luminis ſufficientis ad videndos colores , & alias luces, occurrentes per medium, concedo antecedens:cuius ratio eſt,quia quando eſſet tale lumen in medio,viſus non ſolùm occuparetur in videndis corporibus illis lucidis remotis , ſed etiam in videndis corporibus intermediis ; vnde non poſſet totum conatum in corpore remoto videndo adhibere , ſicut poſſet & deberet, quando non eſſet , niſi lumen ſufficiens ad videnda corpora remotiora.

Reſponſio.

Cur in medio obſcuriori melius videantur corpora lucida.

Adde hanc experientiam non ſolùm currere de corporibus lucidis ; ſed etiam de coloratis : vnde cùm Ruuius fateatur ad colorata videnda requiri aliquod lumen in medio , malè vtitur hac experientia.

SCHOLIVM.

Explicato triplici radio luminoſi, docet lumen immediatè gigni ſecundùm quemlibet radium à luce, & à lumine ſic immediatè à luce genito, aliud ſecundarium lumen gigni. Pro perfecta intelligentia huius quæſtionis oporteret magnam partem proſpectiuæ legere. Vide Baſſol. hîc.

Aliqui ponunt 4. radiũ quære Perſpectiuam abbreuiatam in q. diſputata Iacobi. vide Io. Pecheã. 1. parte perſpectiuæ concluſione 14. & ſequentibus debet intelligi de radio cadẽte obliquè, & non perpẽdiculariter.

QVantùm ad tertium [e] articulum, qui declarat iſtum ſecundum, notandum eſt, quòd eſt dare triplicem radium: videlicet radium rectum, & fractum, & reflexum, ſecundùm ipſum Alacen. *in Perſpectiua ſua.* Rectus radius eſt, qui diffunditur à luminoſo in medio eiuſdem diaphaneitatis, quantum durat virtus luminoſi. Radius reflexus eſt, qui occurrente opaco, antequam terminetur virtus actiua luminoſi, diffunditur in partem oppoſitam, non ex electione, ſed quia naturale agens, cuius virtus actiua non eſt totaliter exhauſta, in directum agit quantum poteſt, & quod non poteſt in directum, agit in obliquum. Radius fractus eſt, qui occurrente medio alterius diaphaneitatis, non tamen omnino opaco, multiplicatur in illo medio, ſed non ſecundùm lineam rectam; ſed incidit ibi angulus. Quando autem occurrit medium denſius, frangitur radius ad perpendicularem, quia ex quo eſt perpendicularis, eſt fortiſſimus in agendo. Vnde cùm frangitur ad agendum in medium denſius requiritur ſitus propinquior perpendiculari radio: talis eſt ſitus radij fracti ad perpendicularem. Quando autem occurrit medium rarius, frangitur radius à perpendiculari, propter oppoſitam cauſam. 4.

Dico tunc, quòd lumen [f] multiplicatum ſecundùm iſtos tres radios, immediatè gignitur ab ipſa luce, & etiam immediatè eſt ſpecies ſenſibilis ipſius lucis. De recto patet. De reflexo probatur; tum, quia per illum radium videtur res in ſe, non autem aliqua ſpecies impreſſa ſpeculo reflectente: tum, quia eodem modo etiam per radium fractum, videtur ipſa res multiplicans ſe, & non ſpecies aliqua ipſius rei viſæ: & ſicut iſta lumina primaria multiplicatione diffuſa, ſunt immediatè ſpecies lucis gignentis; fortè ita immediatè gignuntur ab ea, loquendo de immediatione ad cauſam, non excludendo ordinem effectuum ordinatorum, reſpectu eiuſdem cauſæ.

Sed præter iſta, eſt aliud lumen [g] ſecundarium, quod dicitur lumen accidentale, quale eſt vbi eſt vmbra. In hoc enim diſtinguitur vmbra in actu, à tenebra, quia tenebra eſt priuatio luminis, tam primarij, quàm ſecundarij: vmbra eſt priuatio luminis primarij. Iſtud autem ſecundarium lumen, licèt quandoque diffundatur per reflexionem, non tamen à corpore polito: quia reflexio à tali corpore, eſt gignitio radij primarij, quia eſt immediata ſpecies ipſius lucis gignentis: non autem ſic iſtud lumen ſecundarium; imò gignitur ab ipſo lumine primario, ita quòd ſi, per impoſſibile, reflexio remaneret ſine lumine radij imprimentis, gigneret ſphæricè, vel hemiſphæricè iſtud lumen ſecundarium; non ſic autem gigneretur lumen reflexum à radio primario, qualis eſt reflexio à corpore polito: eſt ergo omne lumen ſpecies: ſed lumen primarium eſt ſpecies lucis gignentis, lumen ſecundarium ſpecies luminis primarij. 5.

Vide in concl. 14. primæ partis perſpectiuæ ad hoc. Inſtantia 4. concl. 1. partis perſpectiuæ. Vide conc. 6. 1. partis perſpectiuæ.

Et ex hoc patet ad argumenta [h], quæ poſſunt fieri contra iſtam partem: quia cùm lumen videatur, non erit ſpecies viſibilis. Reſpondeo, ſpecies aliqua intenſa, non obſtante quòd ſit intenſio, & ſpecies alterius viſibilis; poteſt tamen in ſe eſſe viſibilis: ſicut dicit Commentator *ſuper de Senſu & Senſato, cap. primo*: quia quando lumen reflectitur ad virides plantas, colorantur parietes. Similiter ſpecies non ſunt viſibiles, niſi quando terminantur ad opaca; ita quòd non contiguatæ opacis, non poſſunt gignere ſpecies ſui, quibus videantur: ſicut ſpecies coloris dum eſt in medio, non videtur, ſed quando contiguatur opaco, tunc videri poteſt: ſicut patet de radio tranſeunte per vitrum coloratum, apparet color in pariete, vbi terminatur radius ille, & videtur coloratus ſimiliter ſicut vitrum: & tamen in medio non erit ille radius coloratus viſibilis: nec tamen propter hoc negatur ille rubor eſſe ſpecies, qui apparet in pariete: quia oculus ibi exiſtens, cui ſi ſupponeretur ille rubor, videret rubeum vitrum vel ruborem vitri.

Species viſibilis eſt viſibilis per ſe. Vide in con. 15. primæ partis, perſpect. Species nõ ſunt viſibiles, niſi quãdo contiguantur opacis.

Vnde hæc eſt falſa, illud quod eſt intentio obiecti viſibilis, non eſt viſibile: ſed iſta eſt vera, omnis intentio non tantùm eſt viſibilis, ſed eſt etiam ratio videndi. Vnde 6.

forma

forma illuminans Lunam lumen eſt,& non lux : quia non eſt corpus terminatum in Luna :& tamen eſt ſenſibilis, & ſpecies lucis:ſimiliter per Ariſtotelem in de *Senſu & Senſato*, fulgor emiſſus ab oculo moto in tenebris, viſibilis eſt : & tamen eſt ſpecies lucis tantùm. Et eodem modo lumen non terminatum ad opacum non videtur: quod patet ; tum, quia radij ſolares, de nocte non apparent, qui tamen intercipiuntur inter nos,& cœlum,& ſupra conum pyramidis vmbræ terræ : tum, quia exiſtens in carcere opaco,& tenebroſo, vbi per oppoſita foramina tranſiret radius ſolaris, non videret : ita quòd nuſquam reflectente ſe ad opacum, non videret illum radium, ſi corpuſcula illa non frangantur. Similiter ſi medium illuminatum eſſet infinitum, & non terminatum ad corpus opacum, Sole exiſtente ſuper Horizontem nihil videretur,quia non eſſet terminans.

Forma illuminans Lunam,nõ eſt lux. com. 24. Vide 3. diſt. primi q.4. Quare radij ſolares noctu non videntur?

Eandem ergo conditionem habet lumen, quam habent aliæ ſpecies principales colorum,quantùm ad videri, & non videri,ſicut principales ſpecies colorum, quæ ſcilicet radiosè multiplicantur, poſſunt generare alias ſecundarias accidentales non radiosè multiplicatas, & per illas videri : & tamen non negatur illas primas eſſe intentiones, pro eo, quòd ſimpliciter ſunt ſimilitudines illorum primorum colorum gignentium:ita in propoſito.

De lumine idem dicẽdum ac de aliis ſpeciebus colorum.

7. Ad argumenta [i]. Ad primum dico, quòd Auguſtinus accipit ibi *lucem* pro corpore ſubtili,puta fortè pro igne,qui eſt corpus ſubtilius in miſto:vel pro aliquo corpore ſubtili multùm conueniente cum igne in natura:ſicut & ſcriptura dicit lucem factam fuiſſe prima die, non quòd tunc fieret accidens ſine ſubiecto, ſed tunc fiebat corpus luminoſum, cuius forma notior erat lux : & ideò deſcribitur ſubiectum ignotum per terminum notiorem.

Ad arg.1. Gen. 1.

Ad ſecundum dico,quòd alterans in fine alterationis generat, non autem illa qualitas, quâ alterauit.

Ad 2.

Ad tertium dico,quòd iſta ſunt metaphoricè dicta de lumine : ſicut patet per Auicennam *Sexto naturalium* : non enim aliquid idem procedit rectè, quaſi motu locali, & tamen quandoque obliquatur frangendo,vel reflectendo : ſed quando virtus actiua non eſt totaliter exhauſta, id eſt, non tantum cauſauit, quantum poteſt cauſare; tunc vlteriùs, ſi non poteſt ſecundùm lineam rectam agere, ſecundùm quam natura maximè agit,quia illa eſt breuiſſima, & efficaciſſima ad operandum, agit ſecundùm aliam lineam iſti propinquiorem, & hoc fractam, vel reflexam, ſi nihil poteſt agere vlteriùs reagendo in idem paſſum, in quod priùs egit : cauſando tamen ibi cum illo priùs cauſato,aliquid ſimpliciter imperfectius.

Ad 3. Parte 3. c.2. Quo ſenſu lumẽ frangitur.

Et ſi obiicias, quòd cum perfectiori cauſato priori, non poteſt eſſe cauſatum imperfectius poſterius : & ita cum toto medio illuminato radio primario,non poteſt eſſe lux, nec etiam cum medio illuminato radio recto, poteſt eſſe radius reflexus. Dico, quòd falſitas concluſionis apparet ad ſenſum. Patet enim, ſi radius Solis incidat in aquam,& reflectatur in aliquem locum tenebroſum,vbi non eſt radius rectus ; ſenſus dicit reflexionem fieri,vſque in locum illum tenebroſum : non autem illic fieret, niſi priùs eſſet radius reflexus in medio illuminato radio recto. Eodem modo, dicit ſenſus lumen ſecundarium, ſiue ſpeciem luminis primarij diffundi à lumine primario contiguato alicui corpori opaco, vſque ad oculum ; alioquin non videretur illud lumen primarium:& tamen per totum illud medium eſt lumen primarium. Tunc ergo illa propoſitio eſt neganda, vbi eſt forma perfectior, ibi non poteſt multiplicari aliqua imperfectior,ſiue ſpecies quæ ſit forma imperfectior.

Medium ſimul radio recto & reflexo illuminari, i. duobus luminibus

8. Ad alia,quæ ſunt contra ſpeciem [k],ſiue intentionem,dico ad primum,quòd omne accidens,fortè poſſet denominare ſubiectum ſuum, in quo eſt, ſi eſſet denominans, vel nomen impoſitum,quod ſignificaret denominationem conuenientem formæ, reſpectu talis ſubiecti:hoc modo non eſt denominatiuum impoſitum à ſpeciebus colorum:quia denominatiua impoſita à coloribus,denominant ſubiectum habens colores, ſecundum *eſſe* reale. Si autem eſſet denominatiuum impoſitum, quod denominaret ſubiectum habere formam, ſecundùm *eſſe* intentionale, non ſecundùm *eſſe* reale, benè poſſet medium denominari à tali nomine albi : & tale eſt impoſitum à lumine, & fortè magis hîc, quàm in coloribus, propter maiorem perfectionem, & euidentiam huius intentionis, quàm aliarum intentionum viſibilium.

quia radius eſt ipſum lumen ſeu ſpecies lucis. Quare ſpecies non denominat medium ? Vt illuminatum, luminoſum.

Quod additur ſecundò de oppoſito,dico quòd lumen vnum non excludit aliud lumen alterius rationis, ſicut lumen Solis non excludit lumen Lunæ in eadem parte medij,vel alterius ſtellæ:ſicut nec ſpecies nigri excludit ſpeciem albi,vel è conuerſo in

Duo lumina in eodẽ medio dari. Ad 3.

eadem parte medij: ſed ſicut lumen quodcunque excludit à medio tenebram, quæ eſt eius priuatio, non contrarium vel diſparatum: ita ſpecies cuiuſcunque coloris, excludit priuationem illius coloris in medio.

Actiuum naturale non impeditum agit in medium ſphæricè.

Ad tertium, concedo quòd res eſt, & effectum realem habere poteſt: non tamen ita res, quòd poſſit non eſſe intentio: quia cum ratione ſua ſtat, quòd ipſa per ſe ſit ratio tendendi in obiectum: & hoc ſufficit ad rationem intẽtionis. Quod autem [1] totus radius gignatur immediatè ab ipſa luce, & non pars radij à parte, probatur, quia ſi ponatur quòd lumen in aliqua parte medij gignat lumen ex ſe, quilibet punctus lucis multiplicat ſe ſphæricè: quia omne actiuum naturale agit in medium circunſtans ſphæricè, ſi ſit ex omni parte æquè diſpoſitum: & ſi habeat opacum obſtans ex vna parte ſui, ſaltem multiplicat ſe hemiſphæricè: ergo eodem modo, ſi lumen eſſet gignens reſpectu alterius luminis, ex quo non habet opacum impediens ex aliqua parte ſui, ſphæricè ſe multiplicat: & ita ſicut lumen principale gignit aliud lumen vlterius ſecundarium indirectum: ita gigneretur ex omni parte radij diſtantis, quod eſt contra ſenſum. 9.

Vt patet in radio cadente per feneſtram. De actione in diſtans ſupra d. 9.

Præterea, aliquod luminare poteſt agere in diſtans localiter: quia ſi non poſſet agere, niſi vbi eſt localiter, tantùm poſſet illuminare aliquod indiuiſibile: quod ſi præſens eſt in ratione agentis alicui diſtanti localiter: ergo & pari ratione toti medio, vſque ad tantam diſtantiam, ad quantam ſufficit virtus eius: & ſi præſens eſt illi toti, & poteſt in toto cauſare lumen: ergo cauſat, quia ipſum lumen genitum ab ipſo, dato quòd poſſet cauſare aliud lumen, tamen luminare præſens eſt maioris virtutis, quàm lumen genitum: & ita præuenit ipſum lumen, in agendo in partem remotam.

COMMENTARIVS.

17. c *Quantùm ad tertium articulum*, &c. Vt meliùs ſoluat ea, quæ contra primi articuli reſolutionem obiici poſſent, declarat hîc breuiter qua ratione lumen à luce gignatur; ad quod faciendum deſcribit tres radios lucis, rectum, fractum, & reflexum. *Radius rectus*, eſt omnis ille, qui procedit à corpore lucido primariò illuminante ad quamcunque partem corporis luminati per medium eiuſdem diaphaneitatis, ſeu tranſparentiæ, verbi gratiâ, per aërem. *Radius reflexus* eſt, qui corpore opaco impediente progreſſum radij recti reflectitur ad idem corpus lucidum, ſeu ad partes eaſdem medij, illuminatas antecedenter per radium rectum; quæ reflexio oritur non ex intentione, aut electione aliqua libera, ſed ex natura cauſæ naturaliter agentis, quæ cùm habeat ſphæram determinatam actiuitatis, in quam poſſit directè agere, quando propter interpoſitionem corporis non poteſt in tantum ſpatium directè diffundere ſuum effectum, ſolet agere reflexè & obliquè in partes, in quas ante agebat, intendendo effectum anrè productum. *Radius fractus* eſt ille, qui occurrente medio alterius diaphaneitatis, ſeu diuerſæ tranſparentiæ, hoc eſt, qui eſt minùs, vel magis tranſparens, quàm partes medij proximiores corpori lucido illuminanti, (vt ſi poſt aërem ſuccederet aqua, aut ècontra) eſt, inquam, radius fractus ille, qui accedente huiuſmodi medio alterius diaphaneitatis, multiplicatur in illo medio, non tamen ſecundùm lineam rectam, ita vt radius directè procedens à corpore illuminante per partes medij viciniores eiuſdem diaphaneitatis, verbi gratiâ, per partes aëris continuetur vlterius eodem ſitu, protenſus directè in aliis partibus remotioribus contiguis diuerſæ diaphaneitatis, verbi gratia, in partibus aquæ; ſed ſic vt in puncto, quo contiguarentur iſtæ diuerſæ partes aëris, verbi gratiâ, & aquæ, fiat angulus terminans radium directum eouſque per partes aëris, verbi gratiâ, protenſum, & incipiens alium radium inde directè per partes aquæ protenſum. Vnde patet rationem vniuerſalem fractionis, ſeu refractionis radij eſſe varietatem diaphaneitatis repertæ in corporibus, per quæ diffunditur radius. Quia verò non ad eandem partem extenditur ſemper radius, qui frangitur, ab angulo, à quo frangitur; ſed aliquando frangitur, & protenditur ab angulo, ſeu à puncto, in quo incipit radius fractus, & deſinit radius rectus, & in quo conſequenter fit angulus, ad lineam perpendicularem, hoc eſt, ad lineam, quæ perpendiculariter protenderetur à puncto refractionis per corpus, in quo fieret refractio; aliquando verò radius fractus protenditur ab eodem angulo non ad lineam illam perpendicularem, ſed potiùs foras à linea perpendiculari, vt patet experientiâ, hîc Doctor aſſignat rationem huius diuerſæ refractionis.

Quid radius rectus.

Quid radius reflexus.

Vnde oritur reflexio.

Quid radius fractus.

Cauſa fractionis radij.

Non frangitur ſemper radius ad eandem partem medij.

Dicit ergo quòd quando medium alterius diaphaneitatis occurrens & cauſans refractionem, eſt denſius, quàm medium, in quo producitur radius rectus, vt verbi gratiâ, ſi medium, in quo produceretur radius rectus, eſſet aër, & occurreret corpus cryſtallinum, in eoque fieret refractio, ſeu multiplicatio, eſt protenſio radij fracti, tum, quandoquidem cryſtallum eſt denſius quàm aqua, radius fractus protenderetur ab angulo verſus lineam perpendicularem, quæ ſcilicet protenſa à puncto reflexionis faceret duos angulos æquales. Quando autem medium alterius diaphaneitatis occurrens, & cauſans fractionem, eſſet minùs denſum, vt ſi poſt cryſtallum occurreret aër, tum radij fracti extenderentur à puncto, in quo inciperet fractio, non ad lineam perpendicularem, ſed ab illa.

Quando medium in quo fit fractio radij eſt denſius, radius frangitur ad perpendicularem.

Quando medium eſt rarius frangitur à perpendiculari.

Cur

Ratio huius.

Cur porrò occurrente medio denſiori radius frangatur ad perpendicularem;& occurrente medio minùs denſo, ſeu rariori,frangatur à perpendiculari, rationem aſſignat Doctor, quòd medium magis denſum magis reſiſtat: vnde vt vincat agens reſiſtentiam illius faciliùs agit ad partes viciniores potiùs, quàm ad partes remotiores; partes autem radij fracti ad perpendicularem, ſunt viciniores radio perpendiculari, & conſequenter corpori luminoſo agenti, quam partes radij protenſi à radio perpendiculari, debet ergo tum agere, & frangere radios ſuos ad lineam perpendicularem. Confirmatur, quia experientiâ compertum eſt, & omnes fatentur, agens quodcunque fortius agere cæteris paribus perpendiculariter, quàm non perpendiculariter, & ad partes viciniores lineæ perpendiculari, quàm ad remotiores: ergo vt luminoſum ageret fortiùs in medio denſo debet agere per lineam protenſam à puncto fractionis ad lineam perpendicularem, quàm per lineam protenſam ab eodem puncto ad partes remotiores ab illa linea. Hæc eſt ergo ratio cur radij fracti per medium denſius protendantur à puncto fractionis ad lineam perpendicularem. Econtra verò ratio, cur occurrente medio rariori fractio radiorum fiat à linea perpendiculari, eſt oppoſita, quia ſcilicet tale medium minùs reſiſtit, & propterea non requiritur vt agens agat fortiùs nec conſequenter vt agat per partes medij illas, per quas poſſet fortiùs agere. Hanc rationem in ſubſtantia habet etiam Pecchamus noſter in ſua perſpectiua, *concluſione 15. & 16.* vbi figura vtriuſque caſus proponitur, quàm hîc, vt non neceſſariam, ſuperaddere nolui. Aduerto tamen hanc rationem eſſe à fine deductam propter quem talis natura indita eſt corpori luminoſo; vnde mihi non ſatisfaceret, niſi ſuffragaretur experientia, quâ ſuppoſitâ, ratio vera à priori huius diuerſi modi agendi per radium fractum, eſt ipſamet natura agentis luminoſi, quæ ad talem modum agendi eſt ex ſe determinata, non minùs quàm ratio cur ignis calefaciat, & aqua frigefaciat, eſt, quod ad hoc ſint determinata ex natura ſua ſicut à poſteriori colligitur experientia. Aduerto vlteriùs quando dicitur radium rectum frangi ad perpendicularem, vel à perpendiculari, quando occurrit corpus rarum, vel denſum, id intelligendum eſſe de radiis obliquè egredientibus à corpore luminoſo, & cadentibus in medium rarius, vel denſius; non verò de radio perpendiculariter cadente ab ipſo in illud medium, quia, vt benè Pecchamus ſuprà con. 15. *Radius luminoſi ſuper quodcunque medium perpendiculariter cadens, omnino non frangitur, quia fortitudo ſua nullius diaphani obiectu hebetatur.*

Agens naturale ſemper fortius agit perpendiculariter quam obliquè.

Radius perpendicularis non frangitur.

18.

Radius rectus, reflexus & fractus quoad omnes ſuas partes à luminoſo principali immediatè procedunt.

f *Dico tunc quod lumen*, &c. Reſoluit iam tertium articulum, & dicit lumen diffuſum ſecundùm tres prædictos radios rectum, reflexum, fractum, produci immediatè ab ipſo corpore lucido primario, immediatione tamen cauſæ, non immediatione effectus; hoc eſt, ita vt non ſit alia cauſa, quæ immediatiùs produceret vllum radium ex illis tribus, quàm illud corpus lucidum, licèt ſit aliquis effectus, qui ab ipſo immediatiùs procedat, quandoquidem priùs, non tamen prioritate temporis, (quia lumen totum producitur in inſtanti:) ſed naturæ, radium rectum producit, quàm reflexum, aut fractum, & partem viciniorem radij recti, quàm partem remotiorem. Probat hoc, quia per vnumquemque radium ex his videtur ipſamet res lucida ſecundùm ſe, vt patet experientiâ, tam de radio recto, de quo minùs habet hoc difficultatis, quàm de reflexo, quando opponitur candelæ, verbi gratiâ ſpeculo, & à ſpeculo reflectitur ſpecies eius; quàm etiam de fracto, quando opponeretur candela alicui per aërem & vitrum verbi gratiâ.

In hoc paſſu Doctoris ſunt duæ controuerſiæ; vna circa principalem reſolutionem, qua dicit quòd omnis radius luminis producatur à corpore lucido. Ruuius enim *lib. 2. de Anima quæſt. 10. de ſpeciebus ſenſibilibus*, exiſtimat ſpecies reflexas omnino produci à ſpeciebus illis, à quibus reflectuntur, ſed in virtute tamen corporis lucidi, producentis ſpecies rectas,eámque ſententiam aſſerit eſſe Palacij *lib. 2. de Anima cap. 11.* Ioannis Aſſiani, & multorum recentiorum; & colligi ex S. Thomæ *quæſt. 16. de veritate, art. 1. ad 1.* additque Scotum noſtrum omnem prorſus actiuitatem negare ſpeciebus viſibilibus.

Albertus Magnus *2. de Anima tract. 3.* & aliqui recentiores, teſte eodem Ruuio, tenent ſpecies produci ab aliis ſpeciebus totaliter, & non tanquam à cauſa inſtrumentali, idque non ſolùm quando producuntur ſpecies reflexè, ſed etiam directè.

19.

Vt intelligatur ſententia Doctoris, aduerte, eum non velle quod omnis ſpecies, aut omne lumen, producatur ab obiecto, aut lucido principali, vt malè imponit ipſi Ruuius; quandoquidem in hac ipſa quæſtione *num. 5.* aſſerat lumen ſecundarium produci à lumine primario; & non à lucido producente lumen primarium. Vult ergo Doctor tantummodo quòd omnis ſpecies & lumen, per quod videtur, aut percipitur obiectum principale, producatur ab eodem obiecto; & de hoc eſt controuerſia. In hoc ergo ſenſu probatur ſententia Doctoris contra Ruuium, quia ipſe fatetur obiectum principale ſemper concurrere ad productionem cuiuſcunque huiuſmodi ſpeciei & luminis, nec illa poſſe ab aliis ſpeciebus, aut luminibus produci, niſi tanquam cauſis inſtrumentalibus, eo ſcilicet modo, quo ab accidente produci poteſt ſubſtantia ſecundùm aliquos. Sed hoc ſuppoſito, nihil prorſus impedit, quo minùs totaliter producantur ab illo obiecto principali. Quotieſcunque enim aliqua cauſa continens aliquem effectum in virtute ſua applicatur ſufficienter ad illum effectum partialiter producendum; applicatur etiam quantùm eſt ex parte ſua ad eundem totaliter producendum: ſed ſecundùm Ruuium, obiectum principale, cuius ſpecies verbi gratiâ, reflectitur à ſpeculo, applicatur ſufficienter ad producendum partialiter & principaliter iſtam ſpeciem reflexam in oculo, ad quem reflectitur, & continet ipſam totaliter in virtute ſua principali: ergo poteſt eam totaliter producere abſque concurſu ſpeciei productæ in ſpeculo,à qua fit reflexio,præſertim cùm nulla poſſit aſſignari ratio cur exigeretur concurſus etiam inſtrumentalis illius alterius ſpeciei,

Species per quam videtur obiectum ab ipſo producitur.

Cauſa potens partialiter producere effectum poteſt totaliter, ſi habeat virtutem ſufficientem.

Confirmatur, quia ſecundùm Ruuium, ideò

non poteſt obiectum principale producere ſpeciem reflexam in oculo, quia non applicatur oculo ſufficienter, quandoquidem applicetur ipſi retro, vt certum eſt. Sed licèt non applicetur ſufficienter iſtud obiectum ad producendam ſpeciem directam, applicatur tamen ſufficientiſſimè ad producendum ſpeciem reflexam; & certè aliàs non produceretur illa ſpecies partialiter, aut principaliter ab obiecto, ſed totaliſſimè ab ipſamet ſpecie, à qua fit reflexio; per quod patet ad fundamentum Ruuij.

19. Probatur ſecundò contrà Albertum Magnum, quia ſi produceretur ſpecies vlla ab alia ſpecie, iſta alia ſpecies deberet per ipſam videri: ergo quando non videtur iſta alia ſpecies, ſed obiectum primarium ipſius per ſpeciem, aut lumen, non debet ſpecies, aut lumen cauſari ab alia ſpecie, aut lumine, ſed tantùm ab obiecto primario. Probatur antecedens, quia ſpecies vnius albedinis non repræſentat aliam albedinem, ſed ſolam illam, à qua procedit, ex eo quòd ſpecies ſenſibilis externa eſt determinata ad repræſentationem obiecti à quo procedit: ergo ſpecies producta ab alia ſpecie eſt determinata ad illam aliam ſpeciem repræſentandum, & non ad aliquid aliud, à quo non producitur. Hæc probatio poteſt etiam vrgeri contra Ruuium; nam licèt ipſe dicat, quòd ſpecies debeat repræſentare cauſam principalem, non inſtrumentalem, id tamen gratis dicit; cur enim ſi ab vtraque procedit, non repræſentaret vtramque?

Species externa viſibilis repræſentat tantum obiectum à quo producitur.

Impugnat Ruuius Alberti Mag. ſed inſufficienter.

Ruuius impugnat ſententiam Alberti, primò, quia ſpecies eſt virtus obiecti: ergo agit dependenter ab obiecto. Sed hæc impugnatio eſt parui momenti; nam facilè diſtingui poteſt conſequens, quatenus ipſamet ſpecies dependet ab obiecto in *fieri* & *conſeruari*, nec poteſt habere actionem productiuam alterius ſpeciei, niſi ipſamet exiſtat, concedo conſequentiam: quatenus dependeret ab obiecto, tanquam immediatè concurrente cum ipſa ad productionem alterius ſpeciei, nego conſequentiam. Quemadmodum ergo ipſamet viſio, licèt dependeat in *fieri* & *conſeruari* ab obiecto, & ſpecie impreſſa, ſi tamen haberet virtutem productiuam alterius ſpeciei, non dependeret ab obiecto in eius productione, ita vt obiectum concurreret immediatè cum ipſa ad eius productionem: ita in propoſito poſſet dici de ſpecie.

Impugnat 2. ſimiliter. Impugnat ſecundò Ruuius eandem ſententiam, quia ſpecies producta in medio ab obiecto non dependet quomodocunque ab obiecto in *conſeruari*, ſed modo ſpeciali per continuatam emanationem: ergo actio eius ad productionem alterius ſpeciei neceſſariò dependet ab eodem obiecto. Hæc etiam impugnatio eſt inutilis. Nam imprimis friuola prorſus eſt diſtinctio quam ſupponit inter conſeruationem, quæ fit per emanationem; & conſeruationem, quæ fit abſque emanatione; nam omnis conſeruatio formæ productæ extrà ſubiectum conſeruans, poteſt tam benè dici conſeruatio, quæ fit per emanationem continuatam, quàm conſeruatio ſpeciei: ergo nihil deſeruit ad propoſitum diſtinctio conſeruationis, quæ fit per emanationem, ab ea, quæ fieret abſque emanatione. Deinde dato antecedenti, tam facilè negatur conſequentia quàm ab ipſo aſſeritur.

Secunda difficultas, ſeu controuerſia, quæ eſt in præmiſſa Doctoris ſententia, eſt, quòd ſupponat per lumen, ſeu ſpeciem reflexam, videri ipſum obiectum; non verò ipſam ſpeciem, à qua fit reflexio; verbi gratiâ, quando candela opponitur ſpeculo, & inde ad reſpicientem ſpeculum reflectitur ſpecies, non videri ipſam ſpeciem, quæ producitur à candela in ſpeculo, ſed videri potiùs ipſammet candelam. Hoc, inquam, eſt in controuerſia; nam oppoſitum tenet Durandus 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 6. Gregor. *diſt.* 7. *quæſt.* 3. Maur. *diſt.* 3. *quæſt.* 9. Capreolus 1. *diſt.* 35. Caietanus 1. *par. quæſt.* 56. *art.* 3. & alij. 21.

Per ſpeciem reflexam videtur obiectum primarium non verò ſpecies eius.

Sed ſententia Doctoris eſt communior, quam tenet Richardus 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. Palatius 2. *diſt.* 3. *diſp.* 5. Toletus *quæſt. vltima de ſenſu viſus.* Ruuius *ibidem.* Auerſa *quæſt.* 53. *ſect.* 7. Et recentiores communiter; ex quibus hi duo vltimi citant Scotum pro oppoſita ſententia aſſerente ipſam ſpeciem, & non obiectum videri; ſed immeritò; cùm expreſsè hîc aſſerat per radium reflexum videri rem in ſe, non autem aliquam ſpeciem impreſſam; quod etiam iterum docet 4. diſtinct. 10. quæſtione 9. fin. dicens: *Et hoc eſt ratio quare non videtur in ſpeculo imago ipſa corporis multiplicata vſque ad ſpeculum; ſed ipſum corpus, cuius eſt imago.*

Probatio Ruuij & Auerſæ. Probat Ruuius hanc ſententiam, quia obiectum viſus comprehendit ſolùm lucem, lumen, & colores: ſed ſpecies coloris, aut luminis, non eſt lux, nec color, nec lumen: ergo non poteſt videri: & conſequenter ipſum obiectum principale eſt quod videtur.

Reiicitur. Hac probatione etiam vtitur Auerſa: ſed nobis non eſt admittenda: tum, quia Scotus hîc §. *Et ex hoc patet*: expreſsè concedit quandoque ſpeciem coloris videri: tum, quia tenemus ſpeciem luminis eſſe lumen, quod in hac probatione negatur: tum denique quia tam facilè negari poteſt maior, quàm aſſeritur, loquendo de colore reali tantùm. Quando autem dicitur communiter obiectum adæquatum viſus eſſe lux, lumen, & color, id intelligi optimè poteſt de luce, & colore comprehendente lucem intentionalem & colorem intentionalem: ita ſcilicet, vt nihil poſſit videri ab oculo niſi lux, aut color, ſiue realis, ſiue intentionalis, hoc eſt, ſpecies lucis.

22. *Aliæ probationes Auerſæ.* Probat ſecundò eam Auerſa, quia videmus in ſpeculo rem multò maiorem quàm ſit ſpeculum, cùm tamen ſpecies, quæ in ſpeculo eſt, non ſit maior quàm ſpeculum. Deinde quod videtur in ſpeculo, videtur in profundo eius, cùm tamen ſpecies ſit in extrema eius ſuperficie. Sed hæ etiam rationes non vrgent: quia poſſet dici ex hoc non ſequi aliud, quàm ſpeciem, quæ videtur, habere talem vim determinatiuam potentiæ, vt producat viſionem, per quam appareret ſpecies, quæ videtur magna & in profundo, cùm tamen reuera non ſit magna, nec in profundo eius. *Reiiciuntur.*

Probatio vera. Meliùs ergo probatur, quia nihil impedit, quo minus ipſum obiectum videatur, & experientia videtur indicare quod videatur; quod maximè confirmari poſſet in ſententia negante

negante ſpeciem eſſe ſimilitudinem formalem obiecti, aut ſimilem formaliter obiecto, ſed ſimilitudinem virtualem obiecti aut ſimilem virtualiter obiecto, quam ſententiam magis communiter tenent recentiores.

Satis ſit fundamento aduerſæ partis.

Nec fundamentum aduerſæ ſententiæ quidquam probat; quòd ſcilicet obiectum apparens in ſpeculo appareat multò minus, quàm in ſe ſit, & in alio ſitu ac figura. Reſpondetur enim hoc accidere propter naturam ſpeciei determinantis oculum, & propter diuerſam applicationem obiecti reſpectu potentiæ: vnde etiam quando obiectum directè videtur ſecundùm ſe, tamen propter diuerſitatem medij fit, vt nunc maius, nunc minus, nunc craſſum, nunc tenue, nunc vt eſt in ſe videtur; cùm tamen tum, ſecundùm omnes, ipſummet immediatè videatur: ergo ex eo, quod minus appareat in ſpeculo, non ſequitur quin ipſum & videatur & non ſpecies eius.

Alia obiectio ex Doctore.

Sed obiicies vlteriùs: ſecundum Doctorem *infrà num.* 24. ſpecies colorum, & non ipſimet colores aliquando videntur: ergo etiam videtur in ſpeculo ſpecies, non verò ipſum & obiectum; quia non eſt maior ratio, cur vnquam videantur, & non videantur in ſpeculo. Reſpondeo, negando conſequentiam: quia quando videntur ſpecies colorum, videntur per ſpecies non reflexas, ſed directas vt patet ex eo quòd videantur in corpore non nato reflectere, nimirùm in pariete. Speculum autem eſt corpus natum reflectere ſpecies, & propterea quod videtur in ipſo videtur per ſpecies reflexas. Deinde eſt tam notabilis differentia inter modum, quo apparent ſpecies colorum in parietibus; obiecta in ſpeculis, aut aqua, vt meritò poſſit dici quòd ſpecies colorum videantur, non verò colores, licèt in ſpeculis obiecta dicerentur videri, non verò eorum ſpecies.

23. *Quid lumen ſecundarium & quid primarium.*

g *Sed præter iſta eſt aliud lumen ſecundarium*, &c. Aſſignat hîc aliud genus luminis quod vocat ſecundarium, in comparatione ſcilicet ad lumina illa producta per lineam rectam, reflexam, & fractam, quæ propterea primaria vocantur, quia per illa poteſt videri obiectum lucidum primarium, & ab eo immediatè cauſantur. Lumen verò ſecundarium eſt, quod producitur per lumen primarium immediatè, tanquam ſpecies, & reperitur vbi non eſt lumen primarium, ſed vmbra, hoc eſt priuatio luminis primarij: ita ſcilicet vt, quemadmodum per lucem producitur lumen primarium tanquam ſpecies, qua videri poſſit; ſimiliter lumen ſecundarium producitur à lumine primario tanquam ſpecies, qua videri poſſet ipſum lumen primarium.

Lumen ſecundarium quandoque reflectitur.

Addit ad hæc quòd licèt lumen hoc ſecundarium poſſit quandoque cauſari à lumine primario per reflexionem, vt quando à corpore aliquo polito reflecteret radius ad locum tenebroſum, in quo nihil erat lucis anteà, tum enim radius ille reflexus cauſare poſſet vmbram in illo loco tenebroſo, & conſequenter lumen ſecundarium: licèt, inquam, hoc modo per reflexionem poſſit produci lumen ſecundarium, nunquam tamen diffunditur per reflexionem à corpore polito, verbi gratiâ, ſpeculo, aut ferro; vult dicere quòd nunquam tunc lumen ſecundarium immediatè reflectat à corpore polito, nec ſit talis rationis, qualis eſt lumen reflectens immediatè à tali corpore; quia lumen quod ſic immediatè reflectit à corpore polito, eſt lumen primarium, & ſpecies lucis primariæ imprimentis lumen in corpus, à quo fit reflexio: vnde ſi, per impoſſibile, lumen immediatè reflexum maneret abſque lumine directè producto à lucido primario, adhuc cauſaret in caſu prædicto lumen ſecundarium ſphæricè, vel hemiſphæricè, hoc eſt, orbiculariter, vel ſemiorbiculariter, qualiter non producitur lumen immediatè reflexum à corpore polito. Ex quibus concludit, omne lumen eſſe ſpeciem intentionalem; quia lumen ſecundarium eſt ſpecies luminis primarij, & lumen ipſum primarium eſt ſpecies lucidi primarij, à quo producitur.

Sed nunquam à corpore polito.

Omne lumen eſt ſpecies intentionalis.

24. *Prima obiectio quòd lumen non ſit ſpecies intentionalis.*

h *Et ex hoc patet ad argumenta*, &c. Nunc ſoluere incipit rationes, quæ obiici poſſunt contra ſuam concluſionem, qua dicit quòd lumen ſit ſpecies intentionalis lucis. Prima autem ratio eſt hæc: Lumen videtur; ergo non eſt ſpecies intentionalis. Probatur Conſequentia; quia ſpecies intentionalis impreſſa eſt ratio videndi; non viſa: ergo quod videtur non poteſt eſſe talis ſpecies. Reſpondet Doctor, negando conſequentiam, & ad probationem iuxta ipſius doctrinam diſtingui debet Antecedens; omnis ſpecies ſemper, nego; aliqua ſpecies aliquando, tranſeat; & negatur conſequentia. Poſſet etiam alio modo diſtingui idem Antecedens: Eſt ratio videndi non viſa, id eſt, eſt forma nata determinare potentiam ad videndum, ſeu ſentiendum ſine eo, quod ipſamet debeat videri pro illo tempore, quo ſic determinat, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Eſt ratio videndi non viſa, ita vt ipſa non poſſit videri aut ſentiri vllo modo, nego antecedens.

Quomodo ſpecies intentionalis eſt ratio videndi non viſa.

Species intentionalis aliquando videtur.

Quod autem poſſit videri ſpecies quandoque, optimè oſtendit Doctor experientiâ, quæ haberi poteſt, quoties lumen reflectitur ad virides plantas, toties enim colorantur parietes, non quidem colore reali, ſed colore intentionali, quatenus ſcilicet ſpecies colorum apparent in pariete. Similiter etiam quando per vitrum rubrum tranſit radius, apparet ſpecies coloris rubri in pariete oppoſito, vt etiam patet experientia. Et ne quis dicat quòd ſi ſpecies eſſent viſibiles, deberent ſemper videri, quoties proponerentur oculo; toties autem proponuntur, quoties obiectum eorum per ipſas videtur; ſed certum eſt quòd non ſemper videantur: ergo non ſunt viſibiles. Reſpondet Doctor negando Maiorẽ: non debent enim videri poſſe, niſi quando contiguantur opaco corpori, quia non habent virtutem producendi ſpeciem ſui, niſi ſic contiguatæ, vt patet eadem experientia ſpecierum, quæ tranſeunte radio per vitrum rubrum videntur in pariete, & non videntur in medio.

Replica.

Reſponſio. Quando poſſunt videri ſpecies quando non.

Ita quemadmodum ſpecies aliorum colorum quandoque videntur, licèt non ſemper, & nunquam videri poſſunt, niſi vt continguatæ opaco; quia vt ſic, tantùm habent virtutem productiuam aliarum ſpecierum ſecundariarum: ita lumen, quamuis ſit ſpecies lucis, quandoque videri poteſt, non tamen ſemper, nec vnquam, niſi quando coniungitur corpori opaco; vt probat Doctor tribus claris experientiis.

25. *Primum argumentum principale ſoluitur pro*

i *Ad argumenta*, &c. Conſequenter ſoluit tria argumenta principalia. Primum contra concluſionem de natura lucis ex Auguſtini authoritate, quâ videtur dicere quod lux ſit ſubſtan-

ſubſtantialitate lucis ſoluitur.

tia. Reſpondet Doctor, vt nos ſuprà, Auguſtinum intelligendum de corpore aliquo ſubtiliori, puta igni, vel alio aliquo ſimili. Quam explicationem confirmat optimè per aliam ſimilem, quæ ab aliis adhiberi ſolet: quando enim ſcriptura dicit lucem factam primo die, non intelligitur quòd ſola lux fuit facta, ita ſcilicet, vt accidens tum eſſet ſine ſubiecto productum, ſed intelligitur factum fuiſſe corpus affectum luce. Non ergo malè ſimiliter Auguſtinus, dùm lucem dicit eſſe ſubſtantiam, intelligitur de corpore lucido.

Quænam lux fuit facta primo die creationis mundi.

Fateor magnam eſſe controuerſiam de luce illa facta prima die, aliquibus antiquioribus dicentibus factam fuiſſe lucem abſque omni ſubiecto: aliis lucem ignis, ipſumque ſimul ignem: Suarez & Pererio lucem ſolis, Lyrano & Abulenſi corpus aliquod lucidum; Auerſa ipſum lumen eiuſdem rationis cum lumine ſolis in ſuperficie terræ productum, ſicut modò à ſole producitur. Sed quidquid ſit de probabiliori ex his ſententia, ſufficit ad propoſitum, quòd in ſententia Lyrani, & Abulenſis, eorúmque, qui dicunt ignem, aut ſolem tum productum, nomine *lucis* non ſolùm accidens lucis, ſed ſubſtantiam corporis ea affecti, intelligendam eſſe.

26. *Argumentum principale ſoluitur.*

Secundum argumentum eſt, quòd lumen, aut lux gignit ſubſtantiam: ergo eſt ſubſtantia; quia accidens nequit producere ſubſtantiam. Reſpondeo in principiis Thomiſtarum hoc argumentum nihil valere; quia ipſi putant accidens producere poſſe ſubſtantiam, licèt non in virtute ſua, ſed in virtute ſubſtantiæ. In principiis autem noſtris, qui id negamus, reſpondendum eſt negando Antecedens; licèt enim ſubſtantia per qualitatem alterando aliam ſubſtantiam generet, ſubſtantiæ tamen forma accidentalis, ſecundùm quam alterat, nullo modo concurrit immediatè ad productionem iſtius ſubſtantiæ generatæ, nec principaliter, neque inſtrumentaliter, nec partialiter neque totaliter.

3. argumentum principale ſoluitur. Quomodo lumen frangitur.

Tertium argumentum eſt: quòd lumen frangatur & reflectatur; ſed iſta ſolùm conueniunt corpori: ergo lumen eſt corpus. Reſpondet Doctor diſtinguendo Maiorem: lumen frangitur & reflectitur propriè, ſicut competit corpori, ita ſcilicet, vt illa pars luminis, quæ erat in linea recta, poſtea flectatur ad partem, ad quam frangitur, aut reflectitur, nego Maiorem: impropriè & metaphoricè, ita ſcilicet vt pro parte luminis, quæ vlteriùs protenderetur ab agente principali, ſi non occurreret obſtaculum, eo occurrente producatur alia pars de nouo in parte, ad quam dicitur reflecti, vel frangi; licèt in illa parte fuit antè pars formæ directè producta, concedo Maiorem; & diſtinguo Minorem; frangi & reflecti primo modo competit ſoli corpori, concedo Minotem: ſecundo modo, nego Minorem & conſequentiam. Adde calorem dici frangi & reflectere cùm tamen certum ſit quòd non ſit ſubſtantia.

Pro maiori verò confirmatione doctrinæ præmiſſæ quâ dicit Doctor quòd quando impeditur agens à non producendo tantùm formæ per lineam rectam, quantum potuit propter obſtaculum impediens vltiorem protenſionem formæ, tum agit reflexè producendo in parte medij, quæ obſtaculo eſt vicinior, alias partes eiuſdem formæ; ſed imperfectiores, quàm ſunt partes formæ priùs directè in eadem parte medij productæ: pro maiori, inquam, huius doctrinæ confirmatione obiicit ſibi quòd non poſſit ſimul cum cauſato perfectiori priùs producto, poſtea cauſari cauſatum imperfectius; id autem ſequeretur ex præmiſſa doctrina: ergo illa doctrina non eſt vera. Reſpondet, negando maiorem propoſitionem; cuius falſitatem oſtendit duplici experientia manifeſta.

Replica.

k *Ad alia, quæ ſunt contra ſpeciem,* &c. Poſtquam ſatisfecit obiectionibus contendentibus lumen ac lucem eſſe ſubſtantiam, nunc reſpondet ad illas, quæ volunt lumen non poſſe eſſe ſpeciem intentionalem, quarum prima eſt: Lux denominat medium luminoſum: ergo lumen non eſt ſpecies intentionalis. Reſpondet Doctor, negando Minorem; quia omnis forma denominat ſuum ſubiectum, & conſequenter etiam ſpecies intentionales, quamuis non habeamus nomina impoſita ad ſignificandum iſtas denominationes. Quæ doctrina certiſſima mihi videtur: formam enim denominare ſubiectum, nihil aliud à parte rei poteſt eſſe, quàm communicare ſeipſam formaliter ipſi: certum autem eſt quòd omnis forma inhærens ſubiecto communicetur formaliter ipſi: ergo denominat ipſum formaliter. Confirmatur, quia ſi quemadmodum hoc nomen *album* eſt impoſitum ad ſignificandum ſubiectum affectum albedine, & nomen *albedo* eſt impoſitum ad ſignificandum formam diſgregatiuam viſus, ita nomen *alum* eſſet impoſitum ad ſignificandum ſubiectum affectum ſpecie albedinis, & iſta ſpecies vocaretur *aledo*, profecto non magis eſſet verum quòd albedo denominaret ſuum ſubiectum album, quàm quòd aledo denominaret ſuum ſubiectum alum: ergo quod non denominet ſpecies intentionalis ſuum ſubiectum, ſic vt detur nomen aliquod vnum, quod ſignificet iſtam denominationem, oritur præcisè ex eo quòd homines non inſtituerent vnum nomen abſtractum ad ſignificandum ſpeciem intentionalem in abſtracto, & nomen concretum ad ſignificandam eandem formam in concreto; non verò ex defectu alicuius ſufficientiæ ex parte rei ad hoc requiſitæ. Vnde quod lumen denominet luminoſum, & ſpecies albedinis non denominet denominatione ſignificata per vnum nomen procedit non ex eo, quòd lumen non ſit ſpecies lucis, ſed ex eo quòd homines impoſuerint nomen ad illam formam ſignificandam in abſtracto & concreto; quod mihi euidens eſt.

27. *Primum argumentum principale contra intentionalitatem luminis ſoluitur.*

Omnis forma denominat ſubiectum cui inhæret.

28. *Cur nomen non ſit impoſitum ad ſignificandum ſpeciem albedinis, ſit verò ad ſignificandum ſpeciem lucis.*

Si autem queratur, cur homines impoſuerint vnum nomen ad ſignificandum ſpeciem lucis, non verò ad ſignificandam ſpeciem albedinis; quamuis non oporteat dare rationem aliam, quàm quòd ita placuerit ipſis: ſicut nulla eſt ratio cur latini meliores vocent hominem ſanum, qui afficitur ſanitate, non verò vocent hominem virtuoſum, quia afficitur virtute, niſi quòd ab initio liberè ſic fuit inſtitutum; tamen poſſumus dare aliquam rationem congruam, quia lumen habet alium effectum valde principalem, & communiter cognitum, qui non eſt determinare oculum ad viſionem lucis, nimirùm determinare viſum ad viſionem ſuiipſius, & conducere ad viſionem colorum; vnde meritò fuit nomen vnum impoſitum ad ſignificandum, tam benè, quàm ad ſignificandam quamcunque aliam formam accidentalem: ſpecies autem colorum non habent alium effectum communem & notum, quàm determinare

terminare oculum ad viſionem colorum;nec cognoſcitur communiter, quòd vllo modo dentur, rariſſimèque occurrit diſcurſus de ipſis,niſi inter Philoſophos : vnde non erat tanta neceſſitas imponendi nomen vnum ad eas ſignificandas. Hanc doctrinam inſinuat Doctor in fine ſuæ reſponſionis,dum dicit,*fortè magis hîc,quàm in coloribus,propter maiorem perfectionem,& euidentiam huius intentionis quàm aliarum intentionum viſibilium.* Quorum verborum ſenſus eſt, quòd magis deberet imponi nomen vnum ad ſignificandum ſpeciẽ lucis in abſtracto & concreto, quàm ad ſignificandas alias ſpecies viſibiles colorum propter duo : primò, propter maiorem perfectionem huius ſpeciei præ illis, quæ conſiſtit in hoc, quòd non ſolùm deſeruiat ad videndam lucem,quæ perfectior eſt omni colore;ſed etiam ad videndos ipſos colores : ſecundò propterea quòd magis conſtet omnibus dari colorem, quàm illas alias ſpecies viſibiles colorum.

Species lucis perfectior eſt quam ſpecies colorum.

Secunda obiectio eſt : Lumen excludit oppoſitum,ſcilicet tenebras;ſed ſpecies non excludunt oppoſita ſua ; quia ſimul ſunt ſpecies oppoſitorum, nimirùm albedinis & nigredinis in eadem parte medij,& in eodem oculo.Reſpondetur,negando Minorem ; quia oppoſitum vnius ſpeciei non eſt alia ſpecies ; neque enim ſpecies habent formas poſitiuas ſibi contrarias. Sed oppoſitum ſpeciei eſt negatio, vel priuatio ipſius ; hanc autem expellit tam benè quàm lumen tenebras.Itaque quemadmodum lumen non habet expellere oppoſitum aliquod poſitiuum cui ſit contrarium, ſed tantùm oppoſitum priuatiuum, ſeu negatiuum : ita ſimiliter de quacunque alia ſpecie intentionali occurrit.

2.argumentum principale ad idem ſoluitur.

Species quæcunque excludit ſuum oppoſitum. Quæ eſt forma oppoſita ſpeciei.

29. Tertia obiectio eſt : Quòd lumen habet effectum realem in medio & organo, nempe viſum corrumpere,& gignere colorem;ſed effectus realis non competit ſpeciei ſenſibili,ſed effectus intentionalis tantummodo:ergo lumen non eſt ſpecies ſenſibilis. Reſpondet Doctor negando Minorem ; quia vt *ſuprà* dixit, licèt ſpecies non poſſit eſſe res, prout res opponitur intentioni, & eſt illud quod non eſt determinatiuum ad ſenſationem;tamen debet eſſe res,prout *res* opponitur enti rationis, & poteſt eſſe res, prout *res* capitur pro omni eo, quod habet aliud munus, quàm determinare formaliter ad ſenſationem alterius obiecti à ſeipſo.Aduerte autem hîc quòd Scotus non ſentiat lumen per ſe offendere realiter organum, aut producere calorem ; ſed permittit id tranſire,quia quamuis eſſet verum,non repugnaret reſolutioni præſenti, quâ tenetur lumen eſſe qualitatem intentionalem.

Tertium argumentum principale ad idem ſoluitur.

Lumen non producit calorem.

Reuera autem quòd lumen non producat calorem mihi longè probabilius eſt cum Durando 2.*diſ* 41.*quæſt.*1.quem ſequitur Giannus *lib.*2. *de Natura cæli cap.*11.Auerſa *quæſt.*35. *Philoſophiæ ſect.*7. & alij contra Coninbricenſes 2. *de Cælo cap.*7. *quæſt.* 5. *art.* 3. qui ſuam ſententiam communem Philoſophorum aſſerunt ; ſed neminem pro ea citant:nec vllam etiam rationem afferunt, niſi experientiam, quâ conſtat inferiora corpora lumine ſolis calefieri.Verùm experientia illa incertiſſima eſt ; quamuis enim certum ſit quòd ſimul cum lumine producat cælum calorem, profectionem ita conſtat quòd per lumen producat calorem,ita vt lumen ſit cauſa immediata,aut principalis, aut inſtrumentalis producendi caloris; quandoquidem contingere poſſet vt ſol produceret immediatè & calorem & lumen, ſine vlla ſubordinatione illorum effectuum inter ſe,quemadmodum ignis producit calorem & ſiccitatem.

Experientia contra adducta ſoluitur.

Probatur autem quòd per lumen non producatur calor;quia multa illuminant,quæ non calefaciunt,vt fungus,cornu,capita piſcium, & ſimilia,de quibus Ariſtotelis 2.*de Anima tex.*72.

Probatur noſtra ſententia 1.

Probatur ſecundò, quia corpora cæleſtia non deberent potiùs per lumen producere calorem, quàm per aliquam aliam ſimilem qualitatem per aërem diffuſam producere frigus, quando frigefaciunt ; ſed nullus dicit quòd per aliquam aliam qualitatem per aërem diffuſam producere ſoleant frigus:ergo nec per lucem debent producere calorem.

Probatur 2.

Probatur tertiò ; quia ſi per lumen ſol calefaceret, iuxta magnitudinem caloris, deberet lumen produci ſeruata proportione ; ſed experientiâ conſtat non eſſe tantam differentiam inter calorem, quem ſentimus in æſtate de die ac de nocte,quanta eſt inter lucem & lumen,quod habemus tum de die ac de nocte : ergo ſignum eſt hoc, quòd per lucem,aut lumen non producatur calor. Quando autem Philoſophus, aut aliquis alius grauis author, videretur ſentire quòd per lumen calefacerent aſtra,hoc eſſet intelligendum ſic, vt velint tantùm concomitanter cum luce calorem produci, & quando aſtra ſunt in illa diſpoſitione,vt maximè poſſint lucere, tunc cæteris paribus, ea eſſe in meliori diſpoſitione vt calefaciant.

Probatur 3.

Alia obiectio contra intentionalitatem luminis.

Ad hæc obiici poſſet contra idem, ad probandum ſcilicet quòd lumen non ſit ſpecies : quia ſi eſſet, tum quoties proponeretur ſpecies lucis ſolis, deberet lux ſolis videri in eadem forma & figura quâ videtur quando directè quis ipſam intueretur:ſicut quando proponitur ſpecies hominis in ſpeculo verbi gratiâ,vel videmus ipſum & hominem, vel videmur nobis ipſum videre ; ſed hoc eſt contra experientiam:ergo, &c. Reſpondeo,negando Maiorem, neque enim ſpecies habet vnquam determinare ad viſionem obiecti, cuius eſt ſpecies, quando proponitur obiectiuè, niſi cùm ipſummet obiectũ producit ſpeciem reflexam ſuiipſius : non eſt autem ſol natus producere ſpeciem reflexam ſuiipſius quoties proponitur nobis lumen ; neque ipſum lumen eſt natum producere talem ſpeciem, ſed aliam diuerſæ rationis quâ videtur ipſum & lumen. Vnde non debet videri lux ſolis quoties videtur lumen, quod eſt eius ſpecies.

30. *Lumen primarium tantum producit à lucido primario immediatè probatur vlterius.*

1 *Quod autem totus radius gignatur immediatè*, &c. Confirmat hîc quòd ſuprà dixerat in tertio articulo, nimirùm totum lumen primarium cauſari immediatè ab ipſo lucido primario illuminante,verbi gratiâ à ſole. Confirmat, inquam,hoc dupliciter ; primò, quia ſi lumen productum haberet virtutem productiuam alterius luminis primarij(prout habere deberet, ſi totum lumen primarium à lucido immediatè, immediatione cauſæ, non procederet) deberet producere illud orbiculariter ex omni ſcilicet parte medij applicati, niſi opponeretur obſtaculum corporis opaci, ſed conſtat experientiâ radium primarium, & directum ſolis intrantem per foramen verbi gratia,feneſtræ, non producere circa ſe ſphæricè, aut orbiculariter lumen directum, aut primarium, ſed lumen ſecundarium: ergo non habet lumen primarium virtutem

produ

productiuam luminis vt alterius primarij.

Secundò confirmat idem, quia indiſtantia ſolis ab omnibus partibus quò prouenit lumen primarium, non impedit quò minùs poſſit immediatè producere lumen in illis: ergo quandoquidem ſit potentius ad agendum, quàm ſit ipſum lumen; licèt lumen poſſet, quantùm eſt ex ſe, aliud lumen producere, tamen quia ſemper præuenitur, à ſole verbi gratiâ, non producet aliquid de facto. Antecedens admittitur ab omnibus; quia quamuis ſatis communiter negetur actio in diſtans, non tamen ita quin agens poſſit agere in diſtans, quando etiam ageret in medio, vt contingeret in propoſito: Et præterea probatur breuiter hîc à Doctore, quia ſi aliquod agens lucidum nequiret agere in diſtans, ſolùm poſſet illuminare indiuiſibile; quod eſt abſurdum; nam non eſt immediatè præſens niſi indiuiſibili; ſuppono enim dari indiuiſibilia in continuo tam puncta, quàm ſuperficies, ac lineas.

DISTINCTIO XIV.

De productione ſimplicium corporum.

A *Ambroſ. in Hexam. lib. 1. ca. 2. 3. & 4. hanc materiam latè tractat Pſal. 103. De qua materia ſit factum illud cælum Quomodo aquæ poſſunt eſſe ſuper cælum, & quales ſint illæ aquæ. Iob. 26. e.*

DIxit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas, ab aquis. Diuiſítque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum. Sciendum eſt [quòd illius cœli deſcribitur hîc creatio, ſicut ait Beda *ſuper Geneſim* in quo fixa ſunt ſidera: cui ſuppoſitæ ſunt aquæ in aëre & in terra, & ſuperpoſitæ aliæ, de quibus dicitur, Qui tegis aquis ſuperiora eius. In medio ergo firmamentum eſt, id eſt, ſidereum cœlum quod de aquis factum eſſe credi poteſt. Cryſtallinus enim lapis, cui magna eſt firmitas & perſpicuitas, de aquis factus eſt. Si quem verò mouet, quomodo aquæ natura fluidæ & in ima labiles, ſuper cœlum poſſint conſiſtere: de Deo ſcriptum eſſe meminerit, Qui ligat aquas in nubibus ſuis. Qui enim infra cœlum ligat aquas ad tempus vaporibus nubium retentas, poteſt etiam ſuper cæli ſphæram non vaporali tenuitate, ſed glaciali ſoliditate aquas ſuſpendere ne labantur. Quales autem & ad quid conditæ ſint, ipſe nouit qui condidit.] Ecce oſtenſum eſt his verbis, quod cælum factum ſit, ſcilicet illud in quo ſunt fixa ſidera, id eſt, quòd excedit aërem: & de qua materia, ſcilicet de aquis, & quales ſint aquæ quæ ſuper illud cælum ſunt, ſcilicet vt glacies ſolidatæ.

Aly putant cælum illud eſſe igneæ naturæ, quibus conſentit Auguſtinus.

B *Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 3. Ibid. cap. 4.*

QVidam verò cælum quod excedit aëris ſpacia igneæ naturæ dicunt, aſſerentes, [ſuper aërem, purum ignem eſſe, qui dicitur eſſe cælum de quo igne ſidera & luminaria facta eſſe coniectant:] quibus Auguſtinus conſentire videtur. Vtrùm verò nomine *firmamenti* cælum quod excedit aërem, an ipſe aër hîc intelligatur, idem Auguſtinus quærit: nec ſoluit. Magis tamen approbare videtur, cælum illud hîc accipi, quod ſpacia aëris excedit. Aquas autem quæ ſuper illud cælum ſunt, dicit vaporaliter trahi, & leuiſſimis ſuſpendi guttis. Sicut aër iſte nubiloſus exhalatione terræ aquas vaporaliter trahit, & per ſubtiles minutias ſuſpendit, & pòſt corpulentiùs

lentiùs conglobatas pluuialiter refundit. Si ergo poteſt aqua ſicut videmus ad tantas minutias peruenire, vt feratur vaporaliter ſuper aërem aquis naturaliter leuiorem, cur non credamus etiam ſuper illud leuius cælum minutioribus guttis & leuioribus emanare vaporibus, ſed quoquo modo ibi ſint, ibi eſſe non dubitamus?

Qua ſit figura firmamenti.

C QVæri etiam ſolet, cuius figuræ ſit cælum.] Sed ſpiritus ſanctus, quamuis auctores noſtri ſciuerint, per eos dicere noluit, niſi quod profit ſaluti. Quæritur etiam, ſi ſtet, an moueatur cælum? Si mouetur, inquiunt, quomodo eſt firmamentum? Si ſtat, quomodo in eo fixa ſidera circumeunt? Sed firmamentum dici poteſt, non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, vel terminum aquarum intranſgreſſibilem, Si autem ſtat, nihil impedit moueri & circumire ſidera.]

Aug. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 9.
Vtrùm ſtet an moueatur cælum.
Ibid. c. 10.
Quare dicatur firmamentum.

Quare tacuit ſcriptura de opere ſecundæ diei, quod in aliis dixit.

D POſt hoc quæri ſolet: quare hîc non eſt dictum ſicut in aliorum dierum operibus, Vidit Deus quòd eſſet bonum? Sacramentum aliquod hîc commendatur. Ideò enim fortaſſis non eſt dictum, quod tamen ſicut in aliis factum eſt: quia binarius principium alteritatis eſt, & ſignum diuiſionis.

De opere tertiæ diei, quando aquæ congregatæ ſunt in vnum locum.

E SEquitur, dixit Deus, Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida. Tertiæ diei opus eſt congregatio aquarum in vnum locum. Congregatæ ſunt enim omnes aquæ cælo inferiores in vnam matricem: vt lux, quæ præterito biduo aquam clara luce luſtrauerat, in puro aëre clarior fulgeat, & appareat terra, quæ cooperta latebat, & quæ aquis limoſa erat, fieret arida & germinibus apta. Eodem enim die protulit terra herbam virentem, lignúmque faciens fructum. [Si autem quæratur, vbi congregatæ ſunt aquæ, quæ totum texerant ſpacium vſque ad cœlum? Potuit fieri vt terra ſubſidens concauas partes præberet, vbi fluctuantes aquas reciperet. Poteſt etiam credi primarias aquas rariores fuiſſe, ſic vt nebula tegeret terras, ſed congregatione eſſe ſpiſſatas: & ideò facilè in vnum poſſe redigi locum.] Cúmque multa conſtet eſſe maria & flumina, in vnum tamen locum dicit aquas congregatas propter continuationem, vel congregationem omnium aquarum, quæ in terris ſunt: quia cuncta flumina & maria magno mari iunguntur. Ideóque cùm dixerit aquas congregatas in vnum locum, deinde dicit pluraliter, congregationes aquarum propter multificos ſinus earum, quibus omnibus ex magno mari principium eſt.

Amb. in hexame. lib. 3, cap. 2. de hac re prolixè, & Beda ſuper hunc locum Ge.
Vbi congregatæ ſunt aquæ Aug. lib. de Geneſi ad literam 1. cap. 12.
Quomodo omnes aquæ ſunt in vnum locum congregatæ.

De

De opere quartæ diei, quando facta ſunt luminaria.

F SEquitur, Dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuiduant diem ac noctem. In præcedenti triduo diſpoſita eſt vniuerſitatis huius mundi machina, & partibus, ſuis diſtributa. Formata enim luce prima die, quæ vniuerſa illuſtraret, duo ſequentes dies attributi ſunt ſupremæ & infimæ parti mundi, firmamento ſcilicet, aëri, terræ, & aquæ. Nam ſecunda die firmamentum deſuper expanſum eſt. Tertia verò aquarum molibus intra receptacula ſua collectis, terra eſt reuelata, atque aër ſerenatus. Quatuor ergo mundi elementa illis diebus ſuis locis diſtincta ſunt & ordinata. Tribus autem ſequentibus diebus ornata ſunt illa quatuor elementa. Quarta enim die ornatum eſt firmamentũ Sole & Luna & ſtellis. Quinta aër in volatilibus, & aquæ in piſcibus ornamenta acceperunt. Sexta accepit terra iumenta & reptilia & beſtias, poſt quæ omniá factus eſt homo de terra, & in terra; non tamen ad terram, nec propter terram, ſed ad cælum & propter cælum.

Eccle. 17.

Ante alia de ornatu cæli agitur, ſicut priùs factum eſt.

G [QVia ergo cælum cæteris elemẽtis ſpeciem præſtat, priúſque aliis factum eſt, ideò ante alia ornatur in quarto die, quo fiunt ſidera: quæ ideò facta ſunt, vt per ea illuſtretur inferior pars, ne eſſet habitantibus tenebroſa. Infirmitatíque hominum prouiſum eſt, vt circumeunte Sole potirentur homines diei noctíſque viciſſitudine, propter dormiendi vigilandíque neceſſitatem: & ideò etiam ne nox indecora remaneret, ſed Luna ac ſideribus conſolarentur homines, quibus in nocte operandi neceſſitas incumberet, & quia quædam animalia ſunt, quæ lucem ferre non poſſunt.] Quod autem ſubditur, [Et ſint in ſigna & tempora, & dies & annos: quo modo accipiendum ſit quæri ſolet. Ita enim dictum videtur, quaſi quarto die cœpiſſent tempora, cùm prius triduum ſine tempore non fuerit. Ideóque tempora quæ fiunt per ſidera, non ſpacia morarum, ſed viciſſitudinem aëreæ qualitatis debemus accipere: quia talia motibus ſiderum fiunt: ſicut dies & anni, quos vſitatè nouimus.][Sunt enim in ſigna ſerenitatis & tempeſtatis: & in tempora, quia per ea diſtinguimus quatuor tempora anni, ſcilicet ver, æſtatem, autumnum, hyemem.][Vel ſunt in ſigna & tempora, id eſt, in diſtinctionem horarum temporis: quia priuſquam fierent, ordo temporum, nullis notabatur indiciis, vel meridiana hora, vel quælibet hora.] Hæc quarta die facta ſunt.

Quæ vtilitate facta ſunt ei luminaria.

Aug. lib. de Gene. ad literam 2. c. 13. & 14.

Aug. lib. de Geneſi 1. contra Manich. c. 14. in to. 1.

QVÆSTIO I.

Vtrùm corpus cæleſte ſit eſſentia ſimplex?

Alenſis 2.*p.q.*44.*m.*2. Auer.*de ſubſtant.orbis c.*2. & 8. *Met. c.*4.D. Tho.1.*p.q.66.a.* 1. & 2.D.Bon. 2.*d.*12.*vbi* Richar.Capreol.Ægid. Henr.*quodl.*4.*q.*16.Goffr.*quodl.*2.& 5.*q.*2.Gabr.2.*d.*12,*q.*2.Mair. *hic q.*2.Baſſol.*q.*1.Anton.Andreas 8.*Met.q.*4.Conimbricen.1.*de cælo c.*2.*q.*4.*Vide* Scot.2.*Phyſ.q.*4.

1. CIrca diſtinctionem decimam quartam, quæro primò, Vtrùm corpus cœleſte ſit eſſentia ſimplex? *Mag. A. B.C.D.E.*

SCHOLIVM.

Cælum, ſecundùm Philoſophos, non habere materiam, ſed eſſe ſubſtantiam ſimplicem, quia poſuerunt eſſe neceſſarium, & omne materiatum, poſsibile, ex quo conſequenter tenere debent cælum non eſſe animatum: quicquid Auicenna ſentiat. Vide Conimbric.2.de Cælo c.1.q.1.

2. REſpondeo,[a] alia videtur reſponſio danda ſecundùm Theologos, alia ſecundùm Philoſophos. Secundùm intentionem Philoſophi, cùm omnis potentia paſſiua materiæ ſit potentia contradictionis, *ex nono Metaphyſicæ*, & *ibidem*, cùm quodcunque ſempiternum ſit neceſſarium, & ita nullo modo in potentia contradictionis: & cælum, ſecundùm ipſum, ſit ſempiternum: ſequitur, ſecundum ipſum, quòd nihil ſit in ipſo, quod ſit in potentia contradictionis, vel corruptionis, & per conſequens nec habens materiam: quia ſi haberet materiam eſſet formaliter corruptibile, ſicut ignis. Dato enim quòd non eſſet aliquod agens extrà, quod poſſet ipſum corrumpere, quia non haberet contrarium, hoc non tolleret quin intra ſe haberet principium corruptionis, ſcilicet materiam, qua res poteſt eſſe, & non eſſe, ſicut ignis: & in hoc videtur Auerroës *in tractatu de ſubſtantia orbis*, melius habere intentionem Philoſophi, quàm alij ponentes in Cælo materiam. *Tex.com.*17 8.*Phy.*1.& 2.*cæ.* & 12. *Meta.* 7.*Met.*1.*c.* 22.*c.*1.& 2.

Ad oſtendendum tamen [b] incorruptibilitatem Cæli ex ſe, quæ hîc ſupponitur, oportet procedere ſecundùm viam Ariſtotelis *primo Cæli, & mundi*, & in hoc oſtendere quòd non ſit alicuius naturæ elementaris: quâ incorruptibilitate oſtenſa, oſtendetur carentia materiæ: niſi forma incorruptibilis poſſet neceſſariò actuare materiam potentialem, & de ſe poſſibilem carere illa forma; ita quòd habitudo non eſſet vtriuſque neceſſaria, ſed tantùm ex parte formæ: è conuerſo, quantùm eſt ex parte materiæ, eſſet contingens: quare non eſt ſimile de neceſſaria inhærentia alicuius accidentis ſubiecto, vbi neceſſitas eſt ex parte vtriuſque extremi. *Tex. c.* 20. & 101.

Quòd ſi dicatur [c] materiam illam non eſſe eiuſdem rationis cum materiis receptiuis diuerſarum formarum: & ideò non poſſe quantùm eſt ex ſe, tranſmutari ab vna forma ad aliam. Hoc videtur inconueniens, & primò quidem, quia tunc eſſent duæ materiæ primæ, alterius, & alterius rationis: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. Probatio falſitatis conſequentis. Non ſunt duo fines primi, nec duo efficientes primi, alterius & alterius rationis; ergo nec ſimiliter duæ materiæ primæ alterius & alterius rationis Item, videtur [d] difficile aſſignare, vnde ſit iſta alteritas rationis in hac materia, & in illa. *Gotf. quodl.* 5. *q.* 2. *Hen. quod.* 4.*q.*16. *D. Tho.* 1. *p.q.* 66. & 2. *Meta.t.* 5. & 6.

Secundò, [e] data hac alteritate, ſaltem iſta materia eſt in potentia ad hanc formam, & ad priuationem huius formæ; ita quòd iſta materia de ſe eſt in potentia contradictionis, licèt non ponatur, in qua potentia formæ eſt: nunc autem non eſt materia per ſe ratio corruptibilitatis, inquantùm eſt in potentia ad formam aliam ab ea, quam habet: ſed inquantùm eſt in potentia ad priuationem formæ, quam habet. Similiter Philoſophus non ponit materiam, niſi propter potentialitatem ad mutationem: in cælo non eſt potentialitas mutationis niſi ad *vbi*. *Materiam cæli eiuſdē rationis cū ſublunari. Ægidius in tractatu de materia cæli.*

3. Si dicatur, [f] quod materia in cælo non eſt in potentia contradictionis: quia forma eius complet totum ſuum appetitum; contrà, nulla forma complet totum appetitum materiæ ſuæ, reſpectu alterius formæ, niſi det actum oppoſitum priuationi illius formæ: forma cæli non dat actum oppoſitum priuationi cuiuſcunque formæ alte- *Forma cæli nō dat actū oppoſitum omni priuationi.*

rius à ſe, puta formæ ignis : ergo priuatio formæ ignis ibi manet. Probatio minoris, nulla forma dat actum oppoſitum priuationi cuiuſcunque formæ, niſi in ſe contineat omnes formas ſaltem virtualiter; ſed forma cæli non ſic continet omnes formas, quia non animam intellectiuam.

Vide 1. cæli t. c. 13. & co. 12. Met. t. 25. & in de ſubſtantia orbis. Cælum ſecundum Philoſ. non eſſe animatum.

Ex hoc ſequitur vlteriùs, [g] quòd ſecundùm Philoſophos, cælum non poſſet eſſe animatum formaliter : quia tunc vel cælum erit eſſentialiter anima tantùm, & hoc intellectiua : quia ipſi non poſuerunt ibi animam, niſi intellectiuam, & ita ſolus intellectus erit quantus, quod non eſt intelligibile; quia cælum, vt patet, eſt quantum formaliter, vel præter animam, quæ eſt de eſſentia cæli, erit aliquid aliud per ſe perfectibile per animam : & ita erit ibi potentia paſſiua, & potentia contradictionis : & ita cælum non erit ſempiternum, & neceſſarium. Vnde ſiue Philoſophus ſiue Commentator ponat cælum animatum formaliter animâ, quæ ſit per ſe de eſſentia cæli, videtur ſtatim recedere à prima poſitione præhabita.

9. Met. c. 4 Cælum ſecundum Auic. eſt animatum. Tex. 40.

Quicquid ſit [h] de Auerroë, non dicamus Ariſtotelem receſſiſſe à poſitione prima, nec verba eius cogunt hoc ſibi imponere : quia vbicunque vocat animam cæli, exponatur quantùm ad conditionem, qua anima eſt motrix; non qua eſt forma : & illa anima eſt Intelligentia propria motiua huius orbis coniuncta huic, vt motrix propria, talis non eſt niſi vnica vnius. Improbaretur ab Auicenna hoc, qui planè diſtinguit inter primam intelligentiam productam, & animam primi orbis. Sed nulla eſt neceſsitas tantæ pluralitatis,

Pro hoc eſt Philoſophus 8. *Phyſicor.* qui motum ex ſe diſtinguit in duo, quorum vnum eſt motum tantùm, & reliquum mouens tantùm : illud diſtinguibile eſt compoſitum ex duobus vnitis, ſcilicet mouente, & mobili, & hoc verè mouet, & illud verè mouetur; ſed in nobis anima non mouet, ſed eſt ratio mouendi tantum : ideò mouetur per accidens, quia eſt forma moti : ibi autem mouens, nec per accidens, nec ſecundùm ſe mouetur.

COMMENTARIVS.

1. a Circa primam quæſtionem, quæ eſt: An in cælo ſit materia, quæ ſit pars intrinſeca cæli. Dicit Doctor quòd in hoc Philoſophi diſcordant à Theologis. Loquendo enim ſecundùm intentionem Philoſophi, oportet negare omnem materiam in cælo; & ratio Philoſophi ſtat in hoc; omne ſempiternum eſt ſimpliciter neceſſarium: ſed corpora cæleſtia ſunt ſempiterna; ergo ſunt ſimpliciter neceſſaria. Maior patet, *prima Cæli, & Mundi. tex. commen. 38. & com. 39.* hoc idem patet 9. *Met. tex. comm. 17.* Et vltrà, ſi cælum eſt neceſſarium, ergo non habet materiam. Conſequentia patet, quia materia eſt potentia contradictionis, & per conſequens eſt id quo res poteſt eſſe, & non eſſe; & hoc totum patet 9. Met. tex. comm. 17. Eſt, inquit, *nihil potentia ſempiternum, ratio verò hæc omnis potentia ſimul contradictionis eſt.* Hæc ille. Si ergo cælum haberet materiam, tunc talis materia eſſet in potentia ad formam cæli, & ad priuationem eius, & per conſequens cælum eſſet corruptibile, ſicut ignis : dato enim quòd non eſſet aliquod agens extra extrinſecum, quod poſſet ipſum cælum corrumpere, quia cælum non haberet contrarium, & omne corruptibile corrumpitur à contrario, hoc non tolleret quin intrà haberet principium corruptionis, ſcilicet materiam, qua res poteſt eſſe, & non eſſe, ſicut ignis. Et in hoc videtur ille Auerroës in tractatu de Subſtantia orbis, melius habere intentionem Philoſophi, quàm alij, ponentes in cælo materiam : nam ipſe Auerroës probat, quòd cælum non ſit compoſitum ex materia, & forma. Vide cap. ſecundo. *Dicamus igitur*, inquit, *quomodo illud corpus non componitur ex materia, & forma, ſicut generabilia, & corroptibilia componuntur: nulla enim potentia eſt in ea omnino : non enim in quo eſt potentia, niſi ad duo contradictoria.* Hæc ille. Et hoc probat in illo capi. Hoc idem capit. vltimo.

Hic diſcordat Philoſophi à Theologis.

Scotus laudat Auerroë.

b *Ad oſtendendum tamen*, &c. & hoc probat ibi Philoſophus, ex hoc quòd elementum habet contrarium, & cœlo nihil contrariatur; & omne quod corrumpitur à ſuo contrario corrumpitur, *quà incorruptibilitate oſtenſâ, oſtendetur carentia materiæ* in cœlo, *niſi* diceretur quòd *forma incorruptibilis poſſet neceſſariò actuare materiam poſſibilem de ſe carere illa forma, ita quòd habitudo non eſſet vtriuſque neceſſaria*, id eſt, quòd materia non haberet neceſſariam habitudinem ad illam formam, quantùm eſt ex parte materiæ, quia tunc materia, quantùm eſt ex ſe, non poſſet carere tali forma : ſed benè eſſet neceſſaria habitudo illius formæ ad materiam. Si enim talis forma neceſſariò actuat materiam, tunc habet neceſſariam habitudinem ad ipſam; quantùm ergo eſt ex parte materiæ, cœlum eſſet contingens, cùm materia talis, quantũ eſt ex parte ſua, nata ſit carere tali forma. Sequitur: *quare non eſt ſimile de neceſſaria inhærentia alicuius accidentis ſuo ſubiecto, vbi neceſſitas eſt ex parte vtriuſque extremi.* Quia ſi compoſitum ex ſubiecto, & accidente, eſt ſimpliciter neceſſarium, quia ſi accidens habet neceſſariam habitudinem ad ſubiectum neceſſariò, actuando illud, etiam ſubiectum habebit neceſſariam habitudinem ad tale accidens, quia accidens non poteſt habere *eſſe* neceſſarium, quin ſubiectum eius

2.

habeat

habeat *eſſe* neceſſarium, cùm ſubiectum ſit neceſſarium magis in actu. Sed hoc ſic non ſequeretur de forma, & materia, quia poſito quòd aliqua forma haberet neceſſariam habitudinem ad materiam illam neceſſariò actuando, non tamen ſequitur è contra, cùm materia, ſecundùm multos, non ſit in actu, niſi per formam, & poſito etiam quòd ſit in actu, & non per formam, adhuc tamen non videtur ſequi quòd haberet neceſſariam habitudinem ad formam.

3. *Opinio Gotfredi.*

c *Quòd ſi dicatur.* Hîc recitat vnam opinionem, quæ eſt Gotfredi, *quodlib. 5. q. 2.* & Henrici *quodlib. 4. q. 16.* & etiam Thomæ, quæ dicit, quòd materia cæli non eſſet eiuſdem rationis cum materiis receptiuis diuerſarum formarum, quales ſunt materiæ generabilium, & corruptibilium: & ſic talis materia cæli, quantùm eſt ex ſe, eſſet ſimpliciter intranſmutabilis ab vna forma ad aliam.

Contra iſtam opinionem inſtat Doctor primò, quòd non detur materia in cælo alterius rationis à materia generabilium; quia ſi ſic, ergo eſſent duæ materiæ primæ alterius, & alterius rationis: conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Probatio falſitatis conſequentis, quia ſicut non ſunt duo fines primi, nec duo efficientes primi, alterius & alterius rationis, ergo nec ſimiliter duæ materiæ primæ, alterius & alterius rationis: nam Philoſophus 12. *Met. t. com. 52.* concludit vnitatem vniuerſi ex vnitate finis, vbi ſic ait: *Ad vnum quidem enim omnia coordinata ſunt.* Et in alia tranſlatione ſic habetur: *Omnia enim ordinata ſunt ad inuicem in reſpectu alicuius.* Et ibi Commen. id eſt, *Apparet enim quòd hoc cõmune eſt omnibus entibus, ſcilicet quòd omnia ſunt propter vnũ, & quòd actiones eorũ ſunt erga illum vnũ, & eſt prima cauſa id eſt, quòd illud vnum eſt prima cauſa quemadmodum omnia quæ ſunt in domo propter dominum domus ſunt.* Hæc ille. Apparet ergo, quòd in vniuerſo eſt tantum vnus finis vltimus, & ſi eſſent plures fines vltimi, eſſent neceſſariò plura vniuerſa. Et ſi tantum eſt vnus finis vltimus, erit etiam tantùm vnum primum efficiens, quia cuius eſt cauſa finalis, eius etiam eſt cauſa efficiens: ſi ergo reſpectu totius vniuerſi eſt tantum vna cauſa finalis prima, ſequitur quòd reſpectu eiuſdem vniuerſi erit tantùm vnum efficiens primum: ſed iſta prolixiùs patent *in 1. d. 2. parte prima.* Sic ſimiliter videtur quòd ad vnitatẽ vniuerſi ſit vnitas materiæ primæ eiuſdem rationis reſpectu cuiuſcunque compoſiti.

Datur vnum primum efficiens.

d *Item, videtur difficile aſſignare, &c.* Si dicatur, quòd ſit ratione formæ, quia materia cæli ordinatur ad formam incorruptibilem per ſe, & per accidens, & materia iſtorum inferiorum ordinatur ad formam corruptibilem. Sed hoc non videtur, quia ipſi ponunt animam intellectiuam immortalem, & incorruptibilem, & tamen ipſa recipitur in materia eiuſdem rationis cum materia iſtorum inferiorum.

4. *Scotus inſtat contra hanc opinionem.*

e *Secundò.* Hîc Doctor adhuc inſtat contra opinionem concedendo eis iſtam alteritatem, & dicit quòd adhuc poſita tali alteritate, adhuc non ſequitur cælum eſſe incorruptibile, & probat ſic: Illud eſt ſimpliciter corruptibile, cuius materia eſt in potentia contradictionis, ſcilicet ad formam, & ad priuationẽ eius: hoc ſuprà patet: ſed materia cæli, quamuis ſit alterius rationis à materia generabilium, eſt in potentia contradictionis ad formã cæli, & ad oppoſitũ eius ſcilicet ad priuationẽ. Patet iſta, quia omne receptiuum inquantùm huiuſmodi, eſt ſimpliciter in potentia contradictionis, ſcilicet ad receptum, & ad oppoſitũ eius. Si dicatur, quòd ſubiectũ eſt receptiuũ propriæ paſſionis, & tamen nõ eſt in potentia contradictionis ad illã, & ad priuationẽ eius, cùm ſit impoſſibile eſſe ſine illa, vt patet à Doctore. Dico quòd ſubiectũ paſſionis neceſſariò includit illam, non ex hoc quòd recipit eã, ſed ex hoc quòd neceſſariò efficit illam in ſe, & ideò inquantùm receptiuum paſſionis, eſt in potentia contradictionis ad illã: ſed inquantùm effectiuum illius neceſſariò in ſe non eſt in potentia contradictionis. Sed in propoſito materia cæli eſſet tantùm receptiua formæ cæli, & nullo modo effectiua eiuſdẽ, & per conſequens eſſet in potentia cõtradictionis ad illam, & ſi cælum eſt cauſa intrinſeca nõ eſſet ſimpliciter incorruptibile, quod eſt contra Philoſophum in locis præallegatis. Si dicatur, quòd ideò materia eſt cauſa corruptibilitatis compoſiti, quia eſt in potentia ad aliam formã, hoc nõ eſt verum, ſed eſt cauſa corruptibilitatis, inquantum eſt in potẽtia ad priuationẽ formæ, quam habet; & hoc expreſsè patet à Philoſopho *9. Metaph. textu commen. 17.* vt ſuprà patuit: Vide ibi Commentatorem. Et hoc etiam expreſsè patet *7. Met. tex. commen. 22.* vbi reddit cauſam quare generabilia poſſunt eſſe, & non eſſe. quia ſcilicet habent materiam. *Omnia* (inquit) *quæ fiunt, aut natura, aut arte, habẽt materiam, poſſibile enim, & eſſe, & non eſſe eorũ, quodlibet; hæc autẽ eſt quæ in vnoquoque materia.* Hæc ille, Et clariùs ſecundùm aliam tranſlationem, vbi ſic habetur: *Et omnia quæ ſunt, aut à natura, aut artificio, habent materiam, quodlibet enim habet potentiam ad eſſe, & non eſſe, & hoc in quolibet eſt materia.* Hæc ibi.

5.

Ex hoc ergo quòd materia eſt in potentia ad formam, per quam compoſitum habet *eſſe*, & ad priuationem eiuſdem formæ, per quam compoſitum non habet *eſſe*, dicitur compoſitũ poſſibile eſſe, & non eſſe; ergo ex hoc ſolo, quòd materia eſt in potentia contradictionis ad formam, & ad priuationem eius, dicitur cauſa corruptibilitatis. & non per hoc, quòd eſt in potentia ad aliam formam. Et quòd ſic Philoſophus intelligat, patet per Commentatorem *ibi commento. 22.* vbi ſic ait: *In quolibet enim eorum inuenitur aliquid, quod poteſt recipere formam naturalem, aut artificialem, aut non recipere, & quod eſt tale dicitur materia, & eſt illud ex quo eſt natura totius.* Hæc ibi.

Materia cæli complet totũ ſuum appetitum.

f *Si dicatur, quòd materia in cælo non eſt in potentia contradictionis,* videlicet, quòd materia cæli poſſit eſſe ſub alia forma, patet, *quia forma cæli complet totum ſuum appetitum*, ideò enim materia eſt in potentia ad aliam formam, quia appetit eſſe ſub illa: ſed ſi eius appetitus eſt totaliter ſatiatus, vt eſt ſub aliqua forma, nunquàm appetit eſſe ſub alia forma.

Contrà: Nulla forma complet totum appetitum materiæ ſuæ, &c.

6. *Dubium.*

Sed hîc oritur aliqualis difficultas, in hoc quod dicit, quòd ſi forma contineret virtualiter aliam formam, tunc daret actũ oppoſitum priuationi illius formæ: nam anima intellectiua virtualiter continet ſenſitiuam & vegetatiuam

tatiuam, & tamen non videtur ſatiare appetitum materiæ, quin ipſa appetat eſſe ſub vegetatiua, vel ſenſitiua formaliter, & ſimiliter videtur quòd contineat etiam alias formas corporales propter ſui perfectionem, & tamen non videtur ſic ſatiare appetitum materiæ quin ipſa appetat eſſe formaliter ſub alia forma, etiam imperfectiore: ſi enim ſic ſatiaret appetitū materiæ, nunquam materia appeteret eſſe ſub alia forma, & per conſequens non eſſet cauſa corruptibilitatis. Præterea, Forma mixti virtualiter continet formas elementares: patet, quia virtualiter continet qualitates elementorum, ergo, & formas illorum. Patet conſequentia, quia continens virtualiter proprietatem alicuius formæ, continet etiam virtualiter illam formam. Et tamen forma mixti non ſic ſatiat appetitū materiæ quin ipſa appetat eſſe puta ſub forma ignis. Tertiò inſtatur, quia Doctor videtur innuere quòd forma cæli contineat virtualiter alias formas ab anima intellectiua, & per conſequens, quòd ſic ſatiat appetitum materiæ, quòd non appetat eſſe ſub alia forma, puta ſub anima ſenſitiua. Sed hoc non videtur. Tum, quia ipſe *infrà, diſt.* 18. expreſsè tenet quòd nec anima ſenſitiua, nec vegetatiua dependent à cælo in eſſendo, ergo nec virtualiter continentur in eo. Tum, quia poſito quòd continerentur virtualiter, adhuc non videtur ſequi quòd materia cæli non appetat eſſe ſub tali forma. Et confirmatur, quia quamuis intellectus noſter habeat perfectiſſimam intellectionem, quam naturaliter appetit, adhuc ſtante tali intellectione perfectiſſima, naturaliter appetat aliam, & ſic intrinſecè, & formaliter, non ita perfectè quietatur in illa, quin etiam appetat aliam. Sic videtur dicendum de materia cæli, quia ex quo habet naturalem inclinationem ad omnem formam, quamuis ſit ſub forma perfectiſſima, adhuc tamen aliam appetere poteſt. Reſponſionem quære alibi.

7. g *Ex hoc ſequitur vlteriùs.* Hîc Doctor infert vnum ſcilicet quòd ex quo ſecundùm Philoſophos in cælo non eſt materia, ſequitur cælum non poſſe eſſe formaliter animatum; & hoc probat quia ſi cælū nō haberet materiā, & eſſet formaliter animatum, & tunc ipſum cælum eſſet eſſentialiter tantum anima, & non niſi intellectiua, quia Philoſophi non poſuerunt ibi niſi animam intellectiuam, & ita ſolus intellectus erit quantus, quod non eſt intelligibile. Patet, quia cælum eſt quantum formaliter, & ſic quantitas eſſet formaliter in anima intellectiua, & per conſequens anima intellectiua eſſet realiter diuiſibilis in infinitas partes ad diuiſibilitatem quantitatis, ſicut & caro habēs quantitatē formaliter eſt diuiſibilis in infinitas partes carnis, vt ſuprà patuit. d. 2. q. nona.

Vel in cælo præter animam, quæ eſt de eſſentia cæli erit aliquid aliud per ſe perfectibile per animam, & ita erit ibi potentia paſſiua, & potentia contradictionis. Patet, quia omne perfectibile ab aliquo realiter diſtincto eſt in potentia receptiua, ſiue paſſiua ad illud, & in potentia contradictionis reſpectu illius; & ita cælum non erit ſempiternum, & neceſſarium, vt patet per dictum Philoſophi nono Met. tex. com. 17. *Vnde ſine Philoſophus*, &c. *Videtur ſtatim recedere à prima poſitione prahabita*, quæ poſitio eſt, quòd in cælo non eſt materia.

h *Quicquid ſit de Auerroë*, qui videtur velle cælum eſſe animatum formaliter, vt patet de ſubſtantia orbis, *non dicamus Ariſtotelem receſſiſſe à poſitione prima*, quæ eſt, quòd in cælo non eſt materia. *Nec verba eius cogunt hoc ſibi imponere*, &c. *Et talis non eſt niſi vnica vnius orbis.* Et pro hoc eſt Philoſophus 8. *Phi. tex. com. c.* 40. qui motum ex ſe diſtinguit in duo, quorum vnum eſt motum tantùm, & reliquum mouens tantùm. Illud diſtinguibile eſt compoſitum ex duobus vnitis, ſcilicet mouente mobili, & hoc verè mouet, & illud verè mouetur; ſed in nobis anima non mouet, ſed eſt ratio mouendi tantum, vt patet per Philoſophum *tertio de Anima*, quia eſt forma moti, ſed in cælo mouens, nec per ſe, nec per accidens mouetur, & tamen ſi eſſet forma cæli, tunc per accidens moueretur ad motum cæli.

Quomodo cælum ſit animatum.

SCHOLIVM.

Secundùm Theologiam, ponendam in cælo materiam, eámque eſſe eiuſdem rationis cum ſublunari, & per conſequens, cælum quantùm eſt ex natura ſua, corruptibile eſſe.

4. SEcundùm Theologos ponenda eſt materia ibi, quia illud chaos, quod ponitur ab eis attigiſſe vſque ad cælum empyreum, erat materia omnium corporalium contentorum à cælo empyreo: & etiam ponetur materia ſecundùm ſe: & quantùm eſt ex ſe eiuſdem rationis in quocunque, & ita habent ipſi diſcordare à Philoſopho in hac propoſitione: *Cælum eſt neceſſarium, & incorruptibile.* Quantùm enim eſt ex natura ſua, eſſet ſimpliciter corruptibile, quia ſibi ineſſet illa potentia ad contrarium: quia tamen forma cæli non habet contrarium, potens vincere iſtam formam, ideò non poteſt corrumpi ab agente naturali, à quo recipit iſtam formam, vel etiam corrumpi in ignem, vel aquam. Sed tunc videtur, quòd ſaltem cælum poſſet corrumpere, & conuertere ignem in cælum: quia virtus actiua cæli excedit formam ignis, & materia ignis eſt etiam capax formæ cæli: ergo poteſt tranſmutari ad eſſe tale, ab agente tali. Fortè cælum non poteſt alterare elementum, ad qualitates conuenientes tali corpori cæleſti, & tamen forma illa intantùm dominatur illi materiæ, vt non poſſit ab aliquo alio alterari, recipiendo peregrinas impreſſiones, & per conſequens, nec corrumpi.

Incorruptibilitas cæli, vnde eſt?

SCHO

SCHOLIVM.

Quoad animationem cælorum videtur Auguſtinus dubius locis in litera citatis, tamen negat eis animam lib. de duab. animabus c. 4. dicens ideò muſcam nobiliorem cælo. & l. 2. Retrac. c. 7. Idem habet Hier. loco citato à Scoto, & in c. 1. & 45. Eſa. & ep. ad Pammachium, vbi propter hoc, coarguit Origenem. Scotus reiecta ratione D. Thomæ, fatetur ratione non concludi non eſſe animatos, vt tenuerunt multi Philoſophi, & Aſtrologi.

5. QVantùm ad animationem, videtur eſſe dubium, quia Auguſtinus in Enchir. cap. 42. loquitur dubitatiuè, *Nec illud certum habeo, vtrùm ad ciuitatem ſupernam pertineant Sol, & Luna, & alia ſydera: quamuis nonnullis corpora lucentia, non tamen intelligentia videantur.* Similiter 2. ſuper Geneſ. & primo Retracta. cap. 8. quære, vbi facit mentionem de eo, quod dicitur. cap. 5. videtur dicere cælum habere animam, quod cap. 10, & 11. dicit non retractatum tanquam falſum: vbi dicit: *Animal eſſe mundum iſtum, nec auctoritate, nec ratione indagare potui: non tamen propter hoc negat.* Vnde videtur manifeſtè, quòd in nullo libro ſcripto, ante librum Retractationum aſſeruit, quod in libro Retractationum retractet: ergo illa auctoritas, quæ adducitur de lib. Auguſtini, de agnitione veræ vitæ, nihil valet, ſcilicet, *Qui autem dicunt cælos eſſe rationales, ipſi meritò ſunt irrationales.* Oſtendit etiam illum librum non eſſe Auguſtini, vel quod illum fecerit poſt librum Retractationum, quia nuſquam videtur Auguſtinus aſſeruiſſe, quod in lib. Retractationum eſt negatum. *1. ca. t. 21.* *c. 18.*

Sed Hieronymus ſuper Pſalm. *Audite cæli*, dicit, quòd loquitur ad animata, ſed alius Græcus, ſcilicet Damaſcenus aſſeruit cælos non eſſe animatos. Ratio ad hoc ponitur, quia illa anima fruſtrà vniretur tali corpori, ex quo non habet ſenſum: nec per conſequens aliquam perfectionem ex corpore acquirit. Sed illud non videtur congruè dictum, vt forma vniatur materiæ, vt perfectionem accipiat à materia: ſed magis, vt perfectionem communicet materiæ: imò principalius, vt ex eis totum compoſitum ſit perfectum. *Deuter. 32* *D. Tho. 1. p. q. 70. ar. 3.*

Reſpondeo, forma vnita materiæ, ab ea recipit aliquam perfectionem: aliquin anima beata fruſtrà vniretur corpori, ex quo ex corpore non acquireret perfectionem. *Videntur hìc aliqua deſumpta ex report.*

Breuiter, ſi cæli non ſunt animati, hoc eſt creditum, & non ratione concluſum: quia nulla eſt conditio in corpore illo ita perfecto, manifeſtè apparens repugnare animationi corporis. Hoc de iſto.

QVÆSTIO II.

Vtrùm aliquod ſit cælum mobile, aliud à cælo ſtellato?

Alenſis 2. *p. q.* 18. *m.* 4. *&* *q.* 52. *a.* 4. Albert. *tract. de* 4. *coæuis q.* 4. *a.* 13. Ægid. *l.* 2. *Hexamer. c.* 36. Conimbric. 2. *de cælo. c.* 5. *q.* 1. citantes multos.

SEcundò quæro a de motu cælorum. Vtrùm aliquod ſit cælum mobile, aliud à cælo ſtellato? Quòd non. *Gen.* 1. dicitur de ſtellis, quòd poſuit eas Deus in firmamento cæli: ergo omnes ſtellæ ſunt in vno firmamento. *Mag. F. G.*

Similiter per rationem: Continuum eſt, cuius motus eſt vnus, ſecundùm Philoſophum, 5 *Metaph.* motus autem cuiuſcunque cæli inferioris, vnus eſt in cælo ſuperiori, quia quodcunque cælum inferius, ſi ponatur, mouetur motu diurno, & etiam aliis motibus propriis cælis ſuperioribus, ſi ponantur alij: ergo quodlibet inferius, ſi ponatur, eſt continuum cum toto cælo ſuperiori. *Arg. 2.* *Tex. 8.*

Item, totum cælum præter ſtellam, ſecundùm ſe eſt vniforme: ergo propter ipſum, non eſſet ponere aliquem motum: quia idem facit vna pars præſens, quod alia: non eſt ergo neceſſarius motus, niſi motus ſtellæ: ſed motus ſtellarum proprij videntur poſſe ſaluari in vno cælo, ſicut & multi motus proprij poſſunt ſaluari in aqua, vel aëre: ergo, &c.

Oppoſitum: ſtellæ diuerſimodè mouentur: ergo habent diuerſos cælos: *Ratio oppoſ.*

quia ſi non, ſtellæ mouerentur proprio motu ſuo, ſiue motu orbis: & ita vel eſſet in cælo vacuum, vel ſciſſio orbis, vel duo corpora ſimul.

Ad videndum de numero cælorum, primò oſtendendum eſt illud, in quo omnes Aſtrologi concordant. Secundò, videndum eſt de illo, in quo alij ab aliis diſcordant.

SVPPLEMENTVM R. P. PONCII.

1. a *Secundò quæro de motu calorum, &c.* Eo magis mitor Lychetum non explicaſſe hanc quæſtionem, quòd in initio commentarij ad quæſtionem præcedentem, cùm proponeret ea, de quibus Doctor in hac diſtinctione ageret, eius fecerit mentionem, nec dubitari poſſit quin ſit de ſcripto Oxonienſi. Sed & Tartaretus etiam eam omiſit ſine mentione vlla. *Summa quæſtionis.* Continet autem plura: primò enim oſtendit neceſſariò eſſe ponendos octo cælos, & ſecundùm communem, nouem admittit. Secundò oſtendit triplicem differentiam reperiri in motu planetarum. Tertiò ad ſaluandam illam differentiam, planetis plures orbes partiales adſcribendos docet. Quartò agit de neceſſitate Epicyclorum. Et tandem ſoluit argumenta principalia tria in initio quæſtionis pro negatiua parte propoſita.

SCHOLIVM.

Nouem eſſe cælos ſecundùm antiquos, & ponitur ratio, quâ colligitur iſte numerus, ſcilicet ex diſtantia Planetarum, inter ſe, & ad fixas, & ſtellarum fixarum ad polos, & motum diurnum, qui non eſt proprius cæli ſtellati, quia habet alium. Vnde neceſſe eſt dare aliud ſuperius eo, quod eſt primum mobile, & nonum cælum. Alij poſtea decimum poſuerunt conſtituentes in ſtellato duo: non numerat Doctor Empyreum, quia ratio non ſcitur: dari tamen tenent PP. Baſil. hom. 2. & 3. in Hexam. Damaſ. 2. c. 6. Clem. 1. & 2. recog. Hilar. in Pſ. 112. Theodor. q. 11 in Gen. Athan. Chryſ. Theophyl. in c. 8. ad Hebr.

Stellas moueri tantum motu orbis. Quantùm ad primum b, hîc ſupponendum eſt quòd nulla ſtella habet proprium motum localem, id eſt, quòd non mouetur motu alio, quàm motu orbis, in quo locatur: ſi enim ipſa partem illam orbis, in qua eſt, relinqueret aliquando, & ad aliquam aliam partem moueretur, vel ſibi nihil ſuccederet, & ita eſſet vacuum; vel aliquid aliud ſibi ſuccederet, & ita corpus cœleſte eſſet rarefactibile, & condenſabile: vel poſſet ſcindi, & recedente corpore ſcindente, rurſum continuari: vel ſi nullum iſtorum concedatur: ſequitur quòd ſtella mota ſemper ſit ſimul cum alio corpore mouente. *Tex. 50. & 59.* Hæc eſt intentio Ariſtotelis 2. *de Cæ. & Mundo*, ſi natura dediſſet virtutem progreſſiuam, &c. 2.

Hoc ſuppoſito c ſequitur quòd quæcunque ſtellæ non ſunt inter ſe æquè diſtantes, non ſunt in eodem cælo: nam diſtantia alia, & alia, diuerſis temporibus non poteſt eſſe per proprium motum ſtellæ, ſed tantùm per motum cæli, in quo ipſa eſt, & ſi diſtet difformiter ſtella à ſtella, ergo cælum huius difformiter mouetur à cælo illius: & ita aliud eſt cælum huius, & illius. *Difformitas diſtantiæ ſtellarũ à ſe probat non eſſe in eodem cælo.* Mouentur autem ſeptem ſtellæ difformiter, ita quòd non ſemper æquè diſtant à ſtellis illis fixis, (quæ ideò dicuntur fixæ, quia ſemper inter ſe æquè ſunt diſtantes, & eundem ſitum, & figuram ſeruantes) & ideò reſpectu omnium illarum fixarum non oportet ponere niſi vnum cælum: nec illæ ſeptem inter ſe, ſemper æquè diſtant. Iſta duo de inæquali diſtantia Planetarum inter ſe, & ad alias, quæ dicuntur fixæ, ſupponantur, ſecundùm conſiderationem Aſtronomorum. Poſſibile eſt enim de locis Planetarum certificari per inſtrumenta, de quorum vno, ſcilicet Armilla, tractat, Ptolemæus *in Almageſto diſtinct. 5. cap. 2.*

Vide abbreuiatorẽ Ioan. de Monte regio lib. 5. in princip. Et ſi obiiciatur, quod radius viſualis frangitur propter diuerſitatem mediorum, & ideò non certificat de vero loco ſtellæ; ſaltem certificabit de loco viſibili ſtellæ: & ſi ſtellæ ſecundùm locum viſibilem eorũ æqualiter diſtent: ergo & ſecundùm locum verum: quia loca viſibilia nunc, & tunc, proportionabiliter ſe habent ad loca eorum vera nunc & tunc: aut ſaltem non ita improportionabiliter, vt poſſet eſſe tanta diſtantia locorum viſibilium ſine aliqua diſtantia locorum verorum: & iſta diſtantia ſufficit ad propoſitum. 3.

Ad minus ergo præter cælum, quod ponitur omnium ſtellarum fixarum, quæ ſemper vniformiter diſtant, ſeptem cæli proprij ſeptem Planetarum, qui difformiter mouentur, & ab iſtis, & inter ſe ſunt: ergo octo cæli.

Vlteriùs

Vlteriùs etiam, communiter [d] conceditur nouum cælum ſuperius cælo ſtellato, quia vnius corporis cæleſtis tantùm eſt vnus motus proprius : motus autem diurnus non eſt motus proprius cæli ſtellati, cùm illud cælum moueatur alio motu, ſicut probatum eſt ex conſiderationibus. Nec enim quæcunque ſtella fixa ſemper æquè diſtat à polis immobilibus : nec etiam ſemper in temporibus æqualibus æquè diſtat à capitibus Arietis, & Libræ : ergo iſte motus diurnus eſt proprius alicuius alterius corporis : & non niſi ſuperioris, quia hoc motu mouetur cælum octauum: non autem mouetur aliquod cælum motu proprio alterius, niſi illud alterum ſit ſuperius : erit ergo aliquod mobile, quod vniformiter mouetur motu diurno, ſuperius cælo ſtellato. hoc dicit Auicenna 9. *Metaph. cap.* 2. & Ptolemæus *in Almag.* quære.

Probatur primũ mobile eſſe.

Li. 7. *& in de planetarum theoricis.*

COMMENTARIVS.

2. SVPPLEM. PONCII. *Omnis ſtella mouetur ſolũ modo motu ſui orbis.*

b *Quantùm ad primum*, &c. Supponit hîc Doctor cum communi Aſtrologorum & Philoſophorum ſententia, nullam ſtellam habere ex ſeipſa motum localem, ſeu nullam moueri, niſi motu, quo mouetur orbis in quo eſt. Hoc ſuppoſitum commune probat Doctor, quia ſi per ſe moueretur aliqua ſtella motu aliquo, quo non moueretur cælum, in quo eſſet, tum vel ſuccederet ipſi in illa parte, quam relinqueret, aliquid aliud, vel relinqueret poſt ſe vacuum, vel penetraret partes cæli ; ſed neutrum horum dici poteſt: ergo non mouetur ſtella per ſe.

Minor continet tres partes, in quarum qualibet eſt particularis controuerſia propter varietatem ſententiarum, quæ eſt de hac re.

Stellæ nõ mouentur in cælalibus aut concauitatibus.

Quidam enim exiſtimant aſtra aliqua moueri per ſe in quibuſdam canalibus repertis in cælo, ita ſcilicet vt vnum tantùm ſit cælum, in quo fixæ ſunt aliquæ ſtellæ, quæ ſtellæ fixæ propterea vocantur, & ſemper eundem inter ſe ſitum & eandem diſtantiam ſeruant, & in quo præterea tot quaſi canales, ſeu cauitates reperiuntur, quot ſtellæ errantes, ſeu planetæ habentur, non ſeruantes neque inter ſe ſemper, neque cum ſtellis fixis eandem diſtantiam, in quibus canalibus, ſeu concauitatibus mouentur iſtæ ſtellæ errantes. Hanc ſententiam tenuerunt aliqui antiquiores, quos ſequitur Hurtadus *diſp.* 2. *de Cælo, ſect.* 1. qui nihil ſtellæ ſuccedere affirmat, dum mouetur, non putans abſurdum eſſe quòd in cælo detur vacuum. Verùm omnino non eſt admittendum vacuum, à quo tantopere abhorret natura, vt mille experientiis patet, in cæleſti corpore, ſi poteſt alio modo ſaluari motus aſtrorum : poſſe autem ſaluari ex dicendis patebit. Et per hoc probata manet ſecunda pars Minoris, quâ dicitur non poſſe ita ſtellam moueri, vt nihil ipſi ſuccedat.

3. Alij dicunt cælum eſſe corpus continuum & fluidum inſtar aëris, & in eo ſine multiplicatione cælorum aſtra moueri, ſicut piſces mouentur in aquis, aut aues in aëre. Ita Stoici apud Ciceronem *de natura Deorum, lib.* 2. Seneca *lib.* 7. *naturalium qq. cap.* 14. quos ſequitur Antonius Mizaldus *in Planetologia cap.* 5. Tyco Brahæ *lib.* 2. *progymnaſmatum* ; Blanchamus *in ſua Sphæra* ; & alij recentiores, quorum tamen aliqui putant firmamentum eſſe corpus ſolidum. Fauent autem huic ſententiæ nonnulli Eccleſiæ Patres, Origenes 1. *Periarchon* 7. & 5. *contra Celſum*, Iuſtinus martyr *ad quæſt.* 93. *Orthodoxorum* ; Chryſoſtomus *hom.* 6. & 13. *ad Geneſim, & hom.* 12. *ad populum.* Contra hanc ſententiam facit prima pars Minoris præmiſſæ, quâ dicitur quòd aſtra non ita moueantur ex ſe, vt iis ſuccedat aliud, ſicut mouerentur, ſi cælum eſſet corpus fluidum inſtar aëris, aut aquæ : ad quam partem Minoris probandam ſufficit improbare hanc ſententiam de fluiditate cœli, & probare oppoſitam, quæ multò communior eſt Peripateticorum cum Philoſopho 2. *de Cælo.* Baſilio *homil.* 3. *Hexameron :* Ambroſio & Beda *lib.* 2. *Hexameron.* Theodoreto *quæſt.* 11. *in Geneſim* ; Auguſtino 2. *de Geneſi ad literam c.* 10.

Cælum nõ eſt corpus fluidum.

Probari autem hæc communis ſententia ſolet, primò ex Geneſis 1. vbi dicitur à Deo factum eſſe firmamentum, per quod intelligitur totum cælum, in quo ſunt ſydera ; quandoquidem poſtea dicatur Deus in firmamento collocaſſe ſolem, Lunam & ſtellas. Ideò autem vocatur totum hoc cælum *firmamentum*, quia eſt ſubſtantia firma & ſolida : ergo non eſt ſubſtantia fluida. Verùm in primis ſi conſideremus hunc locum per ſe, non ſatis probat, in ſententia præſertim eorum, qui fatentur cælum ſtellarum immobilium eſſe ſolidum, & reliquam partem eſſe fluidam, in qua ſunt ſtellæ errantes : nam quamuis per *firmamentum* intelligeretur non ſolum pars illa cæli, in qua ſunt ſtellæ fixæ, ſed etiam in qua ſunt planetæ ; tamen poſſet totum illud conflatum ex vtraque parte vocari *firmamentum* denominatione deſumpta à potiori parte, quæ eſt illa, in qua ſunt ſtellæ fixæ, quamuis aliqua pars ipſius non eſſet firma & ſolida. Confirmatur, quia ſecundùm aliquos ex iis, qui vtuntur hac probatione, præcipuè Auerſam *quæſt.* 32. *ſect.* 6. per *firmamentum* in illo ſcripturæ loco intelligitur tota expanſio vſque ad terram, etiam complectendo regionem aëris, qui non eſt corpus ſolidum ſed fluidum, ergo quamuis tota expanſio corporum cæleſtium vocaretur *firmamentum* poſſet aliqua pars ipſius eſſe fluida.

Prima probatio communis.

Reiicitur.

Deinde contra eandem probationem facit, quod poſſet cælum vocari *firmamentum*, non quod eſſet res ſolida non fluida, ſed quod eſſet res firmiter ſtans, & perſeuerans in eadem diſpoſitione, ſine vlla alteratione, aut corruptione ; quo modo nulla res ſublunaris poteſt vocari *firmamentum* : ergo ex nomine *firmamenti* præcisè non poteſt deſumi efficax argumentum.

4. Probari ſolet ſecundò, ex illo Iob 37. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi*

Secunda Probatio communis.

quasi æs fusi sunt. Quæ verba intelliguntur sine dubio meliùs cum communiori sententia, de cælis, in quibus astra sunt, quàm de aëre, vt intelligit Pineda, ob leuissimum fundamentum, recedens à communiori sententia.

Responsio. Contra hanc probationem facit primò, quòd illa verba non sint Iobi, sed Heliu amici eius, cui non adeò constat adfuisse Spiritum sanctum in omnibus, quæ dixerat, sic vt non potuerit errare. Nec refert, quòd exponantur verba amicorum Iob, & sint de scriptura Canonica; quia exponi debent, vt intelligantur, & ex eo quòd referantur in scriptura, certò habemus quòd ea protulerit iste amicus; non tamen deberent esse vera secundùm se; sicut nec debet esse verum, quòd scriptura refert insipientem dixisse in corde suo, nimirùm: quod non sit Deus: *Psalm.* 13.

Secundò, sicut Pineda intelligens illa verba de aëre, explicat quâ ratione aër dici possit solidissimus quasi æs fusum, cùm tamen sit substantia fluida: ita multò propriùs dici posset cælum, licet sit fluidum, solidissimum quasi æs, propter stabilitatem, incorruptibilitatem, continuationem, expansionem, & lucem. Pluribus etiam rationibus eadem communis probari solet, desumptis ex vniformitate, & perpetua constantia motuum diuersorum, quos habent Planetæ, & ex immobilitate, quam habent stellæ fixæ quantùm ad hoc quod non recedant vnquam ab illa distantia, quam habent inter se. Quæ vniformitas videri posset non compati cum fluibilitate cælorum. Verùm contra hoc posset dici, quòd mouerentur sic vniformiter ab Intelligentiis, quas omnes fatentur cælis assistere à solo Deo, in quo sanè nihil esset implicantiæ.

Vera probatio. Nihilominus quia non debemus recurrere ad specialem aliquem concursum diuinum in effectibus naturalibus absque causa; & quia si ab Intelligentiis mouerentur & conseruarentur omnes stellæ tam vniformiter, non apparet quomodo hoc fieri posset, quin simul cum stella qualibet moueretur Intelligentia mouens stellam per totum orbem circulariter; & præterea cùm stellæ à se inuicem valde distent, Intelligentiæ etiam assistentes ipsis similiter valde deberent distare; & sic difficulter possent seruare vniformitatem sui motus: & denique quia non est vllum inconueniens in assignandis pluribus cælis solidis: omnino probabilibus videtur, quòd cælum non sit corpus ita fluidum; sed quòd sit corpus omnino solidum, sicut communiter supponitur esse; & præterea etiam quia nihil impedit quominus prædicta scripturæ loca exponatur, sicut communis sententia exponit, congruentiùs multò exponuntur sic, quàm recurritur ad aliam expositionem absque vrgenti necessitate.

5. Tertia sententia est, quòd astra moueantur in cælo, penetrando ipsum, eo modo, quo corpora beata possunt penetrare alia corpora. Ita tenuerunt aliqui antiqui, vt refert Albertus *1.par.q.4.ar.19.* & D.Bonau. *in 2.dist. 14. par.2. ar. 1. q. 2.* Quam sententiam sequitur Petrus Ioannis Prouenzalis *quodl.3.q.7.*

Astra nõ mouentur per cælum penetrando ipsum. Contrà hanc sententiam est tertia pars Minoris, quâ dicit Doctor quòd non moueantur astra penetrando partes cæli. Quæ pars est maximè communis, & probatur ex eo quòd quantitas habet pro proprietate, aut differentia essentiali impenetrabilitatem naturalem; ita vt res affecta quantitate non possit penetrare aliam rem affectam alia quantitate naturaliter, vt patet quotidianâ experientiâ: hanc enim ob causam corpora mutuò se expellunt ex loco, nec nisi vnum recedat, alterum in eodem collocare possumus. Nec dicendum omnino absque necessitate ingenti est, quòd Deus miraculosè corpora cælestia quantitate affecta priuet hac connaturali proprietate, sicut priuat corpora beata, quando Beatis id placet ad ipsorum emolumentum. *Probatur.*

Hoc est fundamentum commune huius rei: sed nonnullas patitur difficultates. Nam in primis sicut non est inconueniens quòd Deus priuet quantitatem corporum beatorum actuali impenetratione, licèt illam connaturaliter exigat propter bonum ipsorum; ita videri posset non esse inconueniens, quòd priuaret quantitatem cælestium corporum actuali impenetratione in ordine ad se inuicem propter bonum vniuersi. Rursus posset dici quòd quantitas non exigeret connaturaliter impenetrationem ex se, sed solùm id exigeret ratione corporum, in quibus esset, aut quatenus inde sequeretur maius emolumentum vniuersi; vnde cùm in sublunaribus impenetratio cedit in bonum vniuersi, & in cælestibus non item, posset dici quòd corpora cælestia tam connaturaliter penetrarent se, quàm sublunaria corpora essent impenetrabilia. Tertiò posset negari corpora cælestia habere quantitatem, maximè iuxtà illam sententiam mihi valde probabilem, quæ ait, ea non constare vllo modo forma & materia physica, sed esse corpora simplicia; nam quantitas dicitur esse communiter proprietas materiæ, & consequenter naturaliter non cõpetere debet nisi corporibus constantibus materia. Nec refert quòd cælum habeat partes extra partes; nam in nostra, & communiori sententia, substantia etiam sublunaris haberet partes extra partes, si conseruaretur absque quantitate. *Replica prima.* *Secunda.* *Tertia.* *An cæli habeant quantitatem.*

Itaque meliùs probatur hæc communis sententia: primo ex eo quòd si astra penetrarent cælos omnino, Intelligentiæ ipsa mouentes deberent moueri cum ipsis, non minùs quàm deberent si cælum esset corpus fluidum, vt patet. Secundò, quia nulla prorsus est inconuenientia in multiplicatione cælorum: vnde quandoquidem communiter ita tenetur, meliùs id asseritur quàm oppositum, cuius nullum est fundamentum. *Vera probatio.*

c *Hoc supposito, sequitur quòd quæcunque.* 6. Ex doctrina præmissa, communiter asserta, nimirùm, quòd astra non moueantur motu proprio per se, sed motu partis cæli, in qua sunt fixa, infert Doctor necessariò tot esse cœlos distinctos, quot sunt astra, quæ inter se non seruant semper eandem distantiam: vnde quandoquidem certum sit experientiâ, quòd septem astra errantia non seruant semper eandem distantiam inter se, ac astra fixa; sequitur ad minùs debere esse octo cælos distinctos, vnum pro quolibet Planeta ac alterum pro stellis fixis; nam cum illæ stellæ semper inter se inuicem eandem habeant distantiam, non est vnde colligatur, quòd in diuersis cælis collocentur. Vnde explodenda est sententia Moysis Ægyptij, *Dantur ad minus octo cæli distincti.*

Ægyptij, qui vt refert Albertus Magnus 2. *Cæli* 11. tot poſuit cælos quot ſunt ſtellæ, tam fixæ, quàm errantes. Et multò magis explodẽda eſt aliorũ Philoſophorum, qui, vt idem teſtatur, pro qualibet ſtella centũ octoginta duos cælos poſuerunt. Quæ vtraque ſentẽtia vel hoc ſolo reiicitur, quòd careat fundamento; nec à communi ſententia recedendum ſit abſque aliquo fundamento, nec multiplicanda ſunt entia ſine neceſſitate.

Non ſunt tot cæli quot ſtellæ non errantes.

7. *Ex diuerſis motibus planetarum bene colligi diuerſitatẽ cælorum.*

Ne quis autem dicat experientiam, quâ colligitur Planetas à ſe inuicem, ac à ſtellis fixis magis ac minùs quandoque diſtare, eſſe fallibilem, quia ſcilicet propter diſtantiam ſtellarum ac diuerſitatem medij poteſt frangi radius viſualis, per quem videmus aſtra; & ita poteſt viſus decipi, ita vt non poſſit cognoſcere locũ proprium ſtellarum, nec diſtantiam earum à ſe inuicem. Reſpondet Doctor quòd hinc non poſſit ſequi, quin ſtellæ diſtent à ſe plus minùs quantùm ad loca, in quibus apparent; & quòd hinc ſequatur eas diſtare à ſe plus minùs quantùm ad loca ſua propria; quia tam notabilis & vniformis diſtantia acceſſus ac receſſus earum ad ſe inuicem, non poſſet eſſe in loco, in quo apparent, quin eſſet talis proportione ſeruata, in loco ſuo vero, vt manifeſtum videtur.

Ex quibus à primo ad vltimum neceſſariò ſequuntur octo cœli mobiles; quot & communiter Theologi ac Philoſophi, tam veteres, quàm recentiores aſſerunt. Sed Auerſa *q.* 32. *ſect.* 5. exiſtimat non eſſe neceſſarios tot cælos totales & integros, quot ſunt ſtellæ errantes, ſed ſufficere peramplas aliquas Zonas, ſeu faſcias incluſas in concauitatibus correſpondentibus in ipſo vnico cælo, in quo ſunt fixæ ſtellæ non errantes, & ab illo cælo diſcontinuatas, ac diuiſas.

An quilibet Planeta habeat integrũ orbem.

Verùm, vt res ita ſe haberet, non eſſet contrà reſolutionem Doctoris, cui ſufficit eſſe ſeptem partes ambientes aliquo modo orbem, diſtinctas & diſcontinuatas inter ſe, & à cælo ſtellato, ſeu firmamento, in quibus partibus fixi ſunt Planetæ, & quarum partium motu Planetæ moueantur: & hoc ipſum ſufficere poſſet omnibus aliis authoribus tenentibus multiplicationem cælorum. Sed & præterea, ſi nihil obſtet, quo minùs pro quolibet Planeta ponatur integrum cælum, non minùs conuenit illud ponere, quàm faſciam illam; & cùm ab antiquioribus & recentioribus communiter ponantur integri cæli, & non huiuſmodi, id ſine dubio multò probabilius iudicandum eſt: nec prorſus video qua ratione facilius poſſit zona illa moueri eo modo, quo neceſſum eſt, quàm integrum cælum, quidquid dicat Auerſa; cuius argumenta contrà multiplicationem integrorum cælorum æqualiter militant contrà multiplicationem zonarum, quas neceſſariò fatetur.

8. *Datur nonũ cælum.*

d *Vlteriùs etiam communiter conceditur nonum cælum, &c.* Hanc ſententiam de nono cælo inuexerunt primò Arſatilis, & Timocares, poſtea Hipparchiis, Mileus, Agrias, quos ſecuti ſunt Ptolemæus, Alphraganus, & recentiores omnes ferè. Mouentur autem ad ipſum ponendum, quia obſeruauerunt in firmamento præter motum ab Oriente ad Occidentem, alium motum ab Occidente ad Ortum; ſupponunt autem ſemper eidem cælo ex ſe non poſſe competere duos motus, nec moueri cælum ſuperius motu cæli inferioris: ergo aliquis ex his duobus motibus, conuenientibus firmamento, ſeu cælo ſtellato, debet competere ipſi ratione alterius cæli ſuperioris, & conquenter debet admitti tale cælum. Quòd autem firmamentum moueatur iſtis duobus motibus probant quantùm ad motum ab ortu ad occaſum experientiâ quotidianâ; quantùm autem ad alterum motum ab occaſu ad ortum, probant, quia experientia comperitur ſtellas fixas eaſdem non ſemper oriri in eodem puncto Horizontis; nec ſemper æquè diſtare è polis immobilibus mundi, & à capitibus Arietis & Libræ; quod eſſet falſum, ſi vnicus tantùm motus competeret cælo ſtellato, in quo ſunt.

An detur cælum decimũ mobile.

Præter hos motus Albagtegnius, Thebitius, Alphonſus Rex, Georgius Purbachius, Ioannes Monteregius, alium tertium motum in cælo ſtellato, ſeu firmamento animaduerti poſſe exiſtimauerunt, quem acceſſus, & receſſus, ſeu trepidationis motum appellant; qui motus cùm non poſſit ſimul cum aliis duobus motibus firmamento competere, niſi ſtatuto alio cælo, decimum cælum admitti debere iam communiter aſſeritur; de quo tamen Scotus non fecit mentionem, quia minùs certum eſt ipſum dari; ſi tamen vllo modo detur; quod mihi incertiſſimum videtur; quamuis cùm nihil ſit inconuenientiæ in eo admittendo, facilè quis credere poſſit Aſtrologis id aſſerentibus.

Cur de cælo empyreo non egerit hic Doctor.

Id præterea hîc aduertendum, Doctorem non feciſſe mentionem cæli Empyrei, quod communiter ab omnibus Philoſophis & Theologis, cum Magiſtro ſententiarum, *in* 2. *diſt.* 2. D. Thoma 1. *par. q.* 66. Alenſi 2. *par. q.* 6. admittitur; id autem non propterea accidiſſe credo, quòd hoc cælum ratione naturali non poſſit colligi; in Theologia enim quam tractauit Doctor, non ea ſola quæ tali ratione colliguntur tractari debent, vt manifeſtum eſt: ſed quia inquirebat tantùm de cœlis mobilibus vt patet ex titulo quæſtionis; cælum autem Empyreum ſupponitur ab omnibus eſſe immobile.

SCHOLIVM.

Oſtendit triplicem differentiam motuum conuenientium Planetis, ſcilicet ſecundùm longitudinem, quia diuerſimodè currunt per Zodiacum; latitudinem, quia non æquè ſemper diſtant à polis: & eleuationem, quia idem Planeta nunc magis, nunc minùs à terra diſtat. Duæ primæ fortè ſaluari poſſent in vno & eodem orbe, pro quo laborat Alpetragius.

4. DE ſecundo, in quo non concordant omnes tractantes de iſta materia, dubium eſt, an ſufficiat vnum cælum vnicuique Planetæ, & ſic ſufficiat tantùm ponere nouem

nouem cælos. Triplex quippe in motibus Planetarum apparet differentia. Vna in latitudine, quia non ſemper Planeta æquè diſtat à polis immobilibus. Alia in longitudine eſt, quia diuerſimodè, & non æqualiter percurrunt Zodiacum. Tertia in eleuatione, & depreſſione, quia idem Planeta, quandoque plus appropinquat ad centrum terræ, quandoque plus diſtat: ſicut probat Ptolemæus *in Almageſto*, quia cuius circuli diameter viſualis in longitudine longiore eſt longior, in longitudine breuiore eſt breuior. Apparet etiam de Marte, qui quando eſt in Auge apparet notabiliter paruæ quantitatis reſpectu illius, quam habet, quando eſt in oppoſito Augis. Probatur etiam de Luna; quia ipsâ, & Sole exiſtentibus æquè prope caudam, & caput Draconis, non ſemper Eclipſis æquè durat: ſed quandoque diutiùs, quandoque minùs; hoc eſt impoſſibile, niſi quia Luna quandoque plus, quandoque minùs in vmbram terræ intrat, ita quòd vbi tranſit diameter Lunæ, diutiùs moratur vmbra, pro eo, quòd ibi eſt diameter vmbræ longior, quàm alibi iuxta conum. Si etiam vniuerſaliter negaretur iſta eleuatio, & depreſſio Solis, & Lunæ: nec ex parte vnius: nec ex parte alterius poſſet aſſignari diuerſa quantitas vmbræ: ſemper enim vmbra æquè in altum porrigeretur, & ibi eſſet æqualis quantitas: & ſemper Luna, quando æqualiter eſſet prope conum, æquè eſſet iuxta, & prope vmbram. Ex his, & aliis conſiderationibus Ptolemæi, ſupponatur eleuatio, & depreſſio.

Quare Eclipſis quã. doque diutius durat.

Quære Auer. 2. Cæli c. 35. & Thebit. in tractatu de motibus ſtellarum.

Primas duas differentias, ſcilicet longitudinis, & latitudinis, poſſet quis fortè ſaluare, attribuendo Planetæ vnum cælum per exitum polorum illius cæli, quomodo nixus eſt Alpetragius ſaluare, in libello ſuo de qualitate motuum cæleſtium: qui ponens polos cæli ſtellati, exire polos noni cæli, & per conſequens circa illos polos immobiles deſcribere paruos circulos, ponit cælum octauum ſuper ſuos polos: ſed non contrario motu moueri, motui cæli noni, ſed ad eandem partem: & quòd polus octaui cæli minùs efficaciter recipit influentiam quam ipſum cælum nonum: & ideò ipſe polus non complet circulum, dum punctus aliquis in cælo nono complet circulum: & quòd polus inferioris cæli deficit à completione circuli, vocat interciſionem primam, quam ſecundùm eum, ſupplet motus cæli inferioris ſuper illum polum: & in cælo octauo perfectè ſupplet, quantùm ad longitudinem; ſed quantùm ad latitudinem neceſſariò eſt differentia: nam polus exit polum. Nam motus factus ſuper polum cæli inferioris, licèt compleat motum cæli illius, circa polum ſuperiorem, quantùm ad longitudinem, tamen non poteſt eſſe verus circulus alicuius ſtellæ motæ in cælo inferiore, ſed ſphæra, quia non redit ad eundem punctum, à quo incepit motus. 5.

Ita vniuerſaliter propter diuerſitatem polorum quorundam cælorum, ab aliis, & per interciſionem primam, & ſuppletionem eius, & ſpecialiter in quibuſdam ſtellis, per hoc, quòd non ſituantur in medio ſui cæli: nititur dare fundamenta ad ſaluandum differentias longitudinis, & latitudinis, in motibus Planetarum: & hoc, non ponendo aliquod cælum inferius moueri contra motum cæli ſuperioris, quia talis, ſed ponendo cælum ſuperius moueri ad eandem partem, ad quam inferius, ſed tamen minus efficaciter: quia naturale eſt, quòd virtus recepta in aliquibus ad inuicem ordinatis, efficaciùs recipiatur in proximioribus. Iſta traditio ſatis videtur conſonare cum principiis naturalibus, ſi poſſent per eam ſaluari omnia apparentia ſecundùm longitudinem, & latitudinem: fortè enim per eam poſſent ſaluari ſtationes, & retrogradationes, & proceſſiones Planetarum, ſicut & ipſe nititur ſaluare in quibuſdam polis, in libro ſuo.

COMMENTARIVS.

SVPPLEM. PONCII.

9. *An quilibet Planeta vnicum tantùm cælũ habeat.*

e DE *ſecundo, in quo non concordant*, &c. Præmiſſis his, in quibus Aſtrologi communiter conueniunt, proponit quæſtionem inter eoſdem valde agitatam; An ſcilicet quilibet planeta habeat vnicum tantùm cælum? Cuius quæſtionis ſtatus & reſolutio totaliter dependet ab obſeruationibus quibuſdã Aſtronomorum, quas mediante potiùs experimentali directione peritorum in ea arte, quàm vlla conſideratione intellectuali, aut diſcurſu quis intelligere poterit, ſicut & earum vim ad alteruram quæſtionis partem tenendam, vel reiiciendam; vnde in litera Doctoris explicanda, quæ ſuppoſitis iſtis obſeruationibus clara eſt, vlteriùs immorandum non cenſeo.

Quem ordinem habeant inter ſe cælũ

Solùm aliqua à Doctore omiſſa, pro maiori complemento addam. Et inprimis de ordine cælorum inter ſe quoad locum, id ſupponendum cum communiori aſtrologorum ſententia, vltimum locum & infimum habere cælum *Lunæ*, ſecundum *Mercurij*, tertium *Veneris*, quartum *Solis*, quintum *Martis*, ſextum *Iouis*, ſeptimum *Saturni*, octauum *firmamentum*, nonum iſtud cælum, cuius motu firmamentum

moue

mouetur ab occaſu ad ortum, decimum alterum cælum, cuius motu idem firmamentum mouetur, vt & cæteri orbes inferiores, ab Ortu ad Occaſum motu illo maximè ſenſibili, quo circumitur terra ſpatio viginti quatuor horarum. Hoc autem decimum cælum, ſi detur, eſt primum mobile, nam Empyreum, quod vndecimo collocatur loco, vt ſuprà dixi, communiter ſupponitur non moueri. Ordinem porrò Planetarum quidam benè comprehendit his verſibus:

Saturnus *prior eſt*, *hinc* Iupiter, *inde* Gradiuus,
Poſt ſequitur Phœbus, *Cypria quinta* Venus.
Mercurius *ſextus*, *verùm infima & vltima* Luna *eſt*;
Ordo planetarum clauditur hoc numero.

Alter breuius vnico verſiculo.

Poſt SIM, SVM *ſequitur*, *proxima* Luna *ſubeſt.*

10. *An ſuperiores cæli ſint perfectiores.*

Maior eſt controuerſia; An quò altiores eò nobilioris ſint naturæ, ac maioris perfectionis. Partem affirmatiuã tenere videtur D. Thomas 12. *Metaph. cap.* 8. negatiuam Richardus 2. *diſt.* 15. *q.* 5. quia exiſtimat cælũ Solis quod quartum retinet locum, eſſe cæterorum præſtantiſſimum. Conimbricenſes 2. *de cælo cap.* 5. *q.* 2. *art.* 2. Solem quidem aſſerunt inter aſtra principatum tenere perfectionis, & probabiliter etiam orbem medium ex tribus, quibus conficitur cælum Solis, qui Solem ipſum defert, & eſt continuus Soli, atque adeò eiuſdem ſpeciei cum ipſo; eodem modo excellere reliquos cælos & orbes: inter ipſos autem reliquos cælos & orbes, illum maioris eſſe perfectionis, qui ſuperiorem tenet locum.

Incertum an cæli ſint diſtinctæ ſpeciei.

Ego rem hanc incertiſſimam iudico, & quamuis valde veriſimile ſit Solem inter aſtra maioris eſſe dignitatis, propter ſpeciem illam ſuam nimis eximiam, & maiorem vim communicatiuam lucis ac caloris; tamen omnino exiſtimo non conſtare vllo modo differentiam ſpecificam dari inter cælos, etſi daretur etiam, quemadmodum Sol qui ſecundùm omnes, differt ſpecie à cæteris aſtris, & ſecundùm communiorem ſententiam, eſt maximæ omnium perfectionis, non habet ſuperiorem nec inferiorem locum; ita non eſt neceſſe vt cætera aſtra, aut cæli, quò maioris ſunt perfectionis, eò altiorem poſſideant locum. Nec ſanè ex eo quòd aqua petit eſſe ſupra terram, & aër ſupra aquam, ſatis ſufficienter colligitur, quòd aqua ſit maioris perfectionis, quàm terra, aut aër quàm aqua; ſed id aliunde conſtare debet, aut pro incerto habendum eſt.

11. *Quanto tempore quodlibet cælum ſuum curſum conficit.*

Quanto autem tempore quodlibet cælum ſuum circuitum circa orbem conficiat, magna cura obſeruare conati ſunt Aſtrologi, quibus ſi in ſua arte credendum ſit, ſic mouentur ſinguli cæli per orbem, vt decimum, ſeu primum mobile ſuum curſum ab ortu ad occaſum ſpatio viginti quatuor horarum conficiat, eodem motu reliquos ſecum peruoluens orbes, niſi quod proprio motu paululum tardare compellantur, vt manifeſtè apparet in Luna. Nonum ſolum conficit ſuum proprium motum, ſecundùm Alphonſum Regem, quadraginta nouem mille, ſecundùm Ptolemæum, triginta ſex mille, ſecundùm Albategnium viginti tribus mille ſeptingentis ſexaginta annis. Octauum cælum expedit ſuum motum trepidationis ſeptem mille annis. *Saturnus* perficit ſuum motum annis triginta. *Iupiter* annis duodecim. *Mars* annis ferè duobus, *Sol* diebus trecentis ſexaginta quinque, horis quinque, minutis quadraginta. Eodem ferè tempore *Venus* & *Mercurius*. *Luna* denique diebus viginti ſeptem, horis ferè octo. Quod totum à Conimbricenſibus eſt notatum 2. *de Cælo, cap.* 11. qui etiam benè aduertunt non eadem celeritate, aut tarditate moueri tres orbes cuiuſlibet Planetæ, ſed orbes extremos moueri ſemper æqualiter ab Occidente ad Ortum motu noni cæli, tertium verò orbem, qui deferens eſt, moueri motu ipſius Planetæ.

12. *Cæli nõ mouentur à propria forma.*

Quæres à quo effectiuè mouentur cæli? Reſpondeo cum communiori ſententia, eos non moueri à propria forma, neque à ſeipſis vllo modo, quia nullum corpus mouetur à ſe, niſi motu naturali, quo tendit ad locum ſuum proprium & connaturalem, vt mouentur grauia & leuia à ſeipſis, illa deorſum, hæc ſurſum; vel motu ſenſitiuo, hoc eſt illo, qui fit mediante ſenſatione & appetitu, ſicut mouentur animalia. Sed cæli, vt ſuppono cum communi ſententia, non ſunt animati, cùm nullum ſit animæ eorum indicium; nec tendant in locum aliquem naturalem per ſuum motum, vt euidens eſt; quia aliàs aliquando in eo quieſcerent ex ſe; & quia nullam acquirunt perfectionem maiorem ſuo motu, quàm haberent, ſi omnino quieſcerent; quæ eſt ratio cur exiſtimat Scotus quòd motus cælorum localis, nec ſit ipſis naturalis, nec violentus, ſed omnino neuter, ſeu talis, ad quem indifferenter ſe habent: ergo nullo modo mouentur à ſua propria forma, neque à ſeipſis.

Cæli nõ ſunt animati.

Mouẽtur ab Angelis.

Hinc ſequitur orbes moueri cæleſtes, vel ab ipſo Deo, vel ab Intelligentiis, ſeu Angelis, & quidem ab his moueri immediatè communior eſt ſententia cum Philoſopho 8. *Phyſic. cap.* 6. *tex.* 52. & 12. *Metaph. cap.* 8. Diuus Thomas *opuſculo* 10. *art.* 3. qui etiam aſſerit quæſt. 1. de potentia art. 3. quòd *fidei ſententia eſt*, quòd ſubſtantiæ ſeparatæ, ſiue Angeli moueant corpora cæleſtia. Ratio autem huius potiſſima eſt, quòd Deus per ſe non ſoleat efficere aliquid circa creaturas immediatè, quod per alias cauſas ſecundas tam commodè fieri poteſt; at per Intelligentias commodiſſimè moueri poſſunt cæli: ergo per eas dicendi ſunt moueri. Non verò exiſtimandum eſt quòd vna Intelligentia omnes moueat, ſed plures pro pluralitate cælorum & diſtinctione ac diuerſitate motuum particularium cuiuſlibet cæli, vt etiam communior tenet ſententia, à qua ſine cauſa non eſt recedendum, quamuis non habeat demonſtrationes.

SCHO

SCHOLIVM.

Propter differentiam motus eleuationis & depreſsionis, neceſſariò ponendos orbes eccentricos mundo, id eſt, non eiuſdem centri cum eo, & in quolibet Planeta, vt ſectio, penetratio, & vacuum vitetur, ponendos eſſe tres orbes, quorum ſuperior ſecundùm conuexam, & inferior ſecundùm concauam; ſunt concentrici, ſecundùm alias duas ſuperficies, eccentrici mundo: medius autem orbis, qui deferens *dicitur ſecundùm vtramque ſuperficiem, eſt eccentricus mundo, ſed concentricus ſuperficiei concauæ ſuperioris orbis & conuexæ inferioris. Iuxta hanc diuerſitatem centrorum ſaluatur eleuatio, ſine ſciſsione, vacuo, vel penetratione, quia pars ſpiſsior vnius orbis reſpondet parti tenuiori alterius, vt patet in figura, reſoluit, quicquid ſit de epicyclis, ad minus 25. cælos ponendos circundantes.*

Vide Aue. 12. Met. c. 45. vbi nititur deſtruere poſitionem Ptol. de Eccentricis, & Epicyclis: & 2. cæli com. 35

SEd tertiam differentiam, videlicet eleuationis, & depreſſionis, impoſſibile eſt ſaluare, ponendo omnes cælos eſſe concentricos, quia tunc ſi Planeta non exit cælum ſuum, ſed tantùm partem ſui cæli; & illa pars cæli ſui qualitercunque moueatur, ſemper æquè diſtat à centro; pro eo, quòd totum iſtud cælum circulariter rotatum, eſt concentricum mundo; ideò vbicunque ſtella fuerit, ſemper æquè eleuabitur: & æquè deprimetur per reſpectum ad ſuum cælum, & licèt non eſſet neceſſarium, propter duas primas differentias, ponere eccentricos, & epicyclos, ſecundùm Ptolemæum, & alios Aſtronomos, tamen propter tertiam differentiam eſt neceſſarium. 6.

Concentrici ſunt qui habent idē cētrū quod mundus: eccētrici, qui diuerſum.

Et hoc ſupponendo, ad propoſitum concluditur, nulli Planetæ ſufficere ad motum ſuum vnicum cælum. Accipiatur ergo, exempli gratia, cælum Saturni, ſi ponatur concentricum mundo, dum cælum octauum ſit concentricum mundo, moueatur cælum Saturni: ſuccedit ergo Aux iſtius cæli, Augis oppoſito: ſed Aux iſtius non intrauit cælum ſtellatum: quia duo corpora eſſent ſimul, ſed tantùm attingebat oppoſitum Augis: ergo ſi minùs eſt diſtans à centro terræ, quàm Aux, non attinget ſuperficiem concauam cæli ſtellati: & ita erit ibi vacuum: ergo non poteſt vitari inconueniens, de inciſione, vel ſimultate corporum, vel vacuo, niſi attribuendo cuilibet Planetæ ad minùs tres cælos circundantes terram, quorum duo extremi, videlicet ſuperior, & inferior, habeant ſuperficies vltimas concentricas, videlicet ſuperiùs conuexam, & inferiùs concauam: habeant autem illæ duæ ſuperficies alias duas, videlicet ſuperiùs concauam, & inferiùs conuexam eccentricas mundo; & inter illas duas ſuperficies ſit tertius orbis, qui dicatur *deferens*, eccentricus quidem terræ, concentricus autem illis duabus ſuperficiebus deferentibus: ita quòd illi duo reuoluentes ad quamcunque partem moueantur, non ſequitur vacuum, ſemper enim ſpiſſior pars vnius eſt contra partem minùs ſpiſſam alterius: & è conuerſo.

Similiter qualitercunque moueatur deferens inter iſtos duos reuoluentes, ſuperiorem, & inferiorem, ex motione eius non ſequitur vacuum, nec ſciſſio: quia ſuperficies ſunt ambæ concentricæ illis ſuperficiebus, inter quas continetur: & mouetur; & ita ſtella fixa in parte vna illius deferentis, quandoque erit in Auge, quando ſcilicet illa pars deferentis, in qua eſt ipſa, directè ſupponitur ſpiſſiori parti inferioris reuoluentis, & ſupponitur minùs ſpiſſæ parti ſuperioris reuoluentis: quia tunc maximè diſtabit à centro terræ. Erit autem ſtella in oppoſito Augis, quando illa pars orbis deferentis, vbi ipſa fixa eſt, ſuperponitur tenuiſſimæ parti inferioris reuoluentis: & ſupponitur ſpiſſiſſimæ partis ſuperioris reuoluentis: quia tunc minimè diſtabit à centro terræ. Iſtius imaginatio patet expreſſius in figura tali. 7.

Aux.



Diſt.9.c.7.8.9.10.& 11. Vide 10.de Monte re. li.9. ſuorum epithomatum.

Vlteriùs, cùm Mercurius habeat deferens, cuius centrum mouetur, & non circa terram, ſicut centrum Lunæ, ſed ex vna parte, deſcribendo circulum paruum: ſicut patet in Almageſto, ſequitur quòd orbis deferentis, non ſit concentricus reuoluentibus, ſupremo ſcilicet & infimo: & ideò neceſſe eſt ad minus, ibi ponere quinque orbes, quatuor reuolentes, & orbem quintum deferentem, vt patet in figura.



Quære Ariſt.12. Met,t. com.42.

Præter iſtos autem, neceſſe eſt ponere epicyclos; qui non ſunt orbes circundantes terram, ſed parui orbes ſituati in determinata parte orbium circundantium terram. Et hoc, quia maior eſt eleuatio ſtellæ quandoque, quàm aliàs quæ eleuatio non poſſet eſſe ex ſolo deferente. Proceſſio etiam, & ſtatio, & retrogradatio, faciliùs ſaluantur per epyclum. Sed quicquid ſit de epicyclis, ſaltem cæli mobiles circundantes terram, erunt vigintiquinque, ſcilicet vigintitres Planetarum, & præter hoc cælum octauum, & cælum nonum.

Ad argumenta. Ad primum dico, quòd ſcriptura accipit *firmamentum*, pro toto cælo inter Empyreum, & elementa.

Ad ſecundum dico, quòd illa conformitas motuum non concludit continuitatem.

Ad tertium dico, quòd non poteſt cælum cedere ſtellæ motæ, ſicut poteſt aqua, vel aër corpori impoſito, moto per ipſam: quia corpus naturaliter incorruptibile eſt naturaliter indiuiſibile, ſi ſit incorruptibile tam ſecundùm partes, quàm ſecundùm totum, quale ponitur eſſe cælum: & ita non poteſt eſſe motus alicuius in cælo, non moto, per aliquod agens naturale.

QVÆSTIO III.

An cælum agat in hæc inferiora?

D.Thom.1.*p.q.*110.*a.*1.*&* *q.*115.*a.*3. D.Bon.*hîc* 2.*p.a.*2.*q.*2. Ric. *a.*3.*q.*3. Ægid. *q.*3. Albert. *trac. de* 4.*coæuis* *q.*4.*a.*14.Conimbr. 2.*de cælo c.*3.*q.*1.2.3.4. *de quo* Aug.13.*Trin.c.*4.Baul *hom.*6. *in Hexam.* Dion.*c.*4. *diuin. nom. & de actione Empyrei.* Ptolom. *l.* 2. *Almag. c.*12. *Vide* Scot. *in Theorem.*§. Non omne agens eſt præſens.

1.

Arg. ex.com. 8.9. & inde. Quædam videntur deſumpta ex Reportatis.

IRca tertium,[a] ſcilicet, vtrùm ſtellæ agant in hæc inferiora? arguitur quòd non, ſecundùm Philoſophum 7. Phyſic. *oportet mouens, & motum eſſe ſimul*, vel immediatè, vel mediante medio: ſed ſtellæ, & hæc inferiora non ſunt ſimul. Patet, quia multùm diſtant nec poſſunt eſſe, quantùm ad agere mediante medio, quia illud medium eſſet aliquis orbis, vel aliqui orbes: huiuſmodi autem orbes non recipiunt impreſſiones tales, quibus ſcilicet hæc inferiora alterantur, & generantur, & corrumpuntur: ergo, &c.

Præterea, ſi ſtellæ agerent in hæc inferiora, cùm ipſæ determinatè agant & non contingenter in iſtis inferioribus, quantùm ad motum, & alterationem, ſiue quantùm ad generationem, & corruptionem ipſorum, non eſſet aliqua contingentia, nec contingenter ibi aliquid eueniret.

Prætereà, ſi agerent in hæc inferiora, hoc eſſet per aliquem motum localem, vel per aliquam formam permanentem. Non primo modo, quia motus localis non eſt qualitas actiua, nec principium agendi, cùm tantùm ſit *vbi* fluens: & ſic non videtur dicere formam abſolutam ſubſtantialem, nec accidentalem: nec etiam per formam permanentem ſubſtantialem, vel accidentalem; quia tunc ſtante motu, ſcilicet ſi ſtarent poſſent agere: & per conſequens ſtante cælo, & ceſſante motu, poſſent eſſe alterationes, & huiuſmodi mutationes, & motus, in iſtis infetioribus: quod eſt contra Ariſtotelem qui vult, quòd primo motu ceſſante, impoſſibile eſt eſſe aliquem alium inferiorem.

8. Phy. & 2. de Gen. in fin.

Contra. *Geneſis primo*, dicitur de ſtellis, quòd poſitæ ſunt in firmamento, vt ſint in ſigna, & tempora & non ſolùm aëris, & terræ, vt exponit Magiſter.

Diſt. præſenti c. finali. Tex.26. Tex.56.

Prætereà, ſecundo Phyſic. dicit Ariſtoteles *Homo generat hominem, & Sol.* Et ſecundo de Generatione, dicit quòd motus Solis in circulo obliquo eſt cauſa perpetuæ generationis, & corruptionis in iſtis inferioribus.

Prætereà, ratione ſic; ſi ſtellæ non haberent aliquam actionem in hæc inferiora, fruſtra poneretur varius motus in orbibus: nam orbis in ſe vniformis eſt, & motus orbis vniformis: & ideò oportet varietatem effectuum reduci in varietatem naturæ ſtellarum.

COMMENTARIVS.

1. SVPPLEM. PONCII.

a *circa tertium, ſcilicet*, &c. Huius etiam quæſtionis meminit Lychetus in initio diſtinctionis, ſed eam tamen inexplicatam reliquit & ipſe & Tartaretus, quam ob cauſam neſcio, cùm

Summa quæſtionis.

plures contineat philoſophicas difficultates, præter enim principalem de influxu corporum cæleſtium in hæc inferiora vniuerſaliter, agitur etiam in ſpeciali de fluxu & refluxu maris, & de influentia cælorum tam in corpora iuxta mixta inanimata, quàm in corpora animata, etiam anima rationali. In ſolutione quoque argumentorum oſtendirur non ſolùm per formas accidentales, ſed per ſubſtantiales cælos agere, & non ceſſaturum omnem motum inferiorum corporum, quamuis ceſſaret motus cælorum. Quæ omnia particularius examinanda ſunt.

SCHO

SCHOLIVM.

Stellas calidas augere ignem & aërem ; frigidas , terram & aquam ; item ſtellas loco mouere circulariter partes propinquiores ignis & aëris , inſtrumenta horum effectuum, ſunt lumen & motus , ſed habent ſtellæ proprias virtutes quibus faciunt effectus excedentes, lumen & motum.

2. DIco ad quæſtionem, [b] quòd ſtellæ habent actionem in hæc inferiora , in elementa , in mixta inanimata , & irrationalia. In elementa habent actionem dupliciter , & quoad alterationem , & quoad generationem. Accedente enim Sole , & aliis calidis ad zenith alicuius regionis , elementa ſuperiora , ſcilicet ignis & aër , augentur ; & inferiora , ſcilicet terra & aqua , minuuntur , & conuertuntur in ſuperiora ; & è conuerſo recedente Sole , & accedentibus ſtellis effectiuè frigidis , vt eſt Saturnus , & Mercurius , accidit generatio elementorum aquæ & terræ.

Sole & ſtellis calidis accedẽtibus ad zenith augentur ignis & aër , eiſque recedentibus , terra & aqua.

Et ſi dicatur , quòd tunc ſphæra aquæ erit aliquando minor , aliquando maior : & etiam videtur eſſe vacuum , ſi non tantùm augmentatur vnum elementum , quantùm aliud minuitur. Dico , quòd ſicut accedente Planeta , puta Sole ad zenith vnius regionis , generatur ibi per eius exceſſum plus de igne, & minuitur de aqua : ita per receſſum ab alia regione , generatur plus proportionabiliter de elementis frigidis : & minuitur de calidis , & ſic generatur ibi æqualitas quoad totum.

Præterea ſecundò , [c] ſtellæ habent actionem quoad loci mutationem : ſuperior enim pars aëris fertur circulariter ad motum cœli , quod patet , quia impreſſiones ignitas , vt cometas , & huiuſmodi , quæ in illis locis generantur , videmus transferri circulariter : & multò magis ſphæra ignis , quæ eſt propinquior cœlo , mouetur motu circulari ad motum , corporis cœleſtis.

[d] Præterea , corpora cæleſtia non ſolùm cauſant motum in iſtis elementis ſibi propinquis , ſed in remotioribus , vt in aqua : nam Luna cauſat motum in mari , qui vocatur fluxus , & refluxus : & ex hoc ſupponunt Aſtrologi per experimentum , quòd Luna habet dominium ſuper humida , ſicut Sol ſuper ſicca , ſuper quancunque enim regionem eleuatur Luna , aqua maris aſcendit directè tanquam verſus cauſam ſuam : ita quòd aqua maris in illo loco , qui directè ſupponitur centro Lunæ , eſt altior quàm in quocunque alio loco , iſte autem locus habetur per lineam ductam à centro terræ , ad orbem Lunæ : illa enim linea neceſſariò tranſibit per locum , qui eſt eminentior in aqua , & vocatur tumor aquæ.

COMMENTARIVS.

2. SVPPLEM. PONCII. *Corpora cæleſtia agunt in inferiora.*

b *Dico ad quæſtionem* , &c. Ponit hîc vniuerſalem concluſionem comprehendentem præcipua capita , quæ deinceps ſeorſim tractat in hac quæſtione : quam propterea reſoluemus in ſuas partes. Sit ergo prima concluſio : *Corpora cæleſtia agunt in hæc inferiora.* Hæc concluſio eſt communis , & certa quotidiana experientia , qua conſtat Solem , lunam , & ſtellas producere lumen in toto aëre , & Solem producere notabilem calorem ; vnde de illo dicitur Pſalm. 18. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Hæc concluſio amplius patebit per ſequentes.

Obiectio 1. Obiicies primò : agens & paſſum debent conuenire in materia & diſconuenire in forma , ſecundùm Philoſophum 1. *de Generat. tex.* 87. ſed cæleſtia corpora non conueniunt cum ſublunaribus in materia : ergo non poſſunt agere in illa. *Reſponſio 1.* Reſpondeo primò negando Minorem ; ſuppono enim cum communiori ſententia , cælos conſtare materia prima , non minùs quàm ſublunaria , & ſecundùm Scotiſtas etiam illam materiam eſſe eiuſdem ſpeciei cum materia ſublunarium. *Reſponſio 2.* Reſpondeo ſecundò , diſtinguendo Maiorem ; in materia prima phyſica , nego ; in materia , id eſt , in ratione ſubſtantiæ corporeæ ſuſceptiuæ accidentis corporei , concedo Maiorem ; & diſtinguo Minorem conformiter : non conueniunt cum ſublunaribus in materia prima phyſica , tranſeat ; in materia , id eſt , in ratione ſubſtantiæ corporeæ ſuſceptiuæ accidentium corporeorum , nego Minorem & conſequentiam.

Obiicies ſecundò : Omne agens agit , vt aſſimilet ſibi paſſum , vt producat effectum ſibi ſimilem , ſecundùm Philoſophum 1. *Generat. tex.* 51. ſed manifeſtum eſt cælum non poſſe aſſimilare ſibi aliquod ſublunare : ergo non poteſt agere in aliquod ſublunare. Confirmatur , quia omne agens naturale agendo repatitur ; ſed cæleſtia corpora non repatiuntur : ergo nec agunt in ſublunaria. *Reſponſio 1.* Reſpondeo diſtinguendo Maiorem : omne agens , quod agit actione vniuoca , concedo Maiorem ; quod agit actione æquiuoca , nego ; & conceſſa Minori ſimiliter diſtinguo conſequens ; non poteſt agere actione vniuoca , concedo ; æquiuoca , nego. *Reſponſio 2. Quomodo agens aſſimilat ſibi paſſum.* Reſpondeo ſecundò , diſtinguendo Maiorem aliter , vt aſſimilet ſibi paſſum quatenus producit in illo talem formam qualem ipſummet habet , vel formaliter , vel virtualiter ,

concedo ; quatenus producit in illo formam ſemper talem, qualem ipſummet habet formaliter, nego ; & ſimiliter diſtinguo Minorem; & nego conſequentiàm. Ad confirmationem reſpondeo diſtinguendo Maiorem, quando agens eſt intra ſphæram actiuitatis paſſi, & capax formæ producibilis à paſſo, concedo; aliter nego Maiorem : corpora autem cæleſtia non ſunt capacia formæ à ſublunaribus producibilis.

Quando agens debet repati.

3. *Corpora cæleſtia agunt in elementa.* Secunda Concluſio ; *Corpora cæleſtia agunt in elementa.* Hæc etiam eſt communis, & patet, quia certum eſt quòd aër & aqua illuminentur, & calefiant, ac frigefiant per corpora cæleſtia ſecundùm quod taliter, vel taliter applicantur ipſis. Doctor duplicem actionem tribuit corporibus cæleſtibus, reſpectu elementorum, alteratiuam, ſcilicet, & generatiuam. Prima actio patet ex eo, quòd vt iam dixi, calefaciant & frigefaciant. Secundam actionem generatiuam probat Scotus experientiâ ; quia quando ſtellæ calidæ effectiuè, hoc eſt illæ quæ habent virtutem effectiuam caloris, magis accedunt ad aliquam regionem, tum plus generatur ignis & aëris, ad quorum generationem calor eſt qualitas diſpoſitiua, vt patet ; & è contrario quando accedunt ſtellæ frigidæ non formaliter, ſed effectiuè, tum magis generatur de terra & aqua, ad quas generandas valde conducit frigus, vt etiam patet. Et quoniam quando ſtellæ calidæ accedunt ad vnam regionem, frigidæ accedunt ad aliam ; inde fit vt quantum creſcant elementa ſuperiora, ſcilicet ignis & aër, tantum decreſcant inferiora, ſcilicet terra & aqua ; vnde fit, vt nunquam detur in vniuerſo vacuum, propter hanc maiorem augmentationem illorum elementorum. Alio modo poteſt faciliùs probari quòd corpora cæleſtia habeant actionem generatiuam elementorum, quia producunt fulgura & coruſcationes, & quia Sol comburit ſtupam mediantibus radiis ſolaribus per vitra quædam applicatis : neque enim productio iſtius ignis aſcribi poteſt calori alio modo quàm diſpoſitiuè, quidquid dicant Thomiſtæ ; nec vlla etiam alia cauſa applicata eſt tum, præter corpus aliquod cæleſte, cui illa productio poſſit commodè attribui.

Sol comburit ſtuppam.

4. c *Præterea ſecundò, ſtellæ habent actionem*, &c. Præter duas actiones præmiſſas, alteratiuam ſcilicet & generatiuam, aliam, ſcilicet locomotiuam attribuit Doctor hîc corporibus cæleſtibus reſpectu elementorum ; quod probat, quia ſtellæ, ſiue per ſe, ſiue mediantibus cælis, in quibus ſunt, circumferunt ſecum ſuperiorem partem aëris, & conſequenter à potiori ſphæram ignis, in concauo ſitam Lunæ. Quòd autem circumagat cælum ſuperiorem partem aëris, probat ex eo, quòd Cometæ, & aliæ impreſſiones ignitæ in illa parte aëris generatæ, circulatiter videantur moueri; qui motus non niſi à cælo prouenire dicendus eſt.

Cæli circumferunt ſecum localiter ſuperiorem partem aëris.

Quia verò ſupponit Doctor hîc duo, quæ ſunt in controuerſia, nimirùm, dari ſphæram ignis in concauo Lunæ, & cometas generari in regione aëris, abs re fundamenta, quibus hæc ſuppoſita innituntur, hîc proponere, & quæ contrà ponuntur ſoluere.

Quantùm ergo ad primum, de actuali exiſtentia elementi ignis ſupremam partem aëris inter & ſuperficiem concauam cæli Lunæ, Veteriores quidam Philoſophi exiſtimarunt elementum ignis habere pro propria ſede medium mundi, atque intra terram contineri circa mundi centrum, ſicut nos communiter dicimus ipſam terram locari. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quòd ignis ſit elementorum perfectiſſimum, & conſequenter habere locum perfectiſſimum, qualem exiſtimarunt illum qui eſt circa mundi centrum immediatè.

Elementum ignis non reſidet in centro mundi.

Contra hanc ſententiam inprimis facit, quòd difficile eſt his authoribus probare perfectiſſimum locum eſſe illum, qui eſt circa mundi centrum immediatè, imò videtur potiùs perfectior eſſe ſuperior locus proximus cælo. Secundò, quamuis id admitteretur, non minùs difficile eſt probare quòd quo perfectius eſt elementum, eo perfectiorem debeat habere locum ; quantùm ad locum enim elementorum potiùs ſpectari debet emolumentum vniuerſi, quàm illa maior dignitas, quæ accreſceret elemento ex collocatione in perfectiori loco ; vnde, ſi non eſſet tam commodum vniuerſo, quòd ignis in loco perfectiſſimo collocaretur, non eſſet in eo collocandus ; argumenta verò probantia ignem collocari in alio loco, oſtendunt melius eſſe vniuerſo quòd ignis in illo alio loco collocatur? Confirmatur hoc, quia certè non eſt veriſimile quòd locus cæli ſolaris ſit perfectiſſimus locus, cùm non ſit neo medius, nec ſupremus, nec infimus ; & tamen communiter aſſeritur Sol eſſe perfectiſſima ſtellarum. Tertiò denique aſcenſus ignis omnino videtur arguere, quòd locus naturalis eius non ſit infra terram; nam corpora omnia moueri potiùs deberent motu naturali ad locum naturalem, quàm ab illo, vt in omnibus aliis experientia videmus.

Varia ſententia de elemento ignis.

Hieronymus Cardanus 2. *de ſubtilitate*, negat elementum ignis dari vllibi, & illum, qui apud nos eſt, eſſe elementum. Franciſcus Valleſius *de ſacra Philoſophia cap.* 1. admittit quidem dari elementum ignis in magna quantitate in mundo, ſed negat ipſi determinatum locum ſupra aërem, ſed potiùs intra aërem reperiri, trahíque lumine Solis in magna quantitate, & propterea Solem calefacere. Franciſcus Patritius *tom.* 4. *diſquiſit. peripat. lib.* 7. Scipio Capitius *lib.* 2. *de principiis.* Alexander Taſſonicus in ſuo libro Italico de variis conceptibus *lib.* 1. *quæſito* 1. Paulus Aretius *lib.* 2. *de generat. q.* 3. aliíque plures, negant ignem alium eſſe, niſi qui apud nos communiter habetur, accenditúrque, ac extinguitur iuxtà materiæ applicationem.

Communiter tamen Philoſophi cum Ariſtotele 4. *cæli*, *tex.* 32. & Aſtronomi vt Cleomedes, Ioannes de Sacroboſco, & alij tenent elementum ignis ſitum eſſe tanquam locq naturali, in concauo Lunæ, ſupra aërem in magna quantitate. Quam ſententiam ſupponunt SS. Eccleſiæ Patres, Origenes *hom.* 13. *in Exodum* ; Baſilius *hom.* 3. *Hexameron* ; Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *ſtrom.* Hieronymus *epiſtol.* 128. Auguſtinus *lib.* 12. *Ciu. cap. vndecimo*, Boëtius *lib.* 1. *Aronom.* quorum certè authoritate

Elementum ignis reſidet in concauo Lunæ.

tuſſi

ſufficienter probata manet, quamuis nulla alia ratio ſuppeteret; preſertim cùm nulla ſit ratio in oppoſitum; vnde meritò Scotus eandem ſententiam hîc ſupponit.

Probatio à ratione.

Probatur autem vlteriùs, quia non minùs cætera elementa debent habere aliquem locum proprium, in quo quieſcant, & ſint in magna quantitate, quàm ignis, quem patet tam eſſe elementum, quàm aquam, aut aërem; ſed certè nullus eſt locus, in quo ita quieſcat, & ſit, præter concauum Lunæ; ergo debet aſſeri exiſtere in illo loco. Probatur Minor, quia non exiſtat in meditullio mundi, ſeu circa centrum terræ, vt patet ex dictis: nullus autem alius locus proprius aſſignari poteſt, in quo ſit in magna quantitate. Confirmatur primò, quia cùm ignis leuiſſimus ſit, & ſuperiora loca maximè conueniant leuibus, omnino maximè ſupremus locus ex ſublunaribus attribuendus eſt igni.

Confirmatio ab aſſenſu.

Confirmatur ſecundò experientiâ, quâ conſtat ignem, qui apud nos eſt, ſurſum ſemper moueri, non minùs quàm terra deorſum: ergo quemadmodum ex eo, quòd moueatur terra deorſum infra aërem & aquam, dicimus locum naturalem ipſius eſſe deorſum; ita quandoquidem ignis mouetur ſurſum, debemus dicere quòd locus ipſius naturalis ſit ſurſum: at non intrà aërem, cùm debeat habere locum proprium, & moueatur etiam ſupra aërem, vt patet: ergo ſupra aërem, & conſequenter in concauo Lunæ.

Confirmatur tertiò, quia omnino per accidens eſt, quòd reperiatur ignis ille vſualis noſter, & non minùs per accidens eſt quòd reperiatur ignis ille inferni, qui à Deo productus eſt ad pœnam damnatorum; nec conſtat dari ratione naturali. Per accidens etiam eſt quòd reperiatur ignis ſubterraneus ille intra terram, qui aliquando erumpit, ſicut per accidens eſt, quòd aër reperiatur incluſus in concauitatibus terræ: ergo ſi non haberet elementum ignis alium proprium locum, ſequeretur quòd elementum ignis omnino per accidens haberetur in mundo, quòd valde abſurdum videtur. Itaque multò probabilius aſſeritur, dari elementum ignis in concauo lunæ.

Quomodo totum ſpacium à cælo ad terram repletur aëre.

Quòd ſi qui authores, quorum authoritas magni facienda ſit, dicant totum ſpatium inter cælum & terram repleri aëre, intelligendi ſunt non de aëre propriè dicto, ſed de corpore quocunque, quod eſt tenue & fluidum inſtar aëris, tale autem corpus eſt ignis in loco illo ſuperiori, & inde accidit, vt non poſſit videri à nobis, nec ſit tam vorax, quàm apud nos; quia ſcilicet eſt valde tenuis ac ſubtilis eo loci: per quod ſatisfit maiori parti obiectionum, quibus aduerſarij vruntur contra hanc communem ſententiam.

7. Obiectio ab indigentia pabuli.

Obiicies præterea. Ignis indiget nouo pabulo vt patet experientia, & inde fit vt deficiente pabulo deficiat: ergo ſi daretur in concauo Lunæ, deberet habere pabulum aliquod, ſeu materiam, in quam ageret; ſed certum eſt quòd talem materiam ibi non habeat: ergo ibi non reſidet. Reſpondetur

Reſponſio 1.

inprimis hoc argumentum æquè concludere, quòd non daretur alimentum ignis circa centrum terræ ſub ipſa terra; quia neque ibi etiam haberet materiam, aut pabulum magis, quàm in concauo Lunæ. Reſpondetur ſecundò ignem non indigere pabulo, aut materia, in quam agat, niſi quatenus circumſtarent alia corpora, quæ ipſum deſtruerent, niſi adeſſet alia materia, in qua produceret, antequam deſtrueretur, formam ſuam; vnde in concauo Lunæ, cùm non adſit cauſa deſtructiua, non eſt neceſſe, vt adſit materia, in quam agat, vt conſeruetur.

Reſponſio 2. Cur indigeat ignis pabulo.

8. *Quid Cometa.*

Quantùm ad ſecundum quod ſupponit Doctor de productione Cometarum in ſuprema regione aëris, Aduertendum eſt, Cometam ſic dici; quia eſt quaſi ſtella comata, ex eo ſcilicet quòd appareat inſtar ſtellæ habentis comam; quia verò non habet ſemper comam eiuſdem rationis, nam aliquando diffuſam habet comam in circuitum totum, aliquando verò non niſi ad vnam partem tantùm: hinc diuiditur Cometa in *crinitum*, qui eſt cometa diffundens comam in omnes partes; & *barbatum*, ſeu *caudatum*, qui eſt cometa habens comam ad vnam partem ſolummodo diffuſam. Alij verò diuidunt Cometam habentem comam ex vna parte, in illum, qui nimis longam habet comam, & hunc vocant *caudatum*; & illum, qui breuiorem habet comam, & hunc vocant *barbatum*.

Quid Cometa crinitus? Quid Barbatus?

Quid caudatus.

Quantùm autem ad præſentem difficultatem Anaxagoras & Democritus, teſte philoſopho 1. *Meterol. cap* 7. exiſtimarunt Cometam eſſe collectionem plurium planetarum, qui appropinquantes ſibi inuicem, illum exhibent aſpectum, quem Cometa exhibet. Artemidorus apud Senecam *lib.7.naturalium qq. q.9.cap.* 13. putauit Cometam eſſe collectionem aliarum ſtellarum errantium, diſtinctarum à planetis ſeptem nobis notis. Alij putauerunt Cometam omnem eſſe vnam quandam ſtellam errantem, quandoque tali peculiari modo apparentem.

Varia ſententia de Cometis.

Sed inprimis certum eſt Cometam non eſſe aggregationem planetarum, cùm planetæ appareant, apparentibus Cometis, ab illis ſeparati: nec etiam eſt aggregatio aliarum ſtellarum errantium; quia non conſtat vllo indicio alias ſtellas errantes dari & quia deberent inter ſe conuenire aliquo determinato tempore cum motus cælorum & planetarum ſit ordinatiſſimus, & quia denique talis ſtellarum errantium aggregatio non poſſet tanto tempore durare, quanto durat Cometa.

Cometa non eſt aggregatio plurium planetarum, ſtellarum errantium.

Non eſt etiam vna aliqua ſtella errans infixa cælo, & ſemper in eo manens, licèt non ſemper apparens; quia vt dixi, ſi talis eſſet, deberet apparere aliquo determinato tempore, nec deberet inſtantaneè, & ſubitò diſparere, ſed paulatim & ſucceſſiuè, quatenus ſcilicet magis ac minùs appropinquaret Soli, aut Lunæ, aliſque ſtellis; cuius oppoſitum conſtat experientiâ, nec imaginabile videtur quomodo maneret in tali ſitu per plures menſes vt appareret in tanta magnitudine, & poſtea ſtatim deſineret apparere tot annis.

Non eſt vna aliqua ſtella errans.

9. Alij recentiores Astronomi vt Tyco Brahe *lib.2.progymnasmatum*, Cornelius Gemma, Helisæus Roëslin, Christophorus Roshmannus Keplerus, & alij, plures etiam Peripatetici existimant Cometas generari in cælo de nouo, atque adeò cælum non esse ingenerabile, ac incorruptibile.

Cometæ gignitur sub cælis, non in cælis.

Contrariam tamen sententiam, quam Doctor supponit asserens Cometas generari sub cælo in superiori regione aëris, frequentiùs tenent tum antiquiores, tum recentiores Astronomi ac Philosophi; & quòd non generentur in cælo probatur ex incorruptibilitate cælorum, quam præter Philosophum *l.1.cæli, tex.22. & 2. cæli in initio* suósque omnes tenet ex Patribus D. Dionysius *de diuinis nominibus cap.4.* Et sanè hoc est præcipuum fundamentum huius sententiæ. Et qui nouas stellas apparere fatentur in cælo, quæ non sunt semper in illo, inter quos vnus est Auersa *quæst. 33. sect. 3.* valde difficulter possunt ostendere cur non similiter Cometæ apparerent in cælo; vnde idem author dum hoc negat, & illud asserit, minùs consequenter philosophari videtur; & præsertim non aptè argumentatur ex eo, quòd non possit ostendi qualiter cometæ de nouo gignantur; nam simili modo proportione seruata possunt in eo generari, quo stellæ illæ nouæ: & quemadmodum ipse fatetur stellas nouas in cælo apparere, quarum tamen causam productiuam & modum, quo producuntur fatetur se nescire, similiter permittere deberet, vt dicerentur Cometæ produci in cælo, quamuis non sciretur quomodo producerentur.

Auersa minus consequenter asserit stellas de nouo produci in cælo, non verò cometas.

Probatur stellas & cometas quæ de nouo apparent produci infra cælum.

Verùm quoniam communiter supponitur quòd sublunaria non agant in corpora cælestia; & quia præterea non appareret possibile, vt ipsa corpora cælestia agant in se inuicem, aut habere possint aliquam talem dispositionem, secundùm quam tam incerto modo apparent in cælis, aut stellæ, aut cometæ, potiùs dicendum omnes stellas & cometas, quæ de nouo raris vicibus in cælo apparent sub cælo produci.

10. *Fluxus & refluxus maris prouenit à cælestibus corporibus.*

d. *Præterea, corpora cælestia*, &c. Proponit hîc alium satis mirabilem, & maximè notum effectum corporum cælestium, competentem ipsis per actionem locomotiuam, nempe fluxum & refluxum maris, qui ab astronomis & philosophis antiquioribus communiter attribuitur Lunæ; vt ab Aristotele *lib.de elementis*, Cicerone *lib.2. de natura Deorum*, Plinio *lib.2. cap.97.* Ptolomæo *lib.2. cap.12.* Auerroë, Alberto 2.Meteorum: quos sequuntur Conimbric. *tract. 8. cap. 6.* Vierius *in Meteor. cap. 6.* Hieronymus Porrus *in tractatu de fluxu & refluxu maris*, Scaliger *exercit. 52.* & alij plures, quamuis ex iis aliqui dicant Solem etiam aliquo modo cum Luna concurrere; & ex his ipsis aliqui Solem ex æquo concurrere cum Luna, ita vt non magis vni, quàm alteri, ascribi deberet hic effectus; alij verò Solem minùs principaliter concurrere, Lunam verò esse causam præcipuam.

Probatur.

Quod verò hic aquæ motus proueniat ab aliqua causa cælesti, omnino apparet; quia licèt à causis sublunaribus possit prouenire, vt aqua maris variis modis moueretur, tamen quòd moueatur tam regulato motu in certis regionibus, vt in Hibernia, Anglia, ac illis partibus contingit, sic scilicet vt bis quolibet die per spatium sex horarum fluat, bis iterum tanto tempore refluat, idque cum tanto incremento, vt multa milliaria terræ cooperiat, & vt vbi nihil aquæ, mari refluente, sit, eodem fluente magna nauis possit natare; nullo modo potest in aliam refundi causam, quàm in cælestem. Ex causis verò cælestibus nulla potest assignari, cui potiùs potest ascribi hic motus, quàm Luna; quia experientia constat iuxta Lunæ incrementum ac decrementum augeri ac minui æstum maris sic, vt quando Luna est plena longè maior sit iste æstus, quàm aliis temporibus.

Luna potissimùm ascribendus ille motus.

Quanta varietas in fluxu & refluxu maris?

Verùm quia non eodem modo fit vbique hic fluxus & refluxus; quandoquidem in mari Tirrheno vix discerni possit, in Oceano Hibernico, & aliis vicinis partibus valde ingens reperiatur, in mari etiam Adriatico satis notabilis sit, licèt non tam magnus quàm in Hibernico; in aliquibus etiam locis pluribus horis fiat fluxus, quàm refluxus; nam in littore Aquitaniæ ad fauces Garumnæ septem horis fluit, quinque refluit mare, in aliis verò pluribus horis è contrà fiat refluxus; nam ad Erithræum Africæ promontorium quatuor horis fluit, octo refluit. Sed & id mirum, quod referunt Conimbricenses in littore Cambaiæ ad Indi fauces mare duabus horis triginta terræ leucas obtegere, & aliis duabus detegere, quo fit vt, tanta velocitate agatur fluendo & refluendo, vt homines vix cursu euadere possint, quin & ipsi etiam vnda superueniente capiantur. Quandoquidem, inquam, tanta sit varietas in hoc motu, dicendum est solam Lunam non ita esse causam, quin aliqualiter situs terrarum concurrat, & satis etiam verisimiliter Sol, & aliqua astra possunt habere aliquam actionem ad hoc conducentem.

Alia causa concurrunt præter lunam.

SCHOLIVM.

Relatis duabus opinionibus resoluit esse communem, tumorem aquæ, vnde est fluxus, quem sequitur refluxus, directè supponi lunæ, & circumire totam terram spatio 25. ferè horarum. Ita Ambr.4. Hexam.c.6.Basi.l.6.Hexam.Arist.4.de partibus animalium cap. 5. Plin.2. nat hist.c.41. & 97. Ptolom 2. Alm.c.12. Strabo de situ orbis lib.3. Alens.4. p. q.103.m.1.D.Thom.hic q.2.art.3. Vide Conimb.tr. 8.de Meteor.à c.4. & Mirandulam 1. de exam.vanit.c.15.

3. Quomodo autem ista eleuatio fiat effectiuè à Luna diuersimodè dicitur. Vno modo ponitur, quòd Luna habet virtutem quandã, sibi connaturalẽ ad attrahendũ ad

Ad eleuationem

ad ſe aquas maris, ſicut magnes trahit ferrũ. Alio modo dicitur, quòd hoc ſit propter diuerſitatem angulorum, quos faciunt radij Lunæ ſuper aquas in principio ortus Lunæ, & in medio cæli exiſtentis. Ponitur exemplum de pulmento in olla ſuper ignem, & de vapore reſoluto à cibo faciente animal dormire, de hoc nihil ad præſens. *Lunæ eleuatur aqua.*

Primæ opinio fuit Albumaſar. 2. *lib. maioris introductorij in Aſtronomia*, ſed ſequendo viam illam, quæ communis eſt vtrique, ſcilicet quòd tumor ille ſemper eſt in directo Lunæ, vbicunque ſit Luna, ſequitur quòd ille tumor circuit totam terram, in tanto tempore, quanto Luna circuit ſuum orbem per motum firmamenti, ſcilicet 25. ferè horis: quia Luna ab ortu eius, vſque ad eius iteratum ortum conſumit plus temporis quàm ſit dies naturalis habens 24. horas per ſpatium temporis, in quo oriuntur 13. gradus æquinoctiales: quia in vna reuolutione firmamenti, tantum pertranſit Luna de ſpatio, motu ſuo proprio, qui eſt ad Orientem contra motum firmamenti; ſed eleuatio 5. graduum æquinoctialis facit vnam horam: ideò ferunt quòd Luna percurrit orbem ſuum in 25. horis minus duobus gradibus: & tumor aquæ in totidem horis circuit totum Oceanum regulariter: etſi tamen irregulariter accidat fluxus in maribus mediterraneis, & fluuiis; ratio eſt, quia inundatio aliorum marium venit in iſto tumore Oceani, in directo alicuius regionis: & tumore Oceani in directo motus Lunæ: pars autem aquæ eiuſdem tumeſcentis in Oceano fluit ad locum, & alueos humiles vicinos, propter naturam grauitatis aquæ, & fluunt tunc maria mediterranea. *Lunam eſſe cauſam fluxus & refluxus.* *Fluxus irregularis cauſa.*

Recedente autem Luna ab illo aſpectu, vel ſitu, recedit tumor prædictus: & per conſequens in loco Oceani, vbi priùs fuit aqua eminentior, quàm in mari, & in fluminibus mediterraneis, iam per receſſum illius tumoris, fit aqua ibidem humilior terra: & ideò aquæ inundantes ad loca illorum fluuiorum propter loci humilitatem, ex eadem lege naturæ fluunt ad Oceanum: & hæc eſt cauſa in generali fluxus, & refluxus maris. Sed marẽ mediterraneum magnum, quod decurrit ab Occidente, in Orientem, diuidens Italiam ab Ægypto & ab aliis regionibus Aphricæ, & Aſiæ, non fluit ex illa cauſa ita ſenſibiliter: quia Oceanus ingreditur mare illud per anguſtum introitum, ex parte Orientis verſus Hiſpaniam, qui vocatur anguſtia maris: regulariter tamen non accidit in aliis maribus, ſicut in Oceano: quia maria quantò propinquiora ſunt Oceano, tantò citiùs fluunt: ſicut maria Septentrionalia; præcipuè mare inter Noruegiam, & Scotiam, & inter Hiberniam, & Hiſpaniam: maria autem diſtantia tardiùs. *Mediterraneum nõ ita ſenſibiliter fluit, & quare.* *Cauſa tardioris & celerioris fluxus.*

4. Sed quare bis in die fluit, & refluit? Albumaſar *vbi ſuprà* dicit, quòd Luna in quartis cæli, habet effectum conſimilem in quartis terræ oppoſitis: ita quòd ſicut in quarta Orientali, inter Orientem, & meridiem, dum Luna eſt in aſcendendo ſuper hemiſphærium: tunc habet fluxum, in hac quarta: & deſcendente Luna à puncto meridiei ad Occidentem, continuè incipit mare decreſcere in illa quarta, in qua priùs creuit: & fluit in alia quarta Occidentali: & deſcendente Luna ab Occidente, ſub terram vſque ad angulum mediæ noctis, fluit mare in quarta Orientali ſuper terram, illi quartæ oppoſitam, in qua tunc eſt Luna: & ita iam bis in illa die fit fluxus in illa quarta, & ita de aliis. *al. Normãdiam.* *Quare bis in die fluit & refluit.*

Sed quæ ſit cauſa huius, ipſe non dicit: nam videtur quòd radij Lunæ, non poſſint penetrare terram: & ideò videtur quòd eundum effectum, quem cauſauit per radios incidentes: dum eſſet in quarta Orientali ſub terra, eundem cauſet tunc per radios ſuos reflexos à firmamento, dum eſt in quarta Occidentali ſub terra.

COMMENTARIVS.

11. e QVomodo autem iſta eleuatio fiat effectiuè, &c. Suppoſito quod Luna cauſat motum illum maris, quo fluit & refluit, aſſignat duas ſententias de modo quo cauſat iſtum motum. Prima ſententia eſt Albumaſaris, qui exiſtimat Lunam cauſare illum motum per virtutem occultam, ſicut magnes cauſat motum localem ferri ad ſe attracti. Et hanc ſequuntur Conimbricenſes *tract. 8. de meteoris cap. 6.* Altera ſententia eſt quòd Luna id faciat mediantibus radiis lucis à ſe diffuſæ: hanc tenet Auerroës *2. Meteororum.* *Quomodo Luna cauſet fluxum & refluxum maris.*

Ex his duabus ſententiis quæ verior ſit, non decidit Scotus. ſed certè ſecunda ſententia non videtur probabilis: tum, quia certum videtur lucem non habere virtutem illam loco motiuam; tum, quia in interlunio, & quando etiam Luna in altero hemiſphærio ſita non illuminat noſtrum hemiſphærium, adhuc non deſinit fluxus & refluxus. Añ tamen prior ſententia vera ſit, *Non fit mediante luce.*

non ſequitur ex hoc, quia licèt Luna non moueat per lumen aquas, ſed per qualitatem occultam, adhuc tamen poſſet mouere qualitate occulta dupliciter. Vno modo imprimendo occultè impulſum motiuum aquæ, ſicut magnes imprimit ferro, & ſic videtur tenere illâ prima ſententia, quandoquidem aſſimilat modum, quo Luna mouet mare, modo quo magnes trahit ferrum. Alio modo non imprimendo per ſe directè talem impulſum, ſed potiùs rarefaciendo aquas, eaſque augendo, nam iis auctis per rarefactionem deberent fluere, & iis rurſum condenſatis deberent refluere. Húncque modum dicendi ſequitur Contarenus *lib.2.de elementis*, & poſt ipſum Auerſa *quæſt.42.ſect.7.*

12. *Fluxus & refluxus fit per motum localem & non per rarefactionem aut cõdenſationem.*

Mihi magis placet quòd fluxus fiat præcisè per motum localem, & non per rarefactionem; tum, quia non apparet vlla raritas in aqua fluente, magis quàm in refluente; tum, quia nulla prorſus eſt neceſſitas iſtius augmenti aquarum, quod fieret per rarefactionem, cùm purus motus localis ſufficere poſſit, præſertim cùm ſatis veriſimile ſit, quòd quo tempore apud nos fiat fluxus, eodem refluxus fiat apud Antipodas, & è contra; vt nec mirum, nec difficile eſſe poſſit vnde tanta aquarum copia hauriri poſſit abſque rarefactione, quantam in fluxu adeſſe conſpicimus: nempe hauriri facilè poteſt ex illis locis, à quibus apud Antipodas refluit, & ad eadem loca facilè recurrere poteſt, dum apud ipſos fit fluxus, & apud nos refluxus.

Sed ſiue fiat fluxus & refluxus per rarefactionem & condenſationem, ſiue per purum motum localem abſque accretione, aut decretione vlla aquarum; in vtraque & communi ſententia attribuente vim eleuatiuam aquarum Lunæ, dici ſolet quòd eleuatio fiat ex directo Lunæ, eámque ſequatur, & conſequenter totidem horis circumeat terram quot Luna, hoc eſt viginti quinque circiter horis, non viginti quatuor vt Sol, quia vt patet experientiâ, Luna non oritur in eadem parte noſtri hemiſphærij hodie, quo heri ſed relinquitur tantum ſpatij inter locum, quo heri oriebatur, & hodie oritur, quantum requiritur, vt pertranſeat, vnam ferè horam; cuius ratio eſt quòd Luna motu ſuo proprio ab occaſu ad ortum impediat, quo minus poſſit ad idem punctum recurrere per motum primi mobilis, quo mouetur ab ortu ad occaſum.

Mare circumit terrã tot horis quot Luna.

Reliqua pars diſcurſus Scoti circa fluxum & refluxum facilis eſt. Si aduertatur præſertim, quod *ſuprà* diximus, non à ſola Luna, aut aliquibus ſtellis oriri fluxum; ſed ad illum etiam ſitum regionum aliqualiter concurrere, & etiam diſpoſitiones aliquas particulares climatis; quæ cauſa eſt cur in mari mediterraneo non ſentiatur fluxus maris ſicut in mari Adriatico, nec in hoc, ſicut in Hibernico; & cur alibi breuiori tempore fiat refluxus quàm fluxus, & è contra alibi: & cur etiam quidam putei cum mari refluant, ac fluant, quidam non item. Quòd ſi quæratur cur fluuij pariter non attrahantur à Luna localiter ſicut mare, reſpondendum id oriri ex diuerſitate vtriuſque aquæ; nam quemadmodum magnes non trahit plumbum vt ferrum propter diuerſam naturam vtriuſque, quorum vnum habet naturam aptam, vt à magnete non moueatur, alterum non habet: ita non eſt mirum propter maximam diuerſitatem, quam videmus inter aquam fluuialem, & marinam, hanc moueri poſſe à Luna, illam non poſſe.

Vnde oriatur varietas fluxus & refluxus in diuerſis partibus.

Cur aliæ, quæ non moueantur à Luna.

SCHOLIVM.

Impreſſiones generari à ſtellis, & vapores ab iiſdem eleuari, ſed Aſtrologos de his non poſſe certò iudicare: de quo Conimbric.2.de cælo c.3. q.9. metalla à ſtellis generari: ita Conimbric. tract.vlt.de meteor. Vide Picolom.l.de cælo c.38.39.40. Zimaram Theorem.45.

Impreſſiones generari à ſtellis.

SEcundò dico [f] quòd Planetæ, & ſtellæ habent actionem ſuper miſta: nam miſta imperfecta, vt impreſſiones quædam, generantur ab illis: nam materia illarum impreſſionum, quæ eſt vapor, non eleuatur ad locum generationis illarum, niſi per calorem incorporatum, vel virtute alicuius ſtellæ: & hoc maximè patet in ſtellis comatis, quæ non tantùm mouentur ab Oriente, in Occidens, ſequendo motum cæli: ſed ab Aquilone in Auſtrum: ſequendo ſcilicet determinatum motum alicuius Planetæ, à quo generantur. 5.

Sed dices, ex quo habent talem cauſalitatem ſtellæ, & orbes ſuper inferiora, quæ quidem cauſalitas eſt determinata, & neceſſaria: quare non iudicant determinatè Aſtrologi de effectibus eorum?

Quare Aſtrologi certò non iudicant de effectibus aſtrorum?

Dico, quòd cauſa huius eſt, quia non ſciunt perfectè qualitates, & virtutes cælorum & ſtellarum concurrentium ad talem effectum, quas ſi cognoſcerent, poſſent de his iudicare: & ideò credo, quòd Angeli habent harum perfectam notitiam, ita quòd poſſunt de his benè iudicare, & quoad tempus quando venturi ſunt illi effectus, & quoad qualitatem eorum, vel quantitatem, & etiam ſi talis effectus ſit impedibilis per aliam ſtellam. Poterunt enim ſcire quòd non eleuabitur, niſi tantùm de materia, vel ſic, & poſſunt ſcire ſi erunt venti diſſipantes, & in quo ſitu, & vbi diſſipabuntur, & cadent. Hæc verò omnia, quia non plenè nouerunt Aſtrologi, ideò nec plenè, nec perfectè, nec ſecurè de his poſſunt iudicare; tot enim cauſas oportet ibi concurrere, quòd nimis eſt difficile iudicare de talibus.

Aſtra generare metalla.

Tertiò dico [d], quòd habent actionem in mixta perfecta inanimata, vt ſunt metalla, quæ

quæ in quibuſdam regionibus generantur ex conſtellatione habente reſpectum ad illam regionem,& non ad aliam;nam terra non eſt actiua huius diuerſitatis.

COMMENTARIVS.

13. f *Secundò dico quòd planetæ*, &c. Hîc proponit Doctor ſecundam concluſionem ſecundùm ordinem ſuum, ſed ſecundùm ordinem à me propoſitum eſt tertia concluſio, ſcilicet quòd Planetæ & ſtellæ agant in mixta imperfecta,qualia ſunt fulgura,coruſcationes,grando,pluuia,Cometæ & ſimilia. Hæc eſt communis,& patet maximè de Cometis,qui habent motum particularem ab Aquilone ad Auſtrum, & hoc non niſi quia attrahuntur à ſtellis, à quibus generantur. Paret etiam in aliis impreſſionibus, quia nulli poteſt aptiùs generatio earum adſcribi, quàm ſtellis quarum virtute materia earum, ex qua ſcilicet fiunt, trahitur nonnunquam ad locum, in quo generantur iſtæ impreſſiones.

Cæleſtia agunt in mixta imperfecta,

Quòd ſi quæratur ſi hi effectus proueniant à cauſis cæleſtibus, quæ naturaliter determinantur ad agendum, & ordinatiſſimo ac certiſſimo modo ſemper applicantur ſuo tempore vniformiter, cur Aſtrologi, qui cognoſcunt quomodo mouentur, non cognoſcant quando & quoties hi effectus ab illis proueniunt? Reſponder Doctor, quia ignorant,quæ particulares ſtellæ habent illam virtutem, aut quot ex ipſis debeant concurrere; & quia multa alia poſſunt impedire hîc & nunc, ne ſequantur effectus aliàs ſecuturi, vt ſi materia tanta hodie à Sole eleuanda in hac parte aëris diſſiparetur per nimium ventum, ferretúrque ad aliam partem, vbi impediret effectum, qui aliàs ibi eſſet producendus per ſtellas. Deinde licèt ſciant Aſtrologi multa de motibus ſtellarum, & earum concurſibus, ignorant tamen plurima; & facilè hinc in prædictione horum effectuum naturalium decipi poſſunt. Addidit tamen Doctor, & id valde probabile eſt quòd Angeli naturaliter poſſint cognoſcere quando eſſent huiuſmodi effectus producendi, vt quando eſſet futurus Cometa, quando pluuia, quando grando, &c. Sed & boni etiam Aſtrologi ſatis bonam coniecturam habere poſſunt de huiuſmodi effectibus, ſaltem de iis, qui frequentiùs accidũnt;vt de pluuia,gelu, ventis,ſerenitate.

Cur aſtrologo non cognoſcant quando erunt Cometæ.

Angeli naturaliter cognoſcunt quando Cometæ ſunt futuri.

14. g *Tertiò dico quòd habent*, &c. Tertia concluſio Doctoris,ſeu potiùs quarta,eſt, quòd ſtellæ habent actionem in mixta perfecta, qualia ſunt metalla auri, argenti,&c. quæ in viſceribus terræ communiter generantur. Hæc eſt communis, & probatur,quia nullæ cauſæ ſufficientes ad metallorum huiuſmodi productionem aſſignari poſſunt abſque cæleſtium corporum influxu;neque enim ipſa terra ſufficit,neque aliæ cauſæ adiacentes poſſunt oſtendi. Deinde nihil impedit quominus cæleſtia corpora habeant virtutem actiuam in hæc mixta, & magna eorundem mixtorum perfectio videtur exigere tam perfectas cauſas. Fatendum quidem eſt certam cauſarum ſublunarium diſpoſitionem requiri vt metalla producantur, quia aliàs vbique producerentur contra experientiam; ſed illa per ſe non ſufficit abſque cæleſtium corporum influxu.

Stellæ agunt in mixta perfecta.

SCHOLIVM.

Aſtra alterare animata,& facere ad eorum generationem & corruptionem, immutare organa ſenſuum, & mediatè intellectum, vt patet in lunaticis, & aliquo modo voluntatem, nullo modo tamen eam neceſsitare. Vide Conimb.2,de cælo c.3.q.8.

6. Qvartò dico h,quòd habent actionem ſuper animata, alterando ſcilicet corpora mixta ad qualitatem conuenientem, vel diſconuenientem animæ perficienti tale corpus,& ita poſſunt agere ad generationem,& corruptionem, & ita ſimiliter in ſenſitiuis:nam organa ſenſuum,quæ ſunt corpora mixta,poſſunt immutari, & alterari ad aliquem gradum conuenientem illis,vt nata ſunt eſſe organa ſenſuum,& etiam ad diſconuenientem ſenſui,& ita poſſet organum corrumpi,& lædi,& per conſequens poſſunt habere aliquam actionem quoad intellectionem quodammodo:quia ſi deordinatur ſenſus in actu ſuo,per conſequens,deordinatur intellectus,vt puta in phreneticis, & lunaticis, in quibus eſt imaginatio confuſa: & etiam quo ad hoc poteſt eſſe cauſa deordinationis in voluntate. Poſſunt enim appetitum ſenſitiuum alterare, vt magis inclinetur ad hoc,quàm ad illud: & quia in viatore voluntas rationalis inclinatur ad proſequendum, quod efficaciter appetitur ab appetitu ſenſitiuo,ideò hoc modo inclinant voluntatem Planetæ,& alia corpora cæleſtia. In nullo tamen neceſſitatur abſolutè voluntas propter hoc:ſed ex ſua libertate poteſt contraire: & propter iſtam pronitatem ad ſequendum appetitum ſenſitiuum contra dictamen rationis, quam cauſant corpora cæleſtia;accidit frequenter Aſtrologos verè prænoſticare, de moribus hominum,puta,quòd erunt luxurioſi, vel per huiuſmodi conſtellationes natiuitatis:non quòd ita eueniat neceſſariò,quod non poſſet aliter eſſe de his, quæ dependent à voluntate rationali,ſi homo vellet magis ſequi per voluntatem,legem rationis, quàm ſenſus:ſed *Cogitationes hominum pronæ ſunt ad malum.* Geneſ. 8. & Eccleſiaſtæ 1. *Peruerſi difficilè corriguntur;& ſtultorum infinitus eſt numerus.*

Quid poſſunt aſtra in ſenſus, intellectũ & voluntatem? 1.de Anima t.c.66. Vide infra d.29.& 3. diſt.15.

Aſtra non neceſſitant voluntate, tamen Aſtrologi ſæpè vera pronoſticãt de moribus hominum.

COMMEN

COMMENTARIVS.

15. SVPPLEM. PONCII.

h Quartò dico quòd habent, &c. Hìc plures simul inuoluit Doctor concluſiones, quæ claritatis causâ etiam ſeorſim proponèndæ videntur: ſit ergo

Stellæ concurrunt ad productionem viuentium perfectorum ſed non vt cauſæ principales.

Quinta concluſio: *Corpora cæleſtia concurrunt ad productionem viuentium perfectorum, non tamen poſſunt tanquam cauſæ principales illa producere.* Hæc eſt communis, & prima pars: patet ex Philoſopho 2. Phyſic. tex. 26. *Sol & homo generant hominem.* Ratio etiam eſt deducenda à priori quidem ex dependentia naturali cauſarum inferiorum à ſuperioribus, in ordine ad huiuſmodi præſertim effectus, quorum productio prærequirit longam præparationem, & diſpoſitionem materiæ ad formam: & quemadmodum ſunt aliqua ſidera, quæ formando fœtui ſunt obnoxia, vt patet experientiâ, ita certè alia ſidera ſunt dicenda ad eius formationem propitia. Secunda pars patet, quia ſemper ad generationem huiuſmodi animalium debent concurrere neceſſariò aliæ cauſæ ſublunares, vel perfectiores, vel æquè perfectæ, quibus propterea principalis cauſalitas attribui poteſt abſque inconuenientia; vnde potiùs illis attribui debet quàm aſtris. Voco autem hìc cum omnibus animalia perfecta illa, quæ ſemper requirunt actionem generatiuam aliorum animalium mediante effuſione ſeminis, ad differentiam aliorum animalium, quæ abſque ſimili propagatione quandoque generantur, vt ſunt ranæ, veſpæ, muſcæ, & ſimilia, quæ propterea animalia imperfecta nuncupantur, & de quorum productione magna eſt inter Philoſophos quæſtio. Aliqui enim exiſtimant corpora cæleſtia eſſe cauſas principales productiuas huiuſmodi animalium, quando producuntur ſine generatione ſeminali. Alij verò id negant, dicentes, ea eſſe tantùm cauſas diſpoſitiuas. Cùm autem quæritur ab ipſis, quænam ſit cauſa principalis; magna ſæpeſſi difficultate variè reſpondent. Quidam nempe aſſerunt cauſam principalem eſſe quandam formam abſtractam & ſeparatam, quam vocant datricem formarum, ſic Themiſtius & Auicenna apud Auerroëm 12. *Metaph. commen.* 18. Sed nemo non videt commentitiam eſſe hanc formam, ſi non dicatur eſſe Intelligentia, aut Angelus, eandémque difficultatem eſſe de illa, ac de ipſo cælo.

Quæ ſunt animalia perfecta?

Quænã ſunt animalia imperfecta?

Quæ cauſa producunt animalia imperfecta.

16. *Cur Angelus non producat animalia imperfecta ſecundum S. Th. Reijcitur illa ratio 1.*

Si autem diceretur eſſe Angelus: S. Thomas 1. *par. quæſt.* 110. probat Angelum non poſſe tanquam cauſam principalem producere compoſitum aliquod corporeum, quia Angelus non eſt ſimilis tali compoſito, aut formaliter, vt patet, aut virtualiter, quandoquidem non contineat in virtute ſua materiam. Verùm hæc ratio non ſatisfacit, quia vt Angelus produceret compoſitum, ſufficeret quòd includeret virtualiter formam, nam aliàs nulla creatura poſſet producere compoſitum materiale, cùm nulla creatura poſſit includere virtualiter materiam, quæ non poteſt produci, niſi per creationem, ſecundùm omnes. Deinde certum eſt quòd cauſa producens compoſitum non magis debeat includere virtualiter materiam ipſius, quàm cauſa principalis, in cuius virtute cauſa inſtrumentalis producit illud compoſitum: ſed ſecundum D. Thomam 1. *par. quæſt.* 70. *art.* 3. *ad* 3. *& quæſt.* 6. *de potentia art.* 3. Intelligentia aſſiſtens cælo eſt cauſa principalis, in cuius virtute cælum producit iſta animalia: ergo vt produceret immediatè compoſitum non deberet includere virtualiter materiam ipſius, ſicut nec debet includere illam, vt cælum in virtute eius producat illud compoſitum.

Reijcitur 2.

Vera ratio cur Angeli non producãt animalia.

Aliter ergo impugnatur illa ſententia, quæ diceret quòd cauſa principalis productiua animalium imperfectorum ſit Angelus; quia Angeli ſecundùm Theologos communiter non habent vllos effectus particulares corporeos in corpora præter motum localem, vt ſupponi debet hìc ex materia de Angelis. Si tamen haberent virtutem producendi alios effectus corporeos, profectò cælum non deberet dici producere iſta animalia in virtute ipſorum, ſed poſſet tamen benè eſſe cauſa concurrens diſpoſitiuè, non tamen in virtute Angeli, ſed in virtute ſua propria, cùm nullam prorſus virtutem recipiat ab Angelo, ſed ſolummodo motum localem, qui tantùm eſt conditio applicans localiter.

17.

Alij dicunt cauſam principalem productiuam animalium imperfectorum eſſe alia ſimilia animalia, verbi gratiâ, cauſam principalem productiuam ranæ eſſe aliam ranam, in virtute cuius cælum producit illam ranam. Dicunt verò non eſſe aliquam determinatam ranam, quæ ſit cauſa productiua ſed aliquam indeterminatam, determinari verò à Deo, quænam ſit quæ actu ſit cauſa principalis.

Cauſa productiua animalis imperfecti non eſt aliquod animal indeterminatum.

Verùm hæc philoſophia minùs placet quàm præcedens, quæ productionem adſcribit Angelis: nam quamuis nulla demùm rana exiſteret realiter in rerum natura, & corpora cæleſtia applicarentur eodem modo, quo applicantur, quando producitur rana ſine propagatione ſeminis, profectò produceretur rana: ergo tum cauſa principalis productiua non eſt rana aliqua determinata, aut indeterminata. Probatur conſequentia, quia cauſa realiter non exiſtens non poteſt eſſe cauſa principalis, cui actualis productio effectus attribui debet. Confirmatur primò, quia cauſa principalis effectus debet habere aliquem influxum in effectum mediatum, vel immediatum; aliàs nulla prorſus eſſet ratio, cur potiùs illa, quàm alia cauſa diceretur principalis: ſed quando producitur rana abſque propagatione ſeminis, nulla alia rana habet vllum influxum mediatum, aut immediatum in illam ranam, vt patet, quia poſſet contingere vt nec tum exiſteret vlla alia rana, nec antea vnquam extiterit, nec poſtea etiam eſſet extitura. Euidens autem eſt, quòd res poſſibilis, vt poſſibilis præcisè, non poſſit habere vllum influxum realem mediatum, aut immediatum in effectum aliquem realem.

Cauſa principalis debet habere aliquem influxum in effectum.

Si rana non eſſet generatiua, adhuc produceretur rana.

Confirmatur ſecundò, quia etiamſi rana non eſſet productiua alterius ranæ, ſed eſſet omnino animal ſterile, ſicut mula eſt; profectò non eo minùs produceretur rana per actionem corporum cæleſtium, ſicut de facto producitur: ſed in tali caſu certum eſt quòd alia rana non eſſet cauſa productiua vllo modo eius: ergo nec de facto debet dici cauſa eius, quando producitur per iſtorum corporum actionem abſque propagatione ſeminali.

Confirmatur tertiò, quia ſi virtus generatiua hominis

hominis tribueretur lapidi à Deo,& ea mediante lapis produceret hominem, profectò alius homo non deberet dici cauſa,aut principalis,aut vllo modo iſtius hominis producti, quamuis alicui homini connaturaliter deberetur iſta virtus, vt eſt euidens: ergo quamuis alicui ranæ connaturaliter loquendo deberentur iſtæ qualitates, quibus diſponitur materia, ex qua fit rana, aut productio iſtarum qualitatum;tamen ſi de facto iſta productio non competat ipſis, ſed ſoli, aut alij cauſæ, non debet dici quod rana illa producat ranam à Sole productam; ſed tantùm quòd poſſet & deberet connaturaliter illam producere.

Deſtruitur fundamentũ aduerſariorum.

Hæc confirmatio deſeruit ad impugnationem fundamenti aduerſariorum,qui propterea dicunt ranam eſſe cauſam principalem iſtius productionis,quia connaturaliter exigit qualitates diſpoſitiuas ad productionem illam; ſeu quia connaturaliter exigit producere illas qualitates. Contra quod etiam præterea facit, quòd falſum ſit tanam magis exigere connaturaliter producere illas qualitates,quam exigunt corpora cæleſtia taliter applicata. Deinde certum eſt quòd rana non exigat producere illas qualitates, niſi mediante ſemine: ergo quando producuntur iſtæ qualitates abſque ſemine, non debet dici quod rana producat illas.

Sed longiùs quàm par eſt immoror in huius ſententiæ impugnatione, quæ ſi vera eſſet, tam poſſet dici, quòd homo non exiſtens produceret hominem, quàm homo exiſtens; & quòd filius producat de facto ſuum patrem:quia in hac ſententia ſufficit vt dicatur producere, quòd exigat connaturaliter virtutem generatiuam eius, & qualitates concurrentes ad eius generationem; certum eſt autem quòd vnuſquiſque homo, atque adeo filius,tam exigat illam virtutem, & illas qualitates, ac productionem quamcunque ipſis competentem, quàm rana non exiſtens exigere poſſit productionem ranæ, quæ producitur ſine propagatione ſeminali.

19.

Alij ergo tenent corpora cæleſtia eſſe cauſas principales iſtorum animalium, non ſolùm quatenus principaliter producunt diſpoſitionem vltimam ad animas eorum, ſed etiam quatenus principaliter producunt ipſaſmet animas eorum: ita Marſ.1. *quæſt.*1.*art.*2. Auerſa *quæſt.* 35. *ſect.*8.

Corpora cæleſtia non producunt animas animaliũ imperfectorum.

Contra hanc ſententiam ſolum occurrit quod communiter ſupponatur ab omnibus Philoſophis & Theologis, quamlibet animam, cùm ſit principium alicuius vitæ; nobiliorem ac perfectiorem eſſe, quàm vlla alia forma ſubſtantialis, ſicut & quodlibet viuens eſſe perfectius quolibet non viuente: hoc autem ſuppoſito certum eſſe debet,cùm nullum aſtrum,aut cælum ſit viuens, nullum ex ipſis producere poſſe vllum viuens, aut vllam conſequenter animam; quia euidens eſt cauſam principalem debere eſſe ad minùs tam perfectam, quàm ſit effectus ab ipſa producibilis, loquendo de cauſa principali totali, de qua hîc agimus.

Nec valet dicere quòd verum quidem ſit cælum eſſe imperfectius quolibet viuente perfecto,præſertim ſenſitiuo, quod ſcilicet ſolùm natum ſit produci per generationem,non verò quolibet viuenti imperfecto ſenſitiuo: hoc,inquam, nihil valet; quia ſi admittatur cælum eſſe perfectius vllo viuenti ſenſitiuo,verbi gratiâ,ranâ,aut muſcâ, nihil relinquitur fundamenti ad probandum quòd non ſit perfectius viuente quolibet

Si cælum eſſet perfectius animali imperfecto poſſet dici quod perfectius eſſet animali perfecto.

ſenſitiuo,etiam perfecto non rationali, vt equo & leone;quia maioritas illa perfectionis, quæ eſt inter vtrumque genus viuentis, non eſt tanta nec talis vt ex ea præcisè poſſit argui, quod viuens habens illam eſſet perfectius cælo.

Si quis autem vniuerſaliter negaret cælum eſſe imperfectius vllo viuente ſenſitiuo & vegetatiuo, non rationali, profectò difficulter impugnari poſſet meo iudicio,aliter quàm authoritate communis ſententiæ;& Sancti Auguſtini, qui lib. de vera & falſa religione cap. 29. ait: *Non enim qualiſcunque moles, quanquam iſta viſibili luce præfulgeat, ſi vita careat magni æſtimanda eſt, qualibet namque viua ſubſtantia cuilibet non viuæ ſubſtantiæ naturæ lege præponitur.* Vnde in lib. de duabus animabus cap. 4. dicit muſcam Soli eſſe præferendam. Porrò hæc communis ſententia tanti Patris authoritate comprobata, facit ſententiam hanc improbabiliorem, præſertim cùm nulla ſit ratio pro illa niſi negatiua, quòd ſcilicet non conſtet cælos eſſe imperfectiores animalibus quibuſque ſenſitiuis. Itaque vt reſoluamus hanc difficultatem,ſit

20.

Cæli ſolum producunt vltimas diſpoſitiones ad animalia imperfecta.

Concluſio ſexta: *Corpora cæleſtia producunt vltimam diſpoſitionem ad animalia imperfecta producenda, verbi gratiâ, ad ranam, muſcam, & ſimilia; non verò producunt ipſaſmet animas earum tanquam cauſa principalis,ſed earum productio adſcribi debet ipſimet Deo ſpecialiter ſupplenti defectum cauſæ ſecundæ potentis eas producere.* Hæc eſt Scotiſtarum communiter cum Doctore hîc,qui non aliam actionem tribuit cælis in ordine ad animata, quàm actionem alteratiuam ad qualitatem diſconuenientem, vel conuenientem animæ eorum, aſſerens hac ratione cælos concurrere ad animatorum generationem & corruptionem; ad generationem quidem quatenus producunt qualitatem conuenientem, hoc eſt diſpoſitiuam ad receptionem animæ; ad corruptionem autem quatenus producunt qualitatem diſconuenientem. Eſt etiam concluſio Fonſecæ *7.Met.cap.7.quæſt.*2. Suar. *diſp.*18. *ſect.*2. Ruuij *2.de cælo cap.3.quæſt.*2. Et prima pars patet experientiâ, quia ad actionem particularem cauſarum cæleſtium diſponitur materia ex qua fit rana,ad formam ranæ ſic,vt producatur illa forma, nec eſt vllum inconueniens in aſſerendo quod illa productio adſcribatur illis corporibus; nec aliquæ aliæ cauſæ aſſignari poſſunt, quibus potiùs eſſet adſcribenda. Secunda pars etiam patet ex dictis, quia cæli ſunt imperfectiores illis animantibus.

Deus produxit animas animalium generatorum ſine ſemine.

Tertia denique pars non minùs patet, quia ex ſuppoſitione ſententiæ communis, quòd ſcilicet Angeli non poſſint immediatè per ſe habere vllam actionem phyſicam in corpora, præter loco motiuam;nulla alia cauſa relinquitur, quæ poſſit producere illas formas præter Deum: neque eſt inconueniens(vt ſupponit Auerſa malè)ad Deum recurrere deficientibus cauſis ſecundis;imò id eſt conueniens naturis rerum,& ſuaui ipſius diſpoſitioni in ſe recipientis defectus cauſarum ſecundarum ſupplere.

Corpora cæleſtia indirectè tantùm agũt in animam rationalem.

Concluſio ſeptima: *Corpora cæleſtia non habent aliquam actionem directam in animam intellectiuam,bene tamen indirectam, tum quoad intellectum,tum quoad voluntatem.* Hæc eſt Doctoris hîc cum ſuis,& D. Thomæ 1. *par. quæſt.* 115. quos ſequuntur Theologi & Philoſophi communiter; & quoad primam partem eſt contra

Priſci

Priſcilianiſtas & iudiciariæ Aſtrologiæ profeſſores, eóſque qui illis fidem adhibent. Probatur quoad illam primam partem, quia anima rationalis eſt omnino ſpiritualis & indiuiſibilis: ergo nullam actionem habere poteſt in illam aliqua cauſa corporea. Probatur ſecundò, quia anima non eſt capax aliarum qualitatum, quàm intellectionum, volitionum, habituum, ſpecierum intelligibilium, & paſſionum lætitiæ, triſtitiæ, ſimiliúmque, quæ cauſantur ab obiectis cognitis talibus, vel talibus; neque enim aſſignari poteſt, quas alias qualitates recipere poſſit, nec vlla eſt experientia quòd alias recipit. Sed certum eſt quòd cæleſtia corpora non habent particularem vim directam ad huiuſmodi qualitates producendas, ſpecies enim intelligibiles non ſunt natæ produci, niſi ab obiectis, quorum ſunt ſpecies; actus non ſunt nati produci, niſi à potentiis mediantibus his ſpeciebus. Habitus ſolùm producuntur mediantibus actibus (loquendo de naturalibus & acquiſitis; ſupernaturales autem à ſolo Deo ſunt producibiles) & paſſiones demum ſolùm produci poſſunt ab obiecto taliter, vel taliter propoſito per intellectum.

Secunda pars concluſionis patet quoad intellectum, quia certum eſt corpora cæleſtia poſſet alterare organa ſenſitiua, & benè, vel malè illa diſponere ad exercendas functiones ſuas; & hinc fit vt luna habeat particularem influxum in phreneticos, qui propterea lunatici vocantur. Sed non minùs certum eſt iuxta bonam, vel malam ſenſuum diſpoſitionem, intellectum benè, vel malè poſſe diſcurrere, hominéſque eſſe melioris, vel peioris ingenij: ergo indirectam habent corpora cæleſtia actionem in animam quoad intellectum, quatenus ſcilicet agendo in organa ſenſuum impedit, vel iuuat intellectum in ſuis operationibus. Probatur eadem pars quoad voluntatem, quia exploratum eſt iuxta variam diſpoſitionem corporis, aliquos eſſe magis inclinatos ad hæc, vel illa vitia, & virtutes, & his inclinationibus aliquo modo impelli voluntatem ad actus illarum virtutum, ac vitiorum: ſed non minùs compertum eſt corpora cæleſtia ſuis influxibus poſſe cauſare iſtas diſpoſitiones: ergo agere poſſunt indirectè in animam rationalem quoad voluntatem.

22. *Stellæ nullo modo poſſunt neceſſitare voluntatem.*

Concluſio octaua: *Corpora cæleſtia non habent vllum influxum directum, aut indirectum in voluntatem, ita vt neceſſitent ipſam ad ſuas actiones.* Hæc eſt communis cum Scoto hîc, & patet ex omnibus locis Scripturæ & Patrum, quibus probatur dari liberum arbitrium in hominibus pro hoc ſtatu. Et hinc patet, quamuis Aſtrologi iudiciarij poſſint cognoſcere ex influxu aſtrorum inclinationes particulares hominum, & hinc etiam prædicere multa futura coniecturabiliter; nullo tamen modo eos poſſe ſcire certò & infallibiliter vllum effectum determinatè futurum, qui dependet à libera voluntate vllo modo; quare cùm dignitatum collatio, mors etiam, & vita dependet à tali voluntate, quatenus nullus eſt qui non poſſit occidi ab aliquo, ſi vellet, omnino ſtupidum eſt credere Aſtrologis aſſerentibus aliquem victurum tot annis, moriturum morte naturali, conſecuturum tot & tales dignitates. Sed nec admodùm certam poſſunt habere coniecturam ex influxu cælorum de illiſmet inclinationibus particularibus; quia multæ aliæ poſſunt adeſſe circumſtantiæ particulares, & influxus aliarum cauſarum, quibus impediri poſſit influxus ille cælorum, qui aliàs eſſet: vnde vlteriùs patet nec probabilem quidem coniecturam poſſe prædictos Aſtrologos habere de effectibus liberis dependentibus vllo modo à voluntate. Quare meritò Aſtrologia illa iudiciaria prohibita eſt, quoad ſe extendit ad iudicium ferendum de huiuſmodi effectibus.

Aſtrologi non poſſunt præſcire mortem aut vitam aut collationes dignitatum.

Quæres, an aſtra habeant producere hos effectus, quos ipſis aſcribimus per lucem & motum tantummodo? an verò habeant etiam aliquas influentias occultas præter has qualitates ſenſibiles, quibus mediantibus illos producant.

23. *An cæli agãt per ſolum lumen & motum, an verò per influentias occultas.*

Quòd per ſolum lumen & motum ſine vllis aliis occultis qualitatibus, tenẽt Auerroës 2. *cæli, com.* 42. Zimarra *Theoremate* 45. Mirandulanus, Sirenus, Zabbarel, Piccolomn. & alij. Quod verò non agant per ſolum lumen & motum, ſed etiam per calorem & frigus, & alias etiam qualitates occultas, communis eſt ſententia Philoſophorum cum Doctore hîc, ac D. Thoma *cæli lect.* 10. D. Bonaueutura & Richardo *in hac diſtinctione*: quos ſequuntur Conimbricenſes 2. *cæli cap.* 3. *quæſt.* 3. Ruuius *ibid. quæſt.* 2. Auerſa *quæſt.* 35. Probatur hæc communis ſententia; quia primò incredibile prorſus eſt quòd per vnam qualitatem lucis, cùm quocunque motu poſſint cæli producere tam varios effectus, quàm producunt. Secundò, quia producunt mineralia in viſceribus terræ; ſed ad illa viſcera non pertingit lumen, aut lux. Dices pertingere tamen calorem, qui calor producitur per lucem à cælis. Sed quamuis Conimbricenſes exiſtiment calorem à cælis per lucem produci, id nullo modo videtur mihi credibile; tum quia nihil impedit quo minus calorem ipſum immediatè producerent; tum quia cæli eodem modo producunt frigus, quo calorem, ſed frigus non producunt per lucem vt patet: ergo nec calorem. Confirmatur hoc, quia non eſt veriſimile quod per vnam qualitatem lucis formas tam contrarias producant, quàm ſunt frigus & calor.

Non agunt per ſolam lucem & motum.

Probatur tertiò quia magnes trahit ferrum per qualitates aliquas occultas: ergo agere per tales qualitates conuenit corporibus, ſed certè nullis potiùs quàm cæleſtibus. Confirmatur, quia non eſt probabile quòd vlla qualitate ſenſibili vrſa minor trahat ad ſe magnetem, aut Sol heliotropij, aut Scorpionarij flores; ſed iſti motus omnino tam debent tribui qualitati alicui occultæ illis impreſſæ, quàm motus ferri; & idem dicendum de motu, quo mare fluit; & aliis multis ſimilibus effectibus. Adde ad hæc, nullo prorſus fundamento inniti aduerſarios, quod reſponſione dignum ſit, vt mirum ſit eos à communiori recedere ſententia.

Agunt per qualitates occultas.

SCHO

SCHOLIVM.

Habet pulchram doctrinam ad argumenta & ad tertium docet aſtra agere in inferiora per ſuas formas permanentes ſubſtantiales, vel accidentales. Item ceſſante motu primi mobilis, vel alterius cæli adhuc eius actionem non ceſſare: de quo agit 4.d.44.q.4.con.1. contra D. Tho. d.2. q.2.art.3.& q.5.art.8. de potentia.

AD primum argumentum, dico, quòd ſufficit quòd agens, & patiens ſunt ſimul, vel ſecundùm contactum, vel mediante aliquo medio: ſed hîc eſt ſimul ſecundùm medium. Et ad probationem in oppoſitum, dico, quòd non oportet quòd medium ſit capax actionis, ſecundùm eandem rationem cum extremo, in quo perfectè dicitur eſſe alteratio: ſed ſecundùm aliam rationem huius actionis, alterius rationis, puta ſub ratione luminis benè eſt capax cælum: omnis enim pars cæli, quæ poteſt eſſe ſub ſeptem pyramidibus, poteſt eſſe tenebroſa. Patet de Luna, & aliis quæ patiuntur tenebras, & huiuſmodi. Et patet per exemplum commune de piſce, qui per rete medium, facit ſtuporem: qui tamen ſtupor non eſt in rete.

De hoc ſupra d.9.n.16. & d.2. q.12. de quo etiam Scot.7. Phyſ.q.3. Torpedo ſtuporem cauſat. Ariſt.9. de animal.37.

Ad ſecundum dico, quòd circumſcripto omni libero arbitrio humano, Angelico, & Diuino, omnia euenirent de neceſſitate: & nihil contingenter eueniret, & nihil eſſet in entibus in potentia ad contradictoria: ſi enim aliqua cauſa nata eſſet eleuare vaporem, de neceſsitate generaret pluuiam: ſi verò fortior cauſa in oppoſitum eueniret, de neceſsitate impediretur: & hoc notum eſt Angelo: & ſecundùm hoc, quicquid ex talibus cauſis euenit pro illo inſtanti, in quo euenit, & in ſenſu diuiſionis, non euenit contingenter, ita quòd poſsit non euenire.

Si non eſſet liberum arbitrium, nulla eſſet contingentia in rebus.

Sed quid de infirmitatibus? agúntne ad hoc? Dico, quòd ſic. Habent enim aliquam actionem diſpoſitiuam in remittendo, & intendendo qualitates, & huiuſmodi: & ſic eſt conueniens & neceſſarium quòd bonus medicus habeat ſcientiam Aſtronomiæ: poſſunt enim propinare aliquo tempore medicinam, quæ interficit, quæ tamen alio tempore liberaret.

Aſtra multum faciũt ad ſanitatem vel infirmitatem.

Ad tertium dico, quòd non poſſunt tantùm per motum localem: quia omnis forma abſoluta eſt perfectior reſpectiua: ergo oportet quòd ſit per formam abſolutam ſubſtantialem, vel accidentalem: quod concedo.

Tu dicis contrà, quia tunc ſi Planeta, vel corpus cæleſte ſtaret, cauſaret: Concedo, cauſaret quantùm de ſe eſſet; nec eius motus localis facit ad actionem ſuam, latio enim, vel motus Solis requiritur ad hoc, vt adducat agens, patet *ſecundo, de Gen.* nec valet illud, ceſſante primo motu, &c. quòd enim eſt primum, ſolùm ſecundùm eminentiam, & non eſſentialiter reſpectu aliorum, non oportet, quod ipſo deſtructo, alia deſtruantur.

Ceſſante motu primi mobilis fierent generationes. Scot.4.d.44.q.4. Tex.56. & 58.

COMMENTARIVS.

24. i AD *primum argumentum*, &c. Reſpondet ad argumenta principalia; quorum primum erat: Agens & patiens debent eſſe ſimul vel immediatè, vel mediatè, hoc eſt, mediante qualitate producta ab agente per totum medium interpoſitum inter ipſum & agens; corpora cæleſtia non ſunt ſic ſimul cum inferioribus: ergo non poſſunt agere in illa. Probatur Minor, quia certum eſt quòd immediatè corpora cæleſtia non ſint ſimul, hoc eſt, contigua, aut continua viſceribus terræ, verbi gratiâ, aut materiæ illi, quam diſponunt ad formam ranæ. Deinde æquè certum eſt quòd non producat firmamentum, verbi gratiâ, talem qualitatem, qualem producit in corpore ſublunari, in quod agit in toto medio interiacenti, quia non producit talem in cælis intermediis inferioribus, cùm non ſint capaces talis actionis, aut qualitatis. Reſpondet Doctor negando Minorem, quia ad hoc vt agens, & patiens ſint ſimul ſufficienter mediante medio, non requiritur quòd talis qualitas producatur per totum medium, qualis producitur in paſſo, ſed ſufficit quòd aliqua qualitas in ipſo producatur (ſi tamen hoc ipſum neceſſariò ſemper requiratur) certum autem eſt aſtra firmamenti per omnes inferiores cælos diffundere lumen, vnde mediante lumine illo ſunt ſimul ſufficienter cum aëre, & mediante hoc, ac qualitatibus per ipſum diffuſis vſque ad viſcera terræ, tam ſunt ſufficienter ſimul cum iſtis viſceribus, quàm requiritur vt agant in illis viſceribus.

Primum argumentum principale.

Reſponſio.

Adde poſſe dici, quòd quálitates occultas, quibus mediantibus agit cælum in inferiora corpora, diffundat per omnes cælos inferiores; & ſic etiam poſſet dici quòd piſcis ſtupefaciens manũ piſcatoris mediante reti, producat illam qualitatem ſtupefactiuam in ipſo reti, quamuis in illo non habeat illã viñ, quia non eſt capax iſtius effectus. Nec hoc eſt contra Doctorem hîc dicẽtẽ, quòd illa qualitas non producatur ab illo piſce in reti; non enim neceſſe eſt quòd velit illam qualitatem non eſſe in reti productam ſecun-

Cæli vt agũt in ſubiecta diſtantia fortè diffundunt per totum medium qualitates occultas.

dùm se, sed tantùm, quod non sit ibi producta quantùm ad effectum stupefactionis. Itaque quemadmodum in sententia communiori species visibiles diffunduntur à coloribus per totum aërem, cùm tamen deseruiant ad visionem quæ producitur in oculo: ita posset dici quòd qualitates occultæ productæ à cælis producantur per totum medium, cùm tamen deseruiant solummodo ad producendos effectus particulares in subiectis aliquibus determinatis capacibus effectuum illorum.

15. *Secundum argumentum principale soluitur.*

Secundum argumentum est, quòd tollerentur contingentia. Respondet negando sequelam; quia voluntas tam diuina, quàm humana cùm sit libera, non obstante quacunque cæli actione potest pro libitu suo applicare causas secundas, illa quidem omnes, hæc aliquas, sic vt contingenter possint oriri aliqui effectus, qui aliàs non acciderent.

Tertium argumentum.

Tertium argumentum est: vel agerent per motum, vel per formam absolutam ac permanentem: non primum, quia motus localis formaliter est respectus, respectus autem non est productiuus formarum absolutarum, quas cæli in inferioribus producunt: non secundum, quia sic cessante motu agerent, contra Philosophum dicentem 8. *Physic.* & 2. *Generat.* quòd cessante primo motu cessarent omnes alij motus. *Soluitur.* Respondet quòd agant per formam absolutam, siue substantialem, siue accidentalem, & quòd possunt agere quamuis nullo modo mouerentur localiter. Ad authoritatem Philosophi in contrarium, respondendum quòd non velit omnes motus omnino cessaturos, eo ipso quo cessarent motus cælestes; esset enim absurdissimum dicere quòd Sol cessans non posset illuminare aërem sibi suppositum, aut quòd ignis non calefaceret. Sed vult solùm quòd motus principales generationum viuentium cessarent; quod verisimile est; quia isti motus dependent à variis Planetarum & cælorum influxibus, qui non possent ipsis exhiberi debito modo, si cælum quiesceret, ex eo quòd ipsimet cæli non applicarentur ipsis vnum post alterum, sicut requiritur. *Qui motus cessarent cessantibus motibus caloris.*

DISTINCTIO XV.

De productione piscium & auium, &c.

A DIxit etiam Deus, Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, &c. Opus quintæ diei est formatio piscium & auium, quibus duo elementa ornantur: & de eadem materia, id est, de aquis, pisces & aues creauit: volatilia leuans in aëra, & natatilia remittens gurgiti. *Amb. lib. hexa. 5. c. 1. 2. & 3.*

De opere sextæ diei, quando creata sunt animalia & reptilia terræ.

B SEquitur, Dixit Deus, Producat terra animam viuentem, iumenta & reptilia & bestias terræ, secundùm species suas, &c. Sextæ diei opus describitur, cum terra suis animalibus ornari dicitur.

Vtrùm post peccatum venenosa animalia noxia facta fuerint, an propter peccatum nocere cœperint, priùs facta innoxia.

C QVæri solet de venenosis & pernicioſis animãtibus, Vtrùm post peccatum hominis ad vindictam creata sint, an potiùs creata innoxia peccatoribus nocere cœperint? Sanè dici potest, quòd creata nihil homini nocuissent, si non peccasset: puniendorum namque vitiorum & terrendorum, vel probandæ, vel perficiendæ virtutis causa nocere cœperunt. Fuerunt ergo creata innoxia, sed propter peccatum facta sunt noxia.] *Aug. li. de Gen. ad lit. 3. c. 15.*

Vtrùm minuta animalia tunc creata fuerint.

D [DE quibuſdam etiam minutis animantibus quæſtio eſt, Vtrùm in primis conditionibus creata ſint, an ex rebus corruptis poſtea orta ſint? Pleraque enim de humidorum corporum vitiis, vel exhalationibus terræ, ſiue de cadaueribus gignuntur, quædam etiam de corruptione lignorum & herbarum & fructuum: & Deus auctor omnium eſt. Poteſt autem dici, quòd ea quæ de corporibus animalium, maximè mortuorum, naſcuntur, cum animalibus creata non fuerint, niſi potentialiter & materialiter. Ea verò quæ ex terra vel ex aquis naſcuntur, vel ex eis quæ terra germinante orta ſunt, tunc creata fuiſſe non incongruè dici poteſt.] *Aug. li. de Gen. ad lit. 3. c. 14.*

Quare poſt omnia factus eſt homo.

E OMnibus autem creatis atque diſpoſitis nouiſſimè factus eſt homo, tanquam Dominus & poſſeſſor, qui & omnibus præferendus erat, vnde ſequitur, Vidit Deus quod eſſet bonum, & ait, Faciamus hominem ad imaginem, &c. Sed antequam de hominis creatione tractemus, quod ſuprà breuiter tetigimus, pleniùs verſantes clarius faciamus. In hac enim rerum diſtinctione Catholici tractatores diſſentire, vt ſuprà diximus, inueniuntur: aliis dicentibus, res creatas atque diſtinctas ſecundùm ſpecies ſuas per interualla ſex dierum; quorum ſententiæ quia litera Geneſis magis inſeruire videtur, atque eam Catholica Eccleſia magis approbat, ideò hactenus ſtudioſè docuimus, quomodo ex illa communi materia priùs informiter facta, poſtea corporalium rerum genera per ſex dierum volumina diſtinctim ſint formata. Aliis autem videtur, quòd non per interualla temporum facta ſint, ſed ſimul ita formata ad eſſe prodierunt. Quod Auguſtinus ſuper Geneſim pluribus modis nititur oſtendere, dicens elementa quatuor ita formata ſicut modò apparent, ab initio extitiſſe, & cælum ſideribus ornatum fuiſſe. Quædam verò non formaliter, ſed materialiter tunc facta fuiſſe, quæ pòſt per temporis acceſſum formaliter diſtincta ſunt: vt herbæ, arbores, & fortè animalia. Omnia ergo in ipſo temporis initio facta eſſe dicunt: ſed quædam formaliter & ſecundùm ſpecies quas habere cernimus, vt maiores mundi partes: quædam verò materialiter tantùm. Sed vt dicunt, Moyſes loquens rudi & carnali populo, locutionis modum temperauit, de Deo loquens à ſimilitudine hominis, qui per moras temporum opera ſua perficit, cum ipſe ſimul ſua opera fecerit: vnde Auguſtinus: Ideò, inquit, Moyſes diuiſim refert Deum illa opera feciſſe, quia non potuit ſimul ab homine dici, quòd à Deo ſimul potuit fieri. Item, potuit diuidere ſcriptura loquendi temporibus quod Deus operandi temporibus non diuiſit.] Illi qui his auctoritatibus & aliis huiuſmodi inhærentes, dicunt quatuor elementa, atque cœli luminaria ita formata ſimul eſſe, & habuiſſe illos ſex dies quos ſcriptura commemorat, ſex rerum genera, id eſt, diſtinctiones appellant quæ ſimul factæ ſunt: partim formaliter, partim cauſaliter.

Gen. 1. c. Diſt. 12. lit. a. & b. *Ibid.* *Lib. 4. c. 32. & ſequentibus, & lib. 5. c. 4. & 5.* *Hic proſequitur opinionem illorum qui ſimul omnia facta contẽdunt.* *Lib. 1. c. 15.*

Quomodo intelligendum ſit Deum requieuiſſe ab omni opere ſuo.

F IAm de ſeptimæ diei requie aliquid nos eloqui oportet. Scriptum eſt enim, quia compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum, & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat. [Requieuiſſe dicitur Deus die ſeptimo: non quaſi operando laſſus, ſed ab vniuerſo opere requieuit, quia nouam creaturam facere ceſſauit. Requieſcere enim ceſſare dicitur: vnde in Apocalypſi dicit, Non habebant requiem, dicentia, Sanctus, ſanctus, ſanctus, id eſt, dicere non ceſſabant. Requieuiſſe ergo Deus dicitur, quia ceſſauit à faciendis generibus creaturæ: quia vltra noua non condidit. Vſque nunc tamen, vt veritas in Euangelio ait, operatur Pater cum Filio, ſcilicet adminiſtrationem eorundem generum quæ tunc inſtituta ſunt. Creatoris enim virtus cauſa ſubſiſtendi eſt omni creaturæ. Quod ergo dicitur, Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Illud vniuerſæ creaturæ continuam adminiſtrationem oſtendit. Die ergo ſeptimo requieuit, vt nouam creaturam vlterius non faceret, cuius materia vel ſimilitudo non præceſſerit, ſed vſque nunc operatur, vt quod condidit continere & gubernare non ceſſet.]

Gen. 2. a.

Apoc. 4. c. Aug. lib. de Gen. ad literam 4. c. 8. & 12. Ioan. 5. c. Lib. & c. eiſdem.

Qualiter accipiendum ſit, quod dicitur Deus compleſſe opus ſuum ſeptimo die, cùm tunc requieuit ab omni opere ſuo.

G SEd quæritur, quomodo ſeptimo die dicatur Deus compleſſe opus ſuum, cùm ab omni opere illo die requieuerit, nec aliquod genus nouum rerum fecerit? Alia tranſlatio habet: Conſummauit Deus die ſexto opera ſua: quæ nihil quæſtionis affert, quia manifeſta ſunt quæ in eo facta ſunt, & omnium conſummatio eo die perfecta eſt: ſicut ſcriptura oſtendit, cum ait, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Omnia quidem naturaliter bona erant, nihilque in ſui natura vitij habentia: [& ſunt bona quæ condidit Deus etiam ſingula, Simul verò vniuerſa valde bona, quia ex omnibus conſiſtit vniuerſitatis admirabilis pulchritudo] [in qua etiam illud quod malum dicitur benè ordinatum, & loco ſuo poſitum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis.] Sexto ergo die facta eſt omnium operum conſummatio. Ideò præmiſſa oritur quæſtio, quomodo dicatur Deus die ſeptimo opus ſuum compleſſe, quod Hebraïca veritas habet, in quo tamen nihil nouum creaſſe dicitur; niſi fortè dicatur die ſeptimo compleuiſſe opus ſuum, quia ipſum benedixit & ſanctificauit: ſicut ſubiicit ſcriptura: Benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum. Opus enim eſt benedictio & ſanctificatio; ſicut Salomon aliquid operis fecit, cùm templum dedicauit.

Secundum aliam literam nihil ibi eſt quæſtionis, quã ſequitur Auguſtinus.

Gen. 1. c. Aug. in Ench. c. 10.

Ibid. c. 11.

Hic redit ad quæſtionem poſitam, ſcilicet quomodo verum ſit Deum ſeptimo die compleſſe opus ſuum, Gen. 2. a.

3. Reg. 8. c.

Quæ ſit benedictio & ſanctificatio ſeptimæ diei.

H ILlum autem diem ſanctificaſſe & benedixiſſe dicitur, quia myſtica præ cæteris benedictione & ſanctificatione eum donauit. Vnde in lege dicitur, Memento ſanctificare diem ſabbati. Et inde eſt, quòd numerando dies vſque ad ſeptimum procedimus, & dicimus, ſeptem eſſe dies, quorum repetitione omne tempus agitur: non quin alius ſit ab illis dies octauus

Exo. 20. b.

octauus & nonus, & ſic de cæteris: ſed quia in ſex diebus rerum genera diſtincta ſunt: & in ſeptimo, licèt non fuerit nouum genus rerum inſtitutum, fuit tamen in eo quaſi quidam nouus ſtatus ſanctificationis operum, & requietionis opificis. Poteſt etiam ſic exponi illud, Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum, id eſt, completum & conſummatum vidit.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum in corpore animalis, vel in quocunque mixto, remaneant elementa, ſecundùm ſubſtantiam in actu?

Alenſis 2.*p.q.*80.*memb.*1.*art.*2. Albert. Mag. *de generat.tract.*6.*c.*5.& 3.*de cælo,tract.*2.*c.*1. Philoponus *ad tex.*64. Iandunus 6.*Phyſ.q.*4. Zimara *Theorem.* 27.*affirmant. Negant* D. Thom.*opuſc.* 33. & 1.*p. q.*76. *art.*4. Greg. Capreol. Baſſol. Gabriel. *hîc*, Richard. *hîc art.* 1. *q.* 1. Occham *quodl.* 3. *q.* 4. Philip. Faber. *Theor.*61. *Conimbricenſes* 1.*de generat.c.*10,*q.*3,& 4. Vide D. Bon. *hîc art.*2.*q.*2.& Sco. 3. *Phyſ. q.* 2.

1. QVòd non, videtur; nam animalia aliqua producebantur, ſiue generabantur ex aqua. Patet hoc Gen. *Producant aquæ reptile,& viuentia ſuper terram*: ſed generatio vnius, eſt corruptio alterius: ergo aqua corrumpitur, cùm ex ea generatur piſcis: ergo & ſimiliter alia elementa corrumpuntur, & non manent. *1. de gene. t.c.*17.& *inde.*

Item, ſi aliquod elementum, ſecundùm ſubſtantiam maneret in mixto, eadem ratione, & omne elementum maneret, & tunc cùm inclinatio illorum ſit ad loca contraria, mixtum ex illis violenter moueretur, & quieſceret in quocunque loco. *Arg.* 2.

Item, omne habens in ſe contraria, neceſſariò corrumpitur à cauſa intrinſeca: ſed non omne mixtum corrumpitur à cauſa intrinſeca, vt patet de lapidibus, & metallis, vt auro, & huiuſmodi, quæ non nutriuntur: ergo nec corrumpuntur à cauſa intrinſeca: omnia enim inanimata, quæ non recipiunt alimentum, non marceſcunt ex ſe, nec corrumpuntur, niſi ab extrinſeco: ergo non omne mixtum habet in ſe elementa, ſecundùm ſubſtantiam. *Arg.* 2.

2. a Contrà, primo de Gen. c. de mixtione. *Mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio*: ex hoc dupliciter arguo, ſi eſt alteratorum, ergo non eſt corruptorum. Similiter ſi mixtio eſt vnio miſcibilium, & vnio non eſt corruptorum, ſed entium: ergo miſcibilia manent. *Ratio opp. 1.tex.*90. *Mixtio quid eſt?*

Item, qualitas elementi b non eſt ſine elemento: ſed qualitas elementi apparet in mixto, ergo, &c. Probatio maioris ſecundo de Anima, dixit Ariſtoteles quòd corpora non poſſunt ſe tangere in aëre, vel aqua, niſi intercipiatur aër, vel aqua medius: quod probat, quia humida ſunt in ſuperficiebus contingentibus, & humiditas aquæ non eſt ſine aqua. *Ratio* 2. *Tex.*113.

Item c *primo Cæli,& Mundi,tex.* 7. & 8. mixtum mouetur ſecundùm naturam elementi prædominantis, ſed ſi effectus eſt, cauſa eſt; ergo ſi graue mixtum mouetur deorſum, in eo eſt terra actualiter. *Ratio* 3.

Item, Ariſtoteles lib. de Morte & vita, In omnibus corruptibilibus duplex eſt corruptio marcedo, quæ eſt corruptio interior; & extinctio, quæ eſt corruptio exterior, ſed non eſſet corruptio intrinſeca, niſi à contrariis intrà exiſtentibus, ergo quoad primam corruptionem neceſſariò eſt dare aliquid intrinſecum actiuum, quod agit ad corruptionem, & aliquod paſſiuum corruptiuum: vbi autem in tranſmutatione ſubſtantiali eſt dare actiuum & paſſiuum, eſt ibi ſaltem dare duas ſubſtantias in actu, vnam corrumpentem & aliam, quæ corrumpitur, ergo, &c. *Ratio* 4. *Corruptio duplex, marcedo, & extinctio.*

COMMENTARIVS.

1. Arg. prine. a QVòd elementa maneant in miſto videtur, primò auctoritate Philoſophi 1. *de Gener. cap. de miſtione, text. commento* 90. *in fine*, vbi habetur quòd *Miſtio eſt miſcibilium alteratorum vnio.* Ex hoc arguit Doctor dupliciter. Primò, ſi miſtio eſt alteratorum, ergo non eſt corruptorum. Vnde Philoſophus in illo textu ſic habet: *Manifeſtum igitur ex his quæ dicta ſunt, quòd eſt miſtio, & quid eſt miſtio, & quare eſt, & quæ ſunt miſcibilia entium tantùm: quoniam ſunt quædam quaſi paſſiua ad inuicem, & benè determinabilia, & benè diuiſibilia: hæc enim neque corrupta eſſe neceſſarium, quando miſta, neque adhuc ſimpliciter eadem eſſe quæ priùs.* Hæc ille. Ex quo patet quòd ipſa elementa manent in miſto, licèt non ſecundùm ſuum *eſſe* perfectum.

2. Arg. prine. Secundò, ſic ex eadem auctoritate arguit: Si miſtio eſt vnio miſcibilium, & vnio non eſt corruptorum, ſed entium; patet, quia vnio aliquorum eſt relatio, neceſſariò præexigens extrema vnita: ergo elementa, quæ dicuntur vniri in miſto, manent in miſto.

b Item, in miſto ſunt qualitates elementorum: ergo in miſto ſunt formaliter elementa. Antecedens patet 2. *de Anima tex. comm.* 113. vbi ſic dicit Ariſtoteles quòd corpora non poſſunt ſe tangere in aëre, vel aqua, niſi intercipiatur aër medius, vel aqua: quod probat, quia talia corpora ſunt humida in ſuperficiebus contingentibus: ſed humiditas eſt qualitas elementi aquæ, & aëris. Conſequentia patet per Philoſophum vbi ſuprà, qui vult quòd humiditas non ſit ſine aqua. *Quorum*, inquit, *corporum medium eſt aliquod corpus, non contingit ipſa*, (ſupple corpora) ad inuicem ſe tangere: *humidum autem non eſt ſine corpore, nec humectatum ſed neceſſe aquam eſſe, aut habere, aquam.* vide ibi Commentatorem.

3. Arg. prine. c Tertiò, effectus alicuius cauſæ nunquam eſt cauſa non exiſtente: ſed moueri deorſum (loquendo de motu naturali) eſt effectus *grauis*, & grauitas primò & per ſe eſt à terra; ergo ſi miſtum naturaliter mouetur deorſum ſequitur quòd in eo ſit actualiter terra: miſtum enim mouetur ſecundùm naturam elementi prædominantis, vt patet 1. Cæli, text. comment. 7. & 8. Secundùm aliam tranſlationem *in fine tex.* 8. ſic habetur: *Et motus corporum ſimplicium ſimplices; & motus corporum compoſitorum erunt diuerſi: ſed tamen mouentur ſecundùm motum corporis ſimplicis in eis dominantis.* Id eſt, ſecundùm Commentatorem quòd motus corporum compoſitorum erunt ſecundùm naturam corporis ſimplicis dominantis. Impoſſibile eſt enim in corporibus compoſitis, ſcilicet miſtis, aliqua ſupple corpora, componi æqualiter: & ſi eſſet aliquod compoſitum æqualiter contingeret quòd aliquod corpus non moueretur omnino, &c. Apparet ergo quòd in vnoquoque miſto eſt aliquod elementum prædominans.

SCHOLIVM.

Opinio Auicennæ elementa manere in mixto ſubſtantialiter, remiſsis tamen eorum qualitatibus: ſed Commentator tenet elementa verè manere in mixto, ſed remiſſa tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad qualitates, Probat duabus rationibus: facitque contra ſe tres inſtantias, quibus reſpondet, ſed Doctor ſolutiones redarguit efficaciter, & clarè.

6. Opinio 1. reiicitur. HIc eſt vna d opinio Auicennæ, quam recitat Commentator 3. *Cæli & Mundi com.* 67. *& primo de Gen. cap. de mixtione*, quòd elementa manent in mixto ſecundùm ſubſtantiam, non remiſſa, ſed ſecundùm qualitates ſunt remiſſa.

3. ca. vbi ſup. Contra illud arguit Commentator quòd ſi elementa remittantur ſecundùm qualitates, quod etiam remittantur ſecundùm ſubſtantiam. Primò, idem eſt iudicium de toto, & de parte: ergo ſi qualitas poteſt remitti ſecundùm partem, manente ſubſtantia elementi omnino non remiſſa, eadem ratione poteſt elementum remanere ſecundùm ſubſtantiam, amiſſa totà qualitate & ſic poſſet eſſe ignis, & non calidus; ideò ponit ipſe ſubſtantiam elementi remitti, ſicut & qualitatem, probat autem quod elementum aliqualiter manet, ſed tamen ſecundùm ſubſtantiam remiſſam: primò ſic: Tex. com. 4. Elementum eſt ex quo componitur res, & in ea manet 5. Metaph. ergo ſubſtantia elementi manet, licèt remiſſa. Secundò ſic: Si elementa non manerent in mixto, ſed omnino corrumperentur, adueniente forma mixti; ſequeretur quòd materia prima immediatè ſuſciperet omnem formam, ſine ordine.

Sed ipſe arguit contra e ſe tripliciter, primò ſic: Quia tunc forma mixti adueniret enti, in actu, compoſito ex materia, & forma elementari: & ſic eſſet forma accidentalis.

Item, contra hoc, quod dicit formam ſubſtantialem remitti, arguit: quia nulli formę intendi conuenit, & remitti, niſi accidentali: ergo forma elementaris accidẽtalis eſſet.

2. & 3. de Anima. Item, quòd non maneat forma elementaris, probat ſic: quia oportet receptiuum denudari à natura recepti, ergo oportet materiam carere omni forma ſubſtantiali, ad hoc quod poſſit aliam recipere vt formam mixti.

Ad

4. Ad iſtud vltimum reſpondet Commentator ſic: Quod non oportet ipſum denudari à toto genere recepti: ſed oportet denudari à natura ſpecifica recepti. *Vt inquit 3. de anima, com. 4.*

Contrà, tunc materia [f] ſub forma aquæ exiſtens, poſſet recipere formam ignis. Sed ad hoc innuit reſponſionem in fine Commenti: quia omnes formæ elementares ſunt eiuſdem ordinis in ſubſtantialitate: ſic autem non ſunt formæ elementares, cum formis mixtorum, & tunc maior debet intelligi, quòd neceſſe eſt receptiuum denudari ab omni forma eiuſdem ordinis, & eiuſdem generis Phyſici, ad hoc, quòd aliquam illarum recipiat: ſed non oportet quòd denudetur ab omni forma alterius ordinis vnde dicit, quòd non oportet recipiens denudari à toto genere eius, quod debet recipere: ſed tantùm ab eis, quæ ſunt eiuſdem generis proximi, non autem remoti, & ideò non poteſt materia, manente forma vnius elementi quantumcunque remiſſi, recipere aliam formam elementarem, quia tunc non eſſet mixtio, & ideò dicit quòd oportet materiam denudari ab omni forma eiuſdem generis proximi, & eiuſdem ordinis, ſi debeat aliquod eorum recipere: huiuſmodi ſunt formæ elementares inter ſe, non in comparatione ad mixtum: Si hæc reſponſio valet, ſequitur quòd lapis exiſtens lapis, poſſit recipere animam intellectiuam.

Ad aliam obiectionem reſpondet, quòd formæ elementares ſunt ſicut mediæ inter formas ſubſtantiales, & accidentales, ideò vtriuſque habent proprietates, & ideò poſſunt intendi, & remitti. Vtrùm autem forma ſubſtantialis poſſit intendi, hoc non tractabitur modò.

Quòd autem neceſſe [g] ſit ipſas intendi ad intenſionem qualitatum vel remitti ad remiſſionem, non concludit ratio Commentatoris nam cùm dicit, quòd eadem eſt ratio totius, & partis qualitatis, verum eſt inter ſe comparata: ſed non oportet reſpectu tertij, nam quantùm ad eſſe in ſubiecto neceſſario, vel contingenter, vel concomitari ſubiectum, non eſt eadem ratio totius caloris, & partis caloris, ſubiectum enim, ſiue elementum habet talem qualitatem in quadam latitudine: ſed non præcisè ſub tali, vel tali gradu. Vnde ſicut non ſequitur, hoc corpus poteſt eſſe ſine hoc loco, & ſine illo: ergo pari ratione ſine omni: ſic in propoſito, non videtur valere ratio Commentatoris. *Quære ſupr. 8. Met. & 4. d. 12.*

COMMENTARIVS.

1. [d] HIc eſt vna opinio Auicennæ quæ vult, quòd in mixto, puta in lapide, remaneant elementa, puta ignis, ſecundùm ſubſtantiam ſuam nullo modo remiſſa, ſed non remanent ſecundùm qualitates ita intenſas, ſicut in igne, quando non eſt pars mixti, ſed qualitas ignis, puta caliditas, vt in mixto habet *eſſe* remiſſum.

Contra illud, &c. & ſententia ſua ſtat in hoc, quòd ſi qualitas ignis, puta caliditas, poſſit remitti ſecundùm aliquem gradum, ſequitur etiam quòd ſecundùm ſe totum, & ſic poterit eſſe ignis, & non calidus, quod eſt falſum. Sed ipſe Commentator ponit ipſam ſubſtantiam elementi remitti ſicut & qualitatem,

Probatur autem. Commentator probat quòd elementum aliqualiter maneat ſecundùm ſubſtantiam remiſſam. Et primò autoritate Philoſophi *primo Metaph. tex. com.* 4. qui vult, quòd elementum eſt ex quo componitur res, & in ea manet. *Elementum*, inquit, ſecundùm tranſlationem, *dicitur illud ex quo componitur res primò, & eſt in ea*, ergo elementum manet in mixto. Et vide ibi Commentatorem quomodo *elementum* multipliciter accipiatur.

Secundò probat hoc idem ratione, ſi elementa non manerent in miſto, ſed omnino corrumperentur aduenientе forma miſti, ſequeretur quòd materia prima immediatè ſuſciperet omnem formam ſine ordine, quod eſt inconueniens. Sed hæc ratio magis declarabitur infrà parum ante reſponſionem illius rationis.

[e] *Sed ipſe arguit contra ſe tripliciter*, probando quòd elementa non maneant in miſto, vt patet tertio Cæli com. 67. vbi arguit ſic primò, ſi elementum manet in miſto, ergo forma miſti aduenirет enti in actu compoſito ex materia & forma elementari, & ſic forma miſti eſſet forma accidentalis. Et ratio Commentatoris eſt ibi: *Dicamus igitur, quòd ſi eſſet*, ſcilicet quòd elementum maneret in miſto, neceſſe eſſet vt nullum ens generaretur ab eis diuerſum in forma ſubſtantiali, ſed tantùm in accidentibus, quia forma, quæ aduenit enti in actu, ſcilicet compoſito ex materia & forma, eſt forma accidentalis.

2. *Reſponſio Auerrois.* Ad hanc rationem reſpondet Commentator quòd benè verum eſt de forma, quæ aduenit enti in actu completo, hoc eſt, enti compoſito ex materia, & forma perfecta, & ſic forma ignis in *eſſe* perfecto non manet in miſto. Sed non eſt verum de forma imperfecta, & ſic in propoſito, elementa manent in miſto tantùm ſecundùm formas imperfectas & remiſſas. Vnde ſic dicit, *& ideò neceſſe eſt cùm ex eis generaretur vna forma, vt corrumpantur forma eorum ſecundùm medietatem, quoniam ſi corrumperentur ſecundùm totum, tunc prima materia reciperet primò, & eſſentialiter omnes formas, & non reciperet formas compoſitorum*, id eſt, miſtorum mediantibus iſtis coroporibus, quod eſt inconueniens apud Commentatorem.

Secunda ratio Commentatoris eſt contra hoc, quod dixit ſuprà, ſcilicet quòd forma ſubſtantialis elementaris poteſt remitti, quia hoc tantum conuenit formis accidentalibus, vnde ſic dicit in

litera: *Si igitur aliquis dixerit, quòd ſequitur ex hoc*, ſcilicet quòd ſuprà dixit, videlicet quòd formæ elementares, ſunt in mixto ſecundùm eſſe remiſſum, ex hoc ſequitur *quòd ſubſtantiales recipiant magis & minus, & hæc eſt expoſitio accidentium non formarum ſubſtantialium, dictum eſt enim in multis locis, quòd formæ ſubſtantiales non recipiunt magis & minùs.* Hæc ille.

Forma ſubſtantiales, an ſuſcipiant magis & minus.

Reſpondet Commentator quòd formæ ſubſtantiales perfectæ non ſuſcipiunt magis & minùs: tamen formæ ſubſtantiales, quæ ſe habent medio modo, quales ſunt formæ elementares in miſto, poſſunt ſuſcipere magis & minùs, vnde ſic dicit in litera: *Dicemus* (inquit) *quòd formæ iſtorum elementorum ſubſtantiales ſunt diminutæ à formis ſubſtantialibus perfectis, & quòd ſuum eſſe eſt medium inter formas* ſupple ſubſtantiales & perfectas, *& accidentia, & ideo non fuit impoſſibile, vt formæ earum ſubſtantiales admiſcerentur, & proueniret ex collectione earum alia forma, ſcilicet forma miſti, ſicut cùm albedo, & nigredo admiſcentur, fiunt ex eis multi colores, & cum hoc latuit Auicen.* &c. Hæc ibi.

3. Tertia ratio, quâ probat Commentator quòd forma elementaris non maneat in miſto, eſt, quia oportet receptiuum denudari à natura recepti, ergo oportet materiam carere omni forma ſubſtantiali, ad hoc quòd poſſit aliam recipere, vt formam miſti. Reſpondet Commentator circa medium commenti, quòd non oportet receptiuum denudari à toto genere recepti, ſed oportet denudari à natura ſpecifica recepti, dicit enim ſic: *Et diſſolutio*, inquit, *eſt quia non eſt neceſſarium in receptibili, niſi vt non habeat formam, quam recipit, non vt non habeat formam omnino.* Si enim materia ignis habet formam ignis, ſtante illa forma non poteſt aliam formam ignis recipere, loquitur ergo de eadem forma ſpecifica, & non præcisè de eadem numero. Sequitur, *quia igitur prima materia eſt receptibilis omnium formarum non debet habere aliam formam omnino, elementa verò, quæ non ſunt receptibilia omnium formarum cùm non recipiant ſe* (patet, quia ignis, vt ſic, non recipit formam aquæ) *non debent denudari à ſuis formis apud receptiones, ſed eſt neceſſarium tantum, vt denudentur à formis quas recipiunt, ſcilicet à formis miſti, & ideo omnis materia habens formam eſt receptibilis quarundam formarum tantùm.* Hæc illæ.

f *Contrà, tunc materia ſub forma aquæ exiſtens poſſet recipere formam ignis*, materia enim exiſtens ſub vna forma poteſt recipere aliam, ſequitur quòd ipſa exiſtens ſub forma ignis poſſet recipere formam aquæ.

4. *Reſponſio Auerrois.*

Ad hoc reſpondet Commentator generaliter, non aſſignando rationem. Ibi cùm dicit, *Elementa*, inquit, *quæ non ſunt receptibilia omnium formarum cùm non recipiant* ſe, &c. Sed ſpecialiter rationem huius aſſignat in fine commenti, quare, ſcilicet vnum elementum non poſſit recipere formam alterius elementi, quia formæ, inquit elementorum non recipiunt ſeipſas cùm ſint eiuſdem generis, contingit quòd non generantur ad inuicem, niſi cum recipiens exuit formam & recipit formam receptam, & ideò non ſunt elementa ad inuicem, ſcilicet receptibilia, ſcilicet quòd vnum recipiat formam alterius, vel è contra: ſed hoc non contingit in receptione formarum compoſitorum, id eſt, mixtorum, ſcilicet vt elementa: ſupple denudentur à ſuis formis, ſcilicet elementaribus apud receptionem formarum compoſitorum, id eſt, cum recipiunt formas mixtorum: & ratio huius ſequitur, formæ enim compoſitorum, ſcilicet mixtorum ſunt aliæ, id eſt, alterius generis à formis eorum, ſcilicet elementorum, formæ quidem eorum, ſupple, elementorum, licèt ſint diuerſæ, vt patet de forma ignis, & forma aquæ, tamen eodem ordine ſunt in ſubſtantialitate, ſcilicet quòd poſſibile eſt, vt quædam ſint materiæ formarum quarundam, id eſt quòd poſſibile eſt, quòd formæ elementares ſint materiæ receptiuæ formarum mixtorum. Et dicuntur formæ elementares eiuſdem ordinis, licèt ſint ſpecie diuerſæ, quia illæ ſunt natæ immediatè informare materiam, nulla alia forma præcedente in materia, ſed formæ mixtorum ſunt tantùm natæ informare materiam mediantibus formis elementaribus, & ideò dicuntur alterius ordinis à formis elementaribus, & hoc ſecundum intentionem Commentatoris. Sed quomodo formæ mixtorum dicuntur alterius ordinis à formis elementaribus patebit infrà, reſpondendo ad rationem Commentatoris.

g *Quòd autem neceſſe ſit ipſas intendi* ſupple formas ſubſtantiales elementorum *ad intenſionem qualitatum, non concludit ratio Commentatoris*, & dicendo quòd eadem eſt ratio totius & partis, quòd verum eſt, vt pars & totum comparantur ad inuicem, quia ſicut pars caliditatis poteſt remitti, ita & abſolutè tota: ſed vt comparantur ad ſubiectum, dicit quòd non valet, quia ſubiectum non determinat ſibi fortè aliquam partem, puta forma ſubſtantialis ignis aliquem gradum caliditatis, ſine quo ipſa non poteſt eſſe, vt declarat Doctor *diſt. 12. quarti.* Non valet ergo quòd ſi forma ſubſtantialis ignis ſit calida vt octo, quòd ſi aliquid gradus poteſt auferri aut remitti, quòd tota caliditas remittatur, poſſunt benè comparari ad aliquod ſubiectum, quod non habet cauſam intrinſecam, & neceſſariam alicuius determinatæ qualitatis, ſicut forma ſubſtantialis aquæ ſi fiat calida vt ſex, ſicut illa caliditas poteſt remitti ſecundùm vnum gradum, ita etiam ſecundùm totum; in igne verò non, quia forma ſubſtantialis ignis eſt cauſa neceſſaria alicuius determinatæ caliditatis, & ideò non poteſt eſſe ſine illa, vt patet à Doctor *in 4.* & dicit Doctor quòd elementum, puta ignis habet talem qualitatem, puta caliditatem, in quadam latitudine, ſed non præcisè ſub tali gradu, quia poteſt habere maiorem, vel minorem. Et addit text. *non ſequitur hoc corpus* &c. 5.

Sed in hoc videtur ſibi contradicere, quia expreſsè *in diſt. 12. huius* dicit quòd determinans ſibi aliquid ſecundùm genus, determinat eſſe ſecundum ſpeciem, &c. ergo ſi non determinat ſibi hoc, vel hoc de neceſſitate; ergo nec ſecundùm genus, nec ſecundum ſpeciem.

Similiter dicit ibi, quod contingenter ſe habet ad plura, vel ad omnia alicuius generis, contingenter ſe habet ad totum genus; ergo cùm hoc corpus contingenter ſe habeat ad hunc locum, vel illum, & ſic de aliis, contingenter ſe habet ad omnem locum, & ſic poterit eſſe ſine omni loco, quod eſt contradictio in dictis ſuis.

Dico, quòd nulla eſt contradictio, quia ibi *in diſt. 12.* concludit de potentia Dei abſoluta, quòd ipſe poſſet facere materiam ſine forma, ex quo contingenter ſe habet ad omnem; ſed non concludit de potentia creata, quia licèt materia contingenter 6. *Deus poteſt facere materiam, ſine forma.*

Speculare hæc omnia.

cingenter ſe habeat ad omnes formas, tamen quando agens naturale expellit vnam formam de materia,de neceſſitate cauſatur alia, licèt materia prima contingenter ſe habeat ad illam:patet,quia illam poteſt deperdere,& quando deperdit illam, ſtatim fit ſub alia, vt comparatur ad agens naturale. Sic dico in propoſito,quòd hoc corpus contingenter ſe habet ad omnem locum, & vt comparatur ad potentiam ſupernaturalem,poteſt fieri ſine,omni loco,vt expoſui contra dominum Auguſtinũ;ſi tamen comparetur ad potentiam creatam, dico quòd corpus quamuis contingenter ſe habeat ad omnem locum, tamen quando deſerit vnum locum, ſtatim fit in alio, non enim poteſt deſerere vnum locum quin formaliter expellat aliud corpus,& ſic ſubintrat illum locum, vt patet in quarto. Sic dico de qualitate reſpectu ignis vt comparatur ad agens ſupernaturale, tota poteſt ſimpliciter remitti;vt verò ad agens naturale eſt de neceſſitate ſub alio gradu illo,vel illo.

SCHOLIVM.

Doctor tenet nullo modo manere elementa in mixto ſubſtantialiter,remiſſa, vel non remiſſa. Primò,quia nec ex operatione,tranſmutatione,vel qualitate mixti hoc colligi poteſt. Secundò,eſſent duo ſuppoſita in quolibet mixto. Tertiò, eſſet penetratio in mixto, vel quælibet pars mixti,non eſſet mixta. Quartò,ex mixto deſinente,fit elementum,ergo & è contra.

5. DIco ergo ad quæſtionem [a] tenendo oppoſitum vtriuſque, quòd elementa non manent in mixto ſecundùm ſubſtantiam,ſiue remiſſam(ſicut dicit Commentator)ſiue non remiſſam, ſicut ponit Auicenna cuius ratio eſt, quia non eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate: nihil autem cogit ponere pluralitatem elementorum, vel formarum ſubſtantialium manere in mixto;quia non operatio, quæ maximè concludit formam,non enim operatio mixti,eſt eiuſdem ſpeciei cum aliqua operatione elementi;nec tranſmutatio,nam forma elementi,& forma mixti habent ſufficientem entitatem,vt vna ſit terminus vnius generationis, & alia alterius: vel vt hæc ſit terminus *à quo* corruptionis, & ille terminus *ad quem* generationis: ergo ſicut nihil poteſt eſſe ſub forma aëris,& ignis, ſic nec ſub iſtis,& mixti, nec etiam qualitas mixti hoc cogit puta frigiditas carnis:quia illa non eſt frigiditas aquæ,vel terræ.

1. Phy. & alibi.

4. Phyſ. & 8. Meta.

Item, forma elementaris [b] nata eſt cum materia conſtituere ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens in genere Subſtantiæ:ergo ſi ſint plures formæ elementares in mixto, quælibet conſtituet ſuppoſitum:& ſic in omni mixto eſſent plura ſuppoſita, quia ibi erit ſuppoſitum aquæ, & ſuppoſitum ignis, quorum quodlibet natum eſt per ſe ſubſiſtere: quod eſt inconueniens, inconueniens etiam eſt, quod ſubſiſtens poſſit habere duas formas ſpecificas,quarum vna non eſt nata perfici ab alia: hoc autem poneretur, ſi elementa ponerentur in mixto ſecundum formas ſuas.

Omne mixtum eſſet duo ſuppoſita ſi maneret forma elementi.

Item,omnem ſubſtantiam [c] corporalem conſequitur quantitas, quæ eſt propria paſſio ſubſtantiæ corporeæ: ſed forma elementi,quantuncunque remiſſa cum materia conſtituit ſubſtantiam compoſitam: ergo ipſam conſequitur propria quantitas, ſicut paſſio propria, ſed eadem propria paſſio non eſt plurium ſubiectorum: ergo in vno ſubiecto erunt plures quantitates,vt alia quantitas mixti, & alia elementi: & ita vel duo corpora erunt ſimul, vel quæcunque pars mixti, non erit mixta: & ita non erit mixtio niſi iuxtapoſitio.

Item,mixtum generatur [d] ex elemento, vel elementis, & corrumpitur in illa: ergo talis incompoſſibilitas eſt inter formam mixti, & formam elementi, qualis eſt inter terminum generationis *à quo*,& terminum generationis *ad quem*: ergo non compatiuntur ſe in eodem ſuſceptiuo ſimul forma mixti, & forma elementi, vnde ſicut impoſſibile eſt, quando ex aqua fit ignis, materiam perfici ſimul forma aquæ, & forma ignis:ita in propoſito.

COMMENTARIVS.

1. a *Dico ergo ad quæſtionem.* Sententia Doctoris ſtat in hoc, quòd ſi eſſet neceſſe elementum exiſtere in mixto ſecundùm ſuam ſubſtantiam,etiam in *eſſe* remiſſo,vel ſecundùm qualitates, hoc poſſet argui eſſe neceſſarium, vel ex ratione operationis mixti,vel ratione tranſmutationis,quæ maximè arguunt formam aliquam;ſed nullum iſtorum arguit. Si dicatur, quòd in tali mixto eſt caliditas, & per hanc caliditatem volumus arguere ſubſtantiam ignis eſſe ibi. Sed hoc non,quia caliditas mixti eſt alterius ſpeciei à caliditate ignis, quod patet propter diuerſos effectus,nam caliditas mixti hominis,puta cordis habet alium effectum, quem non habet caliditas ignis, quia ipſa caliditas cordis,vel corporis humani habet conuertere elementum in nutrimentum,& in carnem, vel ſaltem cauſare diſpoſitionem ad ſubſtantiam carnis, quâ poſitâ, ſequitur ſubſtantia carnis, hoc non poſſet caliditas ignis, patet;& multos alios effectus habet,quos nõ habet caliditas ignis;ideò per huiuſmodi operationem non poſſumus arguere neceſſarium in mixto eſſe

Reſponſiones ſubtiliſſimæ.

eſſe elementum. Non arguimus etiam in ipſo mixto duas caliditates alterius & alterius ſpeciei, ita quòd vna ſit ignis & alia mixti. Dico etiam, quòd tranſmutatio non eſt ratio arguendi ibi elementa eſſe ſubiectum generationis: ſi enim diceretur quòd elementa ſunt neceſſaria in mixto ex hoc, quòd forma mixti recipitur in illis tanquam in ſubiecto, hoc non videtur, quia forma mixti habet ſufficientem entitatem, vt ſit terminus generationis, & ſic talis terminus poteſt recipi immediatè in materia, ſicut dicimus, quòd forma ſubſtantialis ignis eſt ſufficiens terminus generationis ignis, & recipitur immediatè in materia: ſicut ergo forma ſubſtantialis ignis eſt ſufficiens terminus generationis ignis, & ſufficiens terminus *à quo* corruptionis ipſius, & ſicut non poteſt eſſe ſimul ſub forma aëris & ignis: ſic forma ſubſtantialis mixti eſt ſufficiens terminus *à quo* corruptionis mixti, & terminus *ad quem* generationis eiuſdem, & ſic materia mixti non poteſt eſſe ſimul ſub forma mixti, & ſub formis elementaribus.

2. b *Item forma elementaris.* Ratio eſt in hoc, quòd in mixto eſſent quatuor ſuppoſita, quod eſt omnino falſum. Sed iſta ratio non videtur multùm concludere, quia ſi ſic, ſequeretur quòd in eodem compoſito eſſent plura per ſe ſingularia, nam materia prima habet propriam ſingularitatem, vt patet ab ipſo, & etiam forma.

Similiter videtur contra ipſum *in 4. diſt. 12.* vbi tractat de pluralitate formarum: nam forma ſubſtantialis cum materia nata eſt facere vnum ſuppoſitum; ergo ſi in compoſito eſſent plures formæ ſubſtantiales, vt ipſe vult, puta in boue, vel in homine, tunc eſſent ibi plura ſuppoſita.

Dico, quòd hæc ratio concludit, quia eſt inconueniens, quòd plura ſuppoſita in actu conſtituant vnum tertium ſuppoſitum, & non eſt ſimile de ſingulari, quia ſingulare eſt communicabile ſaltem, vt *quo* vel vt pars *in primo diſtin. 2.* & ſic non eſt inconueniens, quòd duo ſingularia efficiant vnum ſingulare totale, ſeruata tamen eorum propria ſingularitate; nam habet homo conſtitutus ex anima & corpore etiam ſingularitatem animæ, & corporis. Suppoſitum autem eſt ſimpliciter incommunicabile, & vt *quo*, & vt *quod*, & non poteſt aliquo modo eſſe pars alicuius: quia tunc eſſet communicabile ſaltem, vt *quo* vt ſubtiliter probat Doctor *in primo, diſt. 2. & in quodl.* & ſic non eſt ſimile. Cùm verò infertur, igitur hoc compoſitum eſſet duo ſingularia, negatur conſequentia, quia etiam non ſequitur duæ albedines ſingulariter diſtinctæ ſunt in Franciſco, ergo Franciſcus eſt duo alba ſingularia.

Ad aliud, quòd forma ſubſtantialis nata eſt
3. conſtituere ſuppoſitum, dico quòd non quælibet forma ſubſtantialis conſtituit propriè ſuppoſitum maximè quando ordinatur ad aliam, ſicut patet in generatione hominis.

Dico vltrà, quòd ad ſuppoſitum requiritur quòd forma materialis habeat diſtinctam materiam ex qua & ipſa fiat vnum ſuppoſitum. Sed in
Nota. propoſito ſi plures formæ ſubſtantiales eſſent in eadem materia tantùm vnum ſuppoſitum conſtituerent: modò elementa & forma elementaris eſt nata facere proprium ſuppoſitum per ſe exiſtens perfectè, vt patet de elemento ignis, & illa forma elementaris non eſt propriè ordinata ad vlteriorem formam perfectiorem, ſicut ſunt multæ formæ in homine præcedentes animam intellectiuam, &c.

c *Item omnem ſubſtantiam.* Hîc Doctor ex hac ratione intendit reducere ipſum ad aliquod iſtorum inconuenientium, vel quòd ſcilicet duo corpora eſſent ſimul in eodem loco, vel quòd non eſſet vera mixtio, & declaro ſic: nam certum eſt quòd formam mixti conſequitur propria quantitas, & etiam formam ignis in mixto conſequitur propria quantitas, non enim ignis in mixto eſt quantus quantitate mixti, nec mixtum eſt quantum quantitate ignis; ergo ſi mixtum eſt perfectè mixtum ex elementis, ita quòd quælibet pars mixti ſit mixta, hoc non poterit eſſe, niſi per penetrationem dimenſionum, & ſic duæ dimenſiones eſſent in eodem loco, & ſimiliter ita aqua & terra habent propriam quantitatem in mixto: non enim aqua eſt quanta quantitate ignis, nec è contra; ergo ſi aqua & ignis, & terra ſunt perfectè mixta, cùm mixtio ſit miſcibilium vnio, ita quòd in qualibet parte mixti ſit ignis, aqua, & terra, ſequitur quòd dimenſio terræ aquæ, & ignis erunt in eodem loco per penetrationem dimenſionum ad inuicem, quod eſt inconueniens & contra Ariſtotelem 4. *Phyſi.* Etiam ſi ibi non ſit penetratio dimenſionum, ſequitur quòd non erit ibi perfecta mixtio, ſed magis iuxtapoſitio, & ſic nihil ad *B.*

d *Item mixtum generatur.* Intendit hîc Doctor quòd ex quo elementa (ex quibus generatur mixtum tanquam à termino *à quo*) non manent: & vltrà, quia in ipſa tanquam in terminum *ad quem* corrumpitur mixtum, ſicut ex igne generatur aër tanquam à termino *à quo*, ſequitur quòd adueniente forma aëris in materia ignis, quòd corrumpitur ipſe ignis: cùm ergo mixtum generetur ex elementis tanquam ex termino *à quo*, ſequitur quòd generatâ formâ mixti in materiâ elementorum, quòd formæ elementorum corrumpantur: patet, quia terminus *à quo* generationis & terminus *ad quem* ſunt incompoſſibiles. Nec valet dicere quòd *ly ex* notat habitudinem cauſæ materialis, & non habitudinem termini *à quo*, & ſic cum dicimus mixtum generari ex elementis debet intelligi tanquam ex ſubiecto generationis, ſicut dicimus quòd ignis generatur ex materia aëris tanquam ex ſubiecto generationis. Sed contrà, quia eo modo, quo aliquid generatur ex alio, vt ex ſubiecto, eo modo corrumpitur in illud tanquam in ſubiectum generationis: ſicut dicimus quòd compoſitum generatur ex materia tanquam ex ſubiecto generationis, ſic corrumpitur in materiam tanquam in ſubiectum generationis: ſed in propoſito, hoc non eſt verum; quia ſi mixtum generetur ex elementis tanquam ex ſubiecto generationis, tunc corrumperetur in illa tanquam in ſubiectum corruptionis, quod eſt manifeſtè falſum: nam quando mixtum corrumpitur non corrumpitur in elementa ſibi inexiſtentia tanquam in ſubiectum corruptionis: patet, quia de nouo generantur, vel vnum vel duo: non ſic quãdo ignis corrumpitur in materia inexiſtentè ſibi, quia ſeparatâ formâ ignis remanet ſimpliciter eadem materia, licèt ſub alia forma, non ſic corruptâ formâ mixti remanent ſimpliciter eadem elementa ex quibus generabatur; patet enim ad ſenſum, quòd quando vnum mixtũ corrumpitur, puta generatum ex quatuor elementis, non ſtatim videmus quòd ſint ibi quatuor elementa: & ſi hoc videremus illa de nouo

4. *Opinio Scoti.*

Quomodo mixtum generatur ex elementis.

genera

generarentur. Ordo enim naturæ talis eſt, quòd eadem materia non poteſt eſſe ſimul ſub duabus formis ſpecificis & vltimatis, quia certum eſt quòd forma ſubſtantialis ignis eſt talis forma, quòd conſtituit ipſum in ſuo eſſe ſpecifico & vltimato: quòd modò fiat ſub forma mixti, puta forma lapidis, quæ forma habet conſtituere ipſum in vltimo *eſſe* ſpecifico, hoc non videtur, quia ſicut forma aëris conſtituit ipſum in *eſſe* vltimato ſpecifico, & forma ignis ſimiliter ipſum igné non eſt poſſibile materiâ ignis eſſe ſimul ſub forma ignis & ſub forma aëris, ſic in propoſito.

5. Si dicatur: nonne eadem materia poteſt eſſe ſub pluribus formis ſubſtantialibus ſecundùm tenentes plures formas ſubſtantiales eſſe poſſibiles in eodem compoſito.

Dico, quòd nulla formarum præcedentium conſtituet aliquid in ſuo *eſſe* vltimato, & ſpecifico, cùm omnes tales ordinentur ad vlteriorem formam. Licèt enim homo ſit ſubſtantia, deinde corpus, deinde viuens, deinde ſenſitiuum, tamen nunquam habet *eſſe* perfectum & vltimatum, niſi per formam vltimatam, quæ eſt anima intellectiua, non ſic eſt de forma ignis & aquæ, quia conſtituunt in *eſſe* vltimato. Nec valet dicere vt nonnulli dicunt, quòd forma ignis ſecundùm eſſe intenſum conſtituit ipſum in *eſſe* vltimato; & ſpecifico; & ſecundùm tale eſſe non eſt in mixto, ſed ſecundùm *eſſe* remiſſum, & ſecundum tale *eſſe* remiſſum non conſtituit ipſum in tali *eſſe* vltimato, & ſpecifico. Sed hoc non intelligo, ita enim albedo vt duo, eſt ſpecificè albedo ſicut albedo vt quatuor; imò forma ſpecifica propria præſcindit à gradibus intrinſecis intenſionis, & remiſſionis; ergo forma ignis quantumcunque remiſſa erit forma ſubſtantialis, & ſpecifica nata conſtituere compoſitum in *eſſe* vltimato & ſpecifico, ſi modò intendatur illa forma non magis conſtituit ipſum, quantùm ad *eſſe* ſpecificum, licèt fortè quantùm ad perfectionem gradualem, quæ conſequitur naturam indiuiduorum. Si ergo per poſſibile ipſa anima bouis poſſet intendi, non magis conſtitueret bouem in *eſſe* ſpecifico, quàm ſi non intenderetur: & certum eſt quòd ipſe bos non poteſt eſſe pars alicuius, cùm habeat ſuum *eſſe* vltimatum, & ſpecificum per formam ſenſitiuam, etiam quantumcunque remiſſam: non vult ergo dicere quòd ſint in mixto ſecundùm formas ſubſtantiales in *eſſe* remiſſo, cùm ſit eadem difficultas de remiſſo ſicut de intenſo, propter rationem formalem conſtituendi in eſſe ſpecifico.

Lycheti bene ponderat verba Scoti.

SCHOLIVM.

Propter Philoſophum concedit elementa dici manere in mixto. Primò, propter conuenientiam naturalem cum eo. Secundò tanquam virtualiter vt imperfectius in ſuo perfectiore. Docet non neceſſariò quatuor elementa concurrere ad mixtum, nec mixtum gigni actione elementorum ſeſe corrumpentium. Primò, quia eſſet à non ente. Secundò, quia perfectius eſt elemento.

6. SEd tamen propter [e] verba Ariſtotelis, qui videtur dicere quòd elementa manent in mixto, oportet dicere quomodo manent. Dico ergo, quòd in omni genere eſt inuenire medium eiuſdem rationis cum extremis, vt patet *ex* 10. *Metaph.* & medium dicitur componi ex extremis, vt rubor ex albo, & nigro: & iſta compoſitio non eſt niſi conuenientia naturalis medij cum extremis, quæ non eſt extremi ad extremum, non ita quòd media qualitas habeat extremas partes ſui, imò eſt ita ſimplex ſicut extremum; & ideò ſicut qualitates extremæ dicuntur manere, vel habere *eſſe* in medio, & non dicitur quod extremum ſit in extremo, ita dico de forma mixti, quod in mixto dicuntur manere formæ ſubſtantiales elementorum, propter naturalem conuenientiam, quæ eſt formæ mixti cum elementis, quæ non eſt vnius elementi ad aliud.

[e] 1. *de Gen. t.com.84. & circiter. Tex.23.*

Quomodo elementum manere dicatur in mixto?

Item Ariſtoteles vult quòd forma generati, ſiue mixti, eſt actualior, & perfectior forma elementi, ita quod forma elementi inferior, & potentialior eſt: ideò dicuntur elementa virtualiter manere in mixto, ſicut imperfecta, & inferiora manent in ſuperioribus, in quibus non manent niſi virtualiter. Vnde Ariſtoteles poſtquam dixit quòd elementa manent in mixto, ſubdit, *Saluatur enim virtus eorum.* Dico ergo quòd elementa non manent in mixto ſecundùm ſubſtantiam, nec oportet dicere, quòd maneant ſecundùm qualitates ſuas, ſicut nec qualitates extremæ manent in medio: manent ergo in mixto, ſicut ſi diceretur, quod ſenſitiua, & vegetatiua manent in intellectiua.

Tex.84.

Pro exemplo iſto vide. Aug. de eccl. dogma. c. 14.

7. Sed quomodo generatur mixtum ex elementis? Dico, quòd non oportet neceſſariò quatuor elementa concurrere ad compoſitionem mixti. Aliquando enim mixtum fuit factum ex vno elemento. Patet per literam Gen. 1 *producant aquæ reptile*, &c. Quãdo etiam concurrunt [f] elementa ad generationem, non generatur mixtum per actionem illorum corrumpentium ſe mutuò: ſed oportet illa agere in virtute vniuerſalis agentis. Probo, quia quæro de inſtanti, in quo generatur mixtum, vtrùm in illo ſint omnia corrupta, vel adhuc manent? Si omnia ſint corrupta, & in illo iuſtanti, in quo inducitur forma ſubſtantialis mixti, eſt vera actio, & productio, & generatio: ergo mixtum generatur ex non ente. Si aliquod illorum maneat, ergo non corrumpunt ſe mutuo in generatione mixti & tunc etiam non generaretur mixtum niſi ex illo vnico.

Quomodo ex elementis generetur mixtum?

Mixtum non generari per elementum effectiuè.

Præterea, cauſa æquiuoca nobilior eſt ſuo cauſato: ſed elementa in inſtanti, in quo corrum

corrumpuntur, & in quolibet inſtanti ſunt imperfectiora ipſo mixto: ergo non cauſant, nec generant ipſum mixtum per actionem ſuam.

Reſolutio. Dico ergo, quòd quatuor elementa manent in vno mixto, virtualiter habente formam ſubſtantialem, continentem in virtute formas elementorum: non tamen ſecundùm ſubſtantiam, vt partes ſui: ſed propter prædictam conuenientiam, & continentiam virtualem: & pro hoc videtur eſſe Philoſophus, qui dicit, quòd manent potentia, & virtute.

Ad rationes opp. n. 2. Ad primum in oppoſitum, dico, quòd *alteratorum* eſt præteritum paſſiuum & verum eſt, quod mixtio eſt eorum, quæ fuerunt alterata; ſed quod dicitur, quod eſt vnio, debet ſic intelligi, quia omnis mixtio eſt quædam generatio, & per conſequens corruptio alterius: in generatione autem illius formæ mixti, dicuntur elementa vniri, ſecundùm virtutem, non ſecundùm ſubſtantiam: ita quòd aliqua forma producatur ex illis, quæ contineat vnitiuè qualitates illorum in virtutè: & non ſubſtantias in actu: manent ergo in mixto, ſicut ſi diceretur, quòd ſenſitiua, & vegetatiua manent in intellectiua. 8.

Quomodo mixtio eſt miſcibilium vnio?

Qualitates elementares non manere in mixto ſed ſimiles eis. Ad aliud, cùm dicitur: qualitates elementi non ſunt ſine elemento; dico, quòd in mixto ſunt qualitates ſimiles qualitatibus elementi: non eædem. Vnde eſt ibi conuenientia qualitatis elementaris, cum qualitate mixti: in mixto enim animato eſt calor, & alius, quàm in igne: licèt ſint in aliquo ſimiles. Calor enim ignis alterat ad ignem, & ille alius alterat ad carnem, non ad ignem. Vnde qualitas mixti eſt perfectior, quàm qualitas elementi.

al. & ſic omnia mixta vt plurimum habent talem qualitatẽ, quæ conuenit magis cum terra, quam cum alio elemẽto. Ad aliud de prædominante, dico, quòd prædominium elementi in mixto, attenditur, ſecundùm conuenientiam in qualitate naturali, quæ qualitas eſt principium motus, vt grauitas mouendi deorſum, non quod elementum ſit ſecundùm ſubſtantiam, vnde ſecundùm diuerſam mixtionem elementorum, concurrentem in generatione illa, aliquando mixtum magis conuenit in forma cum vno elemento, quàm cum alio: & ſic in qualitate ſimili, quæ eſt qualitas mixti, & non elementi: & ideò habet ſimilem modum conſequentem, & ſimilem actionem. 9.

Vnde ſi elementa eſſent actu in mixto, cum non eſſent ibi niſi cum ſuis qualitatib. magis eſſet motus violentus quãtum ad tria elementa quã naturalis. Ad aliud dico, quod dubium eſt, Vtrùm iſta corpora, quæ non nutriuntur, nec fluit aliquid ex illis, vt aurum, & huiuſmodi inanimata, habeant corruptionem intrinſecam, quæ vocatur *marcedo*, ſed de omnibus viuis manifeſtum eſt, quod habent corruptionem intrinſecam: quia nutriuntur propter reſtaurationem deperditi, ſed huius cauſa non eſt, quia habent in ſe contraria elementa in actu: quia extrema, vt ſunt in medio, non agunt ad corruptionem ſui, ſicut cùm ſunt in ſeipſis: non enim rubor, in quo dicuntur extrema manere corrumpit ſe magis, quam albedo, vel aliud extremũ.

Quomodo in animali eſt corruptio intrinſeca? al. quia calor naturalis conſumit humidum & partes materiales ſic exhalando conſumit ſe, & niſi reſtauretur moritur, ſi reſtauratur, redditur impurior. Sed quomodo tunc eſt in animali corruptio? Dico vno modo, quòd animalia habent partes multas organicas, & diuerſas: & in iſtis partibus organicis diuerſis, nihil prohibet eſſe qualitates contrarias alterantes ſe inuicem. Cor enim eſt calidum, & cerebrum eſt frigidum: & hepar etiam, vnde calor in corde, poteſt alterare frigiditatem hepatis, ſiue cerebri. Quando autem vltra debitam proportionem, augetur qualitas actiua vnius organi, ſupra qualitatem, & virtutem alterius; accidit infirmitas in animali ſi ſit pars minus principalis: & mors, ſi ſit principalis: niſi ei apponatur medicina iuuans partem debiliorem. Alio modo accidit corruptio ab intrinſeco, propter contrarietatem partium organicarum. Verum etiam propter corruptionem, quæ poteſt accidere in eadem parte, vt in digito ſunt diuerſæ qualitates: nam vna pars fluit, & alia refluit, quæ conuertitur in carnem per virtutem caloris naturalis, quæ debilitatur in agendo, cùm ſit actiuum naturale: & caro ſecundò genita non eſt ita pura, ſicut prima: & ideò magis eſt diſpoſita aditerum fluendum: & ſic tandem redditur improportionabilis animæ; & ſic ex iſta actione contraria, accidit corruptio intrinſeca in omnibus illis, quæ nutriũtur: licèt non haberent partes organicas diuerſarũ complexionũ.

Ad dictum Commentatoris de definitione elementi; dico, quòd definitio illa elementi poſita *in 5. Meta.* conuenit ſoli materiæ primæ generaliter: nam illa manet in re, quæ componitur ex ea.

Ad aliud cùm dicit, quod non eſſet ordo formarum, ſi elementum non maneret, quia immediatè quælibet perficeret materiam primam, Dico, quòd nihil prohiberet formam mixti æquè immediatè perficere materiam primam, ſicut formam elementi: & hoc loquendo de immediatione perfectionis, ſcilicet quod perficiat materiam non mediante alia forma: ſed non perficit immediatè, immediatione tranſmutationis. Natura enim ſeruat ordinem in tranſmutando, quia vna forma præcedit 10.

aliam

aliam in materia,quantùm ad fieri,& tranſmutari. Nam prius eſt materia ſub forma ſeminis,quàm ſanguinis: & ſanguinis, quàm carnis: & carnis, quàm hominis: ita quòd obſeruatur ordo formarum in tranſmutando,ſed non in eſſendo, & perficiendo,& ſic dico de formis elementorum,reſpectu formæ mixti. Forma enim mixti non perficit materiam mediante forma elementi, licèt ordo in tranſmutari: quia priùs materia tranſmutatur in forma elementi,quàm mixti,ita quòd non inducitur forma mixti,niſi præceſſerit forma elementi.

Vt inquit Auer. 1. Met. c. 17. quod materia recipit formas vniuerſales, & ſic deinceps.

COMMENTARIVS.

Quomodo elemẽta non maneant in mixto.

e *Sed tamen propter verba.* Vult hîc dicere quòd ipſa elementa non manent in mixto ſecundùm aliquid formæ ſubſtantialis, neque ſecundùm qualitates ſuas, puta quòd forma ſubſtantialis ignis non eſt ibi;ergo quando mixtum generatur ex igne, forma ſubſtantialis ignis totaliter deſinit eſſe; nec etiam ſunt ibi qualitates ignis,quia illæ corrumpũtur ad corruptionẽ formæ ſubſtantialis ignis:eſt ergo ibi ignis ſecũdum quandam conuenientiã(non dico tamen ſpecificã) quia ſicut aliquod mixtum poteſt habere operationes ſimiles,ſaltem in genere, operationibus ipſius ignis, ita dicimus quòd ignis eſt ibi propter talẽ conuenientiam: patet,quia dicimus,quòd homo,vel corpus hominis ſic mixtũ habet qualitatẽ iſtam, puta calefacere, & fortè exſiccare, nã cor hominis eſt valde calidũ,& valde calefacit. Non dico tamẽ quòd ille calor ſit eiuſdẽ ſpeciei cũ calore ignis; propter ergo iſtam conuenientiã operationum cũ elementis dicimus elementa manere in mixto,ſicut etiã dicimus quòd anima ſenſitiua eſt in intellectiua, ſicut in homine habente animã intellectiuam:non quòd ibi ſit realiter,nec aliquid ipſius, nec qualitas propria animæ ſenſitiuæ,ſed eſt ibi ſecundùm conuenientiam,& in virtute, quia anima intellectiua vnita corpori poteſt in ſimiles operationes, in quas & anima ſenſitiua,ſi eſſet verè vnita corpori: ſunt ergo elementa in mixto tantum virtualiter, & ſecundum conuenientiam.

2. f *Quando etiam concurrunt elementa*, patet litera,id eſt, quòd ipſum mixtum, quando generatur ex pluribus elementis, non generatur ex actione mutua. Hic Doctor ſupponit vnum dictũ iam ſuprà,quòd quando mixtum generatur ex vno elemẽto,vel ex pluribus,quòd in eodem inſtanti, quo generatur forma mixti,deſinit eſſe totaliter forma elementi. Dicit ergo,ſi mixtum generatur ex actione mutua aliquorũ elementorum,puta ex actione mutua ignis, & aëris,ita quod mutuo ſe corrumpant. Quæro tunc,aut in eodem inſtanti, in quo generatur forma mixti, ſunt corrupta iſta elementa; ergo non generant ipſum, quia quod non eſt generare non poteſt, nam certum eſt quòd ſemper generans, etiam in inſtanti, quo generat, eſt prius natura ipſo genito, vt aliàs expoſui in hoc ſecundo: cùm ergo in inſtanti *A* verè generetur mixtum, & in eodem inſtanti elementa ſunt corrupta, & generans,debet eſſe prius genito in inſtanti, quo generat, ſequitur quòd non ſunt ibi corrupta. Si vis dicere,quòd in inſtanti, in quo generatur forma mixti ſunt ibi elementa,ergo in generatione mixti non corrumpuntur, & ſic ſimul in eadem materia erit forma mixti,& forma elementaris, quod ſuprà improbatum eſt. Si dicas, quòd benè mixtum generatur ex actione mutua ignis, & aëris, ſic quod in inſtanti generationis mixti corrumpitur aër,& remanet ignis. Contrà,quia tunc nõ generatur mixtum ex actione corruptiua mutua ad inuicem. Tum etiam, quia tunc non generaretur ex aëre,& igne,ſi ignis remaneret, ſed tantùm ex aëre,& ſic non eſſet genitum ex pluribus elementis, quod eſt contra ſuppoſitum. A quo ergo generatur mixtum? Dico, quòd ab agente naturali alterante huiuſmodi elementa,quibus alteratis in vltima diſpoſitione corrumpit formas elementorum, & producit formam mixti: nam ſi mixtum generatur ex quatuor elementis, tunc aliquod agens naturale ſic alterat illa quatuor elemẽta ad inuicem, quòd tandem corrumpit illa, & in materia eorum producit formam mixti, ſic dico, cùm generatur ex tribus, vel duobus elementis.Sed difficultas eſt, ſi agens naturale poſſit generare mixtum ex vno elemento, ſicut in Geneſi. *Producant aquæ*, &c.de hoc aliàs.

A quo generatur mixtũ.

Secundò ſic: Si elementa, &c. Deducit enim ad hoc inuonueniens,quòd materia prima immediatè poſſet ſuſcipere omnem formam,ſucceſſiuè tamen, quod tamen eſt manifeſtè inconueniens, non enim videtur quòd materia prima immediatè poſſit tranſmutari ad omnem formam, quia materia prima exiſtens ſub forma aquæ,non immediatè poteſt tranſmutari ad formam vini, ſed oportet fieri prius ſub alia, & alia forma,ad hoc vt poſſit, fieri ſub forma vini:ergo ſi elementum, puta ignis,ex quo generatur, puta lapis, non remanet in ipſo lapide mixto, ſequitur quòd materia ipſius ignis immediatè tranſmutat ad formam lapidis, & ſicut dico de forma vnius mixti, ita de forma cuiuslibet alterius.quod eſt valde incõueniens. 3.

Materiam perficere cõtingit dupliciter.

Reſpondetur ibi; *Ad aliud cum dicit.* Et reſponſio ſtat in hoc, quòd immediatè perficere materiam contingit dupliciter, aut immediatione perfectionis;aut immediatione tranſmutationis:illa forma immediatè perficit materiã immediatione perfectionis, quæ perficit illam nulla alia forma mediante,& ſic dicimus quòd forma mixti poteſt immediatè informare materiam,ita quòd forma prꝫexiſtẽs in materia totaliter deſinit eſſe, & illa immediatè perficit,& hoc nullum eſt incõueniens,ſiue fiat modo per tranſmutationes, ita quòd ſemper forma prior corrũpitur per aduentum formæ poſterioris.Si verò loquamur de immediatione trãſmutationis eo modo,quo dicimus, quòd forma aquæ immediatè trãſmutatur ad formã ignis,ita quòd eſt ibi tantùm vna trãſmutatio, qua deperditur forma aëris, & generatur forma ignis, & hoc modo nõ omnis forma perficit materiã ſic immediatè, ſed mediãtibus multis trãſmutationibus,ſicut forma corporis organici non perficit materiam ſeminis immediatè, ita quòd materia ipſius ſeminis vna tantùm tranſmutatione

transmutetur ad formam corporis organici, sed priùs transmutatur ad formam lactis.

Nunc soluenda sunt argumenta principalia, quibus Doctor probat, * quòd elementa manent in mixto.

* n. 2.

Responsio Scoti.

Respondet ad autoritatem Philosophi, quòd *alteratorum* est præteritum passiuum, *&c.* Et sic potest exponi alia litera, cum dicit, *Hæc enim, neque corrupta esse necessarium*, quando mixta supplè sunt, quia in mixto manent virtualiter, & cùm infert, *neque adhuc simpliciter eadem esse, quæ prius*, quia supple elementa secundùm suum *esse* formale non manent in mixto, & hoc modo Auicenna dicit in commento suo, quòd elementa tantùm manent in mixto virtute. Vide ibi commentum 90.

Scotus est cũ Auicenna.

Ad secundum respondet concedendo, quòd qualitas elementi non est sine elemento, sed postea negat quòd qualitas mixti, puta humiditas, vel caliditas sit qualitas elementi, sed benè concedit, quòd est similis qualitati elementi.

Ad tertium respondet quòd si prædominium elementi in mixto attenditur secundùm conuenientiam in qualitate naturali, quæ qualitas est principium motus, vt grauitas respectu moueri deorsum, non quòd elementum sit secundum substantiam. Vnde secundum diuersam mixtionem elementorum concurrentium in generatione illa aliquando mixtum magis conuenit in forma cũ vno elemento, quàm cũ alio, & sic in qualitate simili, quæ est qualitas mixti, & non elementi, & ideo habet similem modum consequentem, & similem actionem.

DISTINCTIO XVI.

De productione hominis.

A

Is excursis, quod suprà de hominis creatione promisimus, effectui mancipare, atque ordine explanare nunc suscipimus: vbi hæc consideranda videntur, scilicet, quare creatus sit homo, & qualiter institutus, & qualis, & quomodo factus; deinde, qualiter sit lapsus: postremò, qualiter, & per quæ sit reparatus. Horum autem primò & secundò posita, id est, causam creationis humanæ, & modum institutionis, superiùs pro modulo nostræ facultatis tractauimus. Ideóque supereſt, vt qualis, vel quomodo factus sit, discutiamus. In Genesi legitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, &c. In eo quod dicit, *Faciamus*, vna operatio trium personarum ostenditur: in hoc verò quod dicit, *Ad imaginem & similitudinem nostram*, vna & æqualis substantia trium personarum monstratur. Ex persona enim Patris hoc dicitur ad Filium & Spiritum sanctum, non, vt quidam putant Angelis: quia Dei & Angelorum non est eadem imago vel similitudo.

August. lib. de Gen. ad literam 3. c. 19. Gen. 1. c. Beda.

Quomodo intelligendum est, Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostram.

Quod imago & similitudo hic à diuersis accipitur variè: à quibusdam increata, & ab aliis creata, & increata, vel essentia trinitatis, vel Filius, vel Filius & Spiritus sanctus.

B

IMago autem & similitudo in hoc loco, vel increata intelligitur, id est, Trinitatis essentia, ad quam factus est homo: vel creata, in qua factus est homo, & ipsa homini concreata. Increatam enim imaginem, quæ Deus est, intellexisse videtur Beda cùm dicit, [non esse vnam imaginem Dei & Angelorum, sed trium personarum: & ideò personis non Angelis fit ibi sermo.] Impropriè tamen imago dicitur, quia imago relatiuè ad aliud dicitur cuius similitudinem gerit, & ad quod repræsentandum facta est,

Beda super Genesim.

eſt, ſicut imago Cæſaris, quæ ipſius ſimilitudinem præferebat, ipſúmque quodammodo repræſentabat. Propriè autem imago dicitur, id quod ad aliud fit : ſicut exemplum propriè dicitur quod ſumitur ex aliquo, & exemplar ex quo ſumitur aliquid. Ponitur tamen & aliquando abuſiuè alterum pro altero: ita & minus propriè accipitur imago eſſentia trinitatis, ſi tamen ea nomine imaginis in hoc loco intelligitur.

Opinio eorum qui putauerunt filium per imaginem *&* ſimilitudinem *hîc accipi.*

C Filius verò propriè imago Patris dicitur, ſicut ſuprà in tractatu de Trinitate diximus. [Vnde fuerunt nonnulli qui ita diſtinxerunt, vt imaginem in hoc loco intelligerent filium : hominem verò non imaginem, ſed ad imaginem factum dicerent: quos refellit Apoſtolus dicens, vir quidem eſt imago & gloria Dei. Hæc namque imago, id eſt, homo cùm dicitur fieri ad imaginem, non quaſi ad Filium dicitur fieri: alioquin non diceret ad imaginem noſtram. Quomodo enim noſtram diceret, cùm filius ſolius Patris imago ſit?] Fuerunt autem & alij perſpicacius hæc tractantes, qui per imaginem filium, & per ſimilitudinem Spiritum ſanctum intelligerent, qui ſimilitudo eſt patris & filij. Et ideo pluraliter putauerunt dici noſtram, id referentes ad ſimilitudinem tantum: ad imaginem verò, ſubintelligendum eſſe meam. Hominem verò & imaginem eſſe, & ad imaginem & ſimilitudinem factum eſſe tradiderunt : & imaginem imaginis eſſe & ſimilitudinis.

Diſt. 27. primi lib. lit. e.

Aug. in 7. lib. de Tri. c. 6. in fine

1. Cor. 11. b.

Aliorum opinio.

Nec horum nec illorum ſententiam approbat, ſed imaginem & ſimilitudinem Dei in homine quærendam & conſiderandam docet, vt imago & ſimilitudo creata intelligatur.

D Veruntamen hæc diſtinctio, licèt reprobabilis penitus non videatur, quia tamen de medio montium, id eſt, auctoritatibus Sanctorum non manat, congruentiùs in ipſo homine imago & ſimilitudo Dei quærenda eſt & conſideranda. Factus eſt ergo homo ad imaginem Dei & ſimilitudinem, ſecundùm mentem qua irrationabilibus antecellit: ſed ad imaginem ſecundùm memoriam, intelligentiam, & dilectionem. Ad ſimilitudinem, ſecundùm innocentiam & iuſtitiam: quæ in mente rationali naturaliter ſunt. Vel [imago conſideratur in cognitione veritatis, ſimilitudo in amore virtutis.] vel imago in aliis omnibus, ſimilitudo in eſſentia: quia & immortalis & indiuiſibilis eſt. Vnde Auguſtinus *in libro de quantitate animæ*, [Anima facta eſt ſimilis Deo : quia immortalem & indiſſolubilem fecit eam Deus.] Imago ergo pertinet ad formam, ſimilitudo ad naturam. [Factus eſt ergo homo ſecundùm animam ad imaginem & ſimilitudinem non Patris, vel Filij, vel Spiritus ſancti, ſed totius Trinitatis] [ita & ſecundùm animam dicitur homo eſſe imago Dei, quia imago Dei in eo eſt. Sicut imago dicitur & tabula, & pictura quæ in ea eſt: ſed propter picturam quæ in ea eſt, ſimul & tabula & imago appellatur : ita propter imaginem Trinitatis etiam illud in quo eſt imago, nomine imaginis vocatur.]

Pſal. 103. in quibus cõſideratur imago & ſimilitudo.

Aug. lib. de ſpiritu & anima, c. 10

Cap. 2. to. 1 Aug. de verbis Domini ſerm. 63.

Auguſt. in 15 lib. de Trin. c. 2. in fine.

Quare homo dicitur imago, & ad imaginem: Filius verò imago, non ad imaginem.

E QVocirca homo & imago dicitur, & ad imaginem: Filius autem imago, non ad imaginem: quia natus & non creatus: æqualis, & in nullo diſſimilis: homo creatus eſt à Deo, non genitus, non paritate æqualis, ſed quadam ſimilitudine accedens ei. Vnde Auguſtinus *in lib. 7. de Trin.* [In Geneſi legitur, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Faciamus* & *Noſtram* pluraliter dixit; & niſi ex relatiuis accipi non poteſt, vt facere intelligantur Pater & Filius & Spiritus ſanctus ad imaginem Patris & Filij & Spiritus ſancti, vt ſubſiſteret homo imago Dei. Sed quia non omnino æqualis fiebat illa imago, tanquam non ab illo nata, ſed ab eo creata, ideò ita imago dicitur quod & ad imaginem: quia non æquatur paritate, ſed accedit quadam ſimilitudine. Filius autem eſt imago, ſed non ad imaginem, quia æqualis Patri. Dictus eſt ergo homo, ad imaginem, propter imparem ſimilitudinem. Et ideò noſtram, vt imago Trinitatis eſſe homo intelligatur, non Trinitati æqualis, ſicut Filius patri.] Ecce oſtenſum eſt ſecundùm quid ſit homo ſimilis Deo, ſcilicet ſecundùm animam. [Sed & in corpore quandam proprietatem habet, quæ hoc indicat: quia eſt erecta ſtatura, ſecundùm quam corpus animæ rationali congruit, quia in cælum erectum eſt.]

Cap. 6. in fine.

Aug. lib. de Gen. ad lit. 6. c. 12. Et lib. de Gen. cõtra Manich. 1. c. 17. in fine tomo 1.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm imago Trinitatis conſiſtat in tribus potentiis animæ rationalis realiter diſtinctis?

Alenſis 2. *p. q. 65. m. 1.* D. Thom. 1. *p. q. 77. ar. 1.* Heruæus *quodl. 1. q. 9.* Capreol. 1. *d. 3. q. 3. &* Conimbri. 2. *de anima c. 3. q. 4. aiunt potentias diſtingui ab anima realiter.* D. Bon. 1. *d. 3. q. 3.* Dur. *ibi q. 2.* Greg. *hic q. 3.* Occam. *q.* 24. Gabr. *q. 1. & omnes Nominales negant. cum* Scot. *hic & 4. d. 44. q. 2. eiuſque diſcipulis. Vide* Alen. 2. *p. q. 55. m. 4.* D. Tho. 1. *p. q. 93. a. 1.* D. Bon. *hic art.* 1. *q. 1.* Richar. *q. 1.* Dur. *q. 1.*

CIrca diſtinctionem decimam ſextam, quæro: Vtrùm imago Trinitatis conſiſtat in tribus potentiis animæ rationalis realiter diſtinctis? Quòd ſic videtur, quia in Trinitate, perſonæ ſunt realiter diſtinctæ: ſed imago Trinitatis eſt in anima hominis: ergo anima hominis habet tria realiter diſtincta, ſed non ſunt actus, quia imago eſt perpetua, cuiuſmodi non ſunt actus: ergo ſunt potentiæ, quæ ſunt realiter diſtinctæ. 1.

Arg. 1.

Item, *ſecundo de Anima*, potentiæ diſtinguuntur per actus, ſed actus illarum potentiarum, in quibus eſt imago Trinitatis, ſunt realiter diſtincti; ergo & potentiæ.

Arg. 2. Text. 33.

Item, quorum eſt identitas realis, eorum eſt prædicatio vera, prædicando hoc eſſe hoc: ſi ergo intellectus, & voluntas eſſent idem realiter, hæc eſſet vera, intellectus eſt voluntas, quod eſt inconueniens.

Arg. 3.

Quod ſi non habeatur pro inconuenienti. Contrà, ſi intellectus formaliter eſſet voluntas, quicquid formaliter conueniret alicui per vnum illorum, conueniret ſibi per alterum: ergo ſicut aliquis dicitur intelligere per intellectum, ita dicetur intelligere per voluntatem, & per idem probatur concluſio principalis, quod non ſint idem realiter, quia tunc quod realiter conueniret vni, realiter conueniret alteri.

Contrà Auguſt. 14. de Trin. c. 8. *In eo quærenda eſt imago: quo, in anima noſtra nihil eſt melius:* ſed eſſentia animæ nihil eſt melius; ergo potentiæ, in quibus eſt imago, non 2.

Ratio opp.

differunt

differunt ab eſſentia realiter: quia ſi ſic, tunc eſſentia animæ,quæ eſt ſubſtantia ſimplex,& indiuiſibilis eſſet melior ipſis.

Prætereà, anima eſt immaterialis intrinſecè, & per eſſentiam ſuam: ergo per eſſentiam eſt intelligibilis, & intellectualis, ſiue intelligens, ſecundùm illam propoſitionem Proculi famoſam: *Omne immateriale, eſt ſupra ſe conuerſiuum*: & ſic intelligens,& intellectum, ſunt idem realiter in anima: ergo potentia non differt ab eſſentia,& ſic erit de aliis: quare nec inter ſe. *Ratio 2.*

Prætereà Auguſtinus 15.*Trin.c.6. & 7. de paruis*, dicit, quòd memoria pertinet ad imaginem, quia repræſentat Patrem: & intelligentia ſimiliter, quia repræſentat filium. Cuius rationem aſſignat, quia memoria perfecta, eſt principium ſufficiens intellectionis,tanquam actus primus: ſed actus primus eſt principium operationis:ergo memoria, & intelligentia,quæ ſunt principium operationis, non differunt realiter,& ſic erit de voluntate. *Ratio 3.*

SCHOLIVM.

Refertur ſententia D.Thomæ & aliorum dicentium potentias diſtingui ab anima realiter, iuxta varios eius dicendi modos, ponuntúrque variæ variorum pro illa ſententia probationes.

3. HIc eſt vnus a modus dicendi, quòd intellectus, & voluntas, ſunt duæ potentiæ realiter diſtinctæ inter ſe,& ab eſſentia animæ(de memoria modò non loquor) paſſiones enim animæ ſunt illæ duæ potentiæ,& proprietates, & accidentia fluentia ab ipſa: accidens autem realiter differt à ſubſtantia. Alius modus dicendi eſt, quod iſtæ potentiæ non ſunt accidentia animæ: ſed partes eſſentiales eius. Primus modus tenetur à multis,& probatur ſic ab vno antiquo Doctore. Potentia, & actus pertinent ad idem genus: ſed actus potentiarum iſtarum,ſcilicet intelligere,& velle,ſunt accidentia animæ: ergo & potentiæ animæ. *Quære D. Bon. & alios hic & Goff. D. Tho. 1. par. ſum. q. 77.ar. 2.*

Prætereà, ſi anima ſecundùm ſuam eſſentiam ſit immediatè principium operationis,cum ſemper ſit in actu,quia eſt actus, ſemper ageret,& operaretur: igitur habens animam ſemper intelligit, ſicut habens animam, vel eſſentiam animæ, ſemper viuit.

Vnus Doctor modernus addit talem rationem, Nullum ſimplex creatum poteſt eſſe immediatum, & totale principium diuerſarum operationum, & hoc probat in illo vbi magis videtur, nam materia vna, & ſimplex, non poteſt ſecundùm ſe eſſe principium receptiuum diuerſarum formarum, alterius rationis, niſi mediantibus perfectionibus & diſpoſitionibus quibuſcam, determinantibus ipſam ad diuerſas formas: alias enim quodlibet poſſet fieri ex quolibet, quod eſt impoſſibile,vt patet *primo Phyſ.* & multò minùs in potentiis actiuis: igitur vna eſſentia ſimplex, non poteſt eſſe principium immediatum diuerſarum operationum, cuiuſmodi ſunt intelligere,& velle: ergo hoc erit per potentias realiter diſtinctas. *Heruæus quodl. 1. q. 9.* *Text. 37.*

4. Vnus alius modernus, ponit rationem talem: Accidens variabile non ineſt ſubſtantiæ, niſi mediante accidente inuariabili; intelligere, & velle, ſunt accidentia variabilia,& conueniunt animæ mediante intellectu,& voluntate: ergo.Maior probatur,quia maior diſtinctio, vel differentia non procedit ab vnitate, niſi mediante aliqua diſtinctione minori. *Ægidius quodl. 3. q. 10.*

Prætereà, apponitur ratio talis: Agens per eſſentiam ſuam, vel ſemper agit, vel ſemper poteſt agere: ſed anima cùm in operando maximè dependeat ab alio agente,non poteſt ſic ſemper agere: igitur quo agit, non eſt eſſentia.

Prætereà, ſicut *eſſe* ad eſſentiam, ita *operari* ad potentiam; igitur per commutationem proportionis, ſicut *eſſe* ad *operari*, ita eſſentia ad potentiam: ſed in omni creato, *eſſe* realiter differt ab *operari*; ergo & eſſentia à potentia.

Prætereà, hoc oſtenditur per Auguſtinum *de Spiritu, & anima*, per Ariſtotelem *in Prædicamentis*, per Simplicium *ſuper Prædicamenta,cap. de Qualitate*, & per Damaſcenum *in Logica ſua*, qui omnes ponunt potentias naturales in ſecunda ſpecie Qualitatis: igitur ſunt accidentia.

Prætereà, Commentator 1. *de Anima* dicit, quòd anima diuiditur in has potentias, ſicut pomum in colorem, odorem, & ſaporem; talis eſt in accidentia: ergo. *Comm. 92.*

Præterea, quod recipit magis, & minus, non eſt ſubſtantia: ſed iſtæ potentiæ recipiunt magis, & minùs: ergo, &c. Maior patet in Prædicamentis. Minorem videtur ponere Auguſtinus 15. *de Trin. c.* 23.

Præterea Anſelmus *de caſu diab. c.* 8. dicit quòd potentiæ iſtæ, etſi non ſunt ſubſtantiæ: non ſunt tamen nihil.

SCHOLIVM.

Doctor fusè & clarè ſoluit, & refutat rationes omnes adductas: ſuadentes potentias realiter diſtingui ab anima.

Potentia dupliciter ſumitur.

RAtiones iſtæ non cogunt: & cùm pluralitas non ſit, ſine ratione cogente ponenda: ergo. Ad primam dico, quòd ibi eſt æquiuocatio de *potentia*. Nam *potentia*, vno modo eſt principium operandi; & ſic diuiditur in potentiam actiuam, & paſſiuam, 5. & 9. *Metaph.* Alio modo accipitur, vt diuiditur contra actum, & hoc modo potentia & actus non ſunt tantùm eiuſdem ſpeciei, ſed etiam eiuſdem numeri, vt dicitur 9. *Metaph.* Illud enim indiuiduum, quod nunc eſt in actu; illud idem fuit in potentia. Potentia autem primo modo, eſt principium tranſmutandi aliud inquantùm aliud, vel ab alio inquantùm aliud. Cùm ergo dicitur, quòd potentia, & actus ſunt eiuſdem generis, falſum eſt de potentia, quæ eſt principium tranſmutationis: quia accidens immediatè recipitur in ſubſtantia; aliter eſſet proceſſus in infinitum. ergo potentia paſſiua, vel actiua ſic accepta non eſt eiuſdem generis cum ſuo actu. Hoc etiam probatur per Ariſt. 7. *Metaph. in fi.* qui dicit, quòd ſubſtantia non producitur in *eſſe*, niſi à ſubſtantia præexiſtente in actu, ſed quantum, vel quale producitur in *eſſe*, nullo quanto, vel quali præſuppoſito in actu ſed in potentia tantùm; ergo ſecundùm ipſum ſubſtantia ponitur immediatè eſſe effectiua accidentis. 5.

Text. 17. *Tex.* 2. *&* 3. *& inde. Tex.* 13. 3. *Phyſ. t. c.* 8. *vide comm.* 8. *Met. c.* 15. *De hoc ſupra d.* 12. *Tex. c.* 31. *& vlt.*

Subſtantia immediatè facit accidens.

Item, iſte ponit in anima virtutem actiuam reſpectu iſtarum potentiarum; quia fluere ab eſſentia attribuitur virtuti actiuæ eſſentiæ.

Vide 1. *Phyſ. t. c.* 80.

Similiter Doctor iſte ponit in tertio ſuo, quòd eſſentia animæ eſt immediatum principium, & proximum receptiuum iſtarum potentiarum, quantuncunque ſint accidentia, ſecundùm ipſum, & tamen ſecundùm ipſum non ſunt in eodem genere, cùm eſſentia animæ; ergo receptiuum non ſemper eſt eiuſdem generis, cum recepto; vel receptiuum actus, & ipſe actus.

Receptiuũ non ſemper eſt eiuſdem generis cũ recepto.

Secunda ratio non valet, non enim ſequitur, anima ſecundùm ſuam eſſentiam eſt actus; igitur habens ipſam ſemper operatur, vel poteſt operari ſemper, ſed benè ſequitur, ergo ſemper eſt in actu, nec eſt ſimile, de dare vitam, & operari, quod ſcilicet, ſicut eſt principium viuendi per eſſentiam, ita eſt principium operandi per eſſentiam, &c. quia anima eſt principium formale quo viuum eſt viuum, quia ipſa formaliter dat eſſe viuum: ſed anima eſt principium operationis, ſecundùm quòd reducta ad genus cauſæ efficientis: & ſicut ars ſe habet ad effectum, ſcilicet in genere principij effectiui. Eſt igitur ibi æquiuocatio, quantùm ad *immediationem*. Vno enim modo eſt ſic & alio modo non ſic. Eſt enim anima immediatum [d] principium formale eſſendi, & immediatum principium operandi: ſed non ſimiliter ſe habet ad cauſam formalem & ad effectiuam, non enim oportet quòd habens formam, ſit ſemper in actu ſecundo.

Anima eſt principium formale viui, efficiens operationis

Tu dicis, actus non eſt [e] immediatum principium recipiendi actum: falſum eſt, & etiam contra te, ſicut contra me: quia eſſentia, & ſubſtantia, quæ eſt actus, eſt receptiua actus alicuius accidentalis, ſcilicet potentiæ, quæ eſt forma quædam & actus in anima ſecundùm eos: nec eſt maius inconueniens quàm de forma ſubſtantiali, quæ eſt propria ratio recipiendi propriam paſſionem: ſicut propria forma hominis, eſt ratio recipiendi riſibilitatem.

Tex. com. 5. *&* 14. *de hoc* 1. *d.* 3. *q.* 7.

Præterea, ſi actus non poteſt recipere actum: cùm omnis potentia naturalis animæ ſit quidam actus, nulla recipiet actum. Sed dicunt [f] quòd anima non recipit actum per potentiam, quæ ſit actus inquantùm huius: ſed per potentiam intellectiuam, quæ non eſt actus, ſed potentia pura; vt dicitur tertio de Anima, quòd intellectus ante ſuum *intelligere*, nihil eſt de numero intelligibilium: ſed eſt ſicut materia prima Hoc nihil eſt, quia omnes ponunt, quòd intellectus eſt quidam actus.

Præterea, omnes ponunt, quod accidens ſimpliciter non recipitur, niſi in entirate 7.

tate actuali, quæ eſt neceſſariò ſubiectum accidentis, non in potentia pura, quam ponis eſſe intellectum.

Præterea, ſi intellectus eſſet potentia pura, ſequeretur quòd tot eſſent intellectus in homine, quot intellectiones: quia pura potentia, eſt variabilis ſicut actus ſunt varij, dicente Ariſtotele 3. Phyſi. quod *poſſe ſanari, & poſſe ægrotare differunt ſicut ſanari, & ægrotare.* Similiter ipſe ponit, quod eſt accidens de ſecunda ſpecie qualitatis: ergo eſt actus: aliter non qualificaret.

Tex. c. 10.

Ad illud autem Philoſophi 3. *de Anima*: [a] dico, quòd illa propoſitio eſt diſtinguenda, ſecundùm amphibologiam: eo quòd ly *antè*, poteſt conſtrui cum ly *intelligere*: & tunc propoſitio eſt vera ſub hoc intellectu: intellectus nihil intelligit ante intelligere, vel intellectus non eſt potens de propinquo ſeipſum intelligere, ante intelligere aliorum intelligibilium. Si autem conſtruitur cum ly *poſſe*, vel cum ly *poſſibilis*, ſic eſt propoſitio falſa: quia tunc eſſet ſenſus, quòd non eſt poſſibile, quòd habeat intelligere. Quod additur de materia: dico, quòd hoc non concludit, niſi quòd intellectus non eſt primò intelligibilis à ſe. 8.

Vide ſup. d. 3. q. 8.

Ad tertium, idem ſimplex non poteſt eſſe principium diuerſarum operationum; Falſum eſt: tunc enim ſubſtantia animæ, non poſſet eſſe immediatum receptiuum trium potentiarum.

Dices, [h] quòd verum eſt æquè primò, ſed quodam ordine, ſic quod vna recipitur mediante alia vel prius natura alia. Hoc non valet, quia vna forma in corporalibus, non eſt principium recipiendi aliam, vt raritas, non eſt principium recipiendi calorem, etiamſi priùs recipiatur: nec calor in igne, vel in ligno, eſt ratio receptiua leuitatis: quia ſi ſic, nuſquam poſſet inueniri leuitas niſi eſſet ibi calor, ex quo eſſet per ſe ratio recipiendi ipſam. Sic in propoſito, [i] ſi vna priùs alia recipiatur: tamen immediatè intelligere, & velle, in eodem ſuſceptiuo recipiuntur: ſcilicet in eſſentia animæ.

Vide D. Th. 1. p. q. 77. a. 4. in ſolutione prim.

Quod dicis de materia, quòd non recipit diuerſas formas, niſi diuerſimodè determinata: hoc poſito habetur propoſitum, quia ſaltem immediatè recipit iſta abſoluta. 9.

Et quod dicis, [k] quòd mediantibus illis recipit, falſum eſt, quia quod eſt per ſe receptiuum, vel per ſe ratio recipiendi formam ſubſtantialem, eſt de ſubſtantia compoſiti: igitur illud abſolutum, quod determinat materiam, vel eſt forma ſubſtantialis: & tunc ſunt plures formæ ſubſtantiales in eodem, quod tu negas: quia prima faceret ens vnum per ſe cum materia, & ſic ſecunda aduenire enti in actu, & ita eſſet accidentalis, vel ſi eſt ſimpliciter accidens, hoc eſt impoſſibile: quia tunc de ratione compoſiti, quod eſt in genere ſubſtantiæ, eſſet accidens.

D. Thom. negat plures formas in eodem. 1. p. q. 76. a. 3. Vnde Conimb. 1. de gen. c. 4. q. 19.

Ad aliud [l] quæro vtrùm potentia ſit variabilis vel non? ſi non, cùm anima ſit ita inuariabilis ſicut potentia, ipſa poterit immediatè recipere actus variabiles, ſicut potentiæ. Si autem potentia eſt variabilis, non poteſt per te recipere variabile, niſi immediante inuariabili, cuiuſmodi eſt eſſentia: ergo.

Ad aliud dico [m] quòd agere per eſſentiam eſt dupliciter. Vno modo, idem eſt, quod in agendo non dependere ab alio, & non habere eſſentiam per participationem: & ſecundum hoc, maior eſt vera: ſed minor falſa. Alio modo idem eſt quod non per accidens, ſiue per additum, licet dependeat: & ſecundum hoc, maior eſt falſa, & hoc patet per Auic. 6. Metaph. c. 2. qui dicit, quod virtutes aliquæ ſunt agentes non per additum. 10.

Agere per eſſentiam ſtat dupliciter.

Ad aliud dico [n] quod maior propoſitio eſt falſa, ſicut ſe habet eſſe ad eſſentiam, ita operari ad potentiam: quia eſſe eſt idem realiter cum eſſentia non progrediens ab eſſentia: actus autem, vel operari, eſt progrediens à potentia, nec eſt idem ſibi realiter. Sed ſi argueres ſic, ſicut eſſentia ad eſſe, ſic potentia ad poſſe: igitur ſicut eſſentia eſt potentia, ſic eſſe eſt poſſe, concederetur argumentum. Auctoritates ſoluentur inferius, quia ſolutio earum dependet à ſolutione quæſtionis.

COMMENTARIVS.

1. INtentio principalis huius diſtinctionis eſt, an potentiæ animæ realiter diſtinguantur ab ipſa anima, & à ſeipſis inuicem?

Opin. D. Bonau. & aliorum.

a *Hic eſt vnus modus dicendi*, & eſt S. Bonauenturæ & aliorum antiquorum hîc, & maximè Gottifredi, Thomæ *prima parte ſumma, queſt. 77. art. 1.* quòd intellectus, & voluntas ſunt duæ potentiæ realiter diſtinctæ inter ſe, *&c.*

2. *Potentia potest tripliciter accipi.*

b *Ad primam dico*, &c. Sententia literæ stat in hoc, quòd *potentia* potest tripliciter accipi. Primò pro potentia obiectiua, de qua suprà *dist.* 12. quæ distinguitur contra actum; & sic potentia, & actus diuidunt ens, loquendo de tali potentia, dico quòd simpliciter pertinet ad idem genus etiam, ad eandem speciem, etiam ad idem indiuiduum, ad quæ pertinet actus oppositus, sicut Antichristus, qui nunc est in potentia obiectiua, erit ille idem, qui erit actu; sed hæc est sola differentia, quia vt est in potentia obiectiua habet tantum *esse* possibile, & secundùm *quid*, vt verò est in actu, habet *esse* simpliciter, & sic loquitur Aristoteles 9. *Meta. tex. com.* 2. 23. & inde de actu, & potentia: & hoc modo intellectus, & voluntas non dicuntur potentiæ, quia tunc nihil essent.

Potentia vt est principiũ operationis, accipitur dupliciter.

Secundo modo accipitur *potentia*, prout est principium operationis; & hoc dupliciter, vel receptiuum operationis, vel productiuum actionis: & tale de necessitate est in actu, vt patet suprà *d.* 12. & tale non est communiter eiusdem generis cum operatione, quam recipit, vt patet, quia substantia recipit accidens. Aliquando potest esse eiusdem generis, vt puta materia recipit formam substantialem, vt patet suprà *dist.* 12. Aliquando potest esse alterius generis, & hoc modo potentiæ animæ sunt immediatè potentiæ receptiuæ suarum operationum, vt patet à Scoto in pluribus locis, & secundùm communem opinionem & talis potentia receptiua est alterius generis ab operatione, quam recipit, vt patet, quia ipsa potentia est in prædicamento Substantiæ, & operatio in prædicamento Qualitatis: volitio enim, & intellectus sunt in prædicamento Qualitatis absolutè, vt patet à Scoto in pluribus locis, maximè in quarto, *dist.* 10. & *q.* 13. *quodl.* Vel accipitur potẽtia, quæ est principium operationis, vt est principium non tantum receptiuum, sed etiam productiuum; & sic intellectus est principium productiuum intellectionis, vt probat Scotus *in primo, dist.* 3. *q.* 7. 8. & 9. Similiter voluntas est principium productiuum suæ volitionis, vt probat Scotus *in secundo, dist.* 25. Loquendo de tali principio productiuo non semper est eiusdem generis cum producto, vt patet de substantia producente accidens, & in proposito de intellectu, & voluntate. Aliquando est eiusdem generis, vt substantia, quæ producit effectum æquiuocum, qui est substantia, vt Sol producit vermem. Aliquando est eiusdem speciei specialissimæ, vt causa vniuoca producit effectum eiusdem speciei specialissimæ, non potest autem idem esse numero producens, & productum, quia ista implicant, vt patet à Scoto in primo, dist. 2. & 26. & in hoc secundo, dist. 25.

Voluntas est principium volitionis.

3. c *Secunda ratio non valet.* Quæ talis est in sententia, quia cùm ipsa anima semper sit in actu, videtur quòd non sit immediatum principium operationis, quia si esset immediatum principium intellectionis, ergo semper intelligeret. Hîc Doctor in ista responsione multa dicit, licèt implicite, nam primò dicit, quòd non sequitur, anima est actus, & principium operandi, ergo habens illam semper operatur, quia calor est actus & principium calefaciendi, ergo habens calorem semper calefacit, & semper operatur, non sequitur, quia etiam requiritur passum in quo recipiatur calefactio. Licèt enim anima sit actus & immediatum principium operandi, puta intelligendi, non tamen habens ipsam semper operatur, maximè pro statu isto, quia anima secundùm intellectum non potest immediatè exire in operationem, etiam respectu sui, cùm pro statu isto sit determinata ad sensibilia quæ primò mouent; vt diffusè patet à Doctore *in primo, dist.* 3. *q.* 1. & *vltima*, & *in secundo, d.* 3. & *in quodli.* habetur enim tantum hoc, quòd ex quo est actus dat ipsa habenti vitam formaliter, quia est forma informans illud, & forma dicitur vita. Nec est simile de dare vitam & operari, quia dum est in corpore semper dat vitam formaliter, sed non effectiuè, non tamen semper dat operari, vt patet.

Anima est principium operandi.

4. d *Est enim anima immediatum*, &c. ideò ly *immediatum* accipitur aliter & aliter, quia vt est immediatum principium operandi hoc reducitur ad genus causæ efficientis; vt verò est immediatum principium essendi reducitur ad genus causæ formalis. Est etiam differentia aliter & aliter, quia vt est principium formaliter essendi, semper dum est in corpore dat corpori *esse* formale; vt verò est principium operandi, non dat semper corpori operari, vt patet. Et nota, quia dicit hîc Doctor quòd est immediatum principium operandi, nam si sic intelligeret, contradiceret sibi in multis locis, in quibus vult, quòd intellectus est immediatum principium intelligendi, & non anima, vt anima; & similiter voluntas, vt satis patet infrà. Debet ergo sic intelligi, quòd si intellectus, & voluntas ponantur distingui saltem ex natura rei ab anima, vt ipse tenet in ista quæstione, possumus dicere, quòd ipsa anima est immediatum principium realiter, quia est simpliciter eadem res cum intellectu & voluntate, licèt non sit immediatum principium secundùm propriam suam realitatem; sed immediatum principium intelligendi est realitas intellectus, distincta ab anima. Vel si ponatur intellectum formaliter distingui ab anima, habemus dicere, quòd ipsa anima est principium intelligendi modo præexposito, sed non formaliter, quia secundùm aliam formalitatem, quæ est intellectus est principium immediatum intelligendi, quia mediante intellectu. Hic verò Doctor respondet sic absolutè, quòd est immediatum principium operandi, puta intelligendi, vel volendi realiter, sic quòd in ipsa anima nihil est distinctum realiter, quod sit immediatum principium, vel etiam mediatum intelligendi, vel volendi, & sic debet intelligi Doctor.

Intellectus est immediatum principium intelligendi.

5. e *Tu dicis.* Diceret Thomas si anima est immediatum principium operandi, igitur anima est in actu, quia omne quod operatur, operatur vt est in actu, & ipsa recipit suam operationem, puta intellectionem: modò videtur impossibile, quòd actus sit immediatum principium productiuum alicuius operationis, & immediatum receptiuum eiusdem.

f *Sed dicunt, quòd anima.* Isti dicunt quòd recipit actum intelligendi mediante potentia intellectiua, quæ nihil est cum sit potentia pura, vt dicitur *tertio de Anima tex. com.* 5. & 14. Doctor improbat, quòd intellectus sit potentia pura, & improbationes sunt claræ, & in vltim

Intellectus nõ est pura potentia.

vltima in qua dicit, quòd tunc *tot eſſent potentiæ intellectiuæ, quot intellectiones*, patet, quia potentia quæ eſt ad actum variatur ad variationem actus, ſicut poſſe ſanari, ſiue potentia ad ſanitatem, diſtinguitur à poſſe ægrotare eo modo quo ſanitas diſtinguitur ab ægritudine; ſic potentia intellectiua, quæ eſt ad intellectionem lapidis, eo modo diſtinguitur à potentia intellectiua, quæ eſt ad intellectionem hominis, quo lapis diſtinguitur ab homine, quod eſt valde inconueniens.

An intellectus intelligat ſeipſum.

g *Ad illud autem Philoſophi*, &c. Iſta propoſitio, *intellectus non poteſt intelligere ſeipſum ante intelligere aliorum, eſt diſtinguenda ſecundùm amphibologiam*, nam ſi ly *ante* determinat ipſum *intelligere*, ſenſus eſt verus qui talis eſt, quòd non poteſt ſeipſum de propinquo intelligere ante quàm intelligat alia, & hoc eſt verum; ſi verò ly *ante* determinat ipſum *poſſe*, ſenſus eſt falſus, quia tunc non tantùm negatur potentia propinqua, ſed etiam remota, quia tunc ſenſus eſt, quòd nullo modo poteſt intelligere ſeipſum, ideſt, non ante poteſt ſeipſum intelligere abſolutè, quem intelligat alia quaſi intelligere ſeipſum ſibi tantùm adueniat per intellectionem aliorum, quod eſt falſum: certum eſt quòd ipſe intellectus ex natura ſui poteſt ſeipſum immediatè intelligere ante intellectionem aliorum, vt patet de intellectu noſtro ſeparato, vel etiam coniuncto corpori glorioſo, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 3. ſed pro ſtatu iſto potentia propinqua non poteſt ſeipſum intelligere ante intellectionem aliorum. Hæc auctoritas Ariſtotelis expoſita eſt ſuprà in primo, diſt. 3. q. 7. & in hoc 2. diſt. 3.

6. *Eſſe immediatum receptiuum plurium poteſt dupliciter intelligi.*

Dices, quod verum eſt, &c. quia dicit Doctor quod vnum & idem ſimplex poteſt eſſe receptiuum plurium immediatè, & æquè primò: & declarat quòd eſſe immediatum receptiuum plurium poteſt dupliciter intelligi, ſcilicet, vel quod ſint duæ rationes recipiendi, ita quòd ſi *A*, & *B*, recipiatur in *C*, ratio recipiendi *A*, erit ſimpliciter alia à ratione recipiendi *B*, & hoc non eſt verum, *quia vna forma in corporalibus non eſt principium recipiendi aliam, vt raritas non eſt principium recipiendi calorem*, patet, quia ſi eſſet ratio recipiendi calorem nunquam poſſet recipi in aliquo ente, cuius tamen oppoſitum experimur, *nec etiam calor in igne, vel ligno eſt ratio recipiendi leuitatem.* Alio modo poteſt intelligi immediatè receptiuum reſpectu *A*, & *B*, ita quòd in eodem receptiuo ſit ſimpliciter ratio recipiendi, *A*, & *B*, tamen *B* poſteriùs recipiatur, & *A* priùs, & hoc modo dicimus, quòd aliquid poteſt immediatè eſſe receptiuum plurium, ita quòd ex ſua ratione formali non includit priùs, *A* quàm *B*, vel è contra. Aliquando verò hoc contingit, ſed non ſemper, & ſic materia prima quantum, ex ſua ratione formali æquè primò poteſt recipere vnam formam ſicut aliam, & è contra, quia ſi comparatur ad agens ſupernaturale, ipſum poteſt infundere quamcunque formam, & non oportet ipſum priùs recipere aliam, niſi fortè illa alia requiratur ad *eſſe* intrinſecum compoſiti, ſicut forma organica, quæ requiritur ad eſſe compoſiti hominis.

i *Sic in propoſito.* Dicit Doctor quòd licèt anima immediatè recipiat intellectionem priuſquam volitionem, tamen ipſam volitionem immediatè recipit, quia non recipit eam mediante intellectione, tanquam formali ratione recipiendi, ita quòd ipſa priùs recipiatur in intellectione, ſicut dicimus, quòd albedo recipitur in ſubſtantia mediante quantitate, quæ eſt ratio formalis recipiendi illam, ita quòd ſi ibi non eſſet quantitas, talis albedo non reciperetur.

Sed hîc occurrit vna difficultas, quia dicit Doctor in pluribus locis, quòd anima intellectiua eſt ratio formalis recipiendi riſibilitatem in homine, & etiam eſt ratio formalis producendi illam; ſi tamen ſit producibilis, ergo videtur quòd riſibilitas recipiatur in ipſa anima intellectiua immediatè, & ſic ſeparata anima intellectiua poteſt eſſe riſibilis, quod eſt valde inconueniens. Dico, quòd dicta Doctoris valde ſunt ponderanda; non enim riſibilitas immediatè recipitur in ipſa anima, nec etiam in ipſo corpore, vt expreſsè dicit *in tertio, diſt.* 2. ſed in tertia entitate, puta in humanitate reſultante ex his, & ſimiliter ipſa anima non eſt ratio formalis producendi illam, ſed magis ipſa humanitas, quia ipſe dicit *in primo*, quòd ſubiectum eſt cauſa ſuæ paſſionis. Debet ergo intelligi, quòd ipſa riſibilitas immediatè recipitur in ipſo homine, & ratio formalis, & totalis recipiendi illam eſt ipſa humanitas, ſiue definitio humanitatis: & quia humanitas primò, & principaliter habet *eſſe* à forma, puta ab anima intellectiua, & etiam definitio primò, & principaliter conſtat ex forma vltima, vt declarat Doctor *in tertio*, credo, *diſt.* 22. ideò dicimus, quòd ipſa eſt ratio formalis recipiẽdi, nõ quòd in ipſa immediatè recipiatur, ſed quia eſt ratio formalis, & principalis, & dat magis *eſſe* compoſito, quod eſt ratio formalis, & totalis recipiendi illam, ideo benè nota quando Doctor in diſt. 25. huius, & alibi dicit, quòd anima, ſiue rationale eſt ratio formalis recipiendi propriam paſſionem, intellectus verò non ſolum eſt ratio formalis producendi intellectionem partialiter, ſed etiam ratio formalis recipiendi illam, ita quòd anima non recipit intellectionem, niſi mediante intellectu; nec ſuppoſitum recipit, niſi mediante anima, & intellectu; etiam ſi, per impoſſibile, intellectus eſſet ſeparatus ab anima, puta, quòd ipſa anima non poſſet recipere intellectionem, ſicut etiam ſi ſubſtantia eſſet ſeparata à quantitate non poſſet recipere albedinem. Nota tamen, quia hîc Doctor dicit quòd anima intellectiua immediatè recipit intellectionem, ita quòd ipſa eſt ratio formalis recipiendi, & tamen alibi contrarium dicit. Solutio patet ex ſupradictis. Eo modo ſoluatur ſicut ſolutum eſt ibi, quando dicebatur, quòd eſt immediatum principium productiuum intellectionis & volitionis.

7. *Dubium.*

Reſponſio.

Quomodo anima recipiat intellectionẽ.

k *Et quòd dicis quòd mediantibus illis*, &c. Hîc dicit vnum valde notabile, ſcilicet, quòd illud, quod eſt receptiuum, vel ratio recipiendi formam obiectalem eſt de eſſentia compoſiti: hoc patet, quia natura ignis eſt receptiua formæ ſubſtantialis ignis, & etiam ſic ratio recipiendi, quòd ipſa forma ſubſtantialis ignis non poſſet recipi, niſi in materia, vt patet.

8.

Sed hîc occurrit vna difficultas, quia tunc videtur quòd quantitas ſit de eſſentia hominis, & tunc accidens erit de quiditate illius; patet, quia corpus organicum non poteſt dici

Dubium.

orga

organicum, niſi habeat partes ordinatas,& diſtinctas organicas, quod non poteſt fieri, niſi per quantitatem, quia ſeparata quantitate à materia non ſunt ibi partes organicæ; ſi ergo anima intellectiua non poteſt recipi, niſi in corpore organico, & quantitas eſt illa, quæ communiter diſtinguit partes organicas,ſequitur quòd illa quantitas erit,de ratione formali ipſius hominis.

Reſponſio. Dico,quòd anima intellectiua informat corpus organicum, & tamen quantitas illa non recipit immediatè ipſam animam, nec eſt ſimpliciter ratio recipiendi, licèt præexigatur, conſequatur corpus organicum de neceſſitate, ſiue ſubſtantiam talem. Aliud enim eſt eſſe rationem formalem alicuius, & aliud eſt eſſe ipſum neceſſarium ad illud; patet, nam dicimus quòd materia, & forma ſunt partes eſſentiales compoſiti, & de ratione formali conſtitutiua compoſiti, & tamen vnio partium præexigitur ipſi compoſito de neceſſitate, & non pertinet ad eſſentiam, vel quiditatem compoſiti, quia ipſa eſt quædam relatio, & relatio non eſt de eſſentia alicuius abſoluti, vt patet à Doctore in pluribus locis. Sic dico in propoſito, non enim anima intellectiua poteſt recipi in corpore organico, niſi neceſſariò præſupponat vnionem partium, & tamen non ſequitur quòd talis vnio ſit immediatè receptiua animæ intellectiuæ,vel ratio formalis recipiendi.

l *Ad aliud*, &c. Et quia in litera videtur concedere, quod ipſa anima ſit immediatum receptiuum operationum,exponatur vt ſuprà, & quia Ægidius ad probandum,quòd variabile accidens præſupponit accidens inuariabile, & non poteſt eſſe immediatè, niſi ab accidente inuariabili,per hoc probat, quia diſtinctio maior non poteſt eſſe immediatè ab vnitate, ſed à minori diſtinctione; & hoc dicit, quia diſtinctio eſſentialis in creaturis eſt à minori diſtinctione in mente diuina,puta à diſtinctione idearum,quæ ideæ ſunt aliæ, & aliæ rationes in mente diuina,per quas alia,& alia creatura producitur, de quibus Scotus *in primo*, *diſt.* 35. Sed in hoc errat, quia Sol ſub eadem ratione formali poteſt eſſe cauſa plurium ſpecie diſtinctorum; ſimiliter voluntas diuina, & ideæ non concurrunt, vt rationes formales producendi, licèt præexigantur, vt aliàs expoſui *in primo*, *diſt.* 8. *quæſt.* 3. & ideò falſum eſt quod dicit, quòd diſtinctio maior non poteſt eſſe, niſi à minori; imò ab eadem vnitate eadem voluntas ſub eadem ratione formali eſt productiua volitionis,& nolitionis,quæ diſtinguuntur ſpecie.

Errat Ægidius.

m *Ad aliud dico*, &c. Nota, quòd multa ſunt agentia per eſſentiam,hoc eſt,quòd eſſentia eorum eſt ratio formalis agendi, & non aliquid ſibi additum, vel ſibi aduenies, nam ignis per eſſentiam ſuam producit alium ignē, ita quòd eſſentia ignis eſt ratio formalis producendi; ſimiliter calor per eſſentiam ſuam calefacit lignum, id eſt, quòd eſſentia formalis caloris eſt ratio formalis calefaciendi, & ſic de multis aliis; lignum verò per eſſentiam ſuam non calefacit, quia eſſentia ligni non eſt ratio formalis calefaciendi; ſed ſi aliquando calefacit hoc erit per aliquod ſibi additum, quod erit ratio formalis calefaciendi, vt puta, ſi addatur ſibi calor, anima verò poteſt agere per eſſentiam,ita quòd eſſentia animæ eſt ratio formalis intelligendi, & volendi. Quod ſic tamen debet intelligi, quòd ſcilicet ipſa per eſſentiam realem realiter agit, quia ſecundum Doctorē ratio formalis immediata reſpectu intellectionis, eſt ipſe intellectus, quia verò ipſe intellectus eſt eadem res cum anima realiter, concedimus animam per eſſentiam immediatè realiter agere,non tamen concederemus quòd per eandem realitatem immediatè ageret, quia realitas animæ non eſt immediata ratio agendi,ſed realitas intellectus. Idem dico reſpectu volitionis, quòd nullo modo poteſt agere per eſſentiam,capiendo *per eſſentiam* pro illo, quod eſt ratio agendi, ita & aliter, quòd nec in eſſendo, nec in agendo dependet ab anima,quia hoc ſoli Deo conuenit, & ſubtiliter probatum eſt in primo,diſt.2.

Quomodo calor ſit ratio formalis calefaciendi.

n *Ad aliud dico.* Hîc Doctor negat ſimilitudinem, quia eſſe, ſiue exiſtentia non egreditur ab eſſentia, vt effectus à cauſa, cùm ſit eadem cum eſſentia, vt ſuprà patet in hoc *ſecundo*, *diſt.* 1. operari verò egreditur à potentia, vt effectus realis à ſua cauſa, à qua realiter diſtinguitur. Sequitur in tex. *Sed ſi argueretur ſic*, &c. Hîc Doctor quando dicit *potentia*, & *poſſe* accipitur ibi potentia, non quæ eſt differentia entis, quia illa non eſt productiua, nec receptiua, vt patet ſuprà *diſt.* 12. *q.* 1. ſed accipitur vel pro potentia receptiua, vel pro potentia productiua,& *poſſe*, accipitur ibi pro aptitudine, ſicut dicimus quòd materia prima eſt apta nata recipere formam,& voluntas eſt apta nata producere volitionem, & tale *poſſe* eſt idem realiter cum potentia,ſiue receptiua, ſiue productiua. Valet ergo argumentum hoc,ſicut eſſentia ad *eſſe*, puta vt eſſentia ad *eſſe* exiſtentiæ, ſic potentia productiua ad poſſe producere; ergo ſicut eſſentia eſt ipſa potentia, puta realiter,ſic *eſſe* exiſtentiæ eſt poſſe,hoc eſt idem realiter cum poſſe: nam eſſentia animæ eſt idem realiter cum ſua eſſentia, & eſt idem realiter cum ſua potentia productiua, & idem realiter cum *poſſe*, quod conuenit potentiæ productiuæ, & ſic in propoſito valet argumentum à commutata proportione, quia ſi primum eſt realiter idem cum tertio, ſic ſecundum eſt realiter idem cum quarto.

Eſſe eſſentiæ & exiſtentiæ ſunt idem realiter.

SCHOLIVM.

Ponitur ſententia aſſerens potentias eſſe partes animæ,& inter ſe realiter diſtingui,quamuis non ab eſſentia, hanc quæ videtur D. Bon.2.d. 24.a. 2.q.1. ſed obſcurè, refutat Doctor ex Auguſtino & duplici clara ratione.

11. ALia opinio dicit[a] quòd ſunt partes animæ realiter diſtinctæ inter ſe, quamuis non ab eſſentia. Quod confirmatur per Philoſophum 3. de Anima. t. 1. *De parte*

[a] *Bon.in 2.d. 34.a. 2.q.1.*

parte (inquit) *animæ*, &c. Præterea, per Boëtium in lib diuiſionum; *Anima diuiditur in potentias, ſicut totum in partes virtuales.* Præterea Auguſtinus 15. de Trin.cap. 7. *Detracto etiam corpore, ſi ſola anima cogitetur, aliquid eius eſt mens tanquam caput eius, vel oculus, vel facies,* & ſequitur: *Non igitur anima, ſed quod excedit in anima, mens vocatur.* Præterea Anſelmus de Concor. gratiæ, & lib. arb. c. 19. dicit, quod potentiæ ſic ſunt in anima, ſicut in corpore membra: ergo.

Quære R. in quodl. 9. illa, an potentiæ angelorum, & animarum ſint accidentia. Vide Magiſtrum 3. d. 1. Refutat dictam ſententiam.

Hoc videtur b contra Auguſtinum 9. de Trin. c. 5. vbi dicit, quòd quælibet iſtarum complectitur totam eſſentiam animæ: pars autem non complectitur ſuum totum, & ibi etiam concludendo dicit: *Vnius eiuſdémque eſſentiæ, neceſſe eſt hæc tria eſſe,* nulla autem pars eſt eiuſdem eſſentiæ cum alia. Vnde cùm iſtæ tres potentiæ ſunt in vna eſſentia, vna vita; vt in pluribus locis dicit, ſequitur quòd non ſunt partes eſſentiæ.

Præterea, pars in *eſſe* naturali, præcedit ſuum totum, origine: ſed intellectus, vel quæcunque alia potentia ſequitur eſſentiam animæ: ergo non eſt pars animæ.

Potentias nõ eſſe partes eſſentiales nec integrales. Tex. c. 60. Si anima haberet partes eſſentiales phyſicas non informaret corpus.

Præterea, ſi ſunt partes, aut integrales, aut eſſentiales: ſi integrales, igitur oportet dare aliquod tertium præter iſta: quia ſemper partes integrales faciunt aliquod totum, aliud à qualibet partium, per aliquod formale concurrens, vt patet. 7. *Metaph.* de hac ſyllaba *AB*, cuius partes ſunt, *A*, & *B*, *AB* autem non eſt, nec *A*, nec *B*: Si ſunt partes eſſentiales ſubſtantiales, igitur vna erit perfectibilis ab alia eſſentialiter, vt intellectus à voluntate: igitur anima non poſſet informare corpus. Probo, quia potentia receptiua, & perfectibilis ab alia potentia, non poteſt eſſe magis dependens quàm materia ignis, vel alterius corporis: ſed materia ignis, vel ignis ipſe, non poteſt ineſſe alicui, ipſum informando: igitur ſic nec anima poteſt eſſe forma, vel actus primus alicuius: quia ſuæ parti eſſentiali, ſcilicet potentiæ illi repugnat informare, igitur tota anima non poteſt eſſe forma alicuius. Si autem dicatur quòd in idem redit, ſcilicet quòd vna non perficit aliam, ſed omnes perficiunt materiam animæ, tunc videtur idem, quod priùs, ſcilicet quòd toti animæ repugnat eſſe actum primum alicuius, & informare primò: quia parti ſuæ eſſentiali, ſcilicet ſuæ materiæ, repugnat informare, homo etiam non eſſet vnum per ſe, & primò.

COMMENTARIVS.

1. *An intellectus dicat totam eſſentiam animæ.*

a *Alia opinio* S. Bonauenturæ *in 2. diſt. 24. art. 2. q. 1.* quæ dicit quòd ſunt partes animæ realiter diſtinctæ inter ſe, quamuis non ab eſſentia, &c.

b *Hoc videtur contra Auguſtinum.* Hîc Doctor probat quòd non ſunt partes eſſentiales animæ, nam pars eſſentialis non complectitur totam eſſentiam: complecti enim ſic, eſt dicere totam eſſentiam, intellectus verò complectitur totam eſſentiam animæ, & ſimiliter voluntas: ergo ſi intellectus dicit totam eſſentiam animæ, ſequitur quòd non eſt pars eſſentialis ipſius, ſed hoc eſt ſanè intelligendum, quia ſuſtinendo, vt ſuſtinet Doctor quòd diſtinguantur ex natura rei ab anima, & ab inuicem ex natura rei, & formaliter quomodo vna potentia poteſt eſſe tota eſſentia animæ, & alterius potentiæ. Sic ergo intelligitur, quòd intellectus eſt tota eſſentia animæ realiter, licèt non ex natura rei, quia realitas intellectus non eſt realitas eſſentiæ animæ, licèt ſint vna res realiter. Similiter intellectus eſt tota voluntas realiter, licèt non ex natura rei, neque formaliter, quia realitas, aut formalitas intellectus non eſt formalitas, neque realitas voluntatis, licèt ſit eadem res realiter.

Complecti totam eſſentiam animæ poteſt intelligi dupliciter.

2. Si dicatur, quòd hoc etiam eſt falſum, quòd intellectus complectatur totam eſſentiam animæ quia tunc ſequeretur quòd intellectus contineret ipſam animam per identitatem realem, quod tamen eſt falſum, vt patet in iſta quæſtione, imò eſſentia animæ continet per identitatem potentias, & non è contra.

Dico, quòd complecti totam eſſentiam animæ poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd dicat eandem rem abſolutè quam dicit anima, vel quòd ſit eadem res abſoluta cum ipſa anima. Alio modo, quòd ipſe intellectus ſit tantæ perfectionis, quòd ab ipſo pullulet ipſa anima per identitatem realem, ſicut dicimus, quòd eſſẽtia diuina eſt tantæ perfectionis, quòd ab ipſa pullulant relationes reales per identitatem realem, & etiam omnia attributa, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 8. q. 3. & in quodlib. q. 1.*

3. Intellectus quomodo complectatur animam.

Dico ergo, quòd intellectus complectitur animam tantùm primo modo, anima verò complectitur ſuas potentias primo, & ſecundo modo. Sequitur in textu: *ergo anima non poſſet,* &c. Hîc Doctor intendit probare, quòd ſi anima eſſet conſtituta ex intellectu, & voluntate, tanquam ex partibus eſſentialibus, quòd ipſa anima non poſſet informare corpus: & ſupponit vnum, quod partes eſſentiales alicuius ſic ſe habent, quòd vnum habet rationem materiæ, & aliud rationem formæ, & tale ſic compoſitum non poteſt informare aliquid, vt patet de omni compoſito conſtituto ex materia, & forma, quod non poteſt eſſe forma alterius, forma dico partis, multominus forma totius.

Si dicatur, nonne albedo eſt compoſitum ex partibus eſſẽtialibus, quia ex genere, & differentia,

rentia', cùm ſit perfecta ſpecies prædicamenti Qualitatis, & tamen ipſa poteſt informare?

Dico, quòd Doctor intelligit de partibus phyſicalibus & non metaphyſicis quæ ſe habent, vt quædam realitates, vt realitas animalis, & realitas rationalis conſtituunt hominem hæc autem conſtituentia in propoſito nõ conſtituunt, niſi vt partes reales, & phyſicæ, & non vt conceptus, ſicut genus, & differentia.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici potentias eſſe idem animæ realitate abſoluta, ſed diſtingui ab ea realiter realitate relatiua, hanc fusè & clarè refutat Doctor, redarguendo Henricum inconſtantiæ, & ſoluit eius fundamentum.

Hen. quodl. 3. q. 14. Litera hæc eſt parum mutata, ſed ſenſus idẽ.

ALij dicunt [c] quòd potentiæ animæ ſunt idem eſſentiæ animæ, diſtinctæ tamen inter ſe realitate relatiua, ita quòd potentia animæ non dicit niſi eſſe cum reſpectu coaſſumpto: quod probatur, quia ſecundùm ſe non dicitur potentia, niſi in ordine ad actum, & obiectum, quia anima ſecundùm ſe non dicit potentiam, quia 9. *Met. t.* 15. dicitur quòd potentia definitur per actum, & è conuerſo: anima autem ſecundùm ſe conſiderata, non definitur per huiuſmodi actum; ergo nec ſic eſt potentia: ſed eſſentia animæ ſub tali reſpectu, dicitur talis potentia: ſecundùm hoc igitur, quòd anima ſecundùm ſe comparatur ad diuerſos actus, ſunt in anima diuerſi reſpectus qui dicuntur diuerſæ potentiæ; & per huiuſmodi diuerſos reſpectus, determinatur ad diuerſos actus. 12.

Intellectum eſſe actiuũ patet ex 1. d. 3. q. 7. 8. 9 idem de voluntate infr. d. 25.

Aliter tamen, & aliter determinatur his reſpectibus, ſecundùm quoſdam: nam ad potentiarum organicarum actus determinatur anima per organa: ad intellectum autem agentem, & voluntatem quæ ſunt potentiæ actiuæ, determinatur anima, ex comparatione ad obiectum: ſiue determinetur ex ſe, ex eo, quòd huiuſmodi potentiæ habent determinatum agere ſcilicet intellectus agens, & voluntas, ſiue per ſpecies receptas, ſicut intellectus poſſibilis.

Hæc opinio videtur conſona rationi imaginis, quæ eſt in anima, nam ſicut in diuinis eſt vna eſſentia, & diſtinctio perſonalis per tres res relatiuas: ſic in imagine creata, erit vna eſſentia cum tribus potentiis, re relatiua diſtinctis.

Præterea. Aug. 9. de Trin. c. 5. *Vnius ergo eiuſdemque eſſentiæ, neceſſe eſt hæc tria eſſe*: ergo non ſunt tria abſoluta. Item, pro hoc eſt auctor de ſpiritu, & anima, c. 2.

Contrà, quia non [d] quærimus hîc de potentia, prout dicit reſpectum ad actum: ſed quærimus de fundamento iſtius reſpectus, quaſi de potentia, quæ eſt, vel poteſt eſſe principium operationis, ſiue actus quantùm ad potentiam actiuam: vel principium receptionis alicuius abſoluti, quantùm ad paſſiuam; quærimus igitur de proximo fundamento relationis principij ad principiatum, ſiue de principio immediato actionis, vel operationis. Iſtud autem principium non poteſt eſſe abſolutum, cum relatione. Probo, quia impoſſibile eſt abſolutum, cum relatione facere per ſe vnum: ſed vnius operationis per ſe, eſt vnum principium per ſe: ergo impoſſibile eſt, quòd in ratione illius principij includatur per ſe relatio: ſed intelligere eſt actus per ſe vnus, & ſimiliter: ergo, &c. 13.

Vnius operationis per ſe eſt vnum principium per ſe. 1. d. 3. q. 8.

Præterea, principium per ſe vnum, prius eſt operatione, & poteſt eſſe abſque contradictione, ſine ipſa: ſed relatio, nec poteſt eſſe, nec intelligi, ſine termino qui in propoſito eſt operatio: ergo.

Relatio non eſt de ratione potẽtiæ.

Præterea, reſpectus non eſt per ſe de ratione potentiarum receptiuarum, ſiue paſſiuarum: ergo nec actiuarum. Conſequentia patet. Antecedens probatur, quia recipiens, cuiuſmodi eſt materia, recipit formas per eſſentiam ſuam, non per relationem. Aliter probatur, quia quod eſt per ſe de ratione principij paſſiui, eſt, per ſe pars compoſiti, faciens per ſe vnum cum illo: reſpectus autem non eſt per ſe pars alicuius abſoluti, nec facit per ſe vnum cum abſoluto.

Vide ſupr. diſt. 1. q. 5

Præterea, ſecundùm ipſum, reſpectus eſt idem eſſentialiter, & realiter cum fundamento: ergo eſſentia animæ non eſt nobilior illo reſpectu; nobilitate reali: nec etiam vna potentia erit nobilior alia: quæ enim vni, & eidem fundamento reali ſunt eadem realiter, vnum non eſt nobilius alio: quod eſt contra eum qui ponit voluntatem nobiliorem intellectu, realiter.

Præterea, ipſe ponit, quod intellectus, & voluntas ſunt duo diſtincta, ita quod non eſt talis diſtinctio in aliquo eorum per ſe, vt in voluntate per ſe, vel in intellectu per ſe, qualis eſt inter intellectum, & voluntatem, ſed poſito, quod iſti

reſpectus

reſpectus ſint idem fundamento ſuo, non videtur hoc verum.

14. Prætereà, ſi potentia includit reſpectum, & diſtinguitur per reſpectũ; voluntas erit duæ potentiæ, vel plures. Probo, quia ante relationem ad actum, vt ad velle, non diſtinguitur, vel non eſt diſtincta voluntàs contra aliam potentiam: igitur ſecundùm multiplicationem reſpectuum ad diuerſa velle, erit multiplicatio potentiarum volitiuarum: ibi autem ſunt diuerſa velle, ſcilicet reſpectu finis, & reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem: & ſic etiam erit de intellectu.

Prætereà, contra illud, quod dicit de potentia organica, eſt Commentator *primo de Anima*, qui dicit, quòd membra cerui, non differunt à membris leonis, niſi quia anima cerui differt ab anima leonis, forma enim determinat ſibi membra conuenientia, & diſtinguit, non autem materia reſpectu talium actuum: materia enim non diſtinguit formam, ſed è conuerſo. *Com. 53.*

Prætereà, dicit, quòd intellectus poſſibilis determinatur ad actum per ſpeciem: & tamen negat ſpecies recipi in intellectu, ſed tantùm ponit phantaſmata: quomodo autem determinetur intellectus, vel diſtinguatur per phantaſmata non video. *Vide ſup. diſt. 3. q. 8. & 3. diſt. 1. q. 7.*

Prætereà, ſi ſpecies determinat intellectum poſsibilem: igitur ſpecies alterius rationis conſtituet intellectum alterius rationis, ſi enim determinantia aliquorum ſunt alterius rationis, & determinata erunt ſimiliter.

Ad primum pro opinione iſta, dico, quòd neceſſe eſt imaginem creatam in aliquo deficere ab increata: & illud, in quo deficit, eſt, quia principium operandi, & diſtinguendi, non poteſt eſſe relatio.

Ad auctoritates dico, quòd loquatur de relationibus potentiarum comparatis inter ſe: non autem vt comparantur ad extrà.

COMMENTARIVS.

1. c *Alij dicunt.* Henricus *quodlib. 3. quæſt. 14.* Hæc opinio Henrici ſtat in hoc, quòd ipſa anima intellectiua eſt quædam eſſentia abſoluta, & potentiæ animæ ſunt tantùm quædam relationes, & ſic ſubſtantia animæ abſoluta diſtinguuntur realiter ab ipſis potentiis, cùm ſint tantùm relationes, & ipſa anima, vt ponitur ſub relatione, dicitur talis potentia, vt totum definitur per ſanitatem, quæ nihil aliud eſt, niſi ordo ad ſanitatem, & ſimiliter potentia ad ægritudinem: vult ergo Henricus quòd ſicut corpus comparatur ad diuerſos actus, ſic habet diuerſas potentias, vt enim comparatur ad ſanitatem, ad quam eſt in potentia, eſt ibi vna potentia, ſi verò ad ægritudinem, ad quam eſt in potentia, eſt alia potentia; ſic anima, vt comparatur ad intellectionem, dicitur potentia intellectiua; vt verò ad volitionem, potentia volitiua, ita quòd ipſa potentia intellectiua eſt ipſa anima ſub illa ratione ad actum intelligendi, eodem modo de volitiua.

2. d *Contra. Quia non quærimus.* Nota quòd Doctor dicit, quòd ſi anima cum relatione illa eſſet principium operationis, illud eſſet ens per accidens; operatio autem illa videtur vnius effectus per ſe, & ideò requirit cauſam per ſe. Si diceretur hîc, quòd intellectus, & ſpecies intelligibilis eſt vnum ens per accidens, & intellectio cauſata ab illis eſt vnus effectus per ſe, vt dicit Scotus *in primo, diſt. 3. quæſt. 8.* & ſimiliter voluntas, & habitus ſunt vnum ens per accidens, & actus cauſatus ab vtraque eſt vnus effectus per ſe, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 17.* Sic poſſet dicere Henricus quòd quamuis ipſa anima cum relatione ſit vnum per accidens, tamen operatio eſt vnum ens per ſe. Dico, quòd hoc, quod dicit Doctor hîc benè concludit contra Henricum, quia ipſe Henricus vult quòd ipſa anima abſolutè ſumpta non eſt principium operandi, ſed ſumpta ſub tali potentia, quæ eſt relatio, eſt principium operandi. Doctor autem *in primo in locis prælegatis*, vult quòd intellectus ſit ratio formalis, partialis tamen cauſandi intellectionem, & ſpecies intelligibilis alia cauſa partialis formalis cauſandi eandem intellectionem, & quòd talis ſpecies intelligibilis informet intellectum accidit ſibi, non enim ex hoc eſt ratio formalis, quia informat, nec informat, vt ratio formalis; ſed quia accidens accidit etiam intellectui, vt eſt cauſa partialis, quòd informetur à tali ſpecie: hîc autem Henricus vult quòd anima ſub tali potentia eſt ratio formalis cauſandi, ita quòd ſi talis potentia, vel relatio eſſet ſeparata ab anima non poſſet cauſare.

Scotus bene concludit contra Henricum.

3. Si iterum dicatur, quòd quamuis anima habens talem relationem, ſit principium operationis, non tamen ſequitur, quòd ſit principium per accidens, quia licèt homo albus ſit vnum per accidens, non tamen ipſe homo, vt ſub albedine, vel vt habens albedinem; eſt ens per accidens, vt patet in ſimili à Doctore in Vniuerſalibus: ſic in propoſito dico, ſi Henricus intelligat, quòd hoc totum habens relationem eſt principium producendi operationem.

Dico, quòd argumentum Scoti concludit, quia eſt vnum per accidens. Si verò intelligat, quòd ipſa anima non poteſt eſſe principium immediatum operationis, ſed mediante potentia tali, quæ eſt relatio, ſtat quòd ipſa relatio ſit principium immediatum ipſius operationis, & ſic principium operandi non erit vnum ens per accidens, ſed tunc eſt aliud argumentum contrà, quia nulla relatio poteſt eſſe principium immediatum producendi aliquod abſolutum, cuiuſmodi eſt intellectio. Si verò intelligatur ſic, quòd ipſa anima intellectiua eſt ratio partialis producendi, & relatio alia ratio, patet quòd

hoc non poteſt eſſe, cum relatio non poſſit eſſe cauſa totalis, neque partialis entis abſoluti. Si intelligat quòd in ratione formali principij productiui includatur in ipſa anima ipſa relatio, patet tunc expreſsè quòd eſt vnum ens per accidens.

SCHOLIVM.

Reſoluit Doctor, cùm entia non ſint multiplicanda ſine neceſsitate, potentias non diſtingui realiter ab anima. Primò, quia paucitas eſt notabilitatis. Secundò, perfectionis eſt immediatè attingere finem ſuum. Tertiò, aliàs anima eſſet beata per accidens. Quartò, forma inferior anima agit. Quintò, ſubſtantia generat ſubſtantiam, & ſi accidens ſit inſtrumentum, ſupponit ſubſtantiæ influxum.

DIco igitur, quod potentiæ non diſtinguuntur realiter inter ſe, nec ab eſſentia: illud enim eſt ponendum in natura, quod melius eſt, ſi ſit poſſibile, *ex ſecundo de Gen.* natura enim ſemper deſiderat quod melius eſt: ſed paucitas, ſine multitudine eſt melior in natura, ſi ſit poſſibilis. Patet *primo phyſic.* igitur ſi poſſunt eſſe actus diuerſi, ab vna eſſentia ſimplici animæ, ſine diſtinctione reali potentiarum, hoc eſt ponendum: ſed huiuſmodi paucitas eſt poſſibilis. Patet autem per prædicta, quòd non eſt neceſſe, quòd iſtæ potentiæ ſint accidentia abſoluta, vel relatiua; nec partes animæ eſſentiales, ſiue integrales: hæc enim [e] omnia patent per reſponſionem ad argumenta opinantis. Quòd autem iſta paucitas ſit nobilitatis, patet, quia aliter non competeret enti nobiliſſimo, cui competit per vnicam eſſentiam ſuam operari diuerſa. 15.

Tex. 59. Idem 8. Phyſic. t. com. 56. Tex. 35. 41. & 50. Paucitas eſt melior 1. d. 10. q. 1.

Præterea, quantò ordinatum [f] ad finem, immediatiùs attingit finem, tantò maioris nobilitatis eſt: ſed eſſentia ordinatur ad finem: igitur quantò immediatori modo attingit finem: tantò erit nobilior; ſed hoc eſt ſi ſeipſa immediatè, non mediante aliquo accidente realiter differente ab ipſa operetur & agat: ergo.

Anima non eſſet beata niſi per accidens, ſi potentiæ ab ea realiter eſſent diſtinctæ.

Et præterea, ſequeretur quòd anima non eſſet beata, niſi per accidens Probatio, illa non eſt perfectio propria alicuius, quæ non recipitur in illo, niſi recipiatur priùs in alio realiter differente ab illo, in quo etiam reciperetur ſi eſſet ſeparatum ab illo: verbi gratiâ, color non eſt propria perfectio ſubſtantiæ corporeæ: quia non recipitur in illa, niſi mediante ſuperficie, quæ realiter diſtinguitur ab ea: & reciperetur in ipſa, ſi eſſet ſeparata ab ipſa & maneret: ideò ſubſtantia eſt colorata per accidens: ſed viſio, vel intellectio Dei, non recipitur in anima, niſi quia recipitur in intellectu, qui ſecundùm te, eſt potentia realiter diſtincta ab anima, & reciperetur in ipſo etiam ſi eſſet ſeparatus: igitur anima non eſſet beata, niſi per accidens, & intellectus per ſe.

Præterea, aliquis actus, vel aliqua forma inferior anima, poteſt eſſe principium immediatum agendi. Patet de calore, & qualitatibus actiuis, aliter eſſet proceſſus in infinitum: hoc etiam eſt nobilitatis, aliter non competeret Deo ſic operari, ſcilicet immediatè per eſſentiam ſuam: igitur multò magis debet hoc competere animæ intellectiuæ. 16.

Subſtantia neceſſario generatur à ſubſtantia.

Præterea, neceſſe eſt ſubſtantiam generari à ſubſtantia, tam in generatione vniuoca, quàm æquiuoca. Probo, quia neceſſe eſt quòd forma generantis, quæ eſt principium generationis, ſit nobilior, vel æquè nobilis, ſicut forma geniti: ſed impoſſibile eſt formam accidentalem quamcunque eſſe perfectiorem forma ſubſtantiali; ergo non poteſt eſſe principium immediatum generandi.

Inſtrumentum non agit niſi vt motum.

Dices, quòd forma accidentalis non eſt agens principale, ſed inſtrumentale, contrà, quia ſi ſic, habetur propoſitum: inſtrumentale enim agens non mouet, niſi quia motum: igitur aliqua immediata efficientia datur ſuperiori agenti, ſcilicet ſubſtantiæ.

Præterea, principale agens vbi non poteſt habere inſtrumentum quod attingat terminum, vel paſſum, ibi immediatè attingit terminum: ſed in generatione ſubſtantiali inſtrumentum non poteſt attingere paſſum, ſcilicet materiam primam: ergo tunc non vtitur eo: igitur ſaltem tunc attingit immediatè paſſum, ſcilicet materiam primam.

Non loquitur ex propriâ, ſed in aliorum ſententia.

Dico igitur [g] quòd poteſt ſuſtineri, quòd eſſentia animæ indiſtincta re & ratione, eſt principium plurium actionum, ſine diuerſitate reali potentiarum, ita quòd ſint vel partes animæ, vel accidentia eius, vel reſpectus. Nam non eſt neceſſe, quod pluralitas in effectu, realis, arguat pluralitatem in cauſa: pluralitas enim ab vno illimitato procedere poteſt.

Dices,

Dices,quòd erit ibi ſaltem differentia rationis,penes diuerſa connotata, à quibus imponitur nomen intellectus, & voluntatis;Concedo, ſed hoc nihil faciet ad principium operationis realis. Concipere enim Solem vt eſt principium vermis, vel ranæ, iſte conceptus nihil facit ad hoc, quod Sol producit realiter, vel vermem vel ranam, & tunc oportet dicere, quòd potentiæ vt diſtinctæ includunt reſpectus, ſed non vt ſunt principium operandi. Iſta via ſuſtineri poſſet ſicut ſuſtinetur de Deo, quòd omnino idem re,& ratione reali,eſt principium plurium realiter diſtinctorum.

COMMENTARIVS.

1. e *HÆc enim omnia patent per reſponſionem*, &c.Hoc debet intelligi per vnicam eſſentiam realiter,& eſſentialiter:nam eſſentia diuina, vt eſſentia,non eſt ratio producendi diuerſa, neque ad intrà,vt patet, quia hîc loquitur de diuerſitate eſſentiali;neque ad extra, quia tunc iſta diuerſa producerentur de neceſſitate,vt patet à Doctore in pluribus locis. Sed accipiendo *eſſentiam* pro voluntate diuina, quæ diſtinguitur ſaltem ex natura rei ab eſſentia diuina, licèt ſit eadem res cum eſſentia diuina realiter, & eſſentialiter eſt ratio producendi diuerſa ad extrà.

Si dicatur, ſi paucitas eſt nobilitatis:ergo producendo diuerſa, vel ſaltem quaſi diuerſa, eſſet magis nobilitatis in diuinis ad intrà vnitas principij productiui,quàm pluralitas, quod tamen eſt impoſſibile, quòd ſcilicet ſit tantùm vnum principium ad intrà, vt ſubtiliter deducit Doctor *in primo,diſt.2.par.2. & diſt.10. q.1.ac 26. & 2.q. quodlib.*

Dico, quòd licèt non ſit ibi vnitas formalis principij,eſt tamen vnitas realis,& eſſentialis, & hoc ſufficit.

2. Si dicatur, quòd ſi paucitas eſt nobilitatis, & per conſequens vnitas principij maioris nobilitatis,ſequitur, quòd adhuc erit maioris nobilitatis, quanto illud principium erit ſimpliciter magis vnum; ſed vnitas formalis eſt magis vnitas vnitate reali, & eſſentiali, vt patet à Doctore *in primo,diſt.2.*ergo ſequitur quòd principium productiuum ad intrà,non tantùm debet poni vnum vnitate reali, & eſſentiali, ſed etiam vnitate formali. Dico, quòd Doctor multùm caſtigatè loquitur,quia dicit hîc in litera, quod paucitas eſt melior,ſi tamen ſit poſſibilis, ac per conſequens quantò maior erit vnitas, tantò melior, ſi tamen ſit poſſibilis; ſed vnitas formalis productiuorum ad intrà non eſt poſſibilis, nec compoſſibilis, vt probat Doctor *in primo, diſt.2.par.2.* vbi ſic arguit:*Omnis pluralitas reducenda eſt ad vnitatem*, &c.Hoc idem dicit *diſt.10.q.1.*Dico vltrà, quòd adhuc non ſequitur hoc, quòd ſi paucitas eſt nobilitatis,& vnitas maioris vnitatis, loquendo de vnitate reali, & eſſentiali: ergo vnitas formalis nobilior non ſequitur, imò diſtinctio formalis arguit minorem perfectionem,quæ tamen includit identitatem realem,& eſſentialem, nam maioris perfectionis eſt in eſſentia diuina tanta pluralitas attributorum, quæ diſtinguuntur ab inuicem formaliter, & quæ ſunt formaliter infinita,& quæ habent diſtinctas infinitates formaliter, licèt non realiter, quæ tamen realiter ſic ſe habent, quòd continent ſe ad inuicem ſecundùm perfectam identitatem realem, & quòd ex perfecta eſſentia diuina, tanquam ex pelago omnium perfectionum pullulant huiuſmodi perfectiones attributales ſic formaliter infinitæ, & formaliter

Scotus caſtigatè loquitur.

Attributa ſunt infinita

diſtinctæ, quàm ſi omnia eſſent tantùm vna formalitas. Hæc omnia poſſunt patere à Doctore *in primo, diſt.8. q.3. & penul. q.quodlib.* Poſſet enim ſaltem probari per talem rationem;talis eſt ordo inter aliqua diſtincta natura rei,vel formaliter,aut ratione,qualis eſſet,ſi realiter diſtinguerentur. Hæc propoſitio patet à Doctore *in prolog.q.pen.& in primo* credo, *diſt.2.* & *in ſecundo, & in quodlib.*ſed ſi attributa diſtinguerentur realiter ab eſſentia diuina,maioris perfectionis eſſet in eſſentia diuina,continere ipſa virtualiter,quàm ſi eſſet illa formaliter. Hæc propoſitio patet à Doctore *in primo,diſt.24. & in ſecundo*, ergo vbi tantùm diſtinguuntur formaliter erit ſimilis ordo,& per conſequens maioris perfectionis eſt in eſſentia diuina, habere huiuſmodi attributa formaliter diſtincta ab inuicem, eadem tamen ſibi realiter, quàm quòd eſſet tota perfectio illorum formaliter;ſi tamen diſtinguerentur realiter, hoc argueret imperfectionem,vt patet à Doctore in pluribus locis.

formaliter ex ſe,per ſe, ſed emanant ab eſſeneia.

f *Preterea, Quantò ordinatum*, &c. Hîc Doctor dicit,quòd ex hoc ipſa anima intellectiua eſt eadem res cum ſuis potentiis, quia maioris nobilitatis eſt ipſam immediatiùs attingere finem,quàm per aliquod diſtinctum ab illo;ſed in hoc videtur ſibi contradicere, quia Doctor infrà *diſt.* 27. probat quòd gratia ſit in voluntate, & non in anima. Et vult alibi, quòd ipſa gratia magis vniat nos vltimo fini,ac perfectiùs quàm iuſtitia originalis,vt patet infrà *diſt.29.& in quarto,diſt.22.* ergo ſecundùm hoc,quod dicit hîc, ſi perfectionis eſt in anima magis immediatè vniri fini,ſequitur quòd ipſa gratia medians magis debet poni in anima, quam in voluntate, cùm voluntas ſit poſterior ipſa anima, quia pullulat ab ipſa,vt dicit *in q.præſenti.* Contradiceret etiam ſibimet *in quarto,diſt.49.& in 2.diſt.27.*vbi probat,quòd beatitudo non recipiatur immediatè in anima,tamen dicit hîc, quòd perfectionis eſt in anima immediatiùs attingere vltimum finem, qui eſt beatitudo: ergo ipſa anima debet recipere immediatiùs beatitudinem,quàm potentia. 3.

Dico,quòd non contradicit ſibi, quia quando loquitur hîc immediatiùs coniungi fini, poteſt accipi dupliciter. Primò, quòd ita ſic coniungatur ſecundùm eandem rem realiter,& eſſentialiter, quòd non per aliquid diſtinctum realiter, & eſſentialiter. Secundò, quòd per eandem omnino realitatem, & formalitatem coniungatur. Primo modo dico, quòd ipſa anima realiter, & eſſentialiter immediatiùs coniungitur fini,quia licèt gratia,quæ eſt medium vniendi, recipiatur immediatiùs in voluntate, tamen ipſa voluntas eſt ſimpliciter eadem res cum ipſa anima. Licèt etiam beatitudo immediatiùs recipiatur in realitate potentiæ, tamen ipſæ

Potentiæ ſunt eadem res cum anima. Accipit ergo Doctor hîc quòd nobilitatis eſt in anima vniri vltimo fini per eandem rem, quæ ipſa eſt, quàm per aliquid diſtinctum realiter. Sequitur in litera ibi: *Hoc eſt ſi ſeipſa.*

Nota ſingula verba, quia aliquis poſſet dicere, quòd Doctor contradicit ſibi, quia in *in 4. diſt. 49.* vult quòd beatitudo conſiſtat in vnione potentiæ rationalis cum obiecto beatifico, quæ vnio fundamentaliter eſt ipſa operatio. Probat etiam ibi, quòd beatitudo conſiſtit in operatione: probat etiam in *quæſt. 13. quodlib.* quòd intellectio, & volitio ſunt qualitates abſolutæ, ex hoc, quòd perfectiſſimè vniunt intellectum, & voluntatem perfectiſſimo obiecto, & tamen operatio realiter diſtinguitur: ergo ipſa anima vnitur vltimo fini, puta obiecto beatifico, per aliquod diſtinctum realiter, quia per ipſam operationem: ideò verba Doctoris ſunt conſideranda. Vult enim hîc quòd maioris perfectionis eſt in anima ex ſeipſa realiter, & eſſentialiter operari circa vltimum finem, qua operatione vnitur illi, quàm poſſe operari per aliud diſtinctum realiter, nam maioris perfectionis eſſet in ligno ex ſua natura poſſe producere caliditatem in alio, quàm per aliquod ſibi additum diſtinctum realiter, quod eſſet principium calefactionis. Sic in propoſito, maioris perfectionis eſt in anima per ſuam eſſentiam poſſe operari circa vltimum finem, in quo vltimatè beatificatur, ita quòd ipſa realiter, & eſſentialiter poſſit eſſe principium ſuæ operationis, qua coniunguntur vltimo fini, quàm eſſe principium per aliquod ſibi additum realiter diſtinctum, patet, quia tunc ipſo addito remoto, anima ſe haberet vt lignum, quod ex ſe non poſſet operari.

Vbi conſiſtat beatitudo.

5. Scotus non

g *Dico igitur*, &c. Hoc non dicit Doctor ex intentione propria, ſcilicet quòd ipſa anima intellectiua; & potentiæ nullo modo diſtinguantur præter opus intellectus, quia tunc apud ipſum multa inconuenientia ſequerentur, quæ poſſent deduci *ex diſt. 2. primi* & *diſt. 10. & 26.* & quòd non ſit opinio Doctoris patet infrà. Dicit etiam ipſe, quòd non eſt neceſſe, quòd diſtinguantur, nec re, nec ratione. Accipit ergo diſtinctionem rei, quæ eſt inter rem, & rem: & quia Thomas & quodammodo communis opinio negat diſtinctionem ex natura rei, ac diſtinctionem formalem. Dicit, quòd non eſt neceſſe, quòd diſtinguantur realiter, & quòd poteſt ſuſtineri, vt patet, ergo. Et quod addit in litera ibi, quòd *nec ratione* hoc dicit, quia ſi illa poneretur, omnino ſuperflueret, cum diſtinctio potentiarum rationis nullo modo requiratur ad operari, nec ad diſtinctas operationes, nec relatio rationis aliquo modo poſſit eſſe principium operatiuum, nec relatio rationis neceſſariò præexigatur ad diſtinctionem realem aliquorum, puta intellectionis, & volitionis, vt patet *in primo, diſt. 8. q. 5.* Dicit ergo Doctor quòd poteſt ſuſtineri, quod non ſit ibi diſtinctio realis, & hoc verum eſt, ſed tamen non negat diſtinctionem ex natura rei, vel formalem, imò illa eſt ſimpliciter, vt patet infrà *in primo, d. 2.* quia agere per modum libertatis, & agere per modū naturæ ſunt ſimpliciter modi oppoſiti agendi diſtincti præter quamcunque operationē intellectus; cùm ergo voluntas ſit ratio agendi per modum libertatis, & intellectus per modum naturæ: igitur inter illa eſt aliqua diſtinctio præter opus intellectus: & ſimiliter inter illa, & animam; quia ſi nullo modo diſtinguerentur ab anima præter opus intellectus, nec etiam inter ſe. Poteſt ergo ſuſtineri quòd ſit ibi diſtinctio rationis, quia illa omnino ſuperflueret.

loquitur ſecundū mentem propriā.

SCHOLIVM.

Reſoluit ſecundò potentias diſtingui formaliter inter ſe, & ab anima, & eſſe quaſi paſſiones eius, ſicut vnum, verum, bonum entis: de qua diſtinctione formali latè agit Doctor 1. d. 2. q. 7. n. 41. & d. 8. q. 4. & d. 10 & 26. & aliàs ſæpè, Secundùm hanc viam ſolui poſſunt auctoritates, dicentes potentias egredi ab anima, eſſe eius partes, eſſe quaſi medias formas inter ſubſtantiales, & accidentales, quia hæc conueniunt quaſi paſſionibus.

17. SEd quia via hæc non poſſet ſaluare aliquas auctoritates, quæ ponunt, quòd potentiæ exeunt, & quòd fluunt ab eſſentia, & huiuſmodi.

Ideò dico aliter hîc, ſecundùm Dionyſium *5. c. de Diui. no.* continentia vnitiua, non eſt eorum quæ omnino ſunt idem, quia illa non vniuntur: nec eſt eorum quæ manent diſtincta, iſta diſtinctione, qua fuerunt diſtincta ante vnionem: ſed quæ ſunt vnum realiter, manent tamen diſtincta formaliter, ſiue quæ ſunt idem identitate reali, diſtincta tamen formaliter, huiuſmodi autem contenta ſunt in duplici differentia: quia quædam ſunt de natura continentis, vt quæcunque ſunt ſuperiora ad continens, verbi gratiâ, ab eadem re accipitur ratio albedinis, coloris, qualitatis ſenſibilis, & qualitatis: & hæc ſunt ſuperiora ad hanc albedinem, & ideò omnia ſunt de eſſentia eius. Alia ſunt contenta in aliquo vnitiuè, quaſi poſteriora, quia quaſi paſſiones continentis, nec ſunt res aliæ ab ipſo continente. Iſto modo ens continet multas paſſiones, quæ non ſunt res aliæ ab ipſo ente, vt probat Ariſtoteles *in prin. 4. Metaph.* diſtinguuntur tamen ab inuicem formaliter, & quiditatiuè, & etiam ab ente; formalitate dico reali, & quiditatiua; aliter Metaphyſica cōcludens tales paſſiones de ente, & illas conſiderās, nō eſſet ſciētia realis, ſicut ergo ens continet vnitiuè rationē vnius, veri, & boni aliorū: ſic anima cōtinet potētias iſtas vnitiuè, quanquā formaliter ſint diſtinctæ.

De diſtinctione formali. Vide 4. Meta. q. 2. ad fin. & eiuſdem q. 13. & 46. d. 4.

Tex. com. 3. & 5.

q. 1. prol. Reportatio num. ar. 4.

Prætereà, accipio hanc propoſitionem poſitam in principio primi Sententiarum: 18. *Quæcunque habent aliquam diſtinctionem realem, ſi eſſent ſeparata realiter, illam diſtinctio*

diſtinctionem habent ſecundùm rationem, vbi non ſunt diſtincta realiter: ſed ens, & vnum ſi eſſent ſeparata, eſſent diſtincta diſtinctione quiditatiua reali: igitur & nunc habent illam formalem diſtinctionem, & quiditatiuam ſecundùm rationem. Vel forma ſic rationem: Quæcunque habent aliquem ordinem inter ſe, vbi ſunt diſtincta realiter, eundem ordinem habent vbi ſunt vnitiuè contenta. Vnde ſi eſſet *vnum* priùs quàm *verum*, ſi eſſent diſtincta realiter; etiam & in ente, in quo vnitiuè continentur, & habent diſtinctionem rationis, *vnum* eſſet prius quàm *verum*. Si ergo *vnum*, *verum*, & *bonum*, eſſent realiter diſtincta ab ente, eſſent paſſiones entis, ſequitur etiam quòd vnitiuè contenta in ente habent eundem ordinem ad ens, ſcilicet, quod ſunt quaſi paſſiones entis. *Vide in quodl.q.1.*

Sic ergo poſſumus accipere de intellectu, & voluntate, quæ non ſunt partes eſſentiales animæ, ſed ſunt vnitiuè contenta in anima, quaſi paſſiones eius, propter quas anima eſt operatiua; non quòd ſint eſſentia eius formaliter, ſed ſunt formaliter diſtinctæ: idem tamen identicè, & vnitiuè, vt in primo lib. probatum eſt de attributis diuinis. Imaginandum eſt ergo, quòd anima, quaſi in primo inſtanti naturæ eſt natura talis, in ſecundo inſtanti eſt operatiua, ſiue potens operari ſecundum hanc operationem, vel illam: & potentiæ, quæ ſunt principia iſtarum operationum, continentur vnitiuè in eſſentia. *d.2.q.7. n.41. & d.8.q.4.*

19. Et ſecundùm iſtam viam poſſunt ſaluari omnes auctoritates illæ: quæ dicunt, quòd huiuſmodi potentiæ egrediuntur ab eſſentia animæ, vt quædam virtutes, item quòd ſunt mediæ inter formas ſubſtantiales, & accidentales: quia ſunt quaſi paſſiones animæ; & paſſio egreditur à ſubiecto, vel ebullit: ſunt tamen idem eſſentiæ animæ: vt dictum eſt: & poſſunt etiam dici partes, ſecundum quod nulla dicit totam perfectionem eſſentiæ continentis: ſed quaſi partialem. Similiter iſto modo facile eſt concipere quòd vna potentia non continet perfectiones omnium, nec totam perfectionem ipſius animæ, licèt ſit eadem res propter diſtinctionem formalem. Vnde ſic contenta non continent ſe mutuò: quia ſunt diſtincta formaliter, & inter ſe à continente primò cui idem realiter: vnde duo contenta, inter ſe diſtinguuntur, & reſpectu tertij ſunt idem realiter. *Doctrina reſolutiſſima.*

Ex hoc patet, quòd relatio in diuinis eſt idem eſſentiæ, & continetur ab eſſentia: non tamen continet aliquam relationem nec eſſentiam formaliter, ſed omnes relationes continentur vnitiuè ab eſſentia, tamen perſona in diuinis habet intra ſe omnes perfectiones, propter illimitationem eſſentiæ, non ſic autem eſt in imagine creata, vel in anima: quia anima non eſt illimitata.

Ex hoc patet ad Auguſtinum qui dicit quòd mens meminit ſui, quia meminit eius, quod eſt idem ſibi realiter, non tamen formaliter. *14. Trinit. c.8.*

Similiter ad illud tertij de Anima, de parte autem animæ. patet enim, quòd ſunt perfectiones partiales.

Similiter de Anſelmo eſt dicendum, quòd ſicut in corpore ſunt diuerſa membra, quæ reſpondent diuerſis potentiis, ſic in anima ſunt diuerſæ perfectiones formaliter diſtinctæ, propter quam formalem diſtinctionem, currit ſimilitudo.

COMMENTARIVS.

1. *Opi. Scoti.* h *Deò dico aliter.* Hîc Doctor intẽdit probare quòd ipſæ potentiæ animæ diſtinguuntur ab inuicem, & ab ipſa anima præter omne opus intellectus, & talis diſtinctio vel erit ex natura rei, vel formalis.

Nota tamen, quòd hîc loquitur de notitiis intellectiuis, & non de ſenſitiuis, quæ requirunt aliam difficultatem.

Dico tamen, quòd ſi potentia ſenſitiua eſt potentia conſtituta ex anima intellectiua, & organo, vt puta potentia viſiua, quæ reſultat ex anima, & organo tali, vt vult Doctor *in primo, diſt.3.q.6. & in 4. diſt. 44.* manifeſtè apparet, quomodo talis potentia realiter diſtinguatur ab anima; patet, quia anima ſeparata à corpore non eſt ampliùs potentia ſenſitiua, vt patet à Doctore *in 4. diſt.44.* ſi tamen accipiatur potentia ſenſitiua pro quadam virtute ipſius animæ, quæ non poteſt habere operationem, niſi vnita tali organo, tunc nullum ſequitur inconueniens ponere ipſam eſſe idem realiter cum anima. Nec valet dicere, quòd tunc anima ſeparata poſſit videre, quia ad hoc quòd talis virtus poſſit habere talem actum videndi, neceſſariò requirit determinatum organum, ſed quicquid ſit, de hoc aliàs.

i Sequitur in litera ibi; *Vt probat Atiſtoteles*, &c. Cùm dicit ibi, quòd *paſſiones entis diſtinguũtur formaliter, & quiditatiuè ab inuicẽ, & etiã ab ipſo ente*, non debet accipi *quiditatiuè*, id eſt, eſſentialiter, quia tunc paſſiones eſſent diſtinctæ eſſentialiter, nec ſic quiditatiuè, quòd habeant proprias quiditates definibiles propriis definitionibus, quia paſſiones entis non definiuntur ſed accipit ibi *quiditatiuè*, prout idem eſt, quod *formaliter*, 2.

multiter, ſicut dicimus quòd accipiendo entitatem vnius paſſionis, dicit aliam formalitatem, ſiuè quiditatem largè ſumptam ab entitate alterius paſſionis, & ab entitate entis. Sequitur in litera: *Aliter Metaphyſica concludens tales paſſiones de ente, & illas conſiderans, non eſſet ſcientia realis.* Hîc dicit Doctor quòd ſi tales paſſiones entis non eſſent ibi reales, id eſt, præter opus intellectus, & diſtinctæ, vt dixi ſuprà, quòd Metaphyſica non eſſet ſcientia realis.

Hîc poſſet oriri vna difficultas, licèt fortè extra intentionem, quòd ex quo ſit vera Logica, eſt vera ſcientia realis, cùm ſit habitus intellectus, & tamen eſt de ſecundis intentionibus.

Quomodo Logica ſit ſcientia realis.

Sed pro nunc dico, quòd Logica eſt realis in ſe formaliter, cùm ſit in prædicamẽto Qualitatis, non tamen dicitur realis, vt comparatur ad concluſiones demonſtratas in Logica: Metaphyſica autem eſt veriſſima ſcientia realis, tam in ſe formaliter, quàm in comparatione ad conſiderata in illa ſcientia.

SCHOLIVM.

Reſoluit tertiò ex dictis de diſtinctione potentiarum animæ, quæſtionem Theologicã, ſcilicet. imaginem Trinitatis non conſiſtere in tribus potentiis, ſed conſiſtere in memoria, intelligentia, & voluntate, ſeu volitione, de quo egit 1. diſt. 3. quæſt. vlt. vbi q. 5. egit de diſtinctione veſtigij ab imagine. Alij patres, & ipſe Auguſtinus alibi aliter videntur conſtituere imaginem, ſed, vel non totam, ſed partem eius explicant, vel quia non certò conſtat, ſecundùm quid *in anima hominis, ſit homo imago Dei Trini. Vnde Epiphan. in Ancorato, & epiſt. ad Ioan. Ieroſol. dicit id definiri non poſſe: quod verum eſt, niſi coniecturaliter, vide Eſtium hic § 3. & 4.*

Vide 3. d. 1. q. vlt. Diſt. 3. q. 5.

EX hoc dico ad formam quæſtionis, quòd imago non conſiſtit in aliquibus tribus potentiis realiter diſtinctis: ſed conſiſtit in aliquibus tribus realiter diſtinctis, puta in actibus. Vbi ſciendum, quòd differt imago à veſtigio, vt dictum eſt in *primo lib.* quia imago repræſentat per modum totius primò; Veſtigium autem primò repræſentat partem, licèt arguitiuè repræſentet totum, vt patet de pede in puluere. Trinitas autem in diuinis eſt quaſi quoddam totum numerale: & ideò quod repræſentat ipſam totam, dicitur imago: ſed quod repræſentat quaſi partes, dicitur veſtigium: Anima autem repræſentat totam Trinitatem, inquantùm enim eſt vna eſſentia, habens intellectum, & voluntatem, repræſentat diuinam eſſentiam: non ſic autem tres perſonas, quia eſſentia, & intellectus, & voluntas ſunt in qualibet perſona: repræſentat autem tres perſonas, vt potentiæ ſuæ ſunt ſub actibus ſuis: quia vnus actus eſt ab alio per modum originis, ſicut perſonæ inter ſe originantur, ſicut enim à Patre, Verbum, & ab vtroque Spiritus ſanctus, ſic quodammodo à memoria, actus intellectus & velle ab vtroque, originatur. 20.

Idem in quodl. q. 15.

Ad arg. 1. Quomodo imago Trinitatis eſt in anima? de quo 1. d. 3. q. 6.

Ad primum argumentum, dico, quòd imago Trinitatis non eſt completè in anima, abſolutè conſiderata ſub potentijs ſuis, niſi in radice: ſed vt eſt ſub actibus ſuis cum vnitate ſuæ eſſentiæ, repræſentat Trinitatem: & ſic conſiſtit imago in tribus realiter diſtinctis: non autem in potentiis, quæ realiter non diſtinguuntur: imago enim vt eſt perpetua, ſolùm eſt virtualiter in anima, & formaliter vt eſt ſub actibus. 21.

Ad 2.

Ad aliud, potentiæ diſtinguuntur per actus; Verum eſt: non tamen oportet quòd ſit tanta diſtinctio in potentiis, ſicut in actibus, licèt ſit aliqua: vna enim potentia viſiua, eſt plurium colorum.

al. formaliter.

Ad aliud de [k] prædicatione vnius de alio: dico, quòd quantumcunque iſtæ perfectiones ſint vnitiuè in eſſentia, ex quo tamen non ſunt * quiditatiuè in eſſentia, non ſequitur in abſtracto, quòd hoc ſit illud: ſicut animal eſt de ratione quiditatiua hominis, & tamen non ſequitur quòd vnum abſtractiuè prædicetur de alio: hæc enim eſt falſa, *humanitas eſt animalitas.* Accipiendo autem concretiuè, ſic vnum prædicatur de alio, vt *homo eſt animal*: ſic etiam poteſt dici, quòd intellectiuum eſt volitiuum.

De hoc 1. d. 5. q. 1.

Ad auctoritates pro opinione ponente quòd ſunt accidentia; Dico quòd æquè probabiles, & apparentes auctoritates ſunt ad oppoſitum; nam Auguſtinus 5. *de Trinit.* dicit, quòd ſunt vna eſſentia, & vna ſubſtantia, &c.

Tex. com. 39. idem 4. Metheo. ad ſi.

Item Philoſophus 7. *Metaph.* & 2. *de Anima*, t. 8. dicit, quod vnumquodque dicitur tale cùm poteſt in operationem ſibi debitam: quod autem non poteſt, non dicitur tale, niſi æquiuocè. Patet de dolabra, acutie remota, & de oculo eruto: ſed propter amiſſionem accidentis non dicitur tale æquiuocè: ergo,

Tex. com. 9.

Preterea, Ariſtoteles 2. *de Anima*, dicit quòd ſi oculus eſſet animal, potentia viſiua eſſet eius forma: ergo.

Ad auctoritates in oppoſitum. Ad primam dico, quòd potentia naturalis abſolutè, 22.

non

non eſt in ſecunda ſpecie Qualitatis: ſed facilitas ad vtendum illa potentia: vnde poſſe leuare feſtucam, vel baculum, non eſt in ſecunda ſpecie: ſed facilitas leuandi. Vnde huiuſmodi agilitas dicitur hîc potentia naturalis: & patet hoc per eius exempla de pugilatore, & curſore: & ideò eius potentia currendi abſolutè non eſt in ſecunda ſpecie, ſed agilitas illius potentiæ, ſiue in vtendo illa potentia, ſiue potentia, quo ad illam agilitatem.

Ad auctoritates adductas n. 4.

Potentia non eſt in ſecunda ſpecie qualitatis.

Ad illud Commentatoris dico, quòd ſimilitudo eſt pro tanto, quia ſicut color non eſt tota perfectio pomi, vt eſt quid ſenſibile, ſimiliter, nec ſapor; ſic vna potentia non continet totam perfectionem animæ.

Ad illud Anſelmi dico, quòd non dicit, quòd non ſunt ſubſtantiæ: ſed ſuppoſito quòd non eſſent ſubſtantiæ, adhuc haberet intentum ſuum: quia non ſunt nihil, & hoc ſufficit ſibi.

Ad illud de magis, & minùs: dico quòd potentia de ſecunda ſpecie Qualitatis recipit magis, & minùs: vnus enim dicitur magis ingenioſus altero, non tamen illud, quod verè eſt potentia, ſed habilitates illæ. Vel poteſt aliter dici, quòd ipſe 10. de Tri. dicit, quòd ſunt vna mens, vna vita. Vnde ibi ponit eas æquales: & tunc quod in 15. ponit eas inæquales, eſt intelligendum, vt ſunt ſub actibus ſuis, & non aliter.

COMMENTARIVS.

1. k AD aliud de prædicatione, &c. Cùm dicit Doctor quòd illæ perfectiones non ſunt quiditatiuè idem eſſentiæ animæ, ideò vna non prædicatur de alia in abſtracto, vt dicendo, intellectus eſt voluntas, & debet accipi ibi *quiditatiuè*, id eſt, formaliter. Et quia dixit ſuprà, ſicut animal eſt de quiditate hominis, & tamen non prædicatur in abſtracto de homine videtur repugnantia in dictis, quòd ideò potentiæ non prædicantur ad inuicem in abſtracto, quia non ſunt idem quiditatiuè, ſiue formaliter, cum illa alia, quæ ſunt idem quiditatiuè, vnum non poſſit prædicari de alio in abſtracto. Dico, quòd Doctor non intendit hîc, quòd ſi aliqua ſunt idem quiditatiuè, quòd vnum poſſit prædicari de alio in abſtracto, imò hîc magis arguit à fortiori, quòd ſi animal, quod eſt de quiditate hominis, non prædicatur in abſtracto de homine, multò minùs illud, quod non eſt de quiditate alterius.

2. *Caietanus nititur ſoluere rationes Scoti.* Quidam nouus expoſitor S. Thomæ nititur ſoluere rationes Doctoris ſubtilis: vnde dicit ſic ad literam ſuper primam partem ſummæ S. Thomæ *q.* 54. *art.* 3. Ad euidentiam præſentis materiæ notandæ ſunt aliquæ diſtinctiones. Prima eſt de actu. Quidam eſt adæquatus potentiæ, vt intelligere reſpectu intellectus, & videre reſpectu viſus: Quidam verò inadæquatus, vt tale intelligere, puta intelligere bouem, & tale videre, puta album. In propoſito eſt ſermo de actibus adæquatis tantùm, quoniam de talibus tantùm verificatur, quòd potentiæ diſtinguuntur per actus. Secunda eſt de graduatione rerum, Quædam enim res ſunt, quæ primaria intentione intenduntur à natura, vt actus: Quædam verò, vt potentiæ, quamuis contingat res intentas, vt actus habere aliquid potentiæ ad mixtum, & ſimiliter res intentas, vt potentias, habere aliquid actualitatis admixtum; & illæ quidem ſunt per ſe primò, & eſſentialiter actus, ac per hoc ſimpliciter locantur in coordinatione actuum, iſtæ verò ſunt per ſe primò, & eſſentialiter potentiæ. Et conſequenter ſimpliciter locantur in ordine potentiarum. Ita quòd imaginandum eſt, quòd quemadmodum in genere Subſtantiæ, eſt inuenire quaſdam res à natura intentas per ſe primò, vt principia aliorum ſint, ita in quolibet genere ſint quædam res per ſe primò intentæ à natura, vt principia proxima aliorum, & ſi ita eſt, ex hoc habetur tertia diſtinctio actus, & potentiæ, quia vterque eſt duplex. Actuum enim quidam eſt per ſe primò actus, & ſecundariò potentia. Quidam verò è conuerſo. Et ſimiliter potentiarum quædam eſt per ſe primò potentia, & ſecundariò actus. Quædam verò è conuerſo. Quamuis in his ſit latitudo quædam, quoniam potentiæ paſſiuæ ſunt actus tantum modaliter, pro quanto ſubiectis inhærent aliquæ earum; habent enim ex hoc quædam actus modum, potentiæ verò actiuæ actus quidem ſunt, ſed tales, quòd ſunt eſſentialiter intenti, & ad hoc producti in natura, vt principia operationum ſint. Et propter hoc in genere principiorum eſſentialiter locantur. In propoſito ergo ſermo eſt de actu per ſe primò intento in ratione actus, & de potentia per ſe primò intenta in ratione potentiæ, quòd autem dentur in natura tales res, ſpecialem quæſtionem exigeret. In promptu tamen apparet rationabiliter eas poni poſſe, quandoquidem habitus omnes practici, vt docuit Ariſtoteles in Ethicis, res tales ſunt, quoniam ad nihil aliud ſunt, niſi ad operari. Similiter formalia ſignificata potentiarum animæ ad nihil aliud ſunt, niſi ad operari.

Speculare omnes reſpõſiones Caietani.

His præſuppoſitis ad obiectiones contra rationem S. Thomæ factas, reſpondetur, quòd præſens ſermo eſt de diuerſitate reali, non quacumque, ſed formali; non quorumcunque actuum, ſed adæquatorum, & per ſe primò intentorum in ratione actus. Talis enim diuerſitas totalis, potentiarum diuerſitatem exigit, non à poſteriori, ſed à priori, inferens eam, quoniam actus adæquatus eſt finis potentiæ, & ex 2. *Phyſ.* expreſsè patet, quòd ex fine aſſignare rationem & contradictionem eius, quod eſt ad finem, eſt reddere cauſam à priori, imò potiſſimam cauſam in rebus naturalibus, quia naturalia ſunt propter finem. Et propterea argumentum illud: diſtinctio in principiatis non arguit diſtinctionem in principiis, ſophiſma eſt accidentis, quoniam actus potentiarum, non in eo quod effectus, ſed in eo, quòd fi-

3.

nes potentias diſtinguunt. Ad id verò, quod obiicitur contra propoſitiones ſubſumptas, dicitur, quòd (vt patet ex verbis S. Thomæ in reſponſione ad vltimum argumentum) *eſſe* hic non ſumitur vniuerſaliter, prout eſt commune quid ad actum primum ſubſtantialem, & accidentalem, ſed pro *eſſe* ſubſtantiali tantum. Et ratio eſt, quia hæc ſumitur, vt totaliter diſtinguitur contra *eſſe*, quod datur per operari. Talis autem eſt *eſſe* accidentale, quia operari eſt quoddam accidentale *eſſe* habere. Et ideò non eſt mirum, ſi forma accidentalis proximum principium eſſendi, & operandi eſt, quia & *eſſe* eius, & operari eiuſdem eſt quoddam *eſſe* accidentale. Non ſic autem ſe habent operari, & *eſſe* ſubſtantiale, vt de ſe patet, quia illud eſt ſubſtantia, & hoc accidens.

4. *Nota.* Ad obiectiones contra concluſionem ordinatè dicendo, reſpondetur, quòd ſermo præſens propriè loquendo eſt tantum de potentia operatiua, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè operari dicatur; modò ibi vera operatio ſit. Et per hoc excluduntur omnes potentiæ puræ receptiuæ, id eſt, quæ non media aliqua operatione aliquid habent, vt actum, qualis eſt potentia ſubiecti reſpectu propriæ paſſionis, & vniuerſaliter reſpectu eorum, quæ per ſe congenita ſunt rei. Vnde non videtur inconueniens ponere potentialitates tales congenitas ſubſtantiis rerum. Nec multiplicantur entia ſine neceſſitate, quoniam vt patet 12. *Metaph. in tex.* 26. & 28. in quolibet genere eſt dare propriam potentiam, & proprium actum, quæ ſunt, vt principia illius entis. Ex hoc enim ſequitur manifeſtè, quòd oportet alterum duorum dicere, aut quòd ſubſtantia ſit reductiuè in aliis generibus, vt potentia reducitur ad genus actus, aut quod dentur iſtæ potentiæ congenitæ. Et cùm primum ſit inconueniens, vt etiam ipſe Scotus fatetur, oportet dicere ſecundum. Neque poteſt ad illum textum Ariſtotelis reſponderi, quòd loquitur de potentia obiectiua, quoniam expreſsè loquitur de potentia, & actu, vt principia ſunt eius, quod eſt in genere. Conſtat autem, quòd potentia obiectiua principium non eſt rei, imò eſt res ipſa, vt poſſibilis eſt eſſe. Ad id verò, quod de potentia materiæ obiicitur, patet reſponſio à S. Thoma, intendente quòd potentia materiæ eſt ad *eſſe* ſubſtantiale nulla mediante operatione, quæ ſit verè operatio, ac per hoc accidens inter iſtam, & formam ſubſtantialem, quoniam in inſtanti generationis, nulla res eſt in materia niſi forma ſubſtantialis cum conſequentibus ad ipſam.

5. *Ad primam rationem Scoti.* Ad primam autem rationem Scoti dicitur, quòd eſſe principium operationis contingit tripliciter, ſcilicet vel proximum tantùm, vel principale tantùm; vel proximum, & principale ſimul.

Et quòd elicere operationem, vt principium proximum tantùm, eſt imperfectionis, quia oportet eſſe de genere accidentis. Elicere verò operationem, vt proximum, & principale ſimul, eſt ſummæ perfectionis, quia ponit in re perfectionem ſubſtantiæ, & accidentis. Elicere verò, vt principale tantùm medium eſt, & propterea rationabiliter conuenit ſubſtantiæ creatæ, quæ media eſt inter Deum, & accidentia. Vnde ad primum dicitur, quòd ſubſtantia debet ordinari ad finem nobiliſſimo modo, poſſibili tamen. Immediatio autem per excluſionem potentiæ mediæ, eſt modus impoſſibilis ſubſtantiæ creatæ. Et per hoc patet ad primam confirmationem, quia ſcilicet ratione nimiæ perfectionis quam haberet, repugnat ſubſtantiæ creatæ, eſſe proximum principium operationis, quoniam eſſet proximum, & principale ſimul.

Ad alteram verò confirmationem (ſi non velimus abuti vocabulis) negatur conſequentia, quoniam operari mediante virtute propria, vt *quo*, non eſt operari per accidens. Et ad probationem negatur, quòd beatitudo comparetur ad potentiam ſubſtantiæ intellectualis, & ad ipſam ſubſtantiam intellectualem, vt color ad ſuperficiem, & ſubſtantiam corpoream, ita quòd quemadmodum color informaret ſuperficiem, ſi eſſet ſeparata à corpore, ita beatitudo potentiam, ſi eſſet ſeparata à ſubſtantia. Dico enim, quòd iſta conditionalis eſt falſa, quoniam beatitudo eſt eſſentialiter operatio vitalis, quam non eſt intelligibile eſſe, niſi viuentis. Tum etiam, quia beatitudo non poteſt eſſe niſi in beato, non poteſt autem fingi, quòd potentia ſeparata eſſet beata, quemadmodum ſuperficies eſſet colorata. Vnde non ſolum antecedens, & conſequens illius conditionalis ſunt impoſſibilia, ſed etiam conditionalis ipſa.

Ad ſecundam rationem Scoti conceditur, ſubſtantiam oportere fieri à ſubſtantia, tanquam à cauſa principali, non autem proxima, & ad primam inſtantiam de cauſatione accidentis à ſubſtantia, dicitur, quòd nullum accidens cauſatur à ſubſtantia immediatè per operationem mediam. Cum hoc tamen ſtat, quòd multa accidentia conſequuntur ſubſtantiam & in genere cauſæ effectiuæ, & materialis per modum naturalis ſequelæ, & hoc modo ſubſtantia eſt cauſa ſuarum paſſionum, & potentiarum.

7. *Ad inſtantiam de cauſalitate.* Ad inſtantiam verò de propria cauſalitate cauſæ principalis, & ſuperioris, dupliciter dici poteſt. Primò, negando quòd ſubſtantia, & ſua potentia operatiua ſint, propriè loquendo, cauſa principalis, & inſtrumentalis, ſuperior, & inferior. Et propterea obiectiones non habent locum, & poteſt eſſe ratio negationis, quòd ſubſtantia, & potentia operatiua concurrunt, non vt duæ cauſæ, ſed vt cauſa, & quaſi conditio cauſæ. Secundò poteſt dici, admittendo quòd ſe habeant non vt cauſa ſuperior, & inferior, ſed quodammodo, vt principalis, & inſtrumentalis. Et quòd inſtrumentum eſt duplex, coniunctum ſcilicet & ſeparatum. Et rurſus inter inſtrumenta coniuncta datur latitudo, quoniam calor, & potentia augmentatiua coniuncta inſtrumenta animæ dici poſſunt, potentia tamen magis coniunctum inſtrumentum eſt; nec opus eſt omne coniunctum inſtrumentum moueri à principali. Sed operari principaliter concurrente ad illud operari principali agente, quoniam ſic largè accipiendo inſtrumentum, hanc ſufficit haberi inſtrumenti conditionem, vnde non oportet obiectis aliter reſpondere, ſupponentibus ſubſtantiam, & potentiam operatiuam ſe habere, vt duas cauſas.

Ad illud tamen, quod tangitur de proximo principio elicitiuo generationis ſubſtantialis, dicitur, quòd ſecundùm rem generatio ſubſtantialis inſtantanea, non eſt operatio aliqua, ſed eſt terminus generationis tranſmutantis materiam vſque ad hoc, vnde non oportet quærere aliud illius principium, ſed illud idem, quod in toto tempore præcedenti generabat, in inſtanti vltimo

mo illius temporis generat, terminando actionem ſuam.

8. Et cum quæritur, quomodo alteratio, aut quodcunque accidens virtute ſubſtantiæ ſubſtantiam faciat, quid eſt illa virtus. Breuiter dico, dupliciter dici poſſe. Primò à quibuſdam dicitur, quòd eſt res quædam intentionalis, eo modo, quo intenſio coloris dicitur eſſe in aëre, & quòd licèt ſit accidens ſecundùm *eſſe*, eſt tamen cauſaliter ſubſtantia, non vt principalis cauſa, ſed vt vis quodammodo inſtrumentalis quam conſtat, poſſe eſſe imperfectiorem effectu, vt patet de formis ſeminum, & approbatur 12. Metaph. *text.* 40. Secundò dicitur, quòd accidens ipſum ex hoc ipſo, quòd eſt coniunctum ſubſtantiæ tali, eſt eius organum coniunctum, & eſt ipſius virtus, nec oportet aliam ſuperaddere virtutem, & hoc puto verum in his, quæ non ſunt vera inſtrumenta, ſed ipſum, & ſubſtantia ſunt vna cauſa.

Ad tertiam rationem. Ad tertiam autem rationem dicitur. Primò, quòd illa propoſitio abſoluta: realiter diſtincta ſunt ſeparabilia ad inuicem eſt falſa, etiam in doctrina ſua, quando partes eſſentiales ſimul ſumptæ apud ipſum diſtinguuntur realiter à toto, & tamen non poſſet alterum ſine altero fieri. Deinde dicitur, quòd connexio neceſſaria inter ſubſtantiam, & eius potentiam, dato quòd eſſet ex cauſalitate actiua, non tamen inferret ſubſtantiam eſſe immediatum principium alicuius operationis, vt patet ex dictis. Non infert etiam, quòd Deus poſſit eas ſeparare, quia poteſt ſupplere vicem cauſæ efficientis, quoniam hoc intelligitur de efficiente propriè ſcilicet per operationem mediam. Tale autem non eſt ſubſtantia reſpectu ſuæ paſſionis, vt ex dictis iam patet.

De eſſentia Angeli. Ad illud, quod obiicitur de eſſentia Angeli, dicitur, quòd ſubſtantia Angeli non eſt elicitiuum principium intellectionis, ſed potentia. Et quamuis ſubſtantia abſque media ſpecie intelligibili ad intellectionem concurrat, non tamen concurrit vt eliciens, ſed vt fons intellectus in actu reſpectu ſui, vt infrà patebit.

Quid ſit principium frigefactionis aquæ. Ad vltimum verò de frigefactione aquæ calidæ dupliciter dicitur. Primò, quòd principium illius frigefactionis eſt forma mediante frigiditate, quæ in aliquo gradu in ea remanſit, quoniam non poteſt toraliter ab ipſa expoliari. Nec obſtat quòd frigiditas illa ſit minor caliditate introductæ, quamuis enim ſit minor formaliter, eſt tamen maior radicaliter, ſeu virtualiter, propter formam ſubſtantialem propriam eius radicem, cuius eſt virtus, & proprietas. Contingere autem poteſt totum quodammodo pati à toto propter contrarietatem qualitatum actiuarum in toto exiſtentium in continua pugna. Secundò dicitur, & meliùs, quòd frigefit per ſe à generante, & à forma propria per modum tantum ſequelæ, eo modo quo graue grauitando frangit prohibens ipſum deſcendere, & deorſum mouetur. Imaginandum eſt enim, & ita eſt, quòd quemadmodum ad formam grauis geniti extra locum ſuum naturaliter ſequeretur motus deorſum, niſi aliquid prohiberet. Ita ad formam aquæ ſequitur eſſe frigidum in tanta perfectione, & ſi impediatur à tanta perfectione, ſequitur remoto prohibente frigefactionis motus. Et quemadmodum graue grauitando vincit prohibens, quandoque ita frigidum frigendo vincit calidum prohibens, quando calidum illud ab agente illud fouente deſtituitur. Et rurſus quemadmodum graue ſequitur motum deorſum mediante grauitate, ita aquam frigefactio mediante frigiditate illa, à qua non eſt denudabilis, quod autem altero iſtorum modorum, qui valde propinqui ſunt, fiat. Ex hoc patet, quia niſi ſic dicatur, oportebit recurrere ad cauſas extrinſecas, puta ad continens, ſed hoc non poteſt rationabiliter dici. Tum, quia aqua efficitur frigidior efficienter. Tum, quia ſi circumſcriberetur continens, aut poneretur neutrale, nihil minus aqua calida frigefieret. Cuius ſignum euidens eſt, quia aqua calida poſita in continente non calido tepeſcit. Vnde continens, & quæcunque alia cauſa extrinſeca non poteſt poni niſi cauſa per accidens, vt remouens prohibens: oportet enim naturalis accidentis alicuius, naturam cauſam ponere, quæ intrinſecum principium eſt, vt patet 2. Phyſ.

10. *Caietanus non euacuat reſponſiones Scoti.* Omiſſis multis dictis huius expoſitoris, quæ nonnulla includunt dubia, oſtendo reſponſiones datas ad rationes Doctoris, quæ partim ponuntur *in præſenti diſt. & partim in quarto, diſt.* 12. non euacuare. Et cùm dicit ad illam Doctoris *in iſto ſecundo*, quæ ſtat in hoc, quòd ſubſtantia creata rationalis nouiſſimo modo ordinatur ad vltimum finem attingendum per operationem, & ſic videtur quòd immediatè poſſit operari circa illum finem. Cùm ergo dicit, quòd elicere operationem vt principium proximum tantùm, eſt imperfectionis, quia oportet eſſe de genere accidentis, hoc videtur manifeſtè falſum; tum, quia principium elicitiuum, inquantum huiuſmodi, nullam imperfectionem includit, & dixi *inquantùm huiuſmodi*, quia ſi aliquando principium elicitiuum includit imperfectionem, hoc non eſt ex ratione principij elicitiui, ſed aliunde, puta quòd ſit principium elicitiuum dependenter, & ſic omne principium elicitiuum cauſatum includit hanc imperfectionem, vel quòd ſit cum mutatione ſubiecti, ſicut generatio in creaturis, quæ connotat materiam mutari de vna forma ad aliam. Dico ergo, quòd omne principium elicitiuum, vt huiuſmodi, nullam includit imperfectionem; & per conſequens principium proximum elicitiuum nullam includit imperfectionem. Et cùm dicit iſte, quòd quia tale eſt accidens, ideò includit imperfectionem; ſed hoc nihil eſt, quia hoc idem dicam de ſubſtantia creata, quæ etiam vt principium elicitiuum, eſt limitata, & dependens in agendo. Secundò, ſi principium elicitiuum proximum ex ſua ratione includeret imperfectionem, ergo in diuinis, vbi ponitur voluntas principium elicitiuum proximum ſui actus, erit imperfecta, vel viſio obiecti, ſi ponatur immediatum principium elicitiuum actus voluntatis, erit imperfecta.

11. Tertiò, quia videtur implicare in dictis ſuis: ponere enim *A* eſſe rationem formalem immediatè operandi ipſi *B*, & *B* principale agens, & *A* dicere imperfectionem, & *B* perfectionem, videtur manifeſta repugnantia, ſi tam principium remotum, quàm proximum attingant eundem terminum (quod dico propter calorem in igne, qui tantùm attingit diſpoſitionem ad ignem generandum: ignis verò attingit terminum principalem) patet, quia ſi *A* non tantùm eſt cauſa proxima producendi, ſed etiam id, quo *B* attingit terminum principalem, ſequitur quòd *A* vt ratio agendi proxima, nullam includit imperfectionem, imò magis perfectionem, quàm *B*. Et patet, quia, per impoſſibile, poſitâ ſolâ eſſentiâ

animæ,

animæ, nulla poteſt ſequi operatio, cùm non ſit ratio formalis operandi. Poſito verò intellectu, etiam per impoſſibile, ſeparato, adhuc erit ratio agendi, ſiue operandi. Et licèt eſſentia animæ ex hoc dicatur nobilior potentiis, quia potentiæ fluunt ab ipſa, tamen inquantùm non poteſt immediatè attingere obiectum, niſi mediantibus potentiis operatiuis, non poteſt dici nobilior, cùm tota ratio attingendi obiectum ſit à potentiis. Nec multùm valet illa diſtinctio de agente principali remoto, & de agente proximo, vbi agens proximum eſt ratio agendi principalis, licèt enim agens proximum dicat imperfectionem reſpectu agentis principalis, vbi agens proximum non ponitur principali agenti ratio formalis agendi, vt patet de Deo, & Sole, ſed vbi agens proximum ponitur ratio agendi principali agenti, ſicut ponitur potentia intellectiua eſſentiæ animæ, videtur eſſe nobilius, & ſi non abſolutè, tamen ſub illo reſpectu, quo ponitur formaliter ratio agendi.

Potentiæ fluunt ab anima.

12. Præterea quod dicit iſte, quòd eſſentia animæ ponitur principale agens reſpectu intellectionis eſt valde dubium, quia quod nullo modo eſt ratio formalis agendi reſpectu *A*, nullo modo eſt actiuum, nec proximum, nec remotum; ſed eſſentia animæ circumſcriptâ potentiâ, nullo modo eſt ratio intelligendi, vt patet: niſi dicatur quòd ex hoc dicitur principale agens, quia producit in ſe intellectum, & voluntatem, quæ ſunt accidentia, quæ potentiæ ſunt rationes formales agendi, & tunc habetur propoſitum contra te, quia ſubſtantia erit immediatum principium, & immediata ratio producendi aliquod accidens, quod Thomas negat.

Præterea quod dicit, quòd elicere operationem, vt principium proximum, & principale ſimul, eſt ſummæ perfectionis, quia ponit in re perfectionem ſubſtantiæ, & accidentis, & ſic nulla ſubſtantia eſt hoc modo principium operationis; hoc videtur eſſe falſum; tum, quia ſequeretur quòd accidens eſſet principium elicitiuum perfectiùs ſubſtantia: patet, quia calor ligni eſt principium proximum, & principale calefaciendi lignum, & tamen vt ſic, non includit perfectionem ſubſtantiæ, vt dicis. Aſſumptum patet, quia ſimpliciter tota ratio calefaciendi lignum eſt ab ipſo calore, multa alia inſtantia adduci poſſent, quæ breuitatis cauſa omitto. Quod etiam dicit, quòd nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe immediatum principium elicitiuum, patet hoc eſſe falſum, quia ſubſtantia ignis immediatè attingit terminum formalem generationis: non enim aliquod accidens, cùm ſit imperfectius ſubſtantia, poteſt immediatè attingere ſubſtantiam aliquam.

13. *Caietanus contradicit S. Thomæ.* Præterea, in hoc contradicit magiſtro ſuo S. Thomæ, qui expreſsè vult, quòd eſſentia Angeli poteſt eſſe principium immediatum intellectionis, vt patet *in prima par. ſum. q. 50. art. 1.* vbi ſic dicit: *Angelus autem, cùm ſit immaterialis, eſt quædam forma ſubſiſtens, & per hoc intelligibilis actu.* Vnde ſequitur, quòd per ſuam formam, quæ eſt ſua ſubſtantia, ſeipſum intelligat. Dico vltrà, quòd iſte adhuc non ſoluit rationes Doctoris, quia ſi anima ex ſua reali entitate non poteſt attingere vltimum finem, ſed tantum mediante aliquo accidente realiter diſtincto ab ipſa, non magis eſſet actiua ſuæ vltimæ perfectionis, quàm lignum eſſet actiuum reſpectu calefactionis alterius ligni mediante calore ſibi inhærente, & ſi talis calor eſſet ſeparatus à ligno, nullo modo haberet vnde calefaceret lignum. Sic ſimiliter ſi talis potentia, quæ ponitur ab iſtis accidens diſtinctum, eſſet ſeparata ab eſſentia animæ, ipſa anima non haberet realiter vnde poſſet attingere aliquam ſuam operationem, qua vniatur vltimo fini. Et cùm dicit iſte, quòd hic modus eſt ei impoſſibilis, oporteret oſtendere hanc impoſſibilitatem; ſi enim ſubſtantia inferior habet in ſe realiter, vnde poſſit attingere ſuam operationem, quantò magis ſubſtantia ſpiritualis, cùm ſit incomparabiliter perfectior, & præcipuè cum natura ſit dignificanda quantum poteſt, vbi non apparet manifeſta contradictio.

14. *Operari, vt quo, non eſt per accidens.* Ad illud, quod dicit ad illam confirmationem Doctoris videlicet, quòd tunc anima eſſet beata per accidens, cùm negat conſequentiam, quoniam operari mediante virtute propria, vt *quo*, non eſt operari per accidens. Verum dicit, ſi talis virtus ineſt operanti formaliter, & eſſentialiter; ſicut dicimus, quòd forma ignis eſt per ſe ratio generandi ipſi igni. Si autem ratio operandi ponitur accidens realiter diſtinctum ab operante, nullo modo erit ratio per ſe operandi tali operanti: non enim calor in ligno eſt per ſe ratio calefaciendi ipſi ligno: eo enim modo quo eſt actus primus ipſi ligno, eo modo eſt ratio calefaciendi, ſi per ſe, per ſe; ſi per accidens, per accidens. Cùm ergo calor ſit in ligno tantùm actus primus per accidens, quia accidentaliter aduenit ſibi, ſic erit ipſi ligno tantùm ratio calefaciendi per accidens, quia Ariſtoteles 2. *Phyſ.* vbi loquitur de agente per ſe, quod agit propter finem, vbi vult quòd per ſe agens ſit illud, quod agit per formam propriam, vt patet de domificatore, licèt enim calor ſit per ſe agens in ligno, non tamen vt accidens ſibi dicitur per ſe agere, quia tunc ſequeretur quòd calor in ligno per ſe calefaceret.

Et vltrà, propoſito quòd dicatur per ſe agere illud quod habet in ſe rationem formalem agendi, tamen adhuc eſt perfectius agere per formam propriam, quàm per aliquod ſibi accidens, & ſic ſi anima tantum per potentiam, quæ eſt accidens realiter diſtinctum, eſſet beata formaliter, ſequeretur quòd talis beatitudo ineſſet animæ, non per aliquod ſibi intrinſecum realiter, ſed tantùm per aliquod accidens, quod videtur abſurdum, & ſic ſeparata tali potentia ab anima, anima adhuc eſſet beata ipſa potentia.

15. *Qua ſit beatitudo.* Nec valet dicere quòd beatitudo eſt eſſentialis operatio vitalis, quam non eſt intelligere eſſe, niſi viuentis, quia quæro à te, illa operatio perfecta, puta clara viſio, in quo immediatè recipitur? Non in eſſentia animæ, vt patet, quia non eſt immediatum receptiuum alicuius operationis, per te: ergo immediatè recipitur in potentia intellectiua, & per conſequens denominat ipſam, ſicut & patet de albedine immediatè recepta in quantitate, quæ denominat ipſam. Et cùm dicitur, quòd eſt operatio vitalis: ergo tantùm eſt nata denominare naturam viuentem. Quæro à te, an potentia intellectiua ſit potentia vitalis, vel ne? ſi ſic, habetur intentum, quòd ſicut eſt immediatum principium elicitiuum operationis vitalis, ita erit immediatum receptiuum eiuſdem, & ſicut ſi talis potentia eſſet ſeparata ab anima, adhuc eſſet principium elicitiuum vitalis operationis (ſicut ſi calor ab igne eſſet ſeparatus,

eſſet

eſſet principium elicitiuum caloris) ita eſſet immediatum receptiuum operationis vitalis, ſi poneretur ſeparata: niſi dicatur, quòd dicitur vitalis operatio ex hoc, quòd recipitur in viuente, & tunc ex hoc ſequeretur, quòd omnis forma recepta in viuente eſſet forma vitalis, imò non dicitur aliqua operatio vitalis ex hoc, quòd præcisè recipitur in natura viuente, ſed quia tantùm nata eſt eſſe à viuente, vt à principio elicitiuo, vel dicitur operatio vitalis ex ſua ratione formali, puta quia talis entitas, vel talis operatio. Sed quicquid ſit, parum curo, quòd dicatur vitalis vel ne; ſufficit enim, quòd realis beatitudo, quæ conſiſtit in clara viſione Dei ſecundùm Thomam immediatè recipitur in potentia intellectiua, & tunc, per poſſibile, ipſa ſeparata, talis potentia clarè videret Deum, quæ viſio eſt formaliter beatitudo, & ſic aliquod accidens de genere Qualitatis poſſet dici formaliter beatum, imò videtur abſurdius ſequi, quòd accidens perfectius ſubiectatur in accidente imperfecto, & in *eſſe*, & *conſeruari* dependeat ab illo; viſio enim clara Deitatis ponitur communiter, & præcipuè ſecundùm eos, accidens perfectiſſimum, cùm illud ſit vltima perfectio naturæ rationalis. Sed potentia eſt accidens valde imperfectius, ſi ponatur accidens.

16. Et cùm vltrà dicit, quòd beatitudo non poteſt eſſe, niſi in beato, non poteſt autem fingi, quòd potentia ſeparata ſit beata, ſicut ſuperficies eſſet colorata. Hæc videntur verba tantùm ad placitum: poſito enim quòd beatitudo, quæ eſt perfectiſſima operatio per te, ſit in beato tanquam in ſubiecto, & vltimatè denominato. Sed quæro tunc de immediato receptiuo illius operationis, non poteſt poni corpus, nec anima, vt patet, nec totum compoſitum: ergo erit potentia intellectiua, & per conſequens illa erit beata, quia habens formam denominatur ab illa, & ſicut dicimus quòd homo vltimatè eſt albus per albedinem, quæ immediatè recipitur in quantitate hominis, & ſi talis quantitas eſſet ſeparata, adhuc eſſet alba; ſic homo dicitur formaliter beatus per beatitudinem immediatè receptam in potentia hominis: ergo ſi talis potentia eſſet ſeparata ab homine, adhuc verè realiter haberet illam operationem beatificam, & per conſequens eſſet realiter beata, nec hoc ſani capitis negaret niſi fortè proteruiendo.

17. Nota. Cùm dicit ad ſecundam rationem, quòd ſubſtantia non fit immediatè à ſubſtantia, vt à cauſa proxima, ſed tantùm vt à cauſa principali. Quæro, quando ignis generatur ab igne, à quo ſit tanquam à cauſa proxima & immediata? aut erit à ſubſtantia ignis, & habetur propoſitum; aut erit ab aliquo accidente, puta à calore ſubſtantiæ generantis, & tunc ſequitur quòd imperfectius eſſentialiter erit cauſa æquiuoca effectus perfectioris eſſentialiter; calor enim eſt eſſentialiter imperfectior quacunquè ſubſtantia, vt patet 7. *Metaphyſ. tex. comm.* 4. Aut ponitur generatio ab aliqua potentia ignis generantis, & tunc quæro de illa potentia, aut eſt ſubſtantia; aut eſt accidens, & arguitur vt prius. Et cùm vltrà dicit, quòd nullum accidens cauſatur immediatè à ſubſtantia, licèt multa ſequantur ſubſtantiam in genere cauſæ efficientis per modum naturalis ſequelæ, tum quæro de calore ignis, à quo ſit genitus, ponendo quòd realiter diſtinguatur ab ipſo, etiam ipſi habent ponere? aut erit genitus à ſubſtantia ignis immediatè, & habetur propoſitum; aut ab aliquo accidente immediatè, & tunc quæro de illo alio, & ſic vel oportebit ſtare ad aliquod accidens immediatè cauſatum à ſubſtantia; vel oportebit procedere in infinitum in accidentibus. Nec valet dicere, quòd calor ille concomitatur ſubſtantiam ignis per modum naturalis ſequelæ, quia cuiuſcunque entis abſoluti realiter diſtincti ab alio, eſt aſſignanda aliqua cauſa productiua, & dixi *entis abſoluti*, propter relationes, quæ concomitantur extrema poſita, & ideò per ſe non producuntur, ſed non eſt ſic de ente abſoluto realiter diſtincto. Oportebit ergo dicere, quòd calor in igne ſit immediatè cauſatus à ſubſtantia ignis. Et propterea quæro de quantitate ſubſtantiæ, à quo ſit cauſata: certum eſt quòd non ab aliqua quantitate, vt patet, nec à qualitate, cùm ſit poſterior ex natura rei; ergo immediatè erit cauſata à ſubſtantia, cuius eſt talis quantitas.

Nec hîc oportet dicere, quòd tantùm concomitatur ex neceſſitate naturæ talem ſubſtantiam, quia quod ſic concomitatur, per nullam potentiam poteſt eſſe ſine eo, ad quod neceſſariò ſic concomitatur, vt patet de relationibus, quæ neceſſariò cõcomitantur extrema poſita in actu; & ideò ſimpliciter eſt impoſſibile huiuſmodi relationes poſſe exiſtere ſine extremis. Sed quantitas per diuinam potentiam poteſt exiſtere ſine ſubſtantia cuius eſt, vt patet in ſacramento Altaris. Et propterea quæro de calore, ſiue de quantitate, quæ ponuntur entia abſoluta, & realiter diſtincta à ſubſtantia; aut ſunt entia vera cauſabilia abſolutè; aut ſimpliciter incauſabilia. Si primò, quæro à quo ſint cauſabilia, aut tantùm à ſubſtantia prima; aut ſimul à prima, & à ſecunda. Si primò, ergo quantitas eſſet immediatè à Deo. Et vltrà ſequitur, quòd poſſet Deus facere ſubſtantiam ſine quantitate. Si ſecundò, habetur intentum.

Relationes non poſſunt exiſtere ſine extremis.

18. Ad reſponſiones dictas, & ad rationes Doctoris quas facit *in diſt.* 12. probando quòd forma accidentalis non producit ſubſtantiam, nec virtute propria, nec virtute ſubſtantiæ: quòd non virtute propria, patet; quòd nec etiam virtute ſubſtantiæ cuius eſt vt inſtrumentum. Et probat quadrupliciter ibi. Primò, quia inſtrumentum apud Thomam non mouet in motum à principali agente; ergo aliqua eſt operatio ſubſtantiæ, quæ mouet accidens ad agendum, & ſic immediatè agit. Secundò, quia cauſa principalis, & inſtrumentalis ſunt eſſentialiter ordinatæ, ſicut ſuperior, & inferior. Cauſa autem ſuperior priùs naturâ attingit effectum, quàm inferior: in illo ergo priori producta eſt ſubſtantia immediatè à ſubſtantia, & conſequenter in ſecundo ſigno naturæ, in quo terminatur actio cauſæ ſecundæ, non producitur ſubſtantia, niſi idem bis producatur. Tertiò, quia quo inſtrumentum non ſe extendit illuc, oportet principalis agentis actionem pertingere: ſed actio accidentis non attingit immediatè eſſentiam materiæ: patet ergo generationem ſubſtantialẽ, quæ ſit in materia, oporteret immediatè elici à ſubſtantia. Quartò, quia cùm dicitur accidens generaret ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ, hỹ *in virtute* aut addit aliquid abſolutum, aut reſpectiuum; ſi abſolutum, cùm id ſit accidens, eadem quæſtio erit: ſi reſpectiuum, manifeſtè patet quòd ex reſpectu ſuperaddito accidens non poteſt facere ſubſtantiam,

quia

quia relatio non habet virtutem actiuam. Et vltrà, illa relatio eſſet accidens, tum quia non poteſt negare quin ſubſtantia in ſuo ordine ſit immediatum principium elicitiuum propriæ operationis, vt patet ex ratione cauſæ ſuperioris principalis.

Et confirmatur, quia quamuis Deus apud Philoſophos non cauſaret, niſi mediantibus cauſis ſecundis, tamen ipſa eſt immediata cauſa propriæ operationis in ſuo ordine: igitur ſic ſe habebunt ſubſtantia creata & forma accidentalis, dato quòd non cauſet, niſi mediante accidente. Has tamen rationes prolixiùs adduxi *in 4. diſt. 12.* exponendo eas.

19. *Speculare hæc omnia.* Cùm igitur dicit, iſta primò neganda, quòd ſubſtantia eſt ſua potentia operatiua, cùm ſint propriè loquendo, principalis, & inſtrumentalis, ſuperior & inferior. Dico ponendo, quòd *A* ſit cauſa principalis, & *B* ſit eius potentia, & cauſa minùs principalis reſpectu *C* effectus: aut enim *B* producit *C* immediatè & virtute propria, & tunc accidens erit cauſa ſubſtantiæ, & vltrà non diceretur cauſa minùs principalis, quia cauſa minùs principalis nunquam attingit effectum, niſi ſic cauſa principalis ſimul attingat; aut attingit ſe in virtute *A*, ſic quòd *A* principaliter benè attingat ipſum *C*, ſtatim ſequitur quod *B* eſt cauſa inſtrumentalis, eo modo quo dicimus quòd cauſa ſecunda attingit effectum, dicitur cauſa inſtrumentalis reſpectu cauſæ primæ, vt tenetur à Doctore *in 4. diſt. 1. queſt. 1.* & vide quæ ibi expoſui. Erit etiam cauſa inferior, illa enim propriè dicitur cauſa inferior, quæ agit in virtute alterius, & illa in cuius virtute alia agit, dicitur cauſa ſuperior. Si ergo potentia ſubſtantiæ, quæ per te ponitur accidens, attingit effectum in virtute ſubſtantiæ, ſequitur quòd talis potentia erit cauſa inferior, & inſtrumentalis reſpectu ſubſtantiæ.

Et cùm aſſignat rationem, quòd ſubſtantia & potentia non ſe habeant vt cauſa ſuperior & inferior, quia ſubſtantia & potentia operatiua non concurrunt vt duæ cauſæ, licèt vt cauſa, & quaſi conditio cauſæ. Sed hæc ratio nullam habet euidentiam. Tum, quia quæro à te de illa potentia, aut eſt verè actiua alicuius effectus, & ſimiliter ſubſtantia eſt verè actiua eiuſdem effectus, & realiter diſtinguuntur per te: ergo ſunt verè duæ cauſæ, quia nihil deficit de ratione cauſæ, etiam quia aut ſubſtantia ex ſua natura eſt ratio formalis agendi; & ſimiliter potentia ſubſtantiæ eſt ratio formalis agendi; aut potentia non dicit rationem propriam agendi, ſed ſubſtantia cuius eſt; aut ſubſtantia non dicit propriam rationem agendi, ſed tantùm eius potentia. Si primò, habetur intentum, quia illæ ſunt diſtinctæ cauſæ, quia ab inuicem ſunt realiter diſtinctæ, & quia habent rationes formales agendi proprias, & ab inuicem realiter diſtinctas. Si ſecundò, tunc potentia nullam actionem formaliter haberet. Si tertiò, ſequeretur quòd ſubſtantia non eſt principalis cauſa, nec etiam iſte concederet ſecundum & tertium modum. Et cùm vltrà dicit, negando quòd ſe habeant vt cauſa ſuperior & inferior, ſed vna vt cauſa principalis, & alia vt cauſa inſtrumentalis, & ſic non eſt neceſſe inſtrumentum ſemper moueri à cauſa principali: & quod dicit, quòd diſtinguit de inſtrumento coniuncto & ſeparato, videntur tantùm verba, & nihil ad propoſitum; quia accipio cauſam principalem, & ſit *A*, & inſtrumentalem, & ſit *B*, & principalis ſit ſubſtantia, quæ dicatur ignis, & inſtrumentalis ſit accidens, quæ dicatur calor, & comparentur ad effectum, qui dicatur *C*, puta ad ignem genitum: tunc quæro, aut *A* attingit effectum ſecundum ſuam rationem formalem, ita quòd dicatur verè actiua reſpectu talis effectus; & ſimiliter *B* attingat, aut *A* tantùm attingit effectum mediante *B*. Si primo modo, haberetur intentum, quia *A* actione ſibi propria attingit effectum, licèt ad eundem concurrat *B*. Si ſecundo modo, ergo calor erit totalis cauſa ſubſtantiæ genitæ, quod eſt falſum. Et vltrà ſequitur, quòd *A* non ſit principalis cauſa reſpectu *C* effectus, quia nihil dicitur cauſa alicuius effectus, niſi actiuè concurrat ad vnum effectum.

Doctrina ſingularis.

Et præterea ſi *A* & *B* ſic ſe habent, quòd *A* concurrit vt cauſa principalis, & *B* vt inſtrumentalis: quæro, aut *B* agit tantùm virtute propria, aut virtute *A*: ſi virtute *A*, ergo ſe habet vt cauſa inferior reſpectu *A*: ſi virtute propria, ſequuntur duo inconuenientia. Primum, quòd accidens erit cauſa ſubſtantiæ. Secundum, quia ſi *A* concurrit virtute propria, & *B* virtute propria, aut concurrunt vt duæ cauſæ partiales, & eiuſdem rationis, ſicut duo trahentes nauim; aut concurrunt vt duæ cauſæ partiales alterius rationis, quarum vna ſit principalis, & alia minùs principalis; aut concurrunt vt duæ cauſæ totales. Si primò, ſequitur quòd *A* æquè immediatè attingit effectum, ſicut *B*, & habetur intentum. Sequitur etiam quòd vna illarum poteſt ſic intendi, quòd ſola producet effectum, & ſic calor poſſet ſic intendi, quòd ſolus poſſet producere ſubſtantiam; quia cauſæ partiales eiuſdem rationis, quæ concurrunt ex æquo, ſi vna illarum intendatur in duplum reſpectu alterius, illa ſola poſſet attingere effectum, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. quæſt. 8. & in iſto ſecundo.* Si ſecundò, adhuc habetur intentum, quia cauſa magis principalis æquè immediatè attingit effectum, vt patet de intellectu & obiecto reſpectu intellectionis. Si tertiò, tunc quæro, aut ſunt eſſentialiter ordinatæ, & tunc *A* & *B* ſe habebunt vt cauſa ſuperior & inferior, & *B* non poſſet agere, niſi virtute *A*: nec moueret, niſi motum ab *A*, vt patet de omnibus cauſis effectiuis eſſentialiter ordinatis; aut ſunt duæ cauſæ totales non eſſentialiter ordinatæ, & tunc ſequitur inconueniens, ſcilicet quòd idem effectus dependebit à duabus cauſis totalibus non eſſentialiter ordinatis, quod eſt impoſſibile, vt Doctor oſtendit *in primo, diſt. 2. parte 1. quæſt. 1. & 3. & alibi ſæpè.* Poſito etiam hoc eſſe poſſibile, adhuc habetur intentum, quia *A* æquè immediatè attingit effectum ſicut *B*, & ſic effectus poteſt eſſe immediatè à ſubſtantia.

20. *Cauſa principalis immediatè attingit effectum.*

Ad illud, quod dicit de generatione ſubſtantiæ, quòd terminus generationis ſubſtantiæ acquiritur tantùm in inſtanti, & per conſequens generatio ſubſtantialis inſtantanea non eſt operatio aliqua, ſed illud idem quod in toto tempore præcedenti generabat in inſtanti vltimo illius temporis generat terminando generationem ſuam: ſed hoc videtur minùs benè dictum, quia certum eſt quòd *eſſe* ſubſtantiæ veræ generatur, & generatio illa fit in inſtanti: ergo in eodem inſtanti, quo accipit *eſſe* verè generatur & producitur; & tunc quæro à quo? aut à ſubſtantia, aut ab accidente, & arguatur vt priùs. Et cùm

21.

dicit,

dicit,quòd quia generatio eſt inſtantanea,non eſt operatio aliqua;hoc haberet probare: non enim eſt neceſſe operationem ſemper menſurari tempore. Quædam enim menſuratur inſtanti,vt patet de generatione ſubſtantiæ: patet etiam de illuminatione aëris à Sole, quæ eſt vera operatio, & tamen inſtantanea. Et quod dicit quòd illud idem, quod in toto tempore præcedenti generabat, in inſtanti vltimo illius temporis generat, terminando generationem ſuam; quæro de illo, quod generabat in tempore præcedenti, quid tunc generabat? aut ſubſtantiam, aut diſpoſitionem ad ipſam. Si primò, aut vt agens inſtrumentale, aut vt principale, aut vt vtrumque ſimul: ſi tantùm vt inſtrumentale, vt accidens, ergo accidens immediatè generat ſubſtantiam: ſi tantùm vt principale, habetur intentum; ſi vt vtrumque ſimul, adhuc habetur intentum,& arguatur vt priùs, aut inſtrumentale agit in virtute propria; aut principalis agentis, &c. aut generat in toto tempore accidens vel diſpoſitionem ad ſubſtantiam. Quæro tunc,quid eſt illud, quod attingit ſubſtantiam in vltimo inſtanti illius diſpoſitionis? aut eſt accidens tantùm, aut ſubſtantia tantùm, aut vtrunque ſimul, & tunc arguatur vt priùs.

22. Ad illud quòd dicit, de illa virtute, quòd eſt res quædam intentionalis imperfectior effectu principali producendo,& productiua ipſius; hoc videtur eſſe impoſſibile, quòd cauſa imperfectior eſſentialiter, ſiue æquiuoca, ſiue vniuoca, poſſit eſſe ratio formalis producendi effectum perfectiorem, loquendo ſemper de cauſa totali, vt etiam iſte intendit. Et quòd dicit de formis ſeminum,quæ ſunt imperfectiores ſubſtantia genita,& tamen ponuntur rationes formales generandi ſubſtantiam. Dico, quòd hoc eſt falſum, quia nec ſemen,nec ratio ſeminalis eſt ratio generandi ſubſtantiam. Tum, quia imperfectior. Tum,quia in vltimo inſtanti,quo generatur ſubſtantia deſinit eſſe ſemen; cauſa autem non agit, niſi quando eſt, hoc magis infrà patebit, *diſt.* 18. *huius ſecundi.* Et cùm dicit ſecundò,quòd accidens coniunctum ſubſtantiæ eſt ipſius virtus, nec oportet aliam ſuperaddere virtutem, Dico, quòd adhuc ſtat ratio Doctoris, quia ſemper quæro de illo accidente, in cuius virtute agit:aut propria, aut virtute ſubſtantiæ: & arguatur vt priùs, & ipſum accidens coniunctum ſubſtantiæ nihil facit, quia vt coniunctum, aut recipit virtutem aliquam à ſubſtantia,aut nihil. Si primò, ergo ſubſtantia agit illa virtute immediatè,& vltrà erit cauſa ſuperior. Si ſecundò, ergo ſubſtantia tantùm agit virtute propria, & arguatur vt priùs. Aut illa vnio ponitur virtus agendi, quod eſt impoſſibile cùm ſit relatio. Alias rationes, quæ probant accidens non agere in virtute ſubſtantiæ minimè ſoluit.

Ad illud, quod dicit ad aliam rationem Doctoris,quæ probat, quòd ſi eſſentia intellectualis realiter diſtinguitur à potentiis, quòd Deus poſſet facere ipſam ſine intellectu, quia omne abſolutum prius,&c. Cùm dicit, ergo primò, ſcilicet abſolutum prius, &c. Dico, quòd illa propoſitio eſt falſa, etiam ſecundùm doctrinam Doctoris, quia partes eſſentiales ſimul ſumptæ diſtinguuntur realiter à toto, & tamen non poſſunt eſſe ſine toto. Dico, quòd ſi perciperet propoſitionem Doctoris, aſſentiret ei vt propoſitioni quodammodo notæ ex terminis. Et quòd dicit de partibus, &c. patet ſolutio ex his quæ ſuprà *diſt.* 12. *q.*2. vide ibi. Et cùm ſecundò dicit,quòd non poteſt ſeparari vnum ab alio propter neceſſariam connexionem, dato quòd talis connexio eſſet ex cauſalitate actiua, non tamen inferret ſubſtantiam eſſe immediatum principium operationis. Dico quòd eſt manifeſtè falſum ponere aliquod ens abſolutum realiter diſtinctum à ſubſtantia, & ab ipſo cauſatum, & non eſſe productum immediatè à tali ſubſtantia, vt ſuprà patuit: & quòd non producat illam per productionem mediam. Nec valet fugere ad illam ſequelam naturalem,vt ſuprà dixit, quia nullam apparentiam veritatis habet, vt ſuprà deduxi. Ex his quæ dixi ſatis patet improbatio huius noui expoſitoris,& facillimè etiam ſolui poteſt, quod dicit de frigefactione aquæ calidæ, oſtendendo illas reſponſiones minimè valere. Sed, quia hæc materia magis pertinet ad diſt. 12. quarti,ibi prolixiùs pertractanda erit,

23.

Semen non eſt ratio generandi ſubſtantiam.

Contra Caietanum.

Ad manus noſtras non peruenit.

DISTINCTIO XVII.

De productione hominis quantum ad corpus & animam.

A Hic de origine animæ plura quæri ſolent, ſcilicet, vnde creata fuerit, & quando, & quam gratiam habuerit in creatione. Sicut hominis formatio ſecundùm corpus deſcribitur cùm dicitur, *Formauit Deus hominem de limo terræ*, ita eiuſdem ſecundùm animam factura deſcribitur, cùm ſubditur, *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Corpus enim de limo terræ formauit Deus, cui animam inſpirauit. Vel ſecundùm aliam literam, *flauit* vel

*Gen.*2. *b. Beda.*

ſufflauit, non quòd faucibus ſufflauerit, vel manibus corporeis corpus formauerit. Spiritus enim Deus eſt, nec lineamentis membrorum compoſitus. Non ergo carnaliter putemus Deum corporeis manibus formaſſe corpus, vel faucibus inſpiraſſe animam, ſed potiùs hominem de limo terræ ſecundùm corpus formauit iubendo, volendo, id eſt, voluit, & verbo ſuo iuſſit, vt ita fieret, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, id eſt, ſubſtantiam animæ, in qua viueret, creauit, non de materia aliqua corporali vel ſpirituali, ſed de nihilo.

Opinio quorundam hæreticorum, qui putauerunt animam eſſe de ſubſtantia Dei.

B *Ioan. 4. c. Aug. lib. de Geneſ. ad lit. 7. c. 2. Ibid. c. 3.*

PVtauerunt enim quidam hæretici, Deum de ſua ſubſtantia animam creaſſe, verbis Scripturæ pertinaciter inhærentes, quibus dicitur, *inſpirauit*, vel *inſufflauit*, &c. Cùm flat, inquiunt, vel ſpirat homo, de ſe flatum emittit. Sic ergo cùm dicitur Deus flaſſe, vel ſpiraſſe ſpiraculum in faciem hominis, ex ſe ſpiritum hominis emiſſiſſe intelligitur, id eſt, de ſua ſubſtantia. Qui hoc dicunt, non capiunt tropica locutione dictum eſſe *ſufflauit*, vel *flauit*, id eſt, flatum hominis, ſcilicet, animam fecit. *Flare* enim eſt flatum facere: & flatum facere, eſt animam facere. Vnde Dominus per Eſaiam: *Omnem flatum ego feci.* Non ſunt ergo audiendi qui putant animam eſſe partem Dei. Si enim hoc eſſet, nec à ſe, nec ab alio decipi poſſet, nec ad malum faciendum vel patiendum compelli, nec in melius vel deterius mutari. Flatus ergo, quo hominem animauit, factus eſt à Deo, non de Deo, nec de aliqua materia, ſed de nihilo.

Eſa. 57. d. ſecundum tranſlationẽ 70. init. Reſponſio.

Quando facta ſit anima, an ante corpus, an in corpore?

C *Opinio Aug. lib. 7. c. 24. 25. & 27. Aliorum ſententia.*

SEd vtrùm in corpore, vel extra corpus, etiam inter doctos ſcrupuloſa quæſtio eſt. Auguſtinus enim ſuper Geneſim tradit [animam cum Angelis ſine corpore fuiſſe creatam, poſtea verò ad corpus acceſſiſſe:] [neque compulſa eſt incorporari: ſed naturaliter illud voluit, id eſt, ſic creata fuit, vt vellet, ſicut naturale nobis eſt velle viuere. Malè autem velle viuere, non naturæ, ſed voluntatis eſt peruerſæ.] Alij verò dicunt animam primi hominis in corpore fuiſſe creatam: ita exponentes verba illa, *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, id eſt, animam in corpore creauit, quæ totum corpus animaret: faciem tamen ſpecialiter expreſſit, quia hæc pars ſenſibus ornata eſt ad intuenda ſuperiora. Sed quicquid de anima primi hominis æſtimetur, de aliis certiſſimè ſentiendum eſt, quòd in corpore creentur. Creando enim infundit eas Deus, & infundendo creat. [Dicendum eſt etiam animam illam non ſic eſſe creatam, vt præſcia eſſet operis futuri iuſti vel iniuſti.]

Quòd anima illa non eſt præſcia operis futuri. Ibid. c. 27.

In qua ætate Deus hominem fecerit.

D *Aug. lib. de Gen. ad lit. 6. c. 13. & 14.*

SOlet etiam quæri, [vtrùm Deus hominem repentè in virili ætate fecerit, an proficiendo & ætates augendo, ſicut nunc format in matris vtero? Auguſtinus ſuper Geneſim dicit quod Adam in virili ætate continuò factus eſt: & hoc ſecundùm ſuperiores, non inferiores cauſas, id eſt, ſecundùm

ſecundùm voluntatem & potentiam Dei, quam naturæ generibus non alligauit: qualiter & virga Moyſi conuerſa eſt in draconem. Nec talia contra naturam fiunt, niſi nobis, quibus aliter naturæ curſus innotuit: Deo autem natura eſt quod facit. [Non ergo contra diſpoſitionem ſuam illud fecit Deus. Erat enim in prima * creaturarum conditione, ſic hominem poſſe fieri: ſed non ibi erat neceſſe vt ſic fieret: hoc enim non erat in conditione creaturæ, ſed in beneplacito creatoris, cuius voluntas neceſſitas eſt. [Hoc enim neceſſariò futurum eſt, quod vult, & præſcit. Multa verò ſecundùm inferiores cauſas futura ſunt, ſed in præſcientia Dei futura non ſunt. Si autem ibi aliter futura ſunt, potiùs futura ſunt ſicut ibi ſunt, vbi præſcit ille qui non poteſt falli. Sic ergo factus eſt Adam, non ſecundùm inferiores cauſas, quia non erat in rerum cauſis ſeminalibus, vt ita fieret, ſed ſecundùm ſuperiores, non contra naturam operantes: quia in rerum cauſis naturalibus erat, vt ita poſſet fieri.]

Exod.7.b.

Cap.15.
* cauſarum.

Li.eodem cap.7.

Quod homo extra paràdiſum creatus, in paradiſo ſit poſitus: & quare ita factum ſit.

E HOminem autem ita formatum tulit Deus, vt Scriptura docet & poſuit in paradiſo voluptatis, quem plantauerat à principio. His verbis apertè Moyſes inſinuat, quòd homo extra paradiſum creatus, poſtmodùm in paradiſo ſit poſitus. Quod ideò factum dicitur, quia non erat in eo permanſurus: vel vt non naturæ; ſed gratiæ hoc aſſignaretur. Intelligitur autem paradiſus localis & corporalis, in quo homo locatus eſt. [Tres enim generales de paradiſo ſententiæ ſunt. Vna eorum qui corporaliter intelligi volunt tantùm. Alia eorum qui ſpiritualiter tantùm. Tertia eorum qui vtroque modo paradiſum accipiunt. Tertiam mihi placere fateor, vt homo in corporali paradiſo ſit poſitus.] qui ab illo principio plantatus accipi poteſt, quo terram omnem remotis aquis herbas & ligna producere iuſſit. Qui etſi præſenti Eccleſiæ, vel futuræ typum tenet, ad literam tamen intelligendum eſt eſſe locum amœniſſimum fructuoſis arboribus, magnum, & magno fonte fœcundum. Quod dicimus, *A principio*, antiqua tranſlatio dicit, *Ad orientem*, Vnde volunt in orientali parte eſſe paradiſum, longo interiacente ſpacio vel maris, vel terræ, à regionibus quas incolunt homines, ſecretum, & in alto ſitum, vſque ad Lunarem circulum pertingentem. vnde nec aquæ diluuij illuc peruenerunt.

Gen.2.b.c. Aug.lib.de Gen. ad lit.8.c.1. Tres ſententiæ de paradiſo ſunt, & quæ ſint. A quo principio ſit plantatus Aug.li.12. de Gen. ad liter.c.34. Qualis ſit locus paradiſi, & vbi

De lignis paradiſi, inter quæ erat lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni & mali.

F IN hoc autem paradiſo erant ligna diuerſi generis, inter quæ vnum erat, quod vocatum eſt lignum vitæ: alterum verò, lignum ſcientiæ boni & mali. Lignum autem vitæ dictum eſt, ſicut docet Beda & Strabus, quia diuinitùs accepit hanc vim, vt qui ex eius fructu comederet, corpus eius ſtabili ſanitate & perpetua ſoliditate firmaretur: nec vlla infirmitate, vel ætatis imbecillitate in deterius vel in occaſum laberetur. Lignum autem ſcientiæ boni & mali, non à natura hoc nomẽ accepit, ſed ab occaſione rei poſtea

Sup.Gen. Aug.cõtra aduerſ.leg. & proph. li.1.c.14. Quare vocatũ ſit lignũ ſcientiæ boni & mali. Aug.de Gen.ad lit. li.8.c.15. & 14.c.6.in fi.

poſtea ſecutæ. Arbor enim illa non erat mala; ſed ſcientiæ boni & mali ideo dicta eſt, quia poſt prohibitionem erat in illa tranſgreſſio futura: qua homo experiendo diſceret quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Non ergo de fructu qui naſceretur inde poſitum eſt illud nomen, ſed de re tranſgreſſionem ſecuta.] Cognouit enim homo priuſquam tangeret hoc lignum, bonum & malum: ſed bonum per prudentiam & experientiam: malum verò per prudentiam tantùm. Quod etiam per experientiam nouit vſurpato ligno vetito, quia per experientiam mali didicit quid ſit inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ. Si verò primi parentes obedientes eſſent, nec contra præceptum peccaſſent, non ideo tamen minùs diceretur lignum ſcientiæ boni & mali, quia hoc ex eius tactu accideret ſi vſurparetur.] [A ligno ergo homo prohibitus eſt, quod malum non erat, vt ipſa præcepti conſeruatio bonum illi eſſet, tranſgreſſio malum. Nec melius conſideratur, quantum malum ſit inobedientia quàm hoc modo: cùm ſcilicet ideò reus factus eſſe homo intelligitur, quia prohibitus rem tetigit, quam ſi non prohibitus tetigiſſet, nec peccaſſet, nec pœnam ſenſiſſet. Si enim venenoſam herbam prohibitus tetigiſſet, pœna ſequitur: & ſi nemo prohibuiſſet, ſimiliter ſequeretur. Si etiam prohiberetur res tangi, quæ non tangenti tantùm, ſed prohibenti obeſt, ſicut aliena pecunia, ideò prohibitum eſt peccatum, quia prohibenti eſt damnoſum. Cùm verò tangitur, quod nec tangenti obeſt, ſi non prohibetur, nec cuilibet ſi tangatur: ideò prohibetur, vt per ſe bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ monſtretur. Primus ergo homo à re bona prohibitus pœnam incurrit: vt non ex re mala, ſed ex inobedientia pœna eſſe monſtretur, ſicut ex obedientia palma.

Quod ſi primi parentes non peccaſſent non ideò minus ſcientiæ boni & mali lignũ diceretur. Aug. ſuper Gen. 8. lib. c. 13.

QVÆSTIO I.

Vtrum anima Adæ fuerit creata in corpore?

Alenſis 2. *p. q.* 60. *m.* 1. & 2. D. Thom. 1. *p. q.* 75. *a.* 1. & *q* 90. *a.* 4. & *hic q.* 1. *a.* 1, D. Bonau. *d.* 16. *a.* 1. *q.* 1. & *hic a.* 1. *q.* 1. Gabr. *q.* 2. Caſtro *l.* 2. *de hæreſ. v. anima her.* 3. Pitigianis *in Gen. pag.* 308.

Mag. A. B. C. D.

CIrca diſtinctionem 17. in qua Magiſter agit de origine animæ Adæ, & de loco, in quo productus fuit, quæruntur duo: Primò, Vtrùm anima Adæ fuerit creata in corpore? Secundò, Vtrùm Paradiſus ſit locus conueniens habitationi humanæ? Circa primum arguitur quòd non, quia eadem productione producitur compoſitum, & forma compoſiti: quia forma non producitur, niſi quia compoſitum producitur, 7. Metaph. *materia non fit, nec forma, ſed compoſitum*; ſed Adam non fuit productus creatione, quia fecit eum Deus de limo terræ: ergo nec eius forma, ſcilicet anima fuit creata. 1.

T. c. 22. & 27. Idem 8. Meta. tex. com. 3.

Præterea, ſicut res ſe habet ad *eſſe*, ita & ad *fieri*: ſed anima Adæ cùm ſit pars eius, non habuit *eſſe*, niſi in materia, ſcilicet in corpore: ergo & in corpore fuit facta. Minor probatur, quia pars alicuius totius, non habet *eſſe* niſi *eſſe* totius: ergo anima Adæ, quæ eſt pars compoſiti, vt totius, non habet *eſſe*, niſi *eſſe* compoſiti, & per conſequens nec *fieri*, niſi *fieri* compoſiti. Contrà, Magiſter in litera, vbi exponit illud Gen. *Formauit Deus hominem, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, dicit, id eſt, animam in corpore creauit.

Ratio opp.

SCHO

SCHOLIVM.

Refert, & reiicit breuiter errorem Gnoſticorum & Manichæorum dicentium animam eſſe aliquid de ſubſtantia Dei, emiſſum in corpus hominis, de quo Auguſtinus 7. de Gen. ad lit. c. 2. & 3. & 13. de Ciuit. c. 24. refert etiam ſententiam, quæ ponit animam habere materiam, & non tractat eam. Sed Auguſtinus hær. 86. ait eſſe errorem ponere animam corpoream, ita etiam l. 2. de Anima c. 5. Bernardus Ser. 40. ſuper Cant. & Ser. 51. in variis, qui tamen videntur poſuiſſe Angelos corporeos, de quo vide D. Bonau. 2. d. 8. p. 1. a. 1. q. 1. & Alenſ. 2. p. quæſt. 34. m. 1. D. Thom. 1. p. q. 51. ar. 1.

2. RESponſio. [b] Circa iſtam quæſtionem fuit vnus error, quòd anima eſſet de ſubſtantia Dei producta. Et ad hoc accipit argumentum ab Auguſtino. 7. ſuper Geneſim ſuper iſto verbo *inſpirauit*, vbi dicit, quòd flatus dicitur eſſe de ſubſtantia flantis, & hoc dicit gloſſa Auguſtini ſuper illud Io. 20. *Inſufflauit & dixit, accipite Spiritum ſanctum.* *Error Manich. quære Aug. in li. de duabus animabus.*

Hic error eſt nullus: quia qui cõcipit ſubſtantiam Dei, concipit eam vt in diuiſibilem, & inalterabilem, quæ nullo modo poteſt aliter, & aliter ſe habere. Deus etiam non eſt perfectio inhærens alicui vt forma: & ſic anima non eſſet forma corporis: igitur ſi anima eſt de ſubſtantia Dei: eſt tota ſubſtantia Dei: & ſic erit Deus præterea, Anima poteſt mutari: & mutatur ab ignorantia ad ſcientiam, à vitiis ad virtutes, & è conuerſo. Deus autem non ſic mutabilis eſt.

Dimiſſa opinione iſta, videndum eſt, Vtrùm anima ſit ex materia? Vbi dicit vna opinio quòd ſic: & tamen creatur, quia non eſt ex materia præcedente, vel præexiſtente, ſicut videtur dicere Auguſtinus 2. *ſuper Geneſim* ſed retractat illud *primo Retractationum*, & ideò, quia anima, & eius materia ſimul, non de aliquo producitur, ideò anima creari dicitur. *D. Bo. in 2. diſt. 17. art. 1. q. 2. c. 10.*

COMMENTARIVS.

1. a AN *anima Adæ fuerit creata in corpore*, id eſt, an in eodem inſtanti, quo corpus fuit perfectè organizatum, anima ſimul in corpore fuerit creata.

b Reſponſio. *Circa iſtam quæſtionem*, &c. Hic error fuit Manichæorum, de quo vide Auguſtinum in libro de duabus animabus.

Hîc Doctor dicit, quòd iſte error eſt nullus, quia concipiens ſubſtantiam Dei, concipit eam omnino indiuiſibilem, & inalterabilem: ſed ſi anima eſſet de ſubſtantia Dei, vel ſequeretur ipſum Deum eſſe diuiſibilem, ſi teneretur, quòd anima eſſet de aliqua parte eius, vel ſi teneretur, quòd eſſet de tota ſubſtantia Dei, quia indiuiſibilis, ſequereretur ipſam eſſe alterabilem, & mutabilem, & perfectibilem; ſicut dicimus quòd de materia aquæ fit terra, materia aquæ perficitur à forma terræ, & quia de nouo perficitur, ideò de nouo mutatur, ſic eſſet in propoſito. Nec valet dicere quòd Filius Dei eſt de ſubſtantia Patris, vt patet *in primo, diſt. 5.* & conceditur à Doctore *diſt. 5. q. 2. primi*, & tamen non dicitur ſubſtantia illa alterari, ſiue mutari, quia non tranſit à priuatione ad habitum, nam in eodem inſtanti, ſimpliciter, & ab æterno ſubſtantia Dei ſit fundamentum Filiationis, ideo nunquam priuata; priuatio enim propriè præcedit duratione habitum, & de hoc iam dictum eſt *in primo diſt. 2 parte 2. quæſt. tertia in reſp. ad principalia argumenta. & diſt. 39.* In propoſito autem ſi anima eſſet de ſubſtantia Dei, & haberet *eſſe* ex tempore, tunc ſubſtantia Dei verè mutaretur. Si etiam ab æterno poneretur anima de ſubſtantia Dei, adhuc ſequeretur ſubſtantiam Dei perfici realiter à creatura, quod repugnat primo enti. Addit etiam probando, quòd anima non ſit de ſubſtantia Dei, quia ex quo Deus non eſt perfectio inhærens alicui vt forma, vt patet *in primo, diſ. 2. par. 1. q. 1.* ſequitur quòd ſi anima eſſet de ſubſtantia Dei, non poſſet eſſe forma corporis; patet, quia ſi parti conſtituenti repugnat informare, etiam toti conſtituto repugnabit informare, ſicut ſi parti materiali repugnat informare, ita & toti conſtituto, vt patet à Doctore *in iſto 2. diſt. 16.* *Quomodo priuatio præcedat habitum. Opinio S. Bonau.*

SCHOLIVM.

Reſoluit primò animam creabilem eſſe ſine corpore, quia poteſt eſſe ſine eo. Secundò, quicquid ſit an demonſtretur animam eſſe immortalem (de quo Sco. 4. d. 43. q. 2.) ait ſecundum Philoſophum quòd non crearetur, quia diceret productionem terminari non priùs ad animam, ſed ad totum, ſicut forma cæli non priùs producitur, quàm ipſum cælum.

3. QVicquid ſit de hoc, Dico, quòd poſſibile eſt animã creari ſine corpore, forma. n. quæ producitur in *eſſe* non niſi productione totius, non producitur niſi per accidens: *Vide Auer. 12. Met. c. 18. declarantem*

Ariſtot. de hoc. dens: quia non niſi productione totius, nec etiam eſt niſi per accidens, loquendo de entitate per ſe, quæ competit compoſito, patet 7. *Meta.* Forma ergo, quæ poteſt per ſe eſſe, producitur productione propria, vel poteſt ſic produci: anima Adæ eſt huiuſmodi: ergo.

Tex. 22. & 60. Diſt. 43. q. 2. Sed quid eſt de facto? Dico [d], quòd non poteſt demonſtrari quòd ſit per ſe producta: non enim poteſt demonſtrari quòd ſit immortalis, vt videbitur *in quarto*: igitur nec quòd ſit per ſe producta, propria productione.

Vide de his clarius in 4. d. 43. Suppoſito etiam quòd ſit immortalis.[e] & quòd non ſubſit alicui agenti naturali, nec quantùm ad *eſſe*, nec quantùm ad *non eſſe*, adhuc Philoſophus non poneret eam creari: quia dicerent Philoſophi, quòd ſicut forma cæli non poteſt produci niſi à ſolo Deo, & tamen non dicitur creari, quia Deus non alia productione produxit formam cæli, quàm totum cælum, & ideò non priùs natura fuit forma cæli terminus creationis, quàm cælum: ita dicerent quod paſſo exiſtente diſpoſito, crearet, & produceret Deus de neceſſitate animam; non creatione, quæ terminaretur ad formam: ſed ad compoſitum. Vnde non concederent animam creari: non enim ſunt imaginati ſicut nos, ſcilicet, quod actio Dei, in primo inſtanti naturæ, vel temporis, terminetur ad *eſſe* ipſius animæ: & poſtea in ſecundo inſtanti infundatur corpori, ſed ponerent actionem Dei terminari ad *eſſe* totius in primo inſtanti naturæ.

COMMENTARIVS.

2. c QVicquid ſit de hoc. Dicit Doctor reſpondendo ad quæſtionem, vnum de poſſibili, & aliud de facto. De poſſibili dicit, quòd poſſibile fuit animam creari ſine corpore, & hoc probat, quia forma quæ producitur in *eſſe* non niſi productione totius, nec etiam eſt niſi per accidens loquendo de entitate per ſe, quæ competit compoſito. Patet 7. *Metaphy. t. c.* 22. vt ab aliquibus cotatur, tamen eſt expreſſiùs, *tex. com.* 26. 27. & Commentator comment. 23. in fine ſic dicit; *Etiam declarat differentiam inter materiam, & formam, & dat propoſitionem in eo, quod vult declarare, quòd forma, nec eſt generabilis, nec corruptibilis, niſi per accidens, & ſimiliter eſt de materia, & quòd generabile, & corruptibile in rei veritate eſt indiuiduum compoſitum, ex materia, & forma.* Hæc ille. Patet ergo quomodo forma non producitur, niſi productione compoſiti, & hoc eſt, quia extra compoſitum, nullum *eſſe* habet. Sed forma, quæ poteſt per ſe eſſe, producitur productione propria, vel poteſt ſic produci: anima Adæ eſt huiuſmodi; ergo poteſt produci ſine corpore.

Quomodo forma producatur. Sed dubitatur de hoc, ſcilicet quòd forma quæ non poteſt habere *eſſe* extra compoſitum, non poſſit per ſe produci, id eſt, productione propria, & alia à productione compoſiti. Primò, quia compoſitum dependet à forma eſſentialiter; ergo præſupponit *eſſe* formæ, & forma non habet illud *eſſe* ex ſe; ergo ab aliquo producente ipſam formam; ergo priùs producitur quàm compoſitum, intelligatur productum; ergo non eſt producta productione compoſiti.

3. Secundò, quia compoſitum dicitur produci per hoc, quòd forma non producitur ab agente in materia. Hoc patet à Doctore *in 4. diſt. 1. q. 1.* Si ergo priùs forma inducitur in materia quàm intelligatur compoſitum habere *eſſe*, ergo in illo priori habet *eſſe* productione alia à productione compoſiti. Tertiò, quia terminus formalis generationis, loquendo de termino formali per ſe, intelligitur priùs habere *eſſe* ipſo compoſito genito: generatio enim denominatur à termino formali per ſe, vt patet 5. *Phyſ. tex. com.* 4. ſicut alteratio ponitur in genere Qualitatis, quia ibi eſt forma accidentalis, quæ eſt formalis terminus alterationis. *Magis*, inquit, *in quid, quàm ex quo mouetur denominatur mutatio, vnde corruptio in non eſſe mutatio eſt, quamuis ex eſſe mutatur quod corrumpitur, & generatio in eſſe, quamuis ex eſſe.* Hæc ille. Et ſic patet quomodo mutatio ſemper denominatur à termino *ad quem*. Sed in compoſito forma eſt per ſe terminus formalis generationis. Patet 4. per Philoſophum 2. *Phyſ. tex. commen.* 14. vbi probat formam eſſe naturam per hoc, quòd generatio eſt naturalis, quia eſt via in naturam, eſt autem via in formam. *Amplius*, inquit, *natura dicta ſicut generatio via eſt in naturam.* Commentator ibi in principio commenti. *Iſta*, inquit, *eſt alia ratiocinatio, ex qua declarat etiam quod natura dicitur de forma, quoniam hoc nomen* natura *dicitur de generatione, quæ eſt via ad hoc, quòd forma fiat.* Hæc ille.

Alteratio in quo genere ponatur.

4. Reſpondeo præmittendo vnum, ſcilicet quòd non negatur formam in aliquo priori naturæ eſſe priorem compoſito, vt etiam probant illa argumenta; ſed benè negatur formam habere aliquod *eſſe* extra compoſitum. Et licèt in aliquo priori intelligatur habere *eſſe* in materia, quàm compoſitum intelligatur, tamen ad formam exiſtentem in materia, ſequitur de neceſſitate naturæ *eſſe* compoſiti. Et vltrà, quia tantùm compoſitum dicitur per ſe generari, & non forma, vt patet 7. *Metaphyſ. tex. com.* 26. 27. & 32. vbi hoc elariùs patet, quia hoc non tantùm eſt verum de ſubſtantia, ſed etiam de aliis. *Non*, inquit, *ſit quale, ſed quale lignum, neque quantum, ſed quantum lignum, aut animal.* Commentator. *Non*, inquit, *generatur qualitas, quæ eſt tanquam forma, ſed generatur corpus habens qualitatem aliquã, ſimiliter in ſubſtãtia non generatur forma.* Hæc ille. Et licèt forma ſit terminus formalis generationis, tamẽ non dicitur generari: ſicut etiã eſſentia diuina eſt terminus formalis generationis diuinæ, & tamen non conceditur quòd generetur, vt patet à Doctore *in 1. diſt. 5. q. 1.* vbi probatur quòd nõ generatur, & *q. 2.* vbi probatur quomodo eſt terminus formalis. Solum ergo compoſitum per ſe generatur, ideò forma in compoſito, quæ non poteſt habere *eſſe* extra compoſitum

Compoſitum per ſe generatur.

dici

dicitur generari generatione compoſiti, id eſt, pro quanto eſt pars alicuius, quod per ſe generatur, & per conſequens dicitur tantùm per accidens generari. Addo etiã, quòd ſi formaliter pro aliquo inſtanti, etiã naturæ poſſet habere *eſſe* extra materiam, quòd tunc non repugnaret ſibi poſſe pro toto tempore ſequenti, quia quod eſt prius natura alio, ſaltem poſitiuo, non repugnat eſſe prius duratione, vt ſuprà patuit. Et in hoc non eſt difficultas: ſed Philoſophus expreſsè negaret, quòd aliqua forma corporalis poſſet habere *eſſe* ſine materia pro aliquo inſtanti naturæ, licèt hoc non eſſet impoſſibile Deo, qui etiam facit accidens eſſe ſine ſubiecto, vt patet in Euchariſtia. Sed loquendo de anima intellectiua, ſi Philoſophus ponat eam immortalem, habet concedere, quòd poſſit eſſe ſine materia. Ex his patet ſolutio ad rationes, quæ benè concluderent, ſi probarent quòd forma poſſet in aliquo priori naturæ produci in ſe exiſtens, ita quòd productio in illo priori terminaretur ad formam, vt in ſe exiſtentem, non vt in materia: ſed hoc eſt impoſſibile, etiam apud Philoſophum, quia agens non producit formam, niſi in materia.

Deus facit accidens ſine ſubiecto.

5. *An anima producta ſit ſine corpore.*

d De ſecundo principali, ſcilicet de facto, An ſcilicet anima in aliquo priori ſit producta ſine corpore, id eſt, an de facto ſit producta in aliquo inſtanti, & non in corpore. Dicit Doctor duo, primo, quòd non poteſt demonſtrari, quòd anima ſit per ſe producta, ſcilicet productione propria, quaſi ſcilicet immediatè ſit terminata ad ipſam animam in aliquo priori, in quo non intelligatur vnita corpori, & quare hoc non poteſt demonſtrari, eſt, quia non poteſt demonſtrari ipſam eſſe immortalem; vt viſum eſt *in* 4. *diſt.* 43. *quæſt.* 2. ſi enim hoc poſſet demonſtrari tunc anima poſſet habere *eſſe* ſine corpore & exiſtere ſine ipſo, & per conſequens poſſet produci propria productione, ſed non eſt ſic de formis corruptibilibus, quia illæ ſecundùm Philoſophum, neceſſariò dependent à materia, ita quòd ſecundùm ipſum, eſt ſimpliciter impoſſibile tales formas poſſe exiſtere ſine materia, vt patet 7. *Metaphy. t.* 60. *ſiue vltimo*, vbi vult, quòd omnes partes, quæ poſſent manere ſeparatæ à toto compoſito ſunt elementa, id eſt, partes materiales; ſed forma non poteſt manere ſeparata toto compoſito deſtructo, vide ibi, & Commentatorem.

6.

e Secundò dicit, quòd *etiam ſuppoſito quod anima ſit immortalis*, &c. Si enim ſecundùm Philoſophum Deus poſſet in aliquo inſtanti naturæ producere animam, ita quòd in eodem inſtanti non eſſet neceſſariò vnita corpori, tunc Philoſophus haberet concedere ipſam creari, quia tali productioni nihil neceſſariò præſupponeretur. Poneret enim philoſophus, quòd eſſet ſimpliciter impoſſibile Deum poſſe immediatè producere de nouo animam intellectiuam, non præſuppoſito corpore organico immediatè receptiuo illius: & licèt ſuſtinendo immortalitatem animæ, anima ſecundùm ipſum, poſt corruptionem compoſiti, poſſet remanere, & per ſe exiſtere, non tamen ſecundùm ipſum, poſſet immediatè produci propria productione, ſed tantùm productione totius. De hoc vide Doctorem diſt. 43. quæſt. 2.

Immortalitas animæ non poteſt demonſtrari via naturali.

SCHOLIVM.

Reſoluit contra errorem Origenis animas non extitiſſe ante corpora, ita Hieronymus, ep. 27. ad Aug. & ep. ad Demet. c. 9. Cyrill. in id Io. 1. erat lux vera. *Leo ep.* 11. *Auguſt. (quicquid dicat Durand. 4. d. 43 q. 1.) 12. ciuit. 23. & 12. Trin. 15. 1. retrac. 1. &* 8. *Damaſc. 2. c.* 12. *Ber. ſer. 2. de Nat. Dom.*

4. SEd ſuppoſito quòd fuerit creata, fuitne ſimul creata cum formatione corporis? De hoc videtur ſentire Auguſtinus quòd non 7. *ſuper Gen. c.* 24. ſed quòd fuerint creatæ ſimul cum Angelis, & poſtea acceſſiſſe ad corpora.

Vide Bon. vbi ſupr. q. 3.

Sed contrarium huius habetur ab Auguſtino de Eccl. dog. cap. 13. vbi dicit ſic; *Animas hominum non eſſe ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec ſimul creatas, ſicut fingit Origenes*: vide literam in diſt. ſequenti.

Ponitur ad hoc ratio congruentiæ talis. *Dei perfecta ſunt opera* Deut. 32 quod etiam eſt rationabile ſi Propheta taceret, quod opera Dei ſint perfecta: anima eſt pars imperfecta dum actu non informat: igitur non debuit ſic creari.

Præterea, non fuiſſet rationabile, ſi fuiſſet creata ante corpus, quin habuiſſet aliquem actum, vel operationem propriam ante corpus: igitur ſimiliter potuit mereri, & demereri, quod eſt contra Apoſtolum Rom 9. loquens enim ibi de Iacob, & Eſau dicit. *Cùm nondum nati eſſent g aut aliquid egiſſent, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus*, &c.

Si anima eſſet ante corpus, operaretur.

5. Ad primum argumentum dico h quòd illud verum eſt de forma, quæ non producitur alia productione, quàm productione totius, quando autem forma producitur productione, quæ ſaltem ordine naturæ præcedit vnionem ſui, cum materia; non eſt verum. Et ſecundum hoc poſſunt aſſignari hîc duæ productiones paſſiuæ, vna ad animam ſicut ad vnum terminum partialem, alia ad totum.

Ad arg. 1.

Secundùm etiam argumentum currit de forma, quæ accipit *eſſe*: quia compoſitum accipit *eſſe*, in hac enim productione, *fieri* totius eſt via, & ratio ad *eſſe* partis. Illa etiam probatio de parte, non eſt vera de parte, cui non repugnat per ſe eſſe, ſi ſeparetur, vel vera eſt quantùm ad *eſſe* totius, in quo includitur *eſſe* partis.

COMMENTARIVS.

f *ANima eſt pars imperfecta, dum actu non informat, & ideò non debuit ſic creari,* pars enim nata eſt perfici à toto cuius eſt pars,& hoc participatiuè,ideò anima,abſolutè loquendo, eſt perfectior, vt actu eſt in toto, cuius nata eſt eſſe pars, quàm ſit extra totum, & dixi *abſolutè loquendo* quantùm ſcilicet ad perfectionem eſſentialem, & in actu primo, participatiuè tamen, licèt,vt beata ſit perfectior in actu ſecundo, de hoc patebit in quarto.

g *Cùm nondum nati eſſent*, &c. Nam Iacob antequam eſſet natus fuit prædeſtinatus, & Eſau reprobatus, & ſic patet quòd nullum opus, nec bonum,nec malum habuere.De hoc vide Doctorem in primo,diſt.31.& quæ ibi expoſui.

Ad argumenta principalia, primò arguit probando quòd non fuit creata, quia compoſitum non fuit datum; ergo nec anima. Antecedens patet,conſequentia patet,quia anima fuit producta productione totius, quia forma non producitur,niſi productione totius,vt patet 7.*Metaphy. tex. commen.* 27. 32. Cum ergo Adam fuerit factus de limo terræ, ergo anima eius non fuit creata.

h Reſpondet Doctor quòd textus Philoſophi benè concludit de forma, quæ tantùm producitur productione totius, vt ſuprà patuit. Sed in propoſito anima producitur prius natura, quàm corpus informet; prius enim natura intelligitur corpus organizatum, & poſterius natura anima producitur, & pòſt infunditur, ideò producitur propria productione.Sunt ergo duæ productiones. Vna terminatur ad *eſſe* ipſius animæ. Et alia ad *eſſe* totius. Sed ſi Deus præſupponeret neceſſariò *eſſe* corporis, vt immediatum receptiuum animæ,non poſſet ipſam animam producere in aliquo inſtanti temporis, vel naturæ, quin in eodem præcisè inſtanti eſſet vnita corpori,vt ſuprà dixi. Sed eſt agens merè contingens,& in ſua actione non præſupponit neceſſariò materiam, vt ab omnibus Theologis conceditur.

i Ad ſecundum dicit quòd hoc argumentum currit de forma, quæ accipit *eſſe*, quia compoſitum accipit *eſſe*,id eſt,quæ nullo modo poteſt habere *eſſe*,niſi in compoſito,& quæ non poteſt aliquo modo produci, niſi in materia,à qua dependet in *eſſe*,& in *fieri*.

QVÆSTIO II.

Vtrùm a paradiſus ſit locus conueniens habitationi humanæ?

Alenſis *p.2.quæſt.87.m.2.ar.2.* D.Th.*1.p.q.102.ar.1.& 2.*Abulen. *in c.13. Gen.quæſt.98. & q.107.* Perer.*l.3.in Gen.q.3.*Rabanus *&* Strabus *relati à Magiſtro hîc.* D.Bonau.*hîc dub.2.* Richar.*art.2.q.5.* Durand.*q.3.*Barth.Anglus *de proprietatibus rerum c.112.*Pirigianis *in Gen.pag.336.*

Mag.&F. *Arg.1.* ARguitur quòd non, quia Magiſter dicit,quod paradiſus præ altitudine loci attingebat ad globum Lunarem: ſed ſphæra ignis attingit ad illum globum Lunæ; ergo non eſt conueniens habitationi hominum. 1.

Arg.2. *Gen.7.* Prætereà, Paradiſus eſt locus ſuperior omni monte: quia aquæ diluuij aſcendentes ſuper cacumina montium quindecim cubitis:non aſcenderunt vſque ad paradiſum: ſed in aliquibus montibus non eſt conueniens locus habitationi humanæ, propter raritatem aëris: quod patet per Philoſophos,qui volentes inquirere de aſtris,aſcendebant altiſſimos montes portantes ſecum ſpongias plenas aqua, ad condenſandum aërem, ſiue ad hauriendum aërem groſſum. Vnde nec ros,nec pluuia,nec ventus ibi aſcendunt,ſicut dicit Solinus de Monte Olympi.

Cap.14. Contra Gen.2.*Tulit Deus hominem,& poſuit eum in paradiſo voluptatis*,&c.

SVPPLEMENTVM R. P. PONCII.

a ARguitur *quod non*, &c. Hanc quæſtionem ideò fortè non explicauit Lychetus, vel quia ſatis clarè ſententiam ſuam propoſuit Doctor, vel quia nullam continet difficultatem, aut controuerſiam ſpeculatiuam metaphyſicam, aut phyſicam; neque enim dubitare potuit quin ſit ex ſcripto Oxonienſi,cùm nulla dubitandi ſeſe offerat occaſio,& ab aliis interpretibus præſertim Tartareto, commento illuſtretur. Nos pauca maioris doctrinæ cauſa adiungemus.

SCHO

SCHOLIVM.

Paradiſum eſſe habitationi aptum, vt patet pro vtroque ſtatu naturæ, nam ibi Adam & Eua facti ſunt, eóque delati poſt lapſum Enoch & Elias. Gen. 5. & 4. R. 2. quoad locum paradiſi oſtendit non eſſe ad globum Lunæ nec in ſuprema, vel media parte aëris, & rationes ſunt claræ: putat etiam non eſſe ſub æquinoctiali, quia Zona torrida non eſt habitabilis, quæ eſt ſent. D. Tho. ſup. Ariſtot. & antiquorum, tamen ex nauigatione Hiſpanorum in nouo orbo conſtat habitalem eſſe in multis locis, & valde temperatam & fertilem, ſicut & Antipodas eſſe, quos Auguſtinus 16. ciuit. 9. Beda l. de rat. temp. 32. Lactan. 3. diuinarum inſtit. c. 24. & alij omnino eſſe negarunt, vide Conimbric. 2. de cælo c. 14 q. 1.

2. Dico quòd ſic, [b] tam pro ſtatu naturæ lapſæ, quàm innocentiæ: pro ſtatu naturæ lapſæ, patet de Enoch *Eccl. 44. & Gen. 5.* de Elia 4. *Reg. c. 2.* nec oportet recurrere ad miraculum, ex quo non eſt neceſſitas, vt patebit, pro ſtatu naturæ rectæ, patet de Adam & Eua.

De modo altitudinis, dicunt quidam quòd attingit vſque ad globum Lunarem: ſed quo ad longitudinem, dicunt ipſum eſſe ad Orientem. Vnde alia tranſlatio habet: *Paradiſus, quem plantauerat Deus ad Orientem*, vbi noſtra habet, *à principio*, & c. Quantùm ad latitudinem dicunt ipſum eſſe ſub æquinoctiali: & dicunt vltrà, quòd locus æquinoctialis eſt maximè habitabilis: quia licèt habitantes ibi habeant Solem bis in anno ſuper Zenith capitum ſuorum, citò tamen recedit ab eis, propter motum, quem habet ibi velociorem: & ideò modicum calorem cauſabit, & temperatum, quia pauciores facit ibi reflexiones. Quòd autem ſit motus Solis velocior, patet, quia circulus æquinoctialis eſt maior circulus, cùm non attingat alterutrum Tropicorum: vna autem die naturali Sol currit totam terram motu firmamenti: igitur ſub æquinoctiali citius mouetur, quàm ſub altero Tropicorum. Patet per illam regulam: *mobile in æquali tempore, magis tranſiens de ſpatio, velocius mouetur.*

Vide Aug. Steuchium in Coſmopœia. Alex. de Ales in ſumma. Alb. Mag. in ſum. Quære Io. Pecheam vide 49. d. 4. q. 13. 6. Phy. & c. 23.

Si ratio iſta valeret, videtur magis concludere oppoſitum: quia motus facit calorem, & per conſequens maior, vel fortior motus maiorem calorem cauſabit. Ratio etiam in ſe non valet, ſed eſt falſigraphica, propter quod currendum eſt ad ſententiam Auicennæ 1. canon. ſent. 2. doct. 2. ſum. 1. c. 8. quod intitulatur de accidentibus aëris & impreſſionibus, & ad Ptolemeum lib. de diſpoſitione ſphæræ.

3. Cap. 42.

3. Quantùm [c] ad hoc, quòd dicunt, quòd eſt ad Orientem, dico, quòd in quocunque ſitu ſit, poteſt intelligi eſſe ad Orientem, quilibet enim punctus in terra, poteſt intelligi eſſe ad Orientem in comparatione ad cœlum, vel reſpectu diuerſorum ſituum terræ, præterquam reſpectu duorum polorum, qui ſunt immobiles. Vnde per eſſe ad Orientem, non habetur determinatio terræ certa, & præciſa, in qua ſcilicet parte terræ ſit paradiſus.

Vide Aug. 12. ſuper Gen. & Ambr. in lib. de para. ad propoſitum 1, Paradiſum non eſſe ad globum lunæ, neque in ſuprema vel media aëris regione.

Quod dicunt [d] de altitudine, & pertingit vſque ad globum Lunarẽ: vel ſunt verba metaphorica, vel falſa, ſuppoſito quòd Paradiſus ſit locus habitabilis, quia experimur ignem moueri ſuper aërem ex motu, ſcilicet elementorum. Etſi enim paruus ignis non poſſit aſcendere ſuper aërem, vſque ad ſphæram ignis, hoc eſt propter virtutem paruam ipſius, non potentem reſiſtere corrumpentibus ipſam: igitur oportet locum ignis eſſe vſque ad locum Lunæ: ſed in igne non eſt habitatio conueniens humanæ naturæ, nec naturæ mixtorum, propter calorem nimium. Nec poteſt dici, quòd ſit in ſuperiori parte aëris, quia illa inflammatur vehementer propter propinquitatem ignis. Nec etiam poteſt attingere vſque ad medium interſtitium aëris, quia locus ille eſt frigidiſſimus perpetuò ſecundùm Philoſophum: cuius cauſa poſitiua eſt frigiditas nubium in eiſdem locis: cauſa priuatiua duplex, ſcilicet carentia caloris generati per reflexionem radiorum Solis à terra, & carentia caloris cauſati à Sole directè. Cùm igitur Paradiſus ponatur locus conueniens habitationi humanæ, ſequitur quòd non ſit in loco aliquo prædictorum, niſi ponatur locus ille accidentaliter temperatus, ſicut ſunt loca ſub polo Arctico, ſecundùm Martianum in Mundi deſcriptione, & Plinium 2. Naturalium, c. 7.

Vide 1. meteor.

Vide Abulenſem ſuper Gen. Diluuium non peruenit ad paradiſum.

4. Nec valet argumentum de diluuio, quia aquæ diluuij inundauerunt miraculosè, ſic aſcendentes ad punitionem peccatorum: vbi igitur non inundauerunt, non fuit factum miraculum ibi. In Paradiſo autem cum non eſſent ibi peccatores, non debuerunt per miraculum inundari. Nec ratio iſtorum valet, qui ponunt, quòd fuit naturalis

naturalis aſcenſus ille, quia ſcilicet per congregationem ſtellarum humidarum in aliquo ſigno, ſicut alibi patere poterit, quia hîc ſatis per ſcripturam, & Sanctos, patet oppoſitum.

Quod dicitur de æquinoctiali, quòd ibi eſt regio temperata; non videtur verum: quia quando hyems eſt nobis frigidiſſima, non remouetur ab eis Sol, niſi per viginti quatuor gradus: & tunc eſt eis propinquior, quàm ſit nobis in maxima æſtate, in qua diſtat à nobis per viginti quinque gradus: quare plus habent de calore in fortiſſima hyeme noſtra, quàm nos in maxima æſtate noſtra, aliam rationem non poſuit Doctor iſte.

Dico igitur [c] ad quæſtionem, quòd eſt locus conueniens habitationi humanæ, quia non oportet quòd ſit in tanta altitudine ſub æquinoctiali, ſed eſt in regione temperata: nec eſt neceſſarium, quòd ſit ad Orientem: & ſi ibi eſt, tamen eſt æque temperata. Per dicta patet ad argumenta.

SCHOLIVM.

De loco paradiſi nihil reſoluit, nihilque de eo certò reſolui poteſt, veriſimilius tamen eſt, eſſe ad Orientem, id eſt, ad regiones Perſidis, Armeniæ, Arabiæ, Meſopotamiæ, quæ in Scriptura per Orientem intelliguntur, quia tales ſunt reſpectu Iudææ, veriſimilius etiam eſt eſſe in Meſopotamia, quia fuit in Eden, Gen. 4. & hæc eſt in Meſopotamia, item alluitur Meſopotamia Tigri, & Euphrate. Vide Pererium 5. in Gen. quæſt. 2. & l. 7. in Pitigianem, ſuprà, & Eſtium hic. §. 17. Paradiſum adhuc exiſtere, verius videtur, quia ſic tenent Iuſtinus Martyr reſponſ. ad Orthodoxum quæſt. 75. 76. Iren. 5. contra hæreſ. Iſid. li. de vita & obitu Patriarcharum, Aug. l. 2. contra Pelag. c. 29. de quo benè noſter Pitigianis ſup. fol. 344. contra Pererium, qui l. 3. in Gen. quæſt. 5. de paradiſo, cum aliis oppoſitum tenet.

COMMENTARIVS.

2. SVPPLEM. PONCII.

Varia ſententia de Paradiſo.

[b] *Dico quòd ſic*, &c. Arguitur hic de Paradiſo illo, de quo *Geneſis* 2. fit mentio illis verbis: *Plantauerat autem Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formauerat*, &c. De eo autem variæ ſunt Patrum & Theologorum ſententiæ. Quidam enim non intelligunt locum vllum corporalem, vnde totum illum ſcripturæ paſſum, quo deſcribitur paradiſus, ſpiritualiter & myſticè intelligendum cenſent, non in ſenſu literali, quem verba præferunt. Ita Philo Iudæus *in lib. de mundi opificio, & in lib. de Allegoriis legis Moyſaicæ*: Origenes *ſuper Geneſim*: Ambroſius *in lib. de Paradiſo, & lib. 6. Epiſtolarum cap. 42. ad Sabinum.*

Alij exiſtimant illam deſcriptionem Paradiſi literaliter tantùm intelligendam: alij verò literaliter & ſpiritualiter; & hi omnes conueniunt in hoc contra præcedentem ſententiam, quòd *Paradiſus* in illo loco ſcripturæ ſignificet locum aliquem terreſtrem. Quæ ſententia ita placuit cæteris omnibus Patribus, vt oppoſitam Origenis plurimi erroneam iudicauerint. Et certè Auguſtinus 8. *de Gen. ad literam* omnes has ſententias refert, ſed poſteriorem præfert; verba eius ſunt: *Tres enim generales de Paradiſo ſententiæ ſunt; vna eorum qui corporaliter intelligi volunt tantùm; alia eorum qui ſpiritualiter tantùm: tertia eorum qui vtroque modo Paradiſum accipiunt. Tertiam mihi placere fateor, vt homo in corporali Paradiſo ſit poſitus.*

Paradiſus erat locus terreſtris.

Noſter Doctor hîc ſupponit hanc communem ſententiam, quæ etiam ſatis patet ex accurata illa Scripturæ deſcriptione; quæ cùm nihil impediat, omnino in ſenſu literali intelligenda eſt; quamuis etiam ſpiritualiter intelligi poſſit, vt & tota Scriptura: vnde Auguſtinus 13. *ciuit.* 21. poſtquam allegoricam expoſitionem Paradiſi propoſuiſſet: *Iſta*, inquit, *& ſi quæ alia commodiùs dici poſſint de intelligendo ſpiritualiter Paradiſo, nemine prohibente dicantur; dum tamen & illius hiſtoriæ veritas fideliſſima rerum geſtarum narratione commendata credatur.* Chryſoſtomus etiam homilia 13. in Geneſim: *Ideo Moyſes deſcribens Paradiſum, & nomen loci, in quo erat, ſcilicet Eden, & plagam Orientalem, quam ſpectabat, & nomina fluminum è Paradiſo egredientium ferè nota omnibus, tam ſubtiliter & accuratè enarrauit, vt non liceret nugari volentibus decipere ſimpliciores, dicendo nullum fuiſſe in terra Paradiſum, ſed in cælo, & alias fabulas, ſuáque ſomnia iactando. Nam ſi, cùm Moyſes tantam in deſcribendo Paradiſo diligentiam poſuerit, nihilominùs tamen fuere nonnulli fabulantes non fuiſſe ſuper terram Paradiſum, multáque alia à doctrina Moyſis alieniſſima inducentes, & verba eius aliorſum, quàm dicta ſunt, detorquentes, quid futurum fuiſſet, ſi non tam minutatim, tam dilucidè, denique tam enucleatè Paradiſum deſcripſiſſet.*

3. *An Paradiſus fuerit locus conueniens habitationi hominum ex natura ſua.*

Suppoſito ergo quòd Paradiſus hic fuerit locus aliquis terreſtris, quærit hîc Scotus? An fuerit locus conueniens habitationi hominum? hæc autem quæſtio vt habeat aliquem conuenientem ſenſum, intelligi debet quantùm ad naturalem ſitum, & naturam Paradiſi, nam quòd aliquo modo fuerit conueniens locus, ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter, non poteſt eſſe in controuerſia, quandoquidem fuerat locus delicioſiſſimus, & de facto in eo collocatus fuerat primus parens, indéque poſtea in pœnam ſui peccati

peccati expulſus cum poſteris ſuis qui eodem loci generarentur, ſi non fuiſſet peccatum. Quia verò hanc conuenientiam ad habitationem humanam habere poterat, vel naturaliter, vel ſupernaturaliter; quæritur hîc an naturaliter eam habuerit? Ratio autem dubitandi pro parte negatiua eſt, quòd aliqui ipſum poſuerint ſub globo Lunæ, ſeu in concauo eius, vbi dicitur communiter collocari ſphæra ignis: alij verò in locis altioribus omnibus montibus: alij denique ſub linea æquinoctiali, ſeu ſub Zona torrida, quæ inhabitabilis exiſtimabatur olim, propter nimium calorem: ſed vbicunque ex his locis collocaretur, non poſſet eſſe naturaliter conueniens habitationi humanæ, vt patet.

Rationes partis negatiuæ.

Pars affirmatiua præfertur.

His tamen non obſtantibus, concludit Doctor Paradiſum fuiſſe locum conuenientem habitationi hominum; quæ ſententia iam communiſſima eſt, vt poſtea videbimus. Probat Scotus hanc concluſionem quoad ſtatum naturæ inſtitutæ, ſeu innocentiæ, ex eo quòd primi parentes ſint poſiti in eo, & quoad ſtatum naturæ lapſæ, ex eo quod eò tranſlati ſint Enoch & Elias. Nec dicendum eſt quòd miraculosè redderetur conueniens habitationi horum hominum, non verò ex natura ſua; quia non debemus recurrere ad miraculũ ſine cauſa; nulla autem cauſa, aut neceſſitas vrget nos ad recurrendum hîc ad miraculum: ergo potiùs dicendum eſt quòd naturaliter erat conueniens habitationi humanæ, quam miraculosè.

4. Vbi ſitus erat Paradiſus.

Vt probet Minorem, in qua eſt tota difficultas, proponit aliorum ſententiam de ſitu Paradiſi. Qui dicunt quod Paradiſus ſitus fuerit quantùm ad altitudinem in concauo Lunæ, quantùm ad longitudinem in Oriente, & quantùm ad latitudinem ſub linea Æquinoctiali. Quantùm ad primum de altitudine ita tenet Magiſter hîc, neſcio quo fundamento probabili. Quantùm ad ſecundum de ſitu ad Orientem, patet, quia vbi noſtra tranſlatio habet, *plantauerat Deus Paradiſum voluptatis à principio*, quæ tranſlatio eſt Hieronymi, qui ſecutus eſt Aquilam, Symmachum & Theodotionem, tranſlatio alia, nempe ſeptuaginta Interpretum, quam omnes ferè Græci Patres amplectuntur, habet, *ad Orientem*, loco iſtius *à principio*. Quantùm ad tertium de ſitu eius ſub linea æquinoctiali, fundamentum videtur eſſe quod terra ſub iſta linea ſit temperatiſſima; quia licèt Sol ſit bis in anno ſupra capita eorum directè, tamen quia non diu permanebat apud ipſos, propter velociorem motum eius, in illo circulo non poterat generare immoderatos calores, ſed valde moderatos.

5. Quomodo motus eſt cauſa caloris.

Ad hoc vltimum primò reſpondet Doctor, potiùs rationem illam de motu eſſe ad oppoſitũ; quia motus eſt aliquo modo cauſa caloris, non quidem immediata & proxima, ſaltem ſecundùm Scotum, cùm formaliter ſit reſpectus, & reſpectus non poſſit eſſe principium immediatum formæ abſolutæ, qualis eſt calor; ſed conditio applicans cauſam proximam vel motum materialiter ſumptum: ergo velocior motus eſt cauſa maioris caloris; & conſequenter, ſi Sol velociùs moueretur ſupra locum conſtitutum ſub linea æquinoctiali, deberet tantò magis maiorem ibi calorem producere.

Deinde dicit ipſam rationem in ſe eſſe falſigraphã, quia licèt benè ſequeretur quòd nimij calores non impedirent temperiem iſtius regionis, ſeu plagæ, ſi Sol citò moueretur & recederet ab illa, modò receſſus Solis eſſet talis & tantus, vt non poſſet magnos calores facere; tamen ſi receſſus non ſit tantus, certum eſt quòd non poſſit ſequi ex eo quòd citò recederet, quin calor eſſet immoderatus; quia ergo ratio prædicta ex feſtino receſſu Solis arguit moderatos calores, & omnis feſtinus receſſus hoc non inferat, ſed aliquis, propterea committit fallaciam talem, qualem commiteret, qui ex eo, quod aliquis ſit animal, vellet arguere quòd eſſet rationale.

Dices cum Conimbricenſibus 2. *cæli cap.* 14. *art.* 3. licèt eo loci calores diurni ſint valde intenſi, tamen non continuari eos diu, ſed ſuccedere noctem, ſuóque frigore, quod durat tamdiu, quamdiu durat calor, temperare illum calorem. Sed contrà, quando apud nos feruent calores æſtiui, omnino de nocte etiam non deſinunt; & licèt ſint minùs intenſi quàm de die, tamen intenſiores ſunt, quàm calor diurnus hiemis: ergo etiam calores nocturni iſtius plagæ erunt etiam vehementer intenſi iuxta proportionem intenſionis, quam habet calor diurnus, & conſequenter non erit tantum frigoris nocturni, quantum poſſit ſufficere ad temperandum calorem diurnum.

Hæc probant ex motu cæli, & quantùm eſt ex parte caloris, quem de ſe in ea regione produceret nullo modo eſſe poſſe locum conuenientem habitationi humanæ, aut ſaltem non eſſe tam conuenientem, quàm exigeret homines in paradiſo; atque adeò paradiſum ſub illa zona, ſeu linea æquinoctiali, non eſſe conſtitutum. Et hoc eſt quod intendit Doctor hîc in fine §. *Quod dicitur de æquinoctiali*, dum dicit terram ſub illa linea non eſſe temperatam; nimirùm conſiderata præcisè actione Solis, & corporum cæleſtium, cum quo tamen ſtat quòd aliũde poſſet eſſe temperata; nimirùm ob frequentiores ventos & pluuias, prout conſtat eſſe ex nauigationibus Indicis; quamuis veteres authores communiter cum Ariſtotele 2. *Metaph.* 5. & D. Thoma 1. *par. quæſt.* 102. exiſtimauerint terram omnem ſub illa linea fuiſſe prorſus inhabitabilẽ ob vehementiores calores, quàm vt ferri poſſint. Aduertendum autem quòd licèt Doctor citetur pro eadem communi ſententia veterum à Conimbricenſibus, ipſe tamen nullo modo aſſerat inhabitabilitatem iſtius terræ: ſed ſolummodo non eſſe temperatam ſufficienter vt in ea collocaretur paradiſus.

Quomodo ſecundum Doctorem terra ſub æquinoctiali linea eſt intemperata.

Terra ſub æquinoctiali linea eſt habitabilis & aliquali tẽperata.

c *Quantùm ad hoc quod dicunt quid eſt*, &c. Illud alterum quod authores prædictæ ſententiæ aſſerebant, nempe paradiſum conſtitutum ad Orientem, dicit non eſſe ſufficienter fundatum; quia præterquam quòd noſtra tranſlatio vulgata præferenda ſit omnibus aliis, quamuis admittatur paradiſum in ſcriptura collocatum eſſe ad Orientem, inde nihil certi poteſt cõcludi quantùm ad determinatam partẽ mundi, in qua eſſet, quia vbicunque diceretur collocari, ibi eſſet ad Orientem in comparatione ad aliquas alias partes mundi: vnde Hibernia, quæ eſt ad Occidentem in comparatione ad alias partes Europæ, eſt ad Orientem, ſi compararetur ad Indias Occidentales: ergo cùm nullum aliud ſit fundamentum iſtius ſententiæ quoad hoc, præter illa verba ſcripturæ, ſecundùm minùs approbatam

Ex conſtitutione Paradiſi ad Orientem non potuit colligi circa quam determinatam mundi partem ſuit.

approbatam tranſlationem, omnino caret ſufficienti fundamento.

Communiter tamen dicitur quòd locus paradiſi debeat eſſe ad Orientem, in comparatione ad Palæſtinam, vel ad locum, in quo formatus fuerat Adam: & ita ſit, necne, ad propoſitum parum facit.

7. *Paradiſus non erat immediatè ſub cælo lunæ.*

d *Quod dicunt de altitudine*, &c. Impugnat ſententiam Magiſtri collocantis paradiſum ſub cælo Lunæ; quia quandoquidè paradiſus ſit locus voluptate deliciiſque plenus, vt incoleretur ab hominibus innocentibus, Dei amicis, & filiis adoptiuis, profectò nullo modo dici debet collocari immediatè ſub cælo Lunæ, quia ille eſt locus naturalis ignis, vt communiter aſſeritur, & colligitur ex motu naturali ignis, ſemper ſe quãtum poteſt eleuantis ſuprà aërem; non verò eſt locus naturalis terræ petentis eſſe ſub aëre & aqua. Nec dicendum eſt miraculosè collocatum ſub cælo paradiſum; quia miracula ſine neceſſitate non ſunt aſſerenda. Adde, nullum eſſe fundamentum iſtius ſententiæ, quod ſanè ſolum ſufficit ad eius impugnationem. Præterea, ſi ibi eſſet conſtitutus paradiſus, cur eſſet ponendus Angelus ad cuſtodiendum ipſum, ne homines, ejecti poſt peccatum ad terram noſtram, eò ſe conferrent, cùm nullo modo poſſint ad concauum Lunæ volare, vt patet? Deinde propter eandem rationem oſtendit paradiſum non eſſe nec in ſuperiori, nec in media aëris regione, quia ſuperior pars eſt calida, media eſt ex ſe ſemper frigida, locus autem paradiſi debet eſſe naturaliter temperatus. Adde, ſi fuiſſet in aëre vllibi, quòd deberet impedire, naturaliter loquendo, tranſmiſſionem lucis ad partem terræ ſubiectam, vt manifeſtum videtur; id autem fieri nullo modo habet probabilitatem.

Non fuit conſtitutus Paradiſus in ſuperiori aut media regione aeris.

8. Quòd ſi qui Patres ita loquantur, vt in ſuperioribus aliquibus locis ſupra terram collocatum velint, intelligendi ſunt in ſenſu aliquo figurali, non in proprio. Et ſi obiiciatur quòd paradiſus debeat eſſe in loco aliquo ſuperiori ad omnem terram, quia aliàs cooperiretur aquis diluuij, quæ altiſſimos quoſque montes cooperiebant. Reſpondet Doctor negando conſequentiam, quia cùm illa inundatio facta fuit miraculosè in pœnam peccatorum, non erat neceſſe vt fieret, niſi in habitationibus hominum; vnde cùm paradiſus poſt peccatum non erat habitatio eorum, non erat neceſſe, vt pateretur diluuium. Et ſanè qua ratione conſeruatur à Deo, ita vt non poſſit ab hominibus adiri; eadem congruè conſeruari debuit ab aquis diluuij. Reſponderi poſſet ſecundò, iuxta alios, non eſſe abſurdum vt paradiſus etiam pateretur inundationem diluuij, præſertim per accidens, ratione inundationis per ſe factæ in aliis terris: & ſanè exiſtimo neceſſariò id ſecuturum in tanta eleuatione aquarum, niſi Deus miraculosè reſtitiſſet.

Quomodo non cooperiebatur Paradiſus aquis Diluuij.

Diluuium non accidit naturaliter.

Addit obiter Doctor improbabilem eſſe ſententiam eorum, qui putauerunt diluuium naturaliter ſucceſſiſſe, ob congregationem nimirùm ſtellarum humidarum in aliquo ſigno; quia Scriptura & Patres ſatis clarè dicunt à Deo potiùs in pœnam peccatorum fuiſſe cauſatum, quod eſſet falſum ſi cauſaretur naturaliter ab illa congregatione, quæ fieret, quamuis nunquam fuiſſet commiſſum peccatum, vt patet.

9. e *Dico igitur*, &c. Concluſio Doctoris eſt, quòd paradiſus ſit locus aptiſſimus hominum habitationi, & quidem naturaliter, quia non eſt recurrendum ad miraculum ſine neceſſitate; vnde collocari debet in aliqua temperata regione terræ; vbi autem demùm ſit collocandus non reſoluit Doctor, nec vacat difficultate & controuerſia.

Pererius *lib. 3. in Geneſ. num. 122.* Torniellus 3. *die creationis mundi*, Salianus *ibidem*, & alij, exiſtimant illum conditum circa fines Meſopotamiæ in iis regionibus, quas Tygris & Euphrates præterlabuntur: Diuus Auguſtinus *lib. 8. de Geneſi, ad literam, cap. 7.* Tertullianus *in Apologia*, & alij, quos ſequitur Bellarminus *lib. de gratia primi hominis*, fatentur paradiſum creatum ad Orientem, ſed loco tamen mortalibus incognito. Et ſanè hæc vltima ſententia mihi valde probabilior videtur; præſertim ſi, vt cõmuniùs tenetur, paradiſus adhuc exiſtit. Ratio eſt, quia inprimis fundamenta priõris ſententiæ, quam ſecutus videtur ſcholiaſtes noſter, ſunt ſatis infirma; nam omnes regiones illæ Meſopotamiæ, cum adiacentibus ſunt habitatæ, nec conſtat aliquam terram eſſe vicinam, cuius aditus prohibetur. Veriſimile autem eſt quòd id conſtaret, ſi daretur talis terra, præſertim cùm veriſimile ſit paradiſum ſatis magnum continere tractum, vt pote omnibus hominibus, ſi non peccarent, futurum habitaculum. Tum, quia aliorum duorum fluminum præter Tygrin & Euphratem, quæ ex paradiſo oriebantur, nullum extat iis in partibus veſtigium, quorum tamen non minùs reperiri deberet, quàm Tygris, & Euphratis. Tum denique, quia Tygris & Euphrates non oriuntur in Meſopotamia, ſed in Armeniæ montibus; vnde cùm iſta quatuor flumina orta ſint in paradiſo, vt ſcriptura aſſerit, potiùs Armenia dicenda eſſet locus paradiſi, quàm Meſopotamia.

Incertum qua terræ parte ſitus Paradiſus.

Rationes contra ſitum eius circa fines Meſopotami.

Nec prorſus valet quod aliqui dicunt Tygrin & Euphratem coniungi in Meſopotamia, & iterum diſiungi, ſicque haberi quatuor capita fluminum, de quibus Scriptura meminit; vocari autem Tygrim & Euphratem illa duo priora capita, antequam coniunguntur; duo verò poſteriora capita eſſe illa flumina, quæ vocantur in Scriptura Phiſon & Gehon, quamuis iam ita non vocentur. Hoc, inquam, nihil valet, quia vt benè aduertit Bellarminus, illa quatuor flumina dicuntur oriri in paradiſo, & deinde diuidi in quatuor capita: ſed certum eſt quod priora duo capita non poſſunt dici oriri in Meſopotamia, imò nec poſteriora etiam, niſi admodùm incongruè; nec poteſt dici quòd illa pars fluminis, in qua conueniunt Tygris & Euphrates in Meſopotamia diuidatur in quatuor capita. Deinde Phiſon & Gehon dicuntur circuire varias regiones, quod non conuenit duobus iſtis fluminibus egredientibus ab illo loco coniunctionis Tygridis & Euphratis, cùm breuiſſimo rectóque tractu in mare Perſicum ingrediantur. Præterea iuxta hoc paradiſus nunc non extaret incognitus & inhabitatus ab hominibus, vt communius ſupponitur eſſe.

Adde ad hæc Patres & Doctores communiter per Phiſon & Gehon intelligere Nilum & Gangem, idque habere magnum fundamentum in ipſa ſcriptura.

10. *Rationes pro ſitu Paradiſi circa Meſopotamiam.*

Obiicies: Scriptura ait paradiſum conſtitutum in Eden: nam vbi noſtra tranſlatio habet; *Plantauerat autem Deus paradiſum voluptatis*, in

in Hebræo habetur : *Plantauerat Deus paradiſum in Eden.* Sed Eden eſt locus ſitus prope Charan in Meſopotamia, vt patet ex illo Ezechielis 27. *Charan, & Chene, & Eden negotiatores tui:* & ex 4. Geneſ. *Egreſſuſque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.*

Confirmatur, quia Meſopotamia eſt regio amœniſſima, in eáque habentur iſta flumina, quæ dicuntur fuiſſe in paradiſo.

Soluuntur. Nomen Eden æquiuocum in ſcriptura.

Reſpondetur in primis ſecundùm omnes vocem *Eden* eſſe æquiuocam, & ſignificare aliquando voluptatem, aliquando nomen loci proprium; & quidem in hoc loco, vbi deſcribitur paradiſus, potiùs dicendum eſt ſignificare voluptatem, ſeu locum delicioſum, quia id præ ſe fert expreſsè noſtra tranſlatio, quæ omnibus aliis eſt præferenda. Quod ſi etiam ſignificaretur hic locus aliquis proprius per *Eden*, non tamen ſequitur quod ſit ille locus, qui vocatur *Eden* in aliis locis ſcripturæ; tum, quia plura loca vocari ſolent eodem nomine; tum, quia certum eſt quòd paradiſus, ſi exiſtat modo, non poſſit eſſe ille locus. Adde in Eden in quo collocatus eſt paradiſus orta fuiſſe quatuor flumina, nullum autem flumen oritur in Eden, quod eſt in Meſopotamia. Deinde non videtur quod Eden Meſopotamiæ ſit tam magnus locus, quàm ſufficeret, vt in eo conſtitui poſſet paradiſus.

Ad confirmationem reſpondeo, amœnitatem Meſopotamiæ non accedere ad illam, quam habuit paradiſus; vnde ex illa nihil habetur adiumenti ad ſententiam aduerſam. Quod autem iſta duo flumina eam præterlabantur, etiam non facit ad rem, quia in ea deberent oriri, nec ſufficit vllo modo, quod præterlabantur. Quod ſi hoc argumentum valeret paradiſus deberet æquè conſtitui, vbi alia duo flumina Phiſon & Gehon præterlabuntur: quod & nullus dicit & abſurdum eſſet, quandoquidem ſic paradiſus in duabus regionibus valde diſſitis eſſet collocandus.

Alia ratio pro eadē ſententia ſoluitur.

Obiicies ſecundò: Iam notum eſt vbi oriuntur Tygris & Euphrates: ergo cùm dicantur oriri in paradiſo, facilè cognoſci poteſt locus paradiſi. Reſpondeo, licèt appareat aliquis locus vbi oriuntur Tygris & Euphrates, poſſe tamen eſſe, quòd ſub terra poſt alios longiſſimos tractus alios ortus alibi habeant, loco nobis incognito; & ita ſine dubio veriſimilius eſt quòd accidat tum in Tygre & Euphrate, tum in Nilo & Gange: quæ quatuor flumina licet à ſe valde diſtent, & non vnum, ſed diuerſum ortum habere videantur, in aliquo tamen vno loco vnum ortum habere poſſunt, & deinde currere & præterlabi varias regiones nunc ſupra terram, nunc ſub terra. Et per hoc patet breuiter ad prolixum Pererij diſcurſum, contendentis contra communiorem ſententiam Nilum & Gangem non eſſe illa duo flumina, quæ in ſcriptura vocantur Phiſon & Gehon.

Nilus & Ganges ſunt Phiſon & Gehon.

II.

An adhuc extet Paradiſus.

Ad confirmationem porrò maiorem huius noſtræ ſententiæ iuuabit aliquid reſoluere de alia quæſtione, ad tractatum de paradiſo ſpectante; An ſcilicet adhuc extet paradiſus? Nam ſi extet, quandoquidem nullum ſit veſtigium eiu propè Meſopotamiam, omnino improbabilis videtur illa ſententia, quæ in ea, aut circa eam illum collocat. Negant autem eum iam extare (cùm illa nimirum amœnitate & delitiis, cum quibus creatus eſt; nam de ipſa terra, quæ ſic erat amœna non eſt controuerſia) & dicunt aquis diluuij factum eſſe, vt illa amœnitas perderetur, Eugubinus, Oleaſter, Pererius, Salianus, & alij recentiores. Oppoſitam verò ſententiam tenent veteres ferè omnes tum Patres, tum Theologi; Irenæus, Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus, Beda, Alcimus Auitus, S. Thomas, & cæteri ferè ſcholaſtici 1. *par. quæſt.* 102. *& in 2. diſt.* 17. quorum vel ſola authoritate hæc ſententia longè probabilior cenſenda eſt; præſertim cùm oppoſita leuiſſimo innitatur fundamento, & cùm S. Auguſtinus de fide putet eſſe Chriſtiana quòd paradiſus exiſtat, ſic enim aſſerere videtur lib. de peccato originali cap. 23. *Longè aliter ſe habent quæſtiones illæ, quas eſſe præter fidem arbitratur, quàm ſint illæ, in quibus ſalua fide, quâ Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quod verum ſit, & ſententia definitiua ſuſpenditur, aut aliter, quàm eſt, humana & infirma ſuſpicione coniicitur, velut cùm quæritur, qualis, vel vbi ſit Paradiſus, vbi conſtituit Deus hominem, quem formauit ex puluere, cùm tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet.* Quæ verba clariſſima ſunt, nec vllam probabilem admittere poſſunt gloſſam, qua ad alium ſenſum torqueri poſſint; vnde Salianus admittit quidem Auguſtinum ſenſiſſe eſſe de fide, quòd paradiſus exiſtat.

Paradiſus exiſtit adhuc cum ſua amœnitate.

Accedit ad hoc quòd Enoch & Helias dicantur communiter tranſlati in paradiſum, vbi viuunt vſque ad finem mundi: & quidem de Enoch id expreſsè tradit Scriptura Eccleſiaſt. 44. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum*: ergò remanet adhuc Paradiſus. Ludicrum autem eſt quod ad hoc reſpondet Salianus, illos quidem contineri intra terram illam, quæ erat olim ante diluuium Paradiſus, & ab Angelis ibidem inuiſibiles conſeruari. Si enim nihil voluptatis habent ex illo loco, cur in eo potiùs, quàm in alio quocunque ponerentur? Aliter reſpondet anno 987. non eſſe eos tranſlatos in paradiſum illum voluptatis, quo collocatus erat Adam, neque id haberi ſufficienter ex Scriptura; quia paradiſus ſignificat locum quemcunque amœnum, ac delicioſum; nec additur aliquod epitheton in illo loco, quo Enoch tranſlatus dicitur in paradiſum, quo reſtringatur iſtud nomen ad paradiſum illum Adami. Verùm hæc etiam reſponſio non ſufficit; quia licèt paradiſus ſignificet locum delicioſum tamen hoc loco capi pro paradiſo Adæ, patet ex grauiſſima Irenæi authoritate lib. 5. contra hæreſes, cap. 5. *Vbi ergo primus poſitus eſt homo, ſcilicet in paradiſo, quemadmodum Scriptura dicit & plantauit Deus paradiſum in Eden contra Orientem, & poſuit ibi hominem quem plaſmauit, & inde proiectus in hunc mundum non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli eos, qui tranſlati ſunt, illuc tranſlatos eſſe.* Sic tenet etiam S. Iuſtinus martyr *q.* 85. *ad Orthodoxos*, S. Athanaſius *in epiſtola de Nicena ſynodo*, Iſidorus *lib. de vita & morte ſanctorum cap.* 3. & alij: quorum etiam authoritate ſatis probatur hoc quod intendimus, quamuis nullam haberemus Scripturam. Nec refert quòd alij Patres dicant incertum eſſe quò tranſlati ſint Enoch & Helias;

Enoch & Elias tranſlati ad Paradiſum.

Reſpondet Salianus malè.

Iterum Reſpondet.

Sed malè.

quia licèt illis incertum erat, quia non habuerunt fundamentum ſufficiens ad rem illam determinandam, tamen hi alij Patres habuerunt, nimirùm traditionem illam, de qua mentionem facit Irenæus *ſuprà*; quæ fortè ad aliorum Patrum non peruenit notitiam. Adde eandem eſſe difficultatem de illa alia terra, in qua eſſent Enoch & Elias, atque de ipſo Paradiſo: cur ergo ad aliam terram incognitam potiùs, quàm ad ipſum paradiſum recurretur?

12. *Obiectio pro non exiſtentia Paradiſi.* Obiicies pro aduerſariis, *Geneſ.* 7. dicitur: Aquæ omnia repleuerunt in ſuperficie terræ, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo: ergo cooperuit etiam paradiſum, & conſequenter deſtruxit eius pulchritudinem. Confirmatur, quia ſi paradiſus extitiſſet immunis ab illis aquis, fruſtra conficeretur arca pro ſalute Noë, ac ſuorum, quia poterant ſaluari in paradiſo. *Reſponſio.* Reſpondeo negando conſequentiam, quia ſub locutione illa generali non debet comprehendi paradiſus, ſed ſolùm omnes montes & terra ſub cœlo pertinentia ad habitationem peccatorum, quorum ſcelera diluuio caſtigare voluit Deus. Nam quemadmodum alia locutio generalis habita cap. ſequenti, nimirùm, quòd mortui ſunt vniuerſi homines, remanſitque ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca, non intelligitur, niſi de hominibus vitam mortalem in communi hac terra degentibus; quia aliàs eſſet falſa, cum certum ſit non mortuum fuiſſe Enoch: ita etiam hæc locutio reſtringi debet ad montes & terras pertinentes ad communem hominum habitationem. Ad confirmationem nego ſequelam; quia paradiſus non erat locus deſtinatus ad habitationem communem peccatorum, niſi Deus priuilegio particulari eò vellet aliquem transferre, vt tranſtulit Enoch; quod priuilegium noluit extendere ad Noë ob plures rationes ſibi cognitas. Deinde licèt demus fuiſſe coopertum diluuio Paradiſum, non ſequitur quin Diluuio tranſacto, iterum acquiſiuerit priſtinam amœnitatem & cum ea adhuc perſeueret. Enoch autem interea à Deo poterat miraculosè ſeruari immunis.

13. Quæres hîc primò, ſi Paradiſus adhuc extet, quid cauſæ ſit quòd eò perueniri non poſſit, aut ad partes vicinas; Circa hoc Chryſoſtomus ait ante diluuium patuiſſe multis viam ad paradiſum, licèt nemo potuerit ingredi propter Cherubim in eius cuſtodia relictum: poſt diluuium verò omnino viam illam aquis obrutam, omniáque eius indicia. *Cur non poſſit iam adiri Paradiſus.* Sed & legitur in vita Macharij Romani, ipſum, aliósque tres monachos tandem poſt longiſſimam ac difficiilimam peregrinationem ad aditum Paradiſi peruenisſe. Verùm hæc hiſtoria apocrypha, & paruæ, aut nullius authoritatis, vt plurimùm cenſetur. Quantùm ad rem ipſam attinet, omnino videtur paradiſus fuiſſe acceſſibilis ex natura ſua; cur enim aliàs opus eſſet cuſtodia illa angelica. Propterea verò non cognoſcitur iam vbi eſt, vel quia homines nolunt tantum laboris ſumere & difficultatis, vel quia Deus ſpecialiter impedit ne eo perueniant, ſi qui eo ſtudio ducti eius inueniendi gratiâ peregrinantur.

14. *Quanta fuit magnitudo Paradiſi?* Quæres ſecundò, quanta fuerit magnitudo paradiſi? Reſpondeo id omnino incertum eſſe. At ſi verum eſt, quòd dicit Pererius, ſi ſtatus innocentiæ perſeueraret, adhuc non in ſolo paradiſo victuros homines, ſed per reliquam etiam orbis partem habitaturos, ſatis paruum locum exigeret paradiſus. Verùm exiſtimo cum Auerſa *q.* 75. *ſect.* 2. id non ſatis commodè dici; cur enim aliqui potiùs, quàm omnes, in paradiſo, aut extra paradiſum collocarentur? Certè qui ad aliquas partes terræ minùs iucundas mitterentur, cum eam pœnam, quam ob peccatum incurrit Adam & poſteri paterentur, quantùm ad expulſionem à paradiſo, meritò conqueri poſſent. Nec refert quòd reliquus orbis eſſet inhabitatus; ſicut non refert modò quod ipſe paradiſus non habitetur, niſi ab Enoch & Elia. Et quemadmodum nos habemus notitiam rerum, quæ habentur in partibus remotis, quas non inhabitamus, & inſuper habemus authoritatem præſidendi piſcibus maris, & dominandi cunctis animantibus terræ, licèt nunquam ſimus redacturi in actum illam poteſtatem: ita illi, qui inhabitarent paradiſum, poſſent habere tam notitiam rerum, quæ reperiuntur in aliis mundi partibus, quàm authoritatem dominandi & præſidendi piſcibus ac animalibus illarum partium, licèt nunquam vterentur illo dominio.

Perſeuerante innocentia homines omnes non peccatores habitarent intra Paradiſum.

Et ſi quæras, vnde haberent notitiam illarum rerum? Reſpondeo illam aliquos habere poſſe per reuelationem diuinam, aut Angelicam, & alios ab illis per relationem humanam. Sed fortaſſis non eſſet etiam abſurdum, quòd ex illiſmet habitatoribus paradiſi aliqui ſuo arbitrio ad alias partes extra paradiſum ſe conferrent, exploraturi quid in iis cognitione dignum reperiretur, & iterum reuerſuri, ac aliis quod viderant relaturi; & ſic etiam poſſent dominari actu piſcibus & animantibus aliarum partium.

Egredi poſſit aliqui ex Paradiſo reliquum orbem luſtraturi.

Itaque concludo, Paradiſum tam magnum eſſe quàm ſufficeret habitationi commodæ tot hominum, quot ſimul vnquam viuerent ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet: niſi fortè dicatur cum Auerſa quòd ab initio non fuit in tanta magnitudine creatus, ſed quòd pro multiplicatione hominum poſtea augeretur; quod ſi quis ita dicat, tum ſatis paruam magnitudinem poteſt illi qui iam exiſtit, & in quo erat poſitus Adam, tribuere. Et hæc pro præſenti Doctoris quæſtione ſufficiant.

DISTINCTIO XVIII.

De formatione mulieris.

A IN eodem quoque paradiſo mulierem formauit Deus de ſubſtantia viri: ſicut poſt plantatum paradiſum, hominémque in eo poſitum, & poſt vniuerſa animalia ad eum ducta, ſuiſque nominibus deſignata, ſubnectit ſcriptura, Immiſit Deus ſoporem in Adam. Cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & formauit eã in mulierẽ. *Gen. 2. d.*

Quare virum priùs, & poſtea de viro mulierem creauit, non ſimul vtrumque?

B HIc attendendum eſt, quare non creauit ſimul virũ & mulierem, ſicut Angelos, ſed priùs virum, deinde mulierem de viro. Ideò ſcilicet, vt vnum eſſet generis humani principium, quatenus in hoc & ſuperbia diaboli confunderetur, & hominis humilitas Dei ſimilitudine ſublimaretur. Diabolus quippe aliud à Deo principium eſſe concupierat. Ideóque vt eius ſuperbia retunderetur, hoc homo in munere accepit, quod diabolus peruersè rapere voluit, ſed obtinere non potuit. Et per hoc imago Dei in homine apparuit: quia ſicut Deus omnibus rebus exiſtit principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis. [Ideò etiam ex vno homine omnes eſſe voluit Deus, vt dum cognoſcerent ſe ab vno eſſe omnes, ſe quaſi vnum amarent.] *Aug. libr. 12. de ciuitate Dei cap. 26. Ibid. & lib. 9. de Geneſi ad literã cap. 13.*

Quare de latere viri, non de alia corporis parte formata ſit mulier.

C CVm autem his de cauſis facta ſit mulier de viro, [non de qualibet parte corporis viri, ſed de latere eius formata eſt: vt oſtenderetur, quia in conſortium creabatur dilectionis,] ne fortè ſi fuiſſet de capite facta, viro ad dominationem videretur præferenda: aut ſi de pedibus, ad ſeruitutem ſubiicienda: Quia igitur viro nec domina, nec ancilla parabatur, ſed ſocia: nec de capite, nec de pedibus, ſed de latere fuerat producenda: vt iuxta ſe ponendã cognoſceret, quam de ſuo latere ſumptã didiciſſet.

Quare dormienti & non vigilanti coſta ſubtracta eſt?

D NOn ſine cauſa dormienti quoque viro potiùs quàm vigilanti detracta eſt coſta, de qua mulier in adiutorium generationis viro eſt formata, ſcilicet vt nullam in eo ſenſiſſe pœnam monſtraretur, & diuinæ ſimul potentiæ opus mirabile oſtenderetur, quæ hominis dormientis latus aperuit, nec eum tamen à quiete ſoporis excitauit. In quo etiam opere ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ figuratum eſt. Quia ſicut mulier de latere viri dormientis formata eſt, ita Eccleſia ex ſacramentis, quæ de latere Chriſti in Cruce dormientis profluxerunt, ſcilicet ſanguine & aqua, quibus redimimur à pœnis atque abluimur à culpis. *Ad Eph. 5. g. Ioan. 19. f*

Quòd de illa coſta ſine extrinſeco additamento facta fuit per Dei potentiam, ſicut quinque panes in ſe multiplicati ſunt.

E SOlet etiam quæri, Vtrùm de illa coſta ſine adiectione rei extrinſecæ facta ſit mulier? Quod quibuſdam non placuit. Cæterùm ſi ad perficiendum corpus mulieris Deus extrinſecum augmentum addidiſſet, maius illud eſſet quàm ipſa coſta. Ideóque potiùs de illo addito quàm de ipſa coſta, mulier facta deberet dici, de quo plures accepiſſet ſubſtantiæ partes. Reſtat ergo, vt de ſola ipſius coſtæ ſubſtantia ſine omni extrinſeco additamento, per diuinam potentiam in ſemetipſa multiplicata, mulieris corpus factum dicatur: eo ſanè miraculo, quo poſtea de quinque panibus à IESV cæleſti benedictione multiplicatis, quinque millia hominum ſatiata ſunt. [Illud etiam ſcire oportet quòd cum Angelorum miniſterio facta ſit mulieris formatio, non eſt eis tamen tribuenda creationis potentia. Angeli enim nullam poſſunt creare naturam: ergo nec formare coſtam in mulierem, nec carnis ſupplementum in loco coſtæ, non quòd nihil agant vt aliquid creetur, ſed non ideò creatores ſunt, ſicut nec agricolæ ſegetum, vel arborum. Solus Deus, id eſt, Trinitas eſt creator. Facta eſt ergo fœmina à Deo, etiamſi coſta miniſtrata ſit per Angelos.

Ioan. 6. c. Aug. lib. 9. de Gen. c. 15.

Mat. 14. b Quod Angeli nõ fuerunt creatores.

Vtrùm ſecundùm ſuperiores, an ſecundùm inferiores cauſas ita facta ſit mulier, id eſt, an ratio ſeminalis id haberet, vt ita fieret, an tantum vt ita fieri poſſet, ſed vt ſic fieret in Deo tantum eſſet cauſa.

F SEd quæritur, [An ratio quam Deus primis operibus concreauit, id haberet, vt ſecundum ipſam ex viri latere fœminam fieri neceſſe foret, an hoc tantum, vt fieri poſſet?] [Ad quod ſciendum eſt, omnium rerum cauſas in Deo ab æterno eſſe. Vt enim homo ſic fieret, vel equus, & huiuſmodi in Dei potentia, & diſpoſitione ab æterno fuit. Hæc dicuntur primordiales cauſæ: quia iſtas aliæ non præcedunt, ſed iſtæ alias, quæ ſunt cauſæ cauſarum. Cumque vnum ſit diuina potentia, diſpoſitio, ſiue voluntas, & ideò vna omnium principalis cauſa: tamen propter effectus diuerſos pluraliter dicit Auguſtinus cauſas primordiales omnium rerum in Deo eſſe, inducens ſimilitudinem artificis, in cuius diſpoſitione eſt, qualis futura ſit arca. Ita & in Deo vniuſcuiuſque rei futuræ cauſa præceſſit. In creaturis vero quarundam rerum, ſed non omnium cauſæ ſunt, vt ait Auguſtinus. [Quia inſeruit Deus ſeminales rationes rebus, ſecundùm quas alia ex aliis proueniunt: vt de hoc ſemine tale granum, de hac arbore talis fructus, & huiuſmodi.] [Et hæ quoque dicuntur primordiales cauſæ, etſi non adeò propriè: quia habent ante ſe cauſam æternam, quæ propriè & vniuerſaliter prima eſt.] Illæ verò ad res aliquas dicuntur primæ, ſcilicet quæ ex eis proueniunt. Ideò etiam primordiales dicuntur, quia in prima rerum conditione, rebus à Deo inſitæ ſunt. Et ſicut creaturæ mutabiles ſunt, ita & hæ cauſæ mutari poſſunt: quæ autem in immutabili Deo cauſa eſt non mutari poteſt.

Aug. ſup. Gen. lib. 9. cap. 17. Aug. lib. 6. de Gen. cap. 15.

Lib. 9. c. 17. Quod non omnia quæ fiunt cauſæ ſint in creatura.

Diſtinctio

Diſtinctio cauſarum rerum perutilis, ſcilicet quòd quædam in Deo & in creaturis, quædam in Deo tantum ſunt.

G OMnium ergo rerum cauſæ in Deo ſunt, ſed quarundam cauſæ & in Deo ſunt, & in creaturis. [quarundam verò cauſæ in Deo tantum ſunt : & illarum rerum cauſæ dicuntur abſconditæ in Deo, quia ita eſt in diuina diſpoſitione, vt hoc, vel illud fiat, quod non eſt in ſeminali creaturæ ratione. Et illa quidem quæ ſecundùm cauſam ſeminalem fiunt, dicuntur naturaliter fieri, quia ita curſus naturæ hominibus innotuit. Alia verò præter naturam, quorum cauſæ tantum ſunt in Deo.] Hæc autem dicit Auguſtinus eſſe illa, quæ per gratiam fiunt, vel ad ea ſignificanda quæ non naturaliter ſed mirabiliter fiunt. Inter quæ mulieris facturam de coſta viri ponit, ita dicens. [Vt mulierem ita fieri neceſſe foret, non in rebus conditum, ſed in Deo abſconditum erat. Omnis naturæ curſus habet naturales leges, ſuper hunc naturalem curſum, creator habet apud ſe poſſe de omnibus facere aliud, quàm eorum naturalis ratio habet : vt ſcilicet virga arida repentè floreat, & fructum gignat, & in iuuentute ſterilis fœmina, in ſenectute pariat, vt aſina loquatur, & huiuſmodi. Dedit autem naturis, vt ex his etiam hæc fieri poſſent, non vt in naturali motu haberent. Habet ergo Deus in ſe abſconditas quorundam futurorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eáſque implet non opere prouidentiæ, quo naturæ ſubſiſtunt, vt ſint : ſed quo illas adminiſtrat vt voluerit, quas vt voluit condidit. Omnium ergo quæ ad gratiam ſignificandam non naturali motu rerum, ſed mirabiliter facta ſunt, abſconditæ cauſæ in Deo fuerunt : quorum vnum erat, quòd mulier facta eſt de latere viri dormientis. Non habuit prima rerum conditio, vt fœmina ſic fieret, ſed vt fieri poſſet : ne contra cauſas quas Deus voluntariè inſtituit, mutabili voluntate aliquid facere putaretur.

Aug. ibid. c. 18. & 17.

Super Gen. li. 9. c. 18.

Nu. 17. b. Luc. 1. de Nu. 22. c. De gemino opere prouidentiæ. Aug. libr. eod. c. eod.

De anima mulieris, quòd non eſt ex anima viri, vt quidam putauerunt, dicentes animas eſſe ex traduce.

H [QVemadmodum mulieris corpus de viri corpore traductum fuit, ita putauerunt aliqui ipſius animam de viri anima propagatam : & omnes animas præter primam, de traduce eſſe, ſicut corpora. Alij autem putauerunt ſimul omnes animas ab initio creatas.] Catholica autem Eccleſia nec ſimul, nec ex traduce factas eſſe animas docet : ſed in corporibus per coitum ſeminatis atque formatis infundi : & infundendo creari. Vnde in Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 14. [Animas hominum non eſſe ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec ſimul creatas, ſicut Origenes fingit, dicimus : neque in corporibus per coitum ſeminari, ſicut Luciferiani & Cyrillus, & quidam Latinorum præſumptores affirmant. Sed dicimus corpus tantùm per coniugij copulam ſeminari. Creationem verò animæ ſolum creatorem noſſe, eiúſque iudicio corpus coagulari in vulua, & compingi atque formari : ac formato iam corpore animam creari atque infundi, vt viuat in vtero homo ex anima conſtans & corpore, & egrediatur viuus ex vtero plenus humana ſubſtantia] Hieronymus etiam anathematis vinculo illos condemnat qui animas

Aug. li. de Gen. ad literam 10. c. 1. Animas nõ eſſe ex traduce.

Hieron. Pſal. 32. in to. 8. damnatur hic error ſed nulla ſit mẽtio anathematis.

ex traduce dicunt: inducens auctoritatem Prophetæ, Qui finxit ſingillatim corda eorum. Hic ſatis, inquit, innuit Propheta, quòd non ipſam animam de anima facit Deus, ſed ſingillatim animas de nihilo creat.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm in materia ſit ratio ſeminalis ad formam naturaliter educendam de ipſa?

Auguſt. 3. *de Trin. c.* 7. & 8. & 22. *vinit.* 14. Greg. Nyſſe. *orat.* 3. *de reſur.* Alenſ. 2. *p. q.* 60. *m.* 2. D. Bonau. *hìc art.* 1. *q.* 2. Richar. *ar.* 1. *q.* 3. Durand. *q.* 2. D. Thom. 1. *p. quæſt.* 115. *art.* 2. Her. *hìc q. vn. ar.* 3. Capr. 1. *d.* 42. *qu. vn. ar.* 3. Conimb. 1. *Phyſ. c.* 9. *q.* 12. *ar.* 6. & 1. *de genera. c.* 4. *q.* 26. *ar.* 1. Philip. Faber. *Theor.* 70. *Vide Doct.* 4. *d.* 43. *q.* 2.

Irca diſtinctionem decimamoctauam, in qua Magiſter agit de productione mulieris, quantùm ad corpus, & animam principaliter: & de rationibus ſeminalibus incidenter quæritur vnum, Vtrùm ſcilicet in materia ſit ratio ſeminalis ad formam naturaliter educendam de ipſa? Quòd ſic, quæro enim, aut aliquid formæ præcedit in materia, & habetur propoſitum; aut nihil, & tunc forma creatur: quia de nihilo producitur: & pari ratione per corruptionem annihilatur, à quo enim res incipit, in idem reſoluitur: ergo agens naturale poteſt annihilare, & creare. 1.

Arg. 1.

Ariſt. Proculus, & Dion.

Prætereà, generatio eſt naturalis: igitur habet principium actiuum intrinſecum naturale. Antecedens patet. Conſequentia probatur, quia ſecundo Phyſicor. *natura eſt principium motus, & quietis*: forma eſt magis natura, quàm materia, vt dicitur ibidem: ergo oportet quod ſit non tantùm principium paſſiuum ſed actiuum, illud autem principium non eſt forma inducenda, quia illa nondum eſt: igitur oportet quòd ſit inchoatiuum formæ, quod eſt ratio ſeminalis.

Arg. 2.

Text. 3.

Text. 13.

Prætereà, 7. *Metaph.* dicit Philoſophus quòd ea, quæ fiunt, vel generantur à caſu, generantur à cauſa æquiuoca, vt à corpore cœleſti: igitur oportet, quòd in eis pars formæ ſit principium intrinſecum, ſicut in generatione vniuoca, principium extrinſecum mouet materiam.

Arg. 3.

Text. 29. *& inde.*

Contrà, ſi eſt, aut eſt eadem reſpectu contrariarum formarum: aut ſunt ſingulæ rationes ſeminales ſingularum formarum ſpecificarum, non eadem, quia tunc idem numero erit pars formarum contrariarum, illæ etiam formæ contrariæ in aliquo differunt, & non in illa ratione ſeminali vniuoca, quia illa eſt eadem reſpectu earum, ſecundùm te: igitur ex quo conueniunt, & differunt ſunt compoſitæ ex partibus diuerſarum rationum, quod eſt falſum. Si ſint ſingulæ ſingularum: igitur vel vna informabit materiam, & non aliæ; & tunc illæ aliæ erunt ſubſiſtentes exiſtentes partes formarum materialium, nec informantes materiam; aut omnes informant, & ſunt diſtinctæ ſecundùm ſpeciem; & tunc illa vna materia erit informata diuerſis formis ſubſtantialibus ſpecificis, quod eſt impoſſibile, quia non magis repugnat formas ſubſtantiales ſpecie differentes intenſas, informare ſimul vnam materiam, quàm remiſſas. 2.

Ratio opp.

SCHOLIVM.

Oſtendit rationem ſeminalem non eſſe materiam, nec potentiam eius paſſiuam, ſi hæc diſtinguatur ab ea, ſed actiuam, & ponit opinionem Alberti Magni, qui dicit rationem ſeminalem, eſſe actum eiuſdem rationis cum forma generanda, qui cum agente extrinſeco facit formam ſe perfectiorem, aliàs (inquit) omnes formæ ſubſtantiales crearentur, ſi nihil earum præexiſteret, nec generatio eſſet naturalis, probatur ex tribus locis Philoſophi.

Albertus Magnus Quæſt. Hē. quodl. 4. *q.* 14.

REſponſio: [a] hìc videndum eſt, quid ſit ratio ſeminalis: & quomodo, & ad quid ponatur in materia. Vbi ſciendum eſt, ſecundùm aliquos, quòd in mate 3.

in materia ſunt tria, ſcilicet materia, potentia receptiua, & actus. Ratio ſeminalis non poteſt eſſe ipſa materia, vel potentia paſſiua materiæ, ſi non differunt realiter: quia Auguſtinus 10. *ſuper Geneſ.* dicit quòd Leui fuit in Abraham, & ſimiliter Chriſtus ſecundùm Apoſtolum *ad Hebr.* 7. ſed diuerſimodè, nam ſecundùm Auguſtinum Leui in Abraham, ſecundùm rationem ſeminalem. Vnde & Apoſtolus *ibidem* dicit eum fuiſſe in lumbis paternis: ſed Chriſtus non fuit in Abraham ſecundùm rationem ſeminalem, ſed tantùm ſecundùm corpulentam ſubſtantiam: vterque tamen tam Leui, quàm Chriſtus, fuit ibi ſecundùm materiam, vel potentiam paſſiuam materiæ: igitur, materia, & potentia paſſiua eius, non eſt ratio ſeminalis. *Vide Magiſtrum in 3. diſt. 3.*

Probatur etiam, quòd non ſit ratio ſeminalis potentia receptiua materiæ, quia ſecundùm Auguſtinum 9. *ſuper Gen.* (& ponitur in litera huius diſtinctionis) Deus multa producit in materia, vel de materia, ad quæ non fuit * potentia ſeminalis in ea: ſed Deus nihil poteſt cauſare, vel producere de materia, ad quod ipſa non ſit in potentia receptiua: igitur potentia receptiua non eſt ratio ſeminalis. *al. ratio.* *Vide Vu. 1. 2. diſt. huius.*

Relinquitur igitur [b], quòd ſit actus, & huiuſmodi actus ponitur ab eis eiuſdem rationis, vel eſſentiæ cùm forma per generationem inducenda: quæ imperfecta præexiſtens, eſt ratio ſeminalis: quæ licèt ſit imperfecta, eſt tamen nata coagere generanti extrinſeco: & in hoc ſaluare volunt, quod ibi non ſit creatio, quia aliquid formæ præſupponitur. In hoc etiam ſaluant, quòd eſt generatio naturalis: ſi enim principium actiuum eſſet totaliter ab extrinſeco, non videretur generatio naturalis.

Hoc autem confirmant per Ariſtotelem *ſecundo Phyſic.* vbi dicit, quòd artificialia differunt à naturalibus, quia naturalia habent in ſe principium motus, artificialia non, ſed illud principium non eſt principium paſſiuum, quia illud habent artificialia, igitur debet intelligi de principio actiuo. *Tex. 3.*

Præterea 6. Metaph. dicit Philoſophus, quòd *principium artificialium eſt in cognoſcente, & principium naturalium in moto*: cùm ergo accipiat ibi principium æqualiter, vel vniformiter (aliter argumentum non valet) & principium artificialium in cognoſcente ſit actiuum, oportet, &c. *Text. 1.*

Præterea, 3. Ethic. *violentum eſt, cuius principium eſt extrà, non conferente vim paſſo*: igitur per oppoſitum, paſſum naturale, quod non mouetur totaliter ab extrinſeco, ſed ab intrà, confert aliquam vim, aliter ſi paſſum naturale totaliter moueretur ab extrà, eſſet motus violentus. *Cap. 1.*

COMMENTARIVS.

1. *Quid ſit ratio ſeminalis.*

a *Eſponſio. Hic videndum eſt quid ſit ratio ſeminalis, &c.*

Suppono pro nunc vnum, quòd ſcilicet ratio ſeminalis eſt principium, vel ratio formalis producendi aliquid, ita quòd in ratione ſeminali includitur ratio productiui, ſiue modo ſit ratio producendi terminum principalem, ſiue diſpoſitionem ad illum, non curo ad præſens: pro nunc ſufficit mihi quòd tam apud Doctorem quàm apud opinantes, iſta ratio ſeminalis non eſt ipſa materia, vel potentia paſſiua materiæ, ſed eſt actus, &c.

Opinio Alberti Magni.

b *Relinquitur igitur, quòd ſit actus, &c.* Iſta eſt opinio Alberti Magni, qui dicit, quòd ratio ſeminalis eſt actus eiuſdem rationis cum forma per generationem inducenda, & opinio ipſius ſtat in hoc; pono exemplum, nam in materia plantæ, antequam generetur forma ſubſtantialis perfecta plantæ præexiſtit forma ſubſtantialis plantæ, ſub gradu tamen imperfecto, & remiſſo, & ipſa forma ſub tali *eſſe* eſt ratio formalis producendi formam eiuſdem rationis in materia plantæ in *eſſe* perfecto, & licèt talis forma imperfecta ex ſe non poſſit producere formam perfectam eiuſdem rationis, poteſt tamen coagere agenti extrinſeco, puta Soli ad producendum formam ſubſtantialem plantæ in *eſſe* perfecto: & moti ſunt ad hoc, vt euitent creationem ipſius formæ, quia ſi nihil formæ ſubſtantialis elementi præfuiſſet, tunc illa forma crearetur; ponendo verò aliquid ſui præexiſtere, id eſt, formam ſubſtantialem plantæ in *eſſe* perfecto, quæ eſt pars ipſius formæ ſubſtantialis in *eſſe* perfecto, ſequitur quòd talis forma ſubſtantialis in *eſſe* perfecto non creatur, cùm aliquid ſui præexiſtat. *Quare etiam Henricum quol. 4. q. 14.*

SCHOLIVM.

Refutat opinionem allatam, quod id quod ait, quòd aliàs formæ crearentur. Primò, quia ſecundùm illam ſententiam noua pars formæ creatur: ſecundò, ratio ſeminalis ageret, virtute non exiſtentis, vel producens perfectiorem formam, produceret imperfectiorem, quod eſt contra eos. Tertiò, nihil educitur de aliqua eiuſdem rationis ſecum.

CONtra primum [c] motiuum de creatione arguitur ſic. Quæro enim, vtrùm illa pars formæ de nouo adueniens per generationem, præfuerit, aut non. Si non, igitur cùm illa pars non ſit à ſe, nec aliquid eius præfuerit, ergo creatur: ſi præfuit, ergo nihil noui per generationem acquiritur: igitur nihil eſt totaliter nouum, ſed omnia fuerunt ſimul creata: & quodlibet erit in quolibet, quod Philoſophus improbat *primo*, *Phyſic. tex* 27. 4.

Prætereà, illud præcedens [d] ponitur forma imperfectior, forma inducenda per generationem, aliter ante generationem eſſet in materia, forma perfecta eiuſdem rationis cum forma inducenda per generationem, & tunc vltrà cùm in his, quæ ſunt eiuſdem rationis, minùs perfectum non agat, niſi in virtute magis perfecti, ſequitur quòd ratio ſeminalis, vel illa forma imperfecta præcedens, non aget niſi in virtute formæ inducendæ, quæ nondum eſt.

Vel formetur ſic ratio [e], Oportet quòd forma præcedens, & ſubſequens, quæ ponitur perfectior, ſint eiuſdem rationis, aliter illa forma eſſet ex diuerſis rebus diuerſarum rationum, tunc ſic; Agens, quòd in virtute ſua actiua habet formam perfectiorem, habet etiam imperfectiorem eiuſdem rationis: igitur ſicut perfectior ponitur in eſſe per generans, ſic & imperfectior: non igitur in materia præfuit ratio ſeminalis perpetuò.

Nihil deducitur ad actum de eo quod eſt eiuſdem rationis cum eo.

Prætereà, pars formæ [f], quæ per generationem inducitur, aut educitur immediatè de potentia materiæ: & tunc fruſtrà ponitur ratio ſeminalis præcedere in materia: aut non immediatè de materia, ſed de illa parte formæ præexiſtente, ſiue de ratione ſeminali, vel de materia, vt eſt ſub illa parte, vel ratione ſeminali: & vtrobique ſequitur inconueniens, ſcilicet, quòd aliquid educeretur ad actum, de aliquo eiuſdem rationis cum ipſo.

Reſpondet ad Albert.

Ad rationem autem [g] quæ probat creationem ibi eſſe ratione noui acquiſiti, quod non præfuit: Dico quòd aliquid noui fit ibi naturaliter: quod oportet ponere propter cauſationem cauſarum ſecundarum, & motum, & mutationem earum; quæ ſunt ad illud nouum cauſandum: non eſt ibi tamen creatio, quia creatio eſt

Quid creatio?

productio, quæ excludit omnem aliam cauſalitatem, & cauſæ materialis, & ſeminalis, & efficientis creati: quodlibet autem agens creatum, requirit aliquid in agendo vt concauſam efficientem, vel ſaltem vt principium materiale: igitur eius actio non eſt creatio. Patet igitur ad rationem de creatione, quia licèt forma illa perfecta, vel noua non fit de aliquo: vt ly *de*, dicit circunſtantiam rei materialis ad creationem; tamen requiritur quòd nihil præceſſerit neceſſariò requiſitum ad *eſſe* ſuum: & per idem patet ad rationem de annihilatione. In propoſito autem deficit conditio, quia materia requiritur præexiſtere: & ita agens non poteſt creare aliquid, neque annihilare: quia relinquit materiam poſt corruptionem.

COMMENTARIVS.

1. *Scotus arguit contra primũ motiuum.*

c *Contra primum motiuum de creatione*, &c. In iſta ratione arguit Doctor probando quòd non generatur, vel ſi aliquid generatur illud verè creatur. Et vt intelligatur propoſitio Doctoris ſuppono vnum, ſcilicet quòd ipſa forma imperfecta, quæ dicitur ratio ſeminalis ſecundùm iſtos dicatur *A*, & forma perfecta, quæ producitur, quæ eſt eiuſdem rationis cum *A* vocetur *B*: ſtante hoc quærit Doctor an aliquid ipſius *B* præfuit, ſi dicatur, quòd ipſum *B* præfuit, ergo nihil de nouo generatur. Si dicatur, quòd aliquid ipſius *B* præfuit, detur illud. Si dicatur, quòd eſt *A*, accipio ipſum *B*, quod de nouo generatur, certum eſt quòd illa pars, vel ipſum *B* creatur, quia nihil illius partis præfuit, quia tota de nouo acquiritur. Si dicatur quòd ipſum *B* diuidatur ſecundùm aliquam partem ſui ipſius, quæ non eſt ipſum *A*, & ſic vna pars illius præfuit, & dicatur *C*, accipio illam vltimam partem, quæ de nouo acquiritur, certum eſt quòd illa, quæ de nouo acquiritur tota producitur, & de nullo ſui, quia nihil illius partis præfuit, & ſic non poteſt euadere creationem.

d *Prætereà illud præcedens*, &c. Deducit Doctor opinantem ad hoc inconueniens, quia ſequeretur quòd aliquid ageret in virtute non entis, quod eſt impoſſibile; nam forma eiuſdem rationis imperfectior non agit ad perfectiorem eiuſdem rationis, niſi in virtute perfectioris; ſed perfectior ante actionem imperfectioris non eſt; patet, quia acquiritur per actionem illius; ergo tunc ſequitur quòd aliquid agit in virtute illius, quod non eſt.

e *Vel formetur ſic*, &c. Hæc ratio ſtat in hoc, quòd ſi agens extrinſecum habet in virtute ſua formam perfectiorem; à fortiori habet in virtute ſua formam imperfectiorem eiuſdem rationis, & ſic ſi agens extrinſecum poteſt producere *A* in *eſſe* perfecto, ita quòd nihil illius *A* præfuerit, multò magis poteſt producere in *eſſe* imperfecto, & ſic non eſt neceſſe quòd talis ratio ſeminalis præcedat in materia. Dicit autem Doctor quòd ſi poteſt 2.

produ

producere perfectius, poteſt producere & imperfectius eiuſdem rationis, non autem ſequitur de imperfecto alterius rationis, quia ignis poteſt producere formam ſubſtantialem ignis, & tamen non poterit producere formam ſubſtantialem aquæ, quæ eſt imperfectior, nec forma frigiditatis.

f *Præterea pars formæ*, &c. Nota quod dicit in vltimo rationis, quòd eſt inconueniens aliquid eiuſdem rationis educi de aliquo eiuſdem rationis, quia illud de quo educitur ſemper ſe habet in ratione paſſiui, & receptiui; illud verò, quod educitur ſe habet in ratione recepti; modò eſt valde inconueniens, quòd aliquid recipiat aliud quod eſt eiuſdem rationis, ſicut quòd vna albedo recipiat aliam, vel quòd vna forma ſubſtantialis recipiat aliam, nam recipiens, & receptum ſunt ſemper alterius rationis.

3. g *Ad rationem autem*, &c. Dicit Doctor in ſententia, quòd creatio excludit omnem aliam cauſalitatem ſecundam, & cauſæ materialis, & ſeminalis, & efficientis creati, quia creans nihil præſupponit ad coagendum ſibi. Si dicatur, nonne in creatione animæ præſupponitur ipſum corpus organicum, vt receptiuum ipſius formæ? Dico, quòd aliquid præſupponi contingit dupliciter. Vno modo tanquam neceſſarium ſimpliciter, & abſolutè ad actionem ſuam, ita quòd ſit impoſſibile ipſum agere, niſi præſupponat receptiuum, in quo recipiatur actio ſua. Alio modo, quòd licèt præſupponat, hoc non eſt de neceſſitate abſoluta, ſed ex ordinatione diuina. Primò omne agens creatum ſic ſe habet, & ideò nihil creat, vt patet à Doctore *in quarto*, *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. Agens autem increatum non ſic præſupponit corpus organicum, ſed benè ſecundo modo & ſic creat. Si dicatur, quòd & ſi ordinatione ſua præſupponat, ergo tunc non creat animam. Dico abſolutè, quòd actio Dei, quæ terminatur ad animam, non præſupponit corpus organicum, ita quòd tale corpus ex ordinatione diuina concurrat ad concauſandum in ratione materiæ: nam priùs natura creat ipſam animam, & poſteriùs natura infundit, vt patet à Doctore ſuprà *diſt.* 17. *quæſt.* 1.

Aliquid præſupponi contingit dupliciter.

SCHOLIVM.

Refutat etiam illam opinionem quoad id quod aſſerit aliàs generationem non poſſe eſſe naturalem: quia naturalitas non deſumitur ab actiuo, qualis eſt ratio ſeminalis, ſed à paſſiuo, & ſoluit loca adducta pro illa opinione ex opinione.

5. ARguitur etiam [b] contra illud, quod dicunt de naturalitate generationis, vel de ratione tranſmutationis naturalis. Naturalis enim mutatio eſt quando paſſum mutatur, ſicut aptum natum eſt mutari, à quocunque agente fiat, ſicut dicitur 2. & 8. *Phyſicorum*: ſed nunquam paſſum eſt ſic aptum propter principium actiuum intrinſecum eius, in quo eſt, ex quo patet quòd natura eſt principium intrinſecum motus in eo, quod mouetur, inquantùm mouetur, inexiſtens ſibi, ſolùm propter principium paſſiuum.

Tex. com. 3. Tex. c. 32. Naturalitas ſumitur à principio intrinſeco paſſiuo.

Præterea, natura vt eſt principium motus, vel mutationis naturalis, eſt principium intrinſecum: ſed natura eſt huiuſmodi ratione principij paſſiui, & non quia eſt principium actiuum: ergo. Probatur per Ariſtotelem 2. *Phyſic.* qui vult, quòd accidit infirmo, qui mouetur ad ſanitatem, quòd ſit medicus, vel quòd habeat illam artem, quæ eſt principium actiuum intrinſecum: tunc enim ſi per ſe eſſet, quod haberet tale principium, ſanaretur inquantùm medicus, quod eſt falſum.

Præterea illa vis [i] actiua non agit, niſi agens extrinſecum agat priùs: ſi enim ageret antè, per vnum diem, eadem ratione, & per quatuor, & ſic ſemper aſcendendo: & ita perpetuò illa ratio egiſſet in materia: agens igitur extrinſecum priùs agit, & priùs illam excitat: ſed in illo inſtanti, in quo priùs agens, agit extrinſecum, eſt actio naturalis, aliter nunquam eſſet naturalis, quia non eſt tranſmutatio niſi cauſata ab illo.

Reſpondetur ad argumentum de artificialibus, & naturalibus, diſtinguendo de *natura*, quòd vno modo *natura* diſtinguitur contra agens à propoſito: & ſic diſtinguuntur artificialia à naturalibus, ex parte principij actiui: quia natura eſt principium intrinſecum ſic determinatum, quo agens naturale agit ſic, & non aliter: ſed ars, vel voluntas, vel propoſitum, eſt principium, quo habens illud poteſt ſic, & aliter agere, ſicut placet ſibi. Alio modo diſtinguitur *artificiale* contra naturale ex parte principij paſſiui, quia naturalia habent in ſe principium paſſiuum inclinans, & tendens in hoc, ad hoc vt ſic agantur. Artificialia autem non habent huiuſmodi principium, ſic inclinatiuum, vel inclinans ad talem inciſionem, vel erectionem, vt patet in ædificiis: imò inclinatur ad contrarium. Vnde artificialia, vel mouentur ad formam talem contra inclinationem naturalem, & per conſequens violenter: vel dicetur quòd ſunt in potentia neutra, ſi talis forma artificialis non inſit eis contra inclinationem principij receptiui.

Artificiale dupliciter contra naturale diſtinguitur, de quo Sco. 2. Phyſ. q. 1. Artificialia violèter vel neutraliter mouẽtur.

Ad hoc

Motus eſt naturalis ſi potẽtia paſſiua inclinat ad eũ.

Ad hoc igitur quòd motus ſit naturalis, ſufficit quòd potentia paſſiua rei ſit ad talem formam inclinata: nec requiritur ibi principium actiuum intrinſecum: ſed à quocunque agente agatur, erit quod acquiritur ſimpliciter naturale, ſolùm propter illam inclinationem ex parte principij paſſiui. Vnde graue, poſito quòd non habeat in ſe principium actiuum deſcenſus deorſum, à quocunque tamen actiuè deſcendat, mouetur naturaliter.

De hoc Sco. 2. Phyſ q. 4. vbi Aretinus.

Ad illud de definitione naturæ, [k] dico, quòd natura vt eſt principium paſſiuum, dicitur non ſolùm de materia, ſed etiam de forma. Motus enim lapidis deorſum, eſt ex forma, ſcilicet ex grauitate lapidis: nam per eandem formam, per quam res eſt *hæc*, per eandem eſt receptiua paſſionis conſequentis naturaliter naturam eiuſdem rei; vt patet de riſibilitate reſpectu formæ ſpecificæ hominis: ideò dico quòd natura, vt eſt principium paſſiuum motus, dicitur de forma. 6.

Ad aliud de differentia artificialium, & naturalium, dictum eſt, quòd differunt in principio paſſiuo: paſſiuum enim rei artificialis, valde benè recipit formam contra inclinationem ſuam, vt dictum eſt: non ſic autem paſſiuum rei naturalis, ſed ſecundùm inclinationem ſuam mouetur.

Ad aliud 6. *Metaph.* principium rei factibilis eſt in cognoſcente, verum eſt principium actiuum, principium autem rei naturalis eſt in moto, verum eſt principium paſſiuum: vt dictum eſt ſuprà.

Explicat definitionẽ violenti.

Ad aliud de violento, quod eſt, *ab extrà non conferente vim paſſo*, Dico, quòd debet exponi *non conferente*, id eſt, non præbente inclinationem, & tendentiam, imò contrariam inclinationem, non autem debet exponi *non conferente*, id eſt, non coagente, agenti exteriori. Vnde reſpectu nullius formæ poteſt eſſe generatio violenta in materia: quia materia inclinatur naturaliter ad quamlibet formam inducendam in ea: quamuis per comparationem ad qualitates, quæ expellunt, & corrumpuntur, & ad formam etiam ſubſtantialem, quæ corrumpitur per accidens, poſſet dici violenta.

Patet igitur quòd ratio ſeminalis non eſt materia: nec potentia receptiua materiæ: nec actus, ſecundùm iſtos. Patet etiam quòd nec propter vitandam creationem, vel annihilationem, nec propter naturalitatem generationis ſeruandam, ſunt neceſſariæ rationes ſeminales.

COMMENTARIVS.

1. h ARguitur etiam contra illud, *quod dicunt*, &c. Dicunt enim iſti, quòd ideò dicitur generatio naturalis, quia reſpectu ipſius geniti eſt in materia principium actiuum intrinſecum.

Contra hoc arguit Doctor probando quòd naturalitas generationis, vel tranſmutationis, vel mutationis non attenditur penes principium actiuum naturale, ſed penes paſſiuum receptiuum: ex hoc enim dicimus, quòd talis motus eſt naturalis, quia principium receptiuum, ſiue paſſiuum habet naturalem inclinationem ad recipiendum talem motum, & ſimiliter dicimus quòd generatio eſt naturalis, quâ principium receptiuum termini gradus habet naturalem inclinationem ad recipiendum illum, & tale principium receptiuum generationis naturalis eſt intrinſecum, & probat Doctor quòd talis naturalitas dicatur de principio paſſiuo per Ariſtotelem 2. Phyſicorum.

2 *Phyſ. text. 3.*

Nam vult Ariſtoteles quòd accidit infirmo, qui mouetur ad ſanitatem, quòd ſit medicus, vel quòd habeat artem medicinæ, corpus enim ægrum per ſe dicitur moueri naturaliter ad ſanitatem, quia habet naturalem inclinationem ad recipiendum illam, tanquam perfectionem ſuam, & ex hoc talis motus dicitur naturalis, & tale principium ſic naturale eſt intrinſecum, id eſt, quod tale corpus non mouetur ad ſanitatem, vt principium receptiuum illius per aliquod ſibi extrinſecum, ſed per ſuam eſſentiam; quòd modò talis infirmus habeat artem medicinæ, quæ eſt principium actiuum inducendi ſanitatem, accidit ſibi talis ars, vt ſit principium intrinſecum actiuum reſpectu ſanitatis. Si enim infirmus, vt infirmus, haberet per ſe talem artem, tanquam principium actiuũ ſanitatis, & non moueatur per ſe ad ſanitatem tanquam infirmus, ſed tanquam medicus, & ſic non ſanaretur per ſe tanquam infirmus, ſed tanquam medicus, quod eſt manifeſtè falſum: patet, quando ars medicinæ ab infirmo ſeparatur, quia infirmus per ſe mouetur ad ſanitatem, cùm habeat in ſe principium intrinſecum per ſe receptiuum, & naturaliter inclinatum per ſe ad ſanitatem, licèt effectiuè inducatur à medico extrà. Si ergo medicus eſt infirmus, non ineſt ſibi per ſe, ſed per accidens tantùm.

Pulchra doctrina.

i *Præterea illa vis actiua*, &c. Hîc etiam probat, quòd principium naturalis generationis tantum dicatur de principio paſſiuo, vel receptiuo: probatur ſic, ſupponendo, quòd in materia ſit forma eiuſdem rationis cum termino generationis, quæ ſit principium actiuum eiuſdem, tamen naturalis generatio non dicitur naturalis ex hoc, quòd in tali materia eſt principium actiuum, ſed ex hoc, quòd materia 2. *Nota.*

habet

habet naturalem inclinationem ad terminum generationis. Probat, quia ipſi dicunt, quòd illa forma præexiſtens in materia non priùs agit ad generationem formæ, ſed priùs agens extrinſecum exit ad illam. Patet, quia ſi priùs ageret agente extrinſeco ſemper in materia egiſſet, quia in illo inſtanti quo agens extrinſecum agit, ibi eſt actio naturalis. Probo, quia aliter nunquam eſſet naturalis, quia non eſt tranſmutatio, niſi cauſata à agente extrinſeco; ſi ergo talis actio agentis naturalis præcedens actionem formæ in materia dicitur verè naturalis iſta naturalis non eſt à principio extrinſeco, vt patet, ac concedunt ipſi, quia tranſmutatio naturalis habet principium intrinſecum. Nec erit à forma actiua in materia, quia hæc actio eſt prior actione ipſius formæ, ſequitur igitur quòd dicitur naturalis, quia materia prima habet naturalem inclinationem ad huiuſmodi actionem, & ad terminum eiuſdem, & ſic patet quomodo huiuſmodi naturalitas, tantùm per ſe dicatur de principio paſſiuo.

3. *Natura quomodo ſit principium.*

k *Ad illud de definitione naturæ.* Hîc dicit Doctor quòd natura, vt eſt principium paſſiuum, dicitur de materia, & de forma; nam materia, quæ eſt propriè ſubiectum generationis, vt patet *primo de Generatione, & corruptione*, habet naturalem inclinationem ad recipiendum terminos generationis, & vt ſic, natura prædicatur de materia tanquam de principio paſſiuo, & receptiuo; quando verò inclinatio naturalis conſequitur compoſitum ratione formæ, tunc dicimus, quòd talis natura prædicatur de forma tanquam de principio receptiuo, vel tanquam de ratione formali recipiendi. Exemplum, lapis habet naturalem inclinationem deorſum ratione grauitatis, quæ grauitas non conſequitur immediatè materiam, ſed conſequitur talem formam ſubſtantialem lapidis; ergo ratione grauitatis habet naturalem inclinationem ad accipiendum motum deorſum, & ſic talis motus dicitur naturalis; natura ergo, quæ eſt principium paſſiuum, ſeu receptiuum talis motus dicitur de ipſo lapide, tanquam de principio receptiuo, & dicitur de forma tanquam de ratione formali recipiendi; ſicut etiam riſibilitas dicitur de homine tanquam de principio receptiuo, & de anima intellectiua tanquam de ratione formali recipiendi. Et dicit hîc Doctor vnum verbum, quòd *per eandem formam, per quam res eſt, hæc, per eandem eſt receptiua paſſionis conſequentis naturaliter naturam eiuſdem rei*, hoc ſanè debet intelligi, quia res per hæcceitatem eſt *hæc* formaliter, vt patet ſuprà à Doctore *diſt. 3. huius*, & tamen hæcceitas non eſt ratio formalis receptiua paſſionis. Sed debet ſic intelligi *per quam res eſt hæc*, id eſt, per quam res habet tale *eſſe* determinatum, & ſpecificum ad quod *eſſe* determinatum, & ſpecificum ſequitur poſtea talis, & talis hæcceitas. *Exemplum.*

SCHOLIVM.

Non requiri rationem ſeminalem in agente æquiuoco, ſaltem vniuerſali, nec in vniuoco immediatè agente, vt quando ignis generat ignem.

7. REſtat igitur [1] nunc videre de affirmatiua, in quo ſit ratio ſeminalis, & ad quid, & qualiter? Vbi ſciendum, quòd aliqua producunt ſibi diſſimilia in ſpecie, & in forma: vt Sol producens ranam, & agentia æquiuoca. Alia ſunt, quæ producunt ſibi ſimilia, & hoc dupliciter, vel immediatè, vt ignis ignem: vel mediante propagatione. In primis duobus non requiritur ratio ſeminalis, mediante qua, forma inducatur: ſed in vltimo ſic, nihil enim eſt dicere, quod ignis in producendo ignem de æqua, primò cauſet ſibi rationem ſeminalem, quæ ſibi coagat vel agenti vniuerſali: quia elementa ſunt imperfectiſſima entia in genere ſubſtantiæ, ſecundùm Comentatorem 3. *Cæ. & Mun. commen. 12. & 67.* ſemen autem cuiuſcunque agentis, eſt imperfectius eo. Non ergo ratio illa ſeminalis ageret ad formam * perfectam mixti. *Non eſt ratio ſeminalis in agẽte æquiuoco, neque in vniuoco agente immediatè ſed tantum in agente per propagationem.* *al. perfectiuam.*

Prætereà, ratio ſeminalis agit abſente agente principali: ſed ceſſante igne à ſua actione, non continuatur caliditas, vel actio caloris, mediante qua generatur ignis, ſed redit aqua ad frigiditatem: ergo.

Prætereà, ſemen ponitur vt ſit medium inter generans, & genitum: ſed hîc eſt actio ignis immediata ſine ſemine: quia ignis immediatè generat ignem: ergo.

Prætereà, Ariſtoteles 7. Metaphyſic. dicit, quòd ſicut in artificialibus non fit aliquid niſi ab extrà; ita in naturalibus fit aliquid tantùm ab extrà vt ignis ab igne: igitur non præceſſit in materia ratio ſeminalis, quæ eſt inchoatio formæ. *Text. c. 29. & 31.*

COMMENTARIVS.

1. *In quo ſit ratio ſeminalis:*

1 *Eſtat igitur nunc videre*, &c. Doctor hîc duo dicit principaliter primum, quòd in agente æquiuoco producente effectum ſibi diſſimilem in natura, non requiritur ratio ſeminalis, vt patet de Sole producente ranam; nec ſimiliter in agente vniuoco producente effectum immediatè, ſicut ignis immediatè producit alium ignem, puta in ligno, & quòd non requiratur huiuſmodi ratio ſeminalis, patet, quia quando ignis producit ignem de aqua,

aqua, non requirit aliquid medium, quo mediante producit ignem ex aqua, quod patet, quia ignis ſi requirit aliquod medium, & ratio formalis, vel ſemen quod ſit productiuum ignis ex aqua, tunc ſequitur quòd imperfectius poteſt producere perfectius, patet, nam ignis productus eſt æqualis perfectionis cum igne producente, cùm ſit eiuſdem ſpeciei; ſemen verò eſt imperfectius agente principali, vel eo cuius eſt ſemen: ergo ſi tale ſemen requiritur ad producendum talem ignem, vt principium productiuum, ſequitur quòd imperfectius producat perfectius, & in agente vniuoco per propagationem requiritur ſemen, vt patet infrà.

SCHOLIVM.

Explicat clarè quid eſt ſemen, & quid ratio ſeminalis: docétque ſemen non eſſe actiuum reſpectu generationis primò, quia in inſtanti generationis, non eſt, ſecundò, quia eſt imperfectius genito, loquitur de ſemine vniformi, de quo 4. d. 43. q. 2.

Quid ſit ſemen.

QVid ergo eſt ſemen, & quid ratio ſeminalis? Dico, quòd ſemen eſt corpus quoddam, cuius forma non eſt intenta propter ſe, ſed propter aliud, vt ſcilicet ex illo generetur aliquid ſimile generanti. 8.

Et vt hoc meliùs videatur, poteſt diſtingui in natura duplex proceſſus in forma. Vnus aſcendendo, vt à forma ſeminis, ad formam ſanguinis, à forma ſanguinis, ad formam aliam, ſcilicet embryonis vel alterius: & iſte proceſſus eſt ab imperfecto ad perfectum. Alius proceſſus eſt deſcendendo è conuerſo, à perfectis ad imperfectiora, reſoluendo, ſcilicet, in cadauer, & in fœces: & ſic procedendo vſque ad elementa, vel materiam primam. Illud autem à quo incipit natura in primo proceſſu, eſt ſemen, & conſtat naturam in illo non ſiſtere, ſed vlteriùs procedere, & aſcendere, vſque ad vltimam formam perfectam: & è conuerſo eſt in deſcendendo, vel reſoluendo, ſcilicet, quòd natura non ſiſtit citra vltimam: & tota natura eſt aſtricta huic ordini, & proceſſui. Semen igitur eſt quoddam corpus imperfectum, productum à generante, vt ſit via aſcendendi ad vlteriores formas perfectas.

Quid ſit ratio ſeminalis.

Quid eſt ratio ſeminalis? [m] Dico, quòd eſt aliqua forma ſeminis, inquantùm ſemen eſt: & illud, vel eſt forma ſubſtantialis ſeminis, vel qualitas neceſſariò conſequens formam ſubſtantialem ſeminis, ſicut forma tritici in tritico: vel qualitas conſequens formam ſubſtantialem eius. nec ſemen, nec ratio ſeminis ſunt coæua materiæ: quia ſemen fit ex nutrimento, in quo ſemine eſt ratio ſeminalis, ſicut in ſubiecto: nec ſemper eſt ſemen in ſeminante, cùm fiat de ſuperfluo alimenti.

Ad quid eſt ſemen? eſtne propter generationem, ita quòd ſit principium generationis actiuum? Dico, quòd non, ſi eſt ſemen vniforme, quod dico pro ſemine maris, quod agit in ſemine mulieris. Semen tamen vniforme, ex quo fit res, quod ſcilicet deciſum eſt à generante, ſiue ſit patris, ſiue matris, ex quo eſt vniforme reſpectu geniti, vel generantis (quæ vniformitas, & vnigeneitas, in ſemine poni debet) non poteſt eſſe principium actiuum generationis, propter duplicem rationem. Primò, quia quod non eſt non poteſt eſſe principium productiuum ſubſtantiæ: ſed ſemen non eſt in inſtanti generationis: ergo tunc non eſt principium inductiuum, vel productiuum generationis, vel termini generationis, nec etiam dum eſt, poteſt eſſe principium actiuum tale, quia ſemen eſt aliquid de proximo conuertibile in illud, quod debet generari: hoc autem habet rationem paſſiui, non actiui. 9.

Semen non eſſe actiuũ reſpectu generationis.

Imperfectũ non cauſat perfectius ſe.

Præterea, imperfectius non eſt cauſa ſufficiens actiua perfectioris: ſed ſemen eſt imperfectius, quàm res generanda, etiam cum omnibus ſpiritibus ſuis: igitur etiamſi maneret, non poſſet eſſe principium actiuum generationis.

Reſpondetur, quòd ſemen mouet, & agit in virtute decidentis; & ideò ſic poteſt agere ad productionem ſubſtantiæ, & geniti: & hoc patet per Galenum, qui dicit in ſemine eſſe virtutem diuinam.

Contrà, in virtute non entis, eo modo, quo eſt non ens, nihil agit: ſed generans, vel decidens ſemen, in propoſito, eſt non ens, cùm non ſit præſens illi corpori, in quod debet agere ſemen, vel ratio ſeminalis, & poteſt non eſſe ſimpliciter: ergo ſi hîc agit, hoc erit virtute alicuius infra ſe contenti.

Cauſæ eſſẽtialiter ordinatæ requirunt coexiſtentiam in agendo.

Præterea, cauſæ per ſe, & eſſentialiter ordinatæ, licèt ſimul concurrant ad vnum effectum cauſandum (ſicut patet de Sole, & homine, in generando hominem) cauſæ tamen accidentaliter ordinatæ, non requirunt ſe in cauſando: ſed licèt vna ſit ab alia, ex quo tamen eſt, habet & habere poteſt propriam cauſalitatem reſpectu

alicuius

alicuius effectus,non exiſtente cauſa,à qua eſt, ſicut patet de Platone generato à Socrate qui poteſt generare Ciceronem Socrate non exiſtente,nec cauſante. Vnaquæque igitur cauſarum accidentaliter ordinatarum agit,& cauſat propria virtute: ſed generans, vel ſeminans, & ſemen, ſunt accidentaliter ordinata, ſicut Socrates & Plato: igitur ad actionẽ introductiuam formæ vltimæ, non cõcurrit virtus generãtis. *Accidentaliter ordinatæ non requirunt.*

10 Dico igitur " quòd nullum ſemen, nec aliquid in ſemine, eſt principium actiuum generationis,vel vltimæ formæ,nec eſt à patre:quia patre non exiſtente,filius generatur:nec à forma cæli. quia multa viuentia ſunt perfectiora forma cæli, vel igitur ab Angelo,vel à Deo, eſt anima dans vitam: vel oportet interimere aliquam præmiſſarum:non ab Angelo, quia Angelus non agit niſi mediante motu cæli: relinquitur ergo,quòd à Deo.

Sed eſtne principium ° alteratiuum præuium illud ſemen? Videtur quòd non, quia ſi eſt vniforme, non poteſt per aliquem gradum entitatis, ſuæ vel per qualitatem ſuam, ſeipſum corrumpere, vel promouere ad vlteriorem gradum, ſicut patet de igne,& ſuo calore,iſta etiam qualitas ſi eſſet principium alterandi,ſi alteraret,alteraret ſe.

Prætereà principium vniforme non eſt principium actiuum difformitatis, niſi paſſiuum ſit difforme: ſed ſemen eſt vniforme, & vnigeneum, etiamſi eſt actiuum: & ſimiliter materia: igitur non poteſt alterare ad tantam diuerſitatem, quanta apparet in organis ipſius geniti, ſcilicet corporis organici. Quid ergo? Dico, quòd recurrendum eſt hîc ad virtutem diuinam, ſicut & Auerroës facit, vt patet in diſſolutione illarum quæſtionum difficilium, *ſecundo Cæli,& Mundi*, Galenus etiam virtutes ſeminum vocat diuinas. Illa igitur, quæ facit diuerſitatem organorum in corpore animalis oportet,quod ſit agens difforme:& huiuſmodi eſt difformis actio caloris,vel corporis cœlſtis,quæ conſona eſt virtuti diuinæ. *Tex.69. & inde.*

11. Qualiter ergo ponitur ratio ſeminalis in aliis * ab animalibus? Dico, quòd omnia mixta poſſunt habere rationes ſeminales, quia à generante recipiunt qualitates, quæ ſunt viæ ad formas vlteriores, & perfectiores, in cadauere enim bouis poteſt induci qualitas aliqua à corpore cæleſti, quæ eſt via ad formam apis: & eſt ſimilis illi, quæ datur à generante vniuoco, & eſt ratio ſeminalis, poteſt etiam ratio ſeminalis eſſe in non verè mixtis, ſicut in mixtis per iuxta poſitionem: corpora enim cœleſtia non ſemper generant de verè mixtis, ſed de mixtis per iuxta poſitionem: & tale mixtum poteſt habere qualitatem, quæ eſt via ad formam perfectiorem. Item vnum elementum,poteſt eſſe per potentiam diuinam,quaſi ratio ſeminalis reſpectu mixti,ita quòd ex vno elemento, poteſt Deus cauſare mixtum, ſicut de aqua fecit piſces, *Geneſis primo*. *al. animatis. Vide Iudicium 14. & 10. Met.t. com.18. Qualitas quæ eſt via ad generationem poteſt dici ratio ſeminalis.*

Ex dictis patet,quomodo intelligendum eſt illud Auguſtini *tertio de Trinit.capit. nono*, quòd in elementis mundi huius ponendæ ſunt rationes ſeminales, quia poſſunt ſic contemperari, vel per ſimplicem mixtionem, vel per illam, quæ eſt per iuxta poſitionem, quod cauſabitur ex eis quædam qualitas, vel forma, quæ erit via ad aliquid perfectius. Et ex hoc poteſt Auguſtinus habere intentum ſuum, *tertio de Trinit.* vbi oſtendit quomodo magi Pharaonis fecerunt ranas, nam rationes ſeminales iſtorum, ſunt in elementis contemperatis ad inuicem, quæ contemperantia non eſt niſi quædam iuxtapoſitio elementi cum elemento, ſecundùm proportionatam quantitatem,& qualitatem,& quia malus Angelus nouit illam quantitatem & proportionem, & corpora huius mundi talia obediunt ei ad nutum, quantùm ad motum localem; & ideò poteſt coniungere, & potuit elementa actiua paſſiuis, ſecundùm debitum contemperamentum, & apponere illa directè corporibus cœleſtibus habentibus influere, ſecundùm huiuſmodi contemperamentum: & ſic generare ranas. Ex hoc patet quòd huiuſmodi rationes ſeminales, non ſunt perpetuò cum ipſa materia prima. *Vnum elementum poteſt eſſe quaſi ratio ſeminalis mixti. Quomodo magi Pharaonis fecerunt ranas?*

12. Ad argumenta de creatione,& annihilatione,ſolutum eſt iam,& ſimiliter ad alia.

Ad illud in oppoſitum,dico, quòd ſunt ſingulæ rationes ſingularum formarum, & quòd ſunt ibi per informationem. Nec hoc eſt inconueniens: quia plures formæ ſimiles, ſub gradu imperfecto non repugnant,ſicut repugnarent ſub eſſe perfecto:patet de frigido,ac calido,& tepido.

Ex his,quæ dicta ſunt patet quæſtio,qua quæritur, Vtrùm in coſta Adæ,de qua formata fuit Eua, fuerit ratio ſeminalis? Dico enim,quòd non, quia ſecundùm Ariſtotelem y. *Met.cap.6* ſemen non eſt potentia quæcunque remota, ſed potentia propinqua, *In coſta Adæ non fuit ratio ſeminalis. Tex.com. 17.& 19.*

de quo proximè, & per vnum proceſsum, poteſt formari res: ſed in coſta Adæ non fuit aliquid huiuſmodi, quia non ſolùm per vnam tranſmutationem, ſed nec per quamcunque poterat ſic conuerti naturaliter. Poteſt ergo dici, quòd duplici ratione non poterat coſta illa eſſe ſemen, nec in ea ratio ſeminalis: Primò, quia vt dictum eſt, ſemen eſt propinquum conuertendum in genitum, cuiuſmodi non fuit coſta illa. Secundò, quia per quamcunque tranſmutationem non potuit tranſmutari coſta in totũ corpus Euæ, quod fuit in perfecta quantitate formatum ſine materiæ additione: nec etiam aliquid illius corporis fieri potuit ex iſta coſta naturaliter, niſi per multas tranſmutationes. Adducit etiam Magiſter auctoritatem Auguſtini *in vlti. cap. huius diſt.* quod factura mulieris de coſta Adæ, non habuit cauſam niſi à Deo ſic dicente mulierem ita fieri, &c.

COMMENTARIVS.

2. *Nota. Exemplum.*

m *Quid eſt ratio ſeminalis.* Nota hìc aliqua, vt intelligatur litera. Pono exemplum, & ſit aliquod ſemen deciſum ab homine in matrice, illud dicitur propriè ſemen, eo quòd tale corpus eſt intentum à natura, non propter ſe, id eſt, quòd actio agentis naturalis ſiſtat ibi, ſed propter aliud, id eſt, vt ex ipſo conſequatur aliquod compoſitum principale intentum. Dicit ergo Doctor quòd ratio ſeminalis, vel eſt forma ſubſtantialis illius ſeminis, vel eſt qualitas actiua conſequens illam formam ſubſtantialem. Secundò dicit, quòd nec ſemen, nec ratio ſeminalis ſunt coæua materiæ: patet exemplo, non enim ſemen, in quo fundatur ratio ſeminalis eſt ſemper in homine ſeminante, patet, quia illud ſemen cauſatur ex nutrimento, & fit de ſuperfluo alimenti. Tertiò dicit ibi *ad quid eſt ſemen?* Semen eſt difforme, ſupple, quòd ſemen viri, & mulieris difformiter ſe habeant, ita quòd ſemen viri ſit alteratiuum & ſemen mulieris tantum alterabile, vel ſi ponatur difformitas in eodem ſemine, vt aliqui ponunt, ita quòd in ſemine viri ſint duo conſideranda. Vnum in ratione actiui: Aliud verò in ratione paſſiui, tunc illud ſemen ſecundùm rationem magis formalẽ & actiuã & magis ſpiritualẽ poteſt agere in ſeipſum ſecundùm rationem magis materialem, & groſſiorem. Dicit ergo Doctor quòd ſi tale ſemen ſit difforme, quod eſt actiuum; ponatur manere in fine generationis, vt aliqui volunt exponere Doctorem: credo tamen, quòd ad mentem etiam tale ſemen non ſit actiuum talis generationis, etiamſi maneat, vt patet per ſecundam rationem. Et ibi etiam dico, quòd nullum ſemen ſi non eſt omnino vniforme in toto, & in parte, tunc non poteſt agere ad generationẽ, ita quòd agat in ſeipſum conuertendo illud ſemen, ita quòd ex illo fiat aliud. Hoc patet exemplo, calor enim vt octo, non poteſt alterare ſeipſum, quia vniformis, nec aliqua forma ſubſtantialis poteſt alterare ſeipſam; non enim ignis qui eſt vniformis in toto, & in partibus poteſt alterare ſeipſum, vt ex illo fiat aliud, & quòd tale ſemen ſic vniforme non poſſit eſſe principium actiuum generationis, probat per duas rationes, quæ ſunt claræ in litera.

Diſcrimen inter ſemen viri, & mulieris.

Opi. Scoti.

n *Dico igitur.* Hìc Doctor dicit duo. Primum, quòd nec ipſum ſemen deciſum, nec ratio ſeminalis eſt actiuum vltimi termini generationis, quia dictum eſt quòd ſemen tantùm requiritur in agente vniuoco per propagationem, & quòd tale ſemen ſic deciſum, eſt imperfectius eo à quo deciditur, ſiuè in hominibus, ſiue in brutis, ſiue in vegetabilibus, in quibus propriè reperitur ſemen, & quòd tale ſemen non ſit actiuum vltimum termini generationis, patet ſuprà, quia ille terminus eſt perfectior ſemine, vt puta anima vegetatiua, ſenſitiua, vel intellectiua; ille ergo terminus generationis non eſt à decidente, quia in patre mortuo adhuc generatur filius in matrice mulieris, nec eſt ille terminus à forma cæli, quia animata ſunt perfectiora: niſi dicatur, & teneatur illa opinio ſuprà *in diſt. 14. queſt. 1.* quòd cœlum eſt animatum anima intellectiua, & tunc poſſet concedi ipſum eſſe productiuum alicuius viuentis, id eſt, vel anima vegetatiua, vel ſenſitiua. De intellectiua non eſt credendum, cùm illa immediatè creetur à Deo, nec poteſt eſſe ab Angelo, patet, quia Angelus non poteſt aliquid immediatè tranſmutare ad formam ſpiritualem, niſi mediante motu cœli, vt eſt opinio tam Phyſicorum, quàm Theologorum: relinquitur ergo quòd ab ipſo Deo.

Hoc è tota philoſophia eſt difficillimum ideo omnes vario modo laborauerũt, & nihil certi percæperunt.

o Secundum dictum eſt ibi: *Sed eſtne principium alteratiuum?* &c. Dicit Doctor quòd tale ſemen deciſum, ſi eſt vniforme, non eſt principium alteratiuum, vt ex illo ſemine fiat aliquod mixtum, vel corpus organicum: & probat, quia tunc ſi eſt vniforme, alteraret ſe, & corrumperet ſeipſum, quia non poſſet ſe alterare, vt ex ipſo fiat corpus organicum, niſi tale ſemen corrumpatur, vt patet in aliis alterationibus. Addit aliam rationem ſatis claram, quia ſemen omnino vniforme non poteſt tantùm alterare ſe, vt ex ipſo creetur tanta difformitas, qualis apparet in corpore organico, oportet ergo ad aliud recurrere. Si verò ſemen eſſet difforme, & non corrumperetur ad corruptionem ſeminis, tunc forte ex intentione poſſet alterare illud ſemen ad vlteriorem formam, quæ eſſet diſpoſitio ad vltimum terminum generationis. Si verò in eodem inſtanti, quo corrumpitur ſemen, corrumpitur illa virtus alteratiua, tunc non poſſet alterare, patet, quia agens, quod deſinit eſſe in inſtanti, quo forma generatur, non attingit illam formam ſua actione, vt patet ſuprà *in hoc ſecundo, diſt. 15.*

DISTINCTIO XIX.

De prima hominis ſtatu ante peccatum.

A SOlent quæri plura de primo hominis ſtatu ante peccatum, ſcilicet qualis fuerit homo priuſquam peccaret, & in corpore, & in anima: mortalis an immortalis, paſſibilis an impaſſibilis. De termino inferioris vitæ, & tranſitu ad ſuperiorem, de modo propagationis filiorum, & alia multa, quæ non inutiliter ſciuntur, licèt aliquando curioſitate quærantur. At priuſquam ad animi qualitatem pertinentia proſequamur, de qualitate eius ſecundùm corpus, & modo propagationis filiorum, & de aliis quibuſdam inſpiciamus. Primus ergo homo ſecundùm naturam corporis terreni, & immortalis fuit quodammodo ſecundum aliquid, quia potuit non mori, & mortalis quodammodo, quia potuit mori. In illo namque primo ſtatu habuit poſſe mori, & poſſe non mori. Et hæc fuit prima humani corporis immortalitas, ſcilicet poſſe non mori. In ſecundo verò ſtatu poſt peccatum habuit poſſe mori, & non, poſſe non mori, quia in hoc ſtatu moriendi eſt neceſſitas. In tertio ſtatu habebit poſſe non mori, & non poſſe mori, quia ad illum ſtatum pertinet moriendi impoſſibilitas, quod ex gratia erit, non ex natura. In primo ſtatu fuit corpus hominis animale, id eſt, egens alimoniis ciborum. Vnde & homo factus dicitur in animam viuentem, non ſpiritualem, id eſt, in animam corpus ſenſificantem, quod adhuc erat animalè, non ſpirituale, quod egebat cibis, vt per animam viueret. Factus eſt ergo in animam viuentem, id eſt, vitam corpori dantem: tamen per ſuſtentamenta ciborum: & tunc erat corpus mortale immortale, qui poterat mori, & poterat non mori. Poſt peccatum verò factum eſt mortuum, ſicut dicit Apoſtolus: Corpus propter peccatum mortuum eſt, id eſt, neceſſitatem moriendi in ſe habet. In reſurrectione verò erit ſpirituale, ſcilicet agile, & cibis non egens: & immortale non ſicut in ſtatu primo tantum fuit, ſcilicet, quòd poſſit nō mori, ſed etiā quòd nō poterit mori. Vnde Aug *ſuper Gen.* [Apoſtolus ait, *Corpus quidē mortuum eſt propter peccatū*, &c. Prius de limo terræ formatum eſt corpus animale non ſpirituale, cum quali reſurgemus. Renouabitur enim à vetuſtate, non in corpus animale, quale fuit: ſed in melius, id eſt, ſpirituale, cum hoc mortale induet immortalitatem: in quam mutandus erat Adam, niſi mortem corporis animalis peccando meruiſſet. Non ait Apoſtolus corpus mortale eſt propter peccatum, ſed mortuum. Illud enim ante peccatum, mortale & immortale erat, quia poterat mori & non mori. Aliud autem eſt non poſſe mori, aliud poſſe non mori. Ideò factum eſt per peccatum non mortale, quod erat: ſed mortuum, quod non fieret niſi peccaret. Animale enim non eſt hoc corpus,

Gen. 2. b. Quomodo dicitur homo factus in animam viuentem. Rom. 8. b.

Aug. lib. 6. cap. 19.

Rom. 8. b. lib. eodem cap. 24. 1. Cor. 15. g

ſicut primi hominis fuit, ſed iã deterius eſt, habet enim neceſſitatẽ morien-
Ibid.c.25. Beda. di. Ecce hîc euidenter aperit Auguſtinus quòd corpus hominis ante peccatũ mortale & immortale fuit: ſed non qualiter fiet in reſurrectione. De hoc eodem Beda *ſuper Gen.* ait, Non eſt credendum ante peccatum, ita fuiſſe
Rom.8.c. mortua corpora, ſicut modò. Ait enim Apoſtolus: Corpus propter peccatum mortuum eſt: ſed licèt fuiſſent animalia nondum ſpiritualia, non tamen mortua: quæ ſcilicet neceſſe eſſet mori.

Vtrùm immortalitas quam habuit ante peccatum, eſſet de conditione naturæ, an gratiæ beneficio?

B SOlet hîc quæri, cùm homo primus mortale & immortale corpus habuerit, vtrùm ex conditione naturæ ipſius corporis habuerit vtrumque: an alterum beneficium eſſet gratiæ, ſcilicet immortalitas, id eſt, poſſe non mori? Ad quod dici poteſt, quia alterum habebat in natura corporis, id eſt, poſſe mori: Alterum verò, ſcilicet poſſe non mori, erat ei ex ligno
Aug. lib.6. cap.25. vitæ, ſcilicet ex dono gratiæ. Vnde Auguſtinus *ſuper Gen.* [Quodammodo creatus eſt homo immortalis: quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Mortalis erat de conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris. Non enim immortale erat quod omnino mori non poſſet: quod non erit niſi cum fuerit ſpirituale.] Apertè dicit quòd non ex natura, ſed ex ligno vitæ habebat poſſe non mori. Propter hoc aliqui dicunt, quòd niſi illo ligno vitæ vteretur: non ſemper viueret, quia peccaret. Peccaret enim ſi illo ligno non vteretur: quia præceptum erat ei vt comederet de omni ligno paradiſi, niſi de ligno ſcientiæ boni & mali. Sicut ergo peccauit comedendo quod erat prohibitum: ita etiam peccaret, ſi non comederet quod erat iuſſum.

Si non foret, præceptum vt de illo ligno comederet & aliis, & non illo vteretur, an poſſet non mori.

C SEd adhuc quæritur, ſi non eſſet præceptum vt de ligno vitæ ederet & aliis, & non illo veſceretur, nunquid poſſet non mori? Si ſemper viueret non vtens illo ligno, non erat ei ex illo ligno poſſe non mori.
Opinio quorundã. Si verò non poſſet ſemper viuere, id erat ei ex illo ligno. Aliqui dicunt quòd ſi non fuiſſet ei præceptum veſci illo ligno & aliis, & non illo veſceretur: viueret ſemper: ſic determinantes illud, quod ſuprà dixit Auguſtinus; Erat ei de ligno vitæ non de conditione naturæ tantum, ſcilicet quaſi non
Aliorum opinio. ex conditione naturæ ſolummodo erat ei, ſed etiam ex illo ligno. Aliis autem videtur, quòd ex ligno vitæ erat ei poſſe non mori, non ex natura. Ideò enim dicitur potuiſſe non mori, quia poterat vti illo ligno, de quo edens non moreretur.

Quæſtio

Quæſtio Auguſtini, quomodo immortalis factus ſit homo.

DE hac verò hominis immortalitate, qualis fuerit, Auguſtinus *ſuper Gene.* quæſtionem mouens ſic ait, [Quæritur quomodo immortalis factus ſit homo præ aliis animantibus:& quomodo cum illis communem acceperit alimoniam ?][Sed alia eſt immortalitas carnis, quam in Adam accepimus:Alia quam in reſurrectione ſperamus per Chriſtum.Ille factus eſt homo immortalis, vt non poſſet mori ſi non peccaret, moreretur autem ſi peccaret. Filij verò reſurrectionis non potuerunt vltrà peccare,nec mori.Caro noſtra non tunc egebit refectione ciborum:quia nulla poterit eſſe defectio. Caro Adæ ante peccatum ita immortalis creata eſt, vt per alimoniam adiuta eſſet mortis & doloris expers. Sic ergo immortalis & incorruptibilis condita eſt caro hominis, vt ſuam immortalitatem & incorruptionem per obſeruantiam mandatorum Dei cuſtodiret. In quibus mandatis hoc continebatur, vt de illis lignis conceſſis manducaret,& ab interdicto abſtineret. Per horũ eduliũ immortalitatis dona conſeruaret, donec corporalibus incrementis perductus ad ætatem quæ cõditori placeret,multiplicata progenie,ipſo iubente,ſumeret de ligno vitæ, quo perfectè immortalis factus cibi alimenta vlteriùs non requireret.]

Aug. lib.3. c.2. *Gloſſa ordinaria ad illud Gene.1.* Faciamus hominem, *&c.* *Luc.10. f Auguſt.lib. quæſt. vete. & nou. legis c.19.*

Summatim ſuperiorum verborum ſententiam perſtringit.

E ECce his verbis videtur Auguſtinus tradere, quòd caro primi hominis immortalitatem in ſe habuerit, quæ per alimoniam ciborum conſeruaretur vſque ad tempus ſuæ tranſlationis in melius,quando de ligno vitæ comederet,& fieret omnino immortalis,ita vt non poſſet mori.

Quòd ex prædictis conſequi videtur, hominem de natura ſua conditione quodammodo fuiſſe immortalem, ſed non omnino fieret immortalis,niſi participato ligno vitæ.

F IDeò aliqui dicunt quòd immortalitatem de natura habebat, qua poterat non mori, quæ aliorum lignorum eſu poterat conſeruari, ſed non poterat conſummari niſi per aſſumptionem ligni vitæ. Quod videtur Auguſtinus ſentire *ſuper Gen.* dicens. [Hoc quoque addo, talem cibum illam arborem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſtabili ſanitate firmaretur : non ſicut ex alio cibo, ſed inſpiratione ſalubritatis occulta. Hîc innuere videtur, quòd cum aliis cibis poſſet corpus ſuſtentari, hoc cibo indeficiente ſanitate firmaretur. Ex quo conſequi videtur, quòd ſicut in natura ſua habuit mortalitatem quandam, ſcilicet aptitudinem moriendi: ita aliquam immortalitatem in natura ſua habuit, id eſt, aptitudinem quâ poterat non mori, cibis adiutus, ſed ſi perſtitiſſet, immortalitatis perfectio eſſet ei de ligno vitæ. Sed qui hoc tradunt, quomodo ſuperiora Auguſtini verba, quibus dicit, quòd erat immortalis ex ligno vitæ, huic ſententiæ non contradicant,diligenter inquirant.

Lib.8.c.5 *Literal.*

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm in ſtatu a innocentiæ habuiſſimus corpora immortalia?

Alenſis 2.p.q.89.m.5.6.& q.93.m.2. D.Thom.1.p.q.97.a.1.& hic q.1.a.4. D.Bonau.a.2.q.1.& ar.3.q.1. Richard.art.2.q.1.& art.3.q.1. Gabr.q.vn.a.1.& 3. Ægid.q.2.a 3. Caiet.in cap.2. Gen. Pitigianis in c.2.Gen.p.591. Baſſol. Leuchet. Tartar. Rubion. Verillon. Anton. Andreas, & alij hic.

1.

Arg.1.

CIrca iſtam diſtinctionem 19. in qua Magiſter agit de ſtatu hominis ſecundùm ſe, & abſolutè, quem habuiſſet in vita ſua illa, quæritur vnum, Vtrùm in ſtatu innocentiæ habuiſſemus corpora immortalia? Quòd non, quia corpus, quod indiget alimento, & nutritur, videtur eſſe corruptibile: tale fuiſſet corpus in illo ſtatu. Patet Gen. 3. *de omni ligno paradiſi comedes, &c.* Maior ſatis patet, quia omne nutribile habet partes fluentes, quæ indigent reſtauratione, vt in ætatè debita, & reſtauratione, & augmentatione vſque ad ætatem debitam, quæ quidem reſtauratio non fit ſine deperditione, vel debilitatione humidi radicalis, & caloris naturalis: quia aliter creuiſſent vſque ad immenſam quantitatem, ſi nihil fuiſſet deperditum: ſi igitur pars ſit deperdibilis, & totum.

Arg.2. Tex.com. 102. & 126.

Prærereà, ſecundum Philoſophum *primo Cæli, & Mun.* omne generabile neceſſariò corrumpetur, cùm igitur non ſit maioris virtutis poſſe rem corrumpere, quàm poſſe rem generare; ſi poterant generari, per conſequens poterant corrumpi. Confirmatur quia non eſt maioris virtutis deducere de *eſſe*, ad *non eſſe*, quàm de *non eſſe*, ad *eſſe*.

Arg.3. 1. cæ. t. com.18.

Prætereà, nullum violentum eſt perpetuum: ſed in corpore naturali mixto tali, ſunt elementa extra loca ſua naturalia: ergo violenter detinentur, ſunt etiam ibi qualitates contrariæ ſimul, quod videtur violentum.

Ratio ad opp.

Contrà ad Rom.5. *Per vnum hominem intrauit mors in omnes*, & cap.8. *Corpus propter peccatum mortuum eſt.*

COMMENTARIVS.

1. a *Triplex ſtatus.*

STatus eſt ſtabilis permanentia firmata legibus diuinæ ſapientiæ. Eſt autem hominis ſtatus triplex: Primus eſt ſtatus naturæ inſtitutæ, & in iſto ſtatu poterat homo mori, cùm eandem naturam habuerit, quam modò habet, & nunc habet potentiam ad moriendum: igitur, & tunc. Patet conſequentia, quia peccatum nihil ademit de natura, ſed ſolùm ademit gratuita. Potuit etiam in iſto ſtatu non mori, quia tranſtuliſſet eos Deus de illo ſtatu ad beatitudinem.

Primus ſtatus.

Secundus ſtatus.

Secundus ſtatus eſt naturæ lapſæ, & eſt ſtatus præſentis vitæ, & in iſto homo non poteſt non mori, cùm ex peccato incurrerit neceſſitatem moriendi Gen. 2. *Quacunque hora comederis, morte morieris*, id eſt, neceſſitatem moriendi incurres.

Tertius ſtatus.

Tertius eſt ſtatus naturæ reſtitutæ, & ſtatus beatitudinis: & in iſto ſtatu non poteſt homo mori, licèt habeat eandem naturam, & potentiam, tamen firmatum eſt lege diuina, vt homo non moriatur in ſtatu illo. *Innocentia* etiam capitur tribus modis. Innocentia primo modo eſt pura per ſe bonitas, cui ex ſe omnis annexa eſt perfectio: & ſic ſolus Deus eſt innocens, & ſic non loquimur hìc. Secundo modo, innocentia pro ſtatu ſeparato actu à vitiis, ſicut in hac præſenti vita multi cuſtodiunt ſe actualiter à vitiis mortalibus, & ſic dicuntur iuſti, iuxta illud Pſal. *Innocentes, & recti adhæſerunt mihi*, &c. Tertio modo, innocentia accipitur pro ſtatu ſeparato ab omni peccato, & pœna actu, licèt aptitudine poſſit, & peccare, & pati, & ſic capit hìc. Immortalitas vno modo accipitur, vt omnimoda immutabilitas, cui ſimpliciter repugnat mori, & ſic ſolus Deus eſt immortalis. Alio modo dicitur immortalitas quoad eſſe ſubſtantiale, non ſeipſo, ſed dono Dei inuariabilitas, ſicut Angeli, corpora cœleſtia, animæ intellectiuæ, quantùm ad *eſſe* ſubſtantiale ſunt entia inuariabilia, & immortalia, iuxta illud Platonis in Timæo: *O dij deorum, quorum ego opifex, idemque pater: vos ſiquidem opera mea eſtis, natura quidem diſſolubiles, mea autem voluntate indiſſolubiles*, & loquitur Angelis, quos deos deorum nominat. Tertio modo immortalitas eſt in eo, qui poteſt de ſe non mori, licèt poſſit etiam mori, & hoc modo homo in ſtatu innocentiæ fuit immortalis, & ſic quærit quæſtio.

Innocentia capitur tribus modis.

Immortalitas capitur duobus modis.

SCHO

SCHOLIVM.

Sententia D. Thomæ, corpus Adæ ante lapſum fuiſſe non potens mori, quod etiam videtur D. Bonauentura aſſerere. Ratio vtriuſque clarè ponitur à Doctore.

2. HIc dicitur quòd hæc, *corpus in ſtatu innocentiæ fuiſſet immortale* (ratione negationis intellectæ in hoc, quod eſt *immortale*) æquipollet huic, *corpus in ſtatu innocentiæ non potuit mori.* Hæc tamen diſtinguitur, quia ly *non*, poteſt determinare, vel addi ad hoc verbum *potuit*, in habitudine ad illud infinitiuum *mori*, & ſic eſt falſa. Secundo modo poteſt præcisè determinare, vel addi ad illud infinitiuum *mori*, dicendo ſic, homo in ſtatu innocentiæ potuit non mori: & ſic eſt vera, ex quo enim modò habet potentiam moriendi, cùm per peccatum non ſit facta mutatio in natura, ad hoc quòd dicta propoſitio ſit vera, negatio non debet addi ad *poſſe*, vel ad potentiam, quam ſemper habuit: ſed ad terminum illius potentiæ, qui potuit non eſſe. *D. Bon. in præſenti diſt. art. 2. & 3. q. 1.*

Conceditur etiam, quòd in ſenſu compoſito, hæc eſt vera: homo in ſtatu innocentiæ non potuit mori: quia ly *non*, determinat *potuit*, in habitudine ad *mori*, ſtante ſtatu innocentiæ, quo ſtante, homo non potuit mori. In ſenſu diuiſionis eſt falſa: & hoc patet in hac, *album non poteſt eſſe nigrum.*

Ratio autem quare non potuit mori, ſtante illo ſtatu, aſſignatur talis: pœna non poteſt eſſe ſine culpa: mors autem eſt pœna peccati, Gen. 3. *Quacunque hora comederitis*, &c. ſtante autem ſtatu innocentiæ, non potuit eſſe peccatum: igitur nec mors.

Prætereà, in ſtatu illo fuiſſet plenum dominium animæ ſuper corpus: & ideo non poterat fieri reſolutio in corpore: quia vires inferiores obediſſent animæ ad nutum.

Alia ratio aſſignatur, ſcilicet, quòd fuiſſet hoc, propter aliquam qualitatem ſupernaturalem traditam animæ in ſtatu illo, quæ quidem conſeruaſſet corpus à corruptione: & hæc dicitur eſſe illa iuſtitia originalis. Non tamen video, quòd illa qualitas poſſet facere, quòd tale corpus non pateretur à contrario; & ſic tantùm potuiſſet pati, quòd fuiſſet mortuum: nec aliquid morti repugnans, neceſſariò includebatur in innocentia. *D. Tho. 1. p. q. 97. art. 1.*

COMMENTARIVS.

2. *Opi. S. Bona. præſenti diſtin. art. 2. & 3 q. 1.*

S. Bonauentura reſpondet, & dicit, quòd hæc propoſitio, *corpus in ſtatu innocentiæ fuit immortale*, æquiualet huic propoſitioni, *corpus in ſtatu innocentiæ non potuit mori*, & vt ly *non* cadit ſupra ly *potuit* in ordine ad iſtud infinitum *mori*, & ſic eſt propoſitio falſa, quia in quocunque ſtatu habuit potentiam, quæ conſequitur naturam, & conditionem naturæ humanæ ſic mixtæ. Sed ſi ly *non* determinat, & cadit ſuper illud infinitum *mori*, ſic eſt vera, quia iſte actus *mori* potuit non ineſſe pro illo ſtatu, quamquam ineſſet naturæ potentia ad illum actum ſcilicet *mori*. Diſtinguit etiam S. Bonauentura iſtam propoſitionem, *homo in ſtatu innocentiæ non potuit mori* in ſenſu compoſitionis, & diuiſionis; & in ſenſu compoſitionis eam concedit, quia ſtante illo ſtatu ei non potuit ineſſe mors, in ſenſu diuiſionis falſa, quia ſic homo fuiſſet innocens, & tamen mortuus fuiſſet, quod eſt falſum, & probat tribus rationibus, quòd illa eſt falſa in ſenſu diuiſionis, & vera in ſenſu compoſitionis, ſicut iſta, *album ſtante albo poteſt eſſe nigrum*, eſt falſa, quia ſic facit ſenſum compoſitum, ſed tamen illud quod eſt album poteſt eſſe nigrum.

SCHOLIVM.

Sententia Doctoris, corpus Adæ in illo ſtatu habuiſſe poſſe mori, non fuiſſe tamen moriturum, quod habet expreſsè Auguſtinus 6. ſup. Gen. ad lit. 28. & Magiſt. hic & explicat duplicem cauſam mortis poſt lapſum. Item, quòd omnes fuiſſent tranſlati in gloriam ante alterationem improportionatam animæ.

3. COncedo, quòd primus parens habuit potentiam ad mori. Sed cùm dicunt, quòd ſtante ſtatu innocentiæ, non potuit mori: nego, & dico, quòd homo in ſtatu, ſeu ſtante ſtatu innocentiæ, potuit mori: iſta tamen potentia non fuiſſet reducta ad actum, & ſic poterat non mori: ſicut ſi diceretur de aliquo, & verè, quòd poteſt eſſe Epiſcopus, qui tamen nunquam erit Epiſcopus, vel cuius poſſibilitas nunquam reducetur ad actum.

Et hoc patet in propoſito per cauſas mortis poſt lapſum, quæ ſunt duæ in genere,

Duplex cauſa mortis in genere poſt lapſum ſcilicet ab extrinſeco & intrinſeco. diſt. 15.

ſcilicet, vel ab intrinſeco, vel ab aliquo extrinſeco. Prima eſt duplex, quia vel corrumpitur ab intrinſeco per actionem mutuam contrariorum inter ſe, & infra corpus: vel propter actionem intenſam vnius intrinſeci in aliud: vel corrumpitur propter defectum alterius contingentem ſcilicet ex ſubtractione nutrimenti, vel huiuſmodi. Primo modo accidit corruptio naturalis in animatis non propter actionem elementi in elementum, vel propter aliquam qualitatem elementarem actiuam, vel paſſiuam: quia nec elementa, nec eorum qualitates manent in mixto, vt dictum eſt ſuprà in quæſtione de mixtione elementorum: ſed propter actionem vnius partis organicæ in aliam partem corrumpendo ipſam, vt corpus fiat indiſpoſitum, & inhabile ad animationem.

In animatis cõtingit corruptio actione vnius organicæ partis in aliã.

Iſta autem actio ponitur caloris naturalis in humidum radicale, corrumpendo, & 4.
conſumendo humidum, ad cuius corruptionem, & conſumptionem, ſequitur corruptio & conſumptio propria etiam caloris, & per conſequens animalis, vt patet de igne, & oleo: & hoc modo, quia pars ſecundùm ſpeciem habet certam periorum, & determinatam, in qua poteſt conuertere in ſe partem nutrimenti appoſitam, & in qua non: hoc autem poteſt quamdiu poteſt agere ſufficienter in nutrimentum: & quia omne agens phyſicum, agendo repatitur, & repatiendo debilitatur, ita tandem, quòd non poteſt ampliùs conuertere, nec reſiſtere corrumpenti, & tunc huiuſmodi pars ſecundùm ſpeciem, incipit eſſe ſecundùm materiam, & fluere in partem ſecundùm materiam, deſinendo eſſe ſecundùm ſpeciem. Hæc ergo eſt cauſa corruptionis, ſcilicet deperditio paulatiua illarum partium: & de iſta corruptione dicunt quòd non fuiſſet homo in ſtatu innocentiæ corruptus: quia deperditio paulatiua fuiſſet reſtaurata per eſum fructus ligni vitæ, quod probatur per illud Gen. 2, *Ne fortè ſumat de fructu ligni vitæ, & viuat in æternum.*

1. & 2. de Gen. & alibi.

Vide 1. de Gen. c. de augmentatione. t. c. 35. & circiter.

Sed contrà, quidquid fuiſſet principium actiuum in homine, non potuiſſet continuare actionem quin aliquando debilitaretur: quia omne agens phyſicum in agendo debilitatur: eſto ergo, quòd natura eſſet debilitata, & ſumeret de fructu, non potuit ſuſtentari per iſtum fructum, niſi conuertendo ipſum, vt alimentum in ſubſtantiam, & naturam ſuam: ſed illud conuerſum non potuit eſſe nobilius, quàm conuertens. Similiter natura conuertens, priùs fuit debilitata, & in conuertendo etiam nutrimentum illius fructus debilitatur magis: ſicut enim in vna actione, ita & in alia, & ideò magis, & magis debilitatur, quantò magis, & magis agit in conuertendo: ergo ſemper debilitatur, & ideò quandoque deficiet. Exemplum Ariſtotelis de aqua mixta vino: nam vinum primò conuertit aquam in ſe, toties autem poteſt apponi aqua: quòd deficiet virtus vini in conuertendo: vnde ſecunda vice minùs fortiter operatur, quam prima.

Per eſum ligni vitæ, non reſtauraretur per ſecte quod perderet natura. 1. de Gen. t. 42.

Dico tamen, quòd ſtante innocentia, non accidiſſet mors: cuius cauſam aſſigno talem: quia quilibet fuiſſet tranſlatus in paradiſum, antequam fuiſſet alteratus alte- 5.
ratione improportionata animæ, ſiue formæ: & hæc tranſlatio non fuiſſet miraculoſa, ſed iuſta & regularis, quòd quilibet in ſtatu ſuo transformetur, & non omnes ſimul, quod ſic oſtendo, nam illi parentes, aut ſemper continuè meruiſſent dum eſſent in vita iſta, vel non ſi ſic, & poſtea omnes ſimul fuiſſent tranſlati, primò natus fuiſſet maioris meriti, quàm poſteriùs natus, quod falſum eſt: nam ſi manſiſſet ſtatus innocentiæ, Beata virgo, & multi poſteriores fuiſſent beatiorés, quàm multi præcedentes, vel quàm vllus præcedentium.

Si dicas, quòd in illo ſtatu non ſemper meruiſſent, ſed vſque ad certum terminum vitæ, tunc ſi non fuiſſent tranſlati ad gloriam illo termino adueniente, Deus feciſſet eis iniuſtitiam, differendo dare præmium, poſtquam opera meritoria conſummaſſent, quæ facturi erant. Ideò ſequitur quòd in ſtatu innocentiæ, vnus fuiſſet tranſlatus, priùs alio, & cuilibet fuiſſet redditum præmium ſuorum meritorum, antequam virtus alicuius eſſet in tantum debilitata, quod neceſſario adeſſet corruptio.

In ſtatu innocẽtiæ alij ante alios fuiſſent tranſlati.

SCHOLIVM.

Non fuiſſet in ſtatu innocentiæ corruptio defectu alimenti, nec à continente diſconueniente, nec ab Angelo, beſtia vel homine vim inferente.

Non fuiſſet corruptio defectu.

SEd fuiſſetne ibi corruptio, ſecundo modo ab intrinſeco, ſcilicet per ſubtractionem 6.
alimenti poſſibilis, ſtante innocentia? Dico quòd ſtante innocentia particulari, in iſto

iſto potuit eſſe corruptio, & mors per ſubtractionem, ſiue non miniſtrationem nutrimenti conuenientis. Cuius ratio eſt, nam paruulus in ſtatu innocentiæ, non habuiſſet vſum membrorum, vt nunc ſuppono: & ideò non potuiſſet ſibi acquirere cibum per potentiam propriam: & per conſequens potuiſſet deficere, ſtante innocentia in ipſo. Sed ſtante innocentia vniuerſali in omnibus, dico, quod non fuiſſet talis defectus: quia parentes prouidiſſent filiis ſuis, aliter fuiſſent nocentes: nec etiam adultus innocens fuiſſet paſſus talem defectum illatum ab alio, ſtante innocentia in omnibus aliis.

alimenti, ſtante innocentia vniuerſali.

De quo d. ſeq.

Sed quid de cauſa extrinſeca corruptiua? Dico, quòd illa eſt duplex, vel ſcilicet propter diſpoſitionem contrariam continentis: vel propter violentiam illatam ab aliquo extrinſeco. Primo modo contingit dupliciter, quia vno modo continens directè corrumpit contentum, vt ignis corpus, quod continet. Aliud eſt continens, quod non directè corrumpit, ſed prohibet illud, quod eſt neceſſarium ad vitam: cuiuſmodi eſt aqua, quæ prohibet inſpirationem, & reſpirationem, & ſimiliter terra: & iſta ſunt duo citò corrumpentia. Eſt etiam continens corrumpens, ſed non iſta ſubitò, vt aër regionis intemperate A prima, & ſecunda corruptione fuiſſent immunes, ſtante innocentia vniuerſaliter in omnibus: quia tunc non expoſuiſſent ſe periculis, aliter fuiſſent nocentes: nec vnus alij intuliſſet violentiam, cùm vterque fuiſſet innocens: nec etiam fuiſſet ibi corruptio ex cauſa tertia, quia in paradiſo fuiſſent, vbi eſt aër temperatiſſimus.

Non fuiſſet in innocentia corruptio ab extrinſeco, continente.

Quid de corruptione per violentiam? Dico, quòd illa poteſt fieri, vel ab homine, vel ab Angelo malo, vel à beſtia, ſiue animali quocunque. Dico igitur, quòd à nullo animali recepiſſent nocumentum ſtante ſtatu innocentiæ: quia omnia animalia fuiſſent homini mitia, & amicabilia, vel ſaltem non inimica: nec ab Angelo malo, quia Deus conſeruaſſet eum; non quia non potuiſſet corpus innocentis ſcindi, & diuidi à malo Angelo, cui obediunt corpora inferiora. Iob 41. *Non eſt poteſtas, quæ ei valeat comparari:* & etiam ab alio malo homine, ſi non fuiſſet innocentia vniuerſalis: ſed Deus innocentem conſeruaſſet.

Non fuiſſet corruptio violẽta in ſtatu innocentiæ.

Dico ergo, quòd ſolum habuit, poſſe non mori, per illatum ab his cauſis extrinſecis.

7. Ad primum argumentum dico, quòd habuit tunc, & habuiſſet partes fluxibiles, & deperdibiles: non tamen fuiſſet corruptus, quia fuiſſet tranſlatus ante mortem, vt dictum eſt: alij autem dicebant, quòd fiebat reſtauratio per eſum ligni vitæ.

Ad arg. 1.

Ad ſecundum, patet, per dicta in corpore quæſt. ſcilicet, quòd poterant corrumpi: illa tamen potentia non fuiſſet reducta ad actum, quia fuiſſet præuenta per illam tranſlationem.

Ad 2. n. 5.

Ad aliud, poſſet negari aſſumptum: quia non oportet, quòd omne violentum aliquando corrumpatur, niſi naturaliter loquendo. Vel poteſt dici, quòd non ſunt ibi violenter: nec eſt ibi actio vel paſſio violenta: nam ſi ſit violentum aquæ (vt aqua per ſe conſideratur) calefieri ab igne, vel moueri ſurſum, non tamen conſiderando aquam vt eſt pars vniuerſi. Vnde, & aqua aſcendit propter vacuum fugiendum, & ignis mouetur circulariter ad motum ſphęræ: cuius tamen motus eſt rectus, vt ſecundùm ſe conſideratur. Elementa etiam non ſunt in mixto formaliter, ſed ſolùm virtualiter.

Ad 3.

Motus aquæ ſurſum ne detur vacuum nõ eſt violentus.

Ad argumentum in oppoſitum, dico, quòd verum eſt pro tanto, quia propter peccatum fuit potentia illa reducta ad actum: ſi tamen non peccaſſent, nihilominùs habuiſſent huiuſmodi potentiam moriendi.

Ad argumentum opinionis quòd mors eſt pœna peccati, dico quòd ſtante illo ſtatu, ſi Deus non tranſtuliſſet homines, modo quo dictum eſt, ſi fuiſſent mortui, mors non fuiſset plus pœna in hominibus, quàm in brutis: & fuiſset conditio, vel paſſio conſequens talem naturam ſic per mixtionem compoſitam, ſicut modo.

Ad opin. D. Bonau. ſi fuiſſet homo conditus in puris naturalibus.

COMMENTARIVS.

3. SCotus contra concluſionem illam quòd ſtante ſtatu innocentiæ non potuerit mori, arguit, quia in innocentia nihil includit, quod formaliter repugnet morti, quia voluntas innocentis, iuſtitia originalis non includunt rationem formalem repugnantem morti, nec apparet, quòd illa voluntas, & illa iuſtitia originalis nullo alio poſito poſſint impedire contraria ne agerent in illo ſtatu in corpora talia corrumpendo illa; nullo enim alio poſito, niſi pleno dominio voluntatis ſuper illa corpora, & iuſtitia originali ſi illud corpus eſſet in igne, ignis combuſſiſſet illud corpus,

pus,nec voluntas habuiſſet dominium ſuper ignem, ſic, quòd imperando igni, ignis non combuſſiſſet. Sed contrà. Iſidorus dicit,quòd homo innocenter vixiſſet, nec ignis combureret, nec aqua ſubmergeret,nec aër ſuffocaret. Dico,quòd hoc eſt verum, ſed hoc eſt ex alia cauſa, quàm pleno dominio, &c. ſed, quia Deus non concurreret cum igne ad comburendum,ſicut fecit cum Abraham in Vr Chaldæorum.

4. *Primus parens habuit potentiam ad mori.*

Dicit igitur Doctor quòd primus parens habuit potentiam ad mori. Et cùm dicit S. Bonauentura quòd ſtante ſtatu innocentiæ non potuit mori, nego, & dico, quòd homo in ſtatu innocentiæ illo ſtatu ſtante potuit mori,ſed nunquam tamen illa potentia fuiſſet reducta ad actum. Et patet ex cauſis mortis pro ſtatu iſto, quæ etiam tunc potuiſſent ineſſe; ſed ſi tunc mors ſecuta non fuiſſet, non fuiſſet ex innocentia ſola, ſed ex Deo ſic volente principaliter, & ex bonitate hominum tunc exiſtentium,non ex hoc quia homo habet innocentiam, illa innocentia ſeruaſſet eum:& nota benè hoc,quia in hoc ſtat tota ſolutio quæſtionis. Nota quid ſit pars ſecundùm ſpeciem, & pars ſecundùm materiam. Pars ſecundùm ſpeciem eſt pars alicuius notabilis quantitatis habens certam periodum, ſiue durationem, in qua duratione poteſt conuertere alimentum ſibi approximatum virtute animæ in ſui ſubſtantiam, deducendo ad perfectum ſtatum, & conſeruando ſe in perfecto ſtatu;& ſi aliqua eius pars fluat poteſt reſtaurare deperditum, vt puta cor,vel hepar,vel pars notabilis cordis,vel hepatis,& quamdiu eſt ſic potens operari,dicitur pars ſecundum ſpeciem; ſed cùm debilitatur eius calor naturalis, & humidum radicale conſumitur, deſinit eſſe pars ſecundùm ſpeciem, & fit pars ſecundùm materiam,quæ pars fluxibilis eſt, vide rationem. Et cùm iſta fuiſſent in illo ſtatu calor naturalis fuiſſet debilitatus,& humidum radicale defeciſſet, ſicut oleum in lucerna deficit agente igne in eo. Sed S. Bonauentura dicit, quòd etſi in ſtatu illo fuiſſet debilitatio caloris, & diminutio humidi, non tamen tunc fuiſſent mortui, quia habuiſſent fructum ligni vitæ, & comedendo de illo fuiſſent optimè reſtaurari.

Quid ſit pars ſecundum ſpeciem.

5. Sed arguit Doctor fortiſſimè contra eum,quia ſi calor fuiſſet debilitatus, vt concedit S. Bonauentura,ille fructus non reſtauraſſet, niſi comeſtus fuiſſet conuerſus in ſubſtantiam nutriti; ſed oſtendit quòd illud conuerſum non potuit eſſe ita perfectum, ſicut perditum, quia non poteſt eſſe quid perfectius, quàm calor conuertens; ſed calor eſt dibilitatus ex actione in humidum radicale, & ex illa etiam actione, quâ conuertit fructum ligni vitæ magis redditur debilis per illam regulam, *Omne agens phyſicum*, &c. Igitur illud conuerſum eſt ſemper magis, & magis imperfectum, & ita humidum radicale imperfectum, & ita tandem redderetur calor inhabilis ad reſtaurandum humidum, & ſic inhabile ad vitam. Sed moreretúrne homo ex hoc? Dicit Doctor quòd non, ſed ante illud tempus transferret eum Deus in paradiſum exultationis. Sed ne quis dicat ipſum hoc dicere ſine ratione, oſtendit quòd illa tranſlatio non eſſet miraculoſa,ſed iuſta,& regularis, vide rationem Doctoris quæ eſt clara. Sed inferiùs vbi quærit,ſed fuiſſetne ibi corruptio ex ſecunda cauſa intrinſeca corruptionis, ſcilicet propter ſubtractionem nutrimenti?Dicit Doctor quòd ſtante innocentia particulari in aliquo, vt puta in paruulo,& pater, & mater eſſent nocentes,& mali, ſi non darent neceſſaria paruulo, cùm per ſe non poſſet illa acquirere, nec cognoſceret quid conueniens, & quid diſconueniens, moreretur, nec innocenta ſua conſeruaret eum, *ſed ſtante innocentia in omnibus nõ ſic mortuus fuiſſet*,&c. An adultus nocẽs, patet quòd non mortuus fuiſſet, ſi alij fuiſſent innocentes, quia datâ eius malitiâ, adhuc boni adiuuiſſent eum, fuiſſet tamen tunc vſus rerum communis. Et ſi non ſit bonus pro ſtatu naturæ lapſæ, fuiſſet tamen bonum, quòd omnia eſſent communia pro ſtatu innocentiæ, & fortè non congregaſſent grana,nec vinum, quia fuiſſent in paradiſo, & ita ibi fuiſſent optimi fructus terræ, quos comediſſent in communi plures ſimul: & ſub eadem arbore pomi comediſſent poma vnuſquiſque ad ſufficientiam.

6. *Expoſitio quomodo ſit data homini Rom.cap.5.*

Sed quia in vltima ſolutione dicit,quòd mors non eſt pœna culpæ, ſed magis eſt conditio naturæ ſic permixtæ. Notandum, quòd ſi Deus creaſſet hominem in puris naturalibus ſine quocunque dono,tunc mortuus fuiſſet, ſicut & bruta, & mors non eſſet ei pœna, ſicut nec brutis, quæ non peccant; ſed quia Deus creauit eum cum donis gratuitis, inter quæ dona fuit iſtud, ſcilicet ne vnquam moreretur actu, eo quòd Adam peccauit, ſpoliauit eum donis gratuitis, & ita expoliauit eum iſto dono, & ita expoliatio iſtius doni data eſt homini in pœnam peccati,& ex ſpoliatione huius doni ſequitur mors, quæ eſt propria conditio naturæ,& ſic poteſt dici pœna, vel ſequela pœnæ, quia ſequitur ad illam expoliationem,& ſic intelligendi ſunt Doctores, qui dicunt eſſe mortem pœnam peccati. Et ad Apoſtolum,per peccatum mors, id eſt, illa potentia, quæ per Dei donum nunquam fuiſset reducta ad actum, remoto dono, reducta eſt ad actum moriendi.

DISTINCTIO XX.

De modo procreationis filiorum ſi primi homines non peccaſſent.

A POſt hæc videndum eſt, qualiter primi parentes ſi non peccaſſent, filios procreaſſent, & quales ipſi filij naſcerentur. Quidam putant ad gignendos filios primos homines in paradiſo miſceri non potuiſſe, niſi poſt peccatum: dicentes concubitum ſine corruptione, vel macula non poſſe fieri. Sed ante peccatum nec corruptio, nec macula in homine eſſe poterat: quoniam ex peccato hæc conſecuta ſunt. Ad quod dicendum eſt, quòd ſi non peccaſſent primi homines, ſine omni peccato & macula in paradiſo carnali copula conueniſſent, & eſſet ibi thorus immaculatus, & commixtio ſine concupiſcentia, atque genitalibus membris, ſicut cæteris imperarent, vt ibi nullum motum illicitum ſentirent, & ſicut alia membra corporis aliis admouemus, vt manum ori, ſine ardore libidinis: ita genitalibus vterentur membris ſine aliquo pruritu carnis. Hæc enim lethalis ægritudo, membris humanis ex peccato inhæſit. Genuiſſent itaque filios in paradiſo per coïtum immaculatum, & ſine corruptione. Vnde Auguſtinus: [Cur non credamus primos homines ante peccatum genitalibus membris ad procreationem imperare potuiſſe, ſicut cæteris in quolibet opere ſine voluptatis pruritu vtimur. Incredibile enim non eſt Deum talia feciſſe illa corpora vt ſi non peccaſſent, illis membris ſicut pedibus imperarent, nec cum ardore ſeminarent, vel cum dolore parerent: ſed poſt peccatum motum illum meruerunt, quem nuptiæ ordinant, continentia cohibet.] [Infirmitas enim prona in ruinam turpitudinis, excipitur honeſtate nuptiali: & quod ſanis eſſet officium, ægrotis eſt remedium.] [Emiſſi quidem de paradiſo conuenerunt, & genuerunt: ſed potuerunt in paradiſo eis eſſe nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus ſine ardore libidinis, ſine labore pariendi.

Aug. ſuper Gen. lib. 9. cap. 10.

Cap. 7. ibidem. Ibid. cap. 4.

Quare in paradiſo non coierunt, duobus modis ſoluit.

B [CVr ergo non coïerunt in paradiſo? Quia creata muliere, mox tranſgreſſio facta eſt, & electi ſunt de paradiſo. Vel quia nondum Deus iuſſerat, vt coïrent, & poterat diuina expectari auctoritas, vbi concupiſcentia eos non angebat. Deus verò non iuſſerat, quia caſum eorum præſciebat, de quibus homo propagandus erat.] Ecce expreſsè habes de modo propagationis filiorum.

Lib. eodem cap. 4.

De termino illius inferioris vitæ, vtrùm natis filiis per ſucceſſiones, an ſimul omnes transferendi fuiſſent?

C DE termino verò temporis, quo transferentur ad ſpiritualem cæleſtémque vitam, certum aliquid ſcriptura non tradit. Et ideò ambiguum eſt,

Lib. eodem cap. 4.

eſt, vtrùm parentes genitis filiis, perfectáque humani officij iuſtitia, ad meliorem ſtatum transferrentur, non per mortem, ſed per aliquam mutationem an patres in aliquo ſtatu vitæ remanerent, ligno vitæ vtentes, donec filij ad eundem ſtatum peruenirent: & ſic impleto numero omnes ſimul ad meliora transferantur, vt eſſent ſicut ſancti Angeli in cælis.] De quo Auguſtinus ambiguè diſſerit, *ſuper Gen.* ita inquiens. [Potuerunt primi homines in paradiſo filios gignere: non vt morientibus patribus ſuccederent filij, ſed in aliquo formæ ſtatu manentibus, & de ligno vitæ vigorem ſumentibus, & filij ad eundem perducerentur ſtatum, donec impleto numero ſine morte animalia corpora in aliam qualitatem tranſirent: in qua omnino regenti ſpiritui deſeruirent, & ſolo ſpiritu viuificante ſine corporeis alimentis viuerent.] [Vel potuerunt parentes filiis cedere, vt per ſucceſſionem numerus impleretur: qui genitis filiis, perfectáque humani officij iuſtitia, ad meliora transferrentur, non per mortem, ſed per aliquam mutationem.] Ecce hîc habemus de tranſitu hominis ad meliora, ſed incertum nobis relinquitur, vtrùm ſimul transferentur, an per ſucceſſiones.

Lib. 8. c. 4.

Ibid. c. 6.

Quales procreaſſent filios, vtrùm perfectionem ſtaturæ, & vſum membrorum habentes, qualis homo primus fuit conditus?

D SI verò quæritur, Quales ſi non peccaſſet homo, filios genuiſſet? vtrùm videlicet ſicut ipſe primus homo ſecundùm ſtaturam corporis & vſus membrorum perfectus mox conditus extitit, ita etiam eius filij in ipſo natiuitatis exordio perfecti exiſterent: qui ambulare & loqui, & cuncta facere poſſent? Reſponderi poteſt, quòd filios paruulos naſci oportebat, propter materni vteri neceſſitatem, ſed vtrùm mox nati perfectionem ſtaturæ, & membrorum vſum haberent, an paruuli & in minore ætate conſtituti vti poſſent membrorum officiis, an per interualla temporum eo modo quo nunc fit perfectionem ſtaturæ, & vſum membrorum recepturi eſſent, de auctoritatibus definitum non habemus.

Reſponſio, vbi vno ſine ambiguo poſito tripartitam ſubiycit diſtinctionẽ.

Ambigua Auguſtini verba ponit, vbi tamen videtur innuere, quòd filij & paruuli poſſent membrorum vti officiis.

E ET ſuper hoc Auguſtinus ambiguè loquitur. [Mouet nos, inquit, ſi primi homines non peccaſſent, vtrùm tales filios eſſent habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus vterentur. Nam propter vteri neceſſitatem, fortè neceſſe erat paruulos naſci: ſed quamuis exigua pars corporis ſit coſta, non tamen propter hoc paruulam viro coniugem fecit: vnde & eius filios poterat omnipotentia creatoris mox natos, grandes facere. Sed vt hoc omittam, poterat certè eis præſtare, quod multis animalibus præſtitit: quorum pulli, quamuis ſint paruuli; tamen mox vt naſcuntur currunt, & matrem ſequuntur. Contra, homini nato nec ad inceſſum pedes idonei ſunt, nec manus ſaltem ad ſcalpendum habiles & iuxta ſe mammis poſitis, naſcentes magis poſſunt eſurientes flere quam ſugere: proindéque infirmitari mentis congruit hæc infirmitas carnis.] His verbis videtur inſinuari, quod filij etiam paruuli officiis membrorum valerent vti.

Aug. lib. 1. de paruulorum baptiſmo primo, qui alias dicitur de peccatorũ meritis, & remiſſione in c. 37. & tom. 7.

Quibuſdam

Quibuſdam non abſurdè placuit, quòd filij parui naſcerentur, & per acceſſum temporis in ſtatura & in aliis, ſicut nunc, proficerent, quod non eſſet vitio imputandum.

F SEd cùm Auguſtinus ſub aſſertione de his nihil tradat, non irrationabiliter quibuſdam placuit primorum parentum filios naſcituros paruos, ac deinde per interualla temporum eadem lege, qua & nunc natiuitatem humanam ordinatam cernimus, ſtaturæ incrementum & membrorum vſum recepturos, vt in illis expectaretur ætas ad ambulandum, & loquendum ſicut modò in nobis: quod vtique non eſſet vitio deputandum, ſed conditioni naturæ: ſicut à cibo abſtinere penitùs non valebant, nec tamen illud erat ex vitio, ſed ex natura conditionis.

Oppoſitio quorundam volentium probare eos poſſe viuere ſine alimonia.

G AD hoc autem opponitur. Si non peccarent, non morerentur, ſed non peccarent, ſi non comederent: poterant igitur ſine alimonia viuere. Cæterùm, ſicut ſuprà diximus, non ſolùm peccarent, ſi de ligno vetito ederent, ſed etiam ſi conceſſis non vterentur: quia ſicut erat eis præceptum non illo ligno vti, ita aliis veſci. Prætereà contra naturalem rationem facerent, quâ intelligebant de illis eſſe edendum, quod & naturaliter appetebant. Item opponitur. Cùm fames ſit pœna peccati, ſi non peccarent, famem non ſentirent: ſed ſine fame ſuperfluum videretur comedere. Vnde putant quidam eos cibis non indiguiſſe ante peccatum quia non poterant eſurire, ſi non peccaſſent. Ad quod dici poteſt, quòd fames verè defectus eſt & pœna peccati. Eſt enim immoderatus appetitus edendi: cui non ſubiacuiſſet homo, ſi non peccaſſet: ſed proculdubio peccaret, niſi hunc defectum cibo præueniret. Habebat enim naturalem appetitum & moderatum, cui ita ſatisfaciendum erat, ne defectum famis ſentiret. Sicut ergo non ex vitio, ſed ex naturæ conditione erat, quòd ante peccatum homo cibis indigebat: ita non ex vitio eſſet, ſed de natura, ſi hominis conditio in principio ſuo, id eſt, in primo parente à perfecto inchoata, in ſubſequenti propagatione à modico ad maiora proficeret: vt ſcilicet per interualla temporis, ſtaturæ corporeæ incrementa, vſúmque membrorum ſuſciperet.

Dif. 19. lit. b.

Alia oppoſitio circa idem.

Vtrùm ſicut ſtatura corporis, ita etiam ſenſu mentis paruuli naſcerentur, & per acceſſum temporis proficerent in ſenſu & notitia veritatis, ſcilicet an mox nati, in his eſſent perfecti.

H ET cùm de corpore humano non ſit abſurdum vel inconueniens hoc exiſtimare, quæri ſolet: vtrùm de ſenſu animæ, & an cognitione veritatis eodem modo ſentiendum ſit: vt ſcilicet hi qui ſine peccato naſcerentur, ſenſu & intelligentia mentis imperfecti exiſterent, & per acceſſum temporis in his proficerent vſque ad perfectionem: an mox conditi perfectionem ſenſus & cognitionis perciperent. Illi qui ſentiunt paruulos natos in ſtatura corporis & vſu membrorum per acceſſum temporis

Reſponſio.

profecturos, non diffitentur eoſdem in exordio natiuitatis ſenſu imperfectos exiſtere, & per interuallum temporis in ſenſu & cognitione proficere vſque ad perfectum.

Contra illorum ſententiam opponunt quidam.

I AD quod quidam opponunt, dicentes, ſi mox nati non haberent perfectionem ſenſus & intelligentiæ, ignorantia in eis eſſet. Ignorantia autem peccati eſt pœna. Sed qui hoc dicunt, non ſatis diligenter conſiderant: quia non omnis qui aliquid neſcit vel minus perfectè aliquid ſcit, ſtatim ignorantiam habere, ſiue in ignorantia eſſe dicendus eſt: quia ignorantia non dicitur, niſi cùm id quod ſciri & ignorari non debet, neſcitur. Talíſque ignorantia pœna peccati eſt, cùm mens vitio obſcuratur, ne cognoſcere valeat ea quæ ſcire deberet.

Reſponſio.

Quomodo ignorantia dicitur eſſe in aliquo.

De hominis tranſlatione in meliorem ſtatum: & de duobus bonis, altero hic dato, altero promiſſo.

K TAlis erat hominis inſtitutio ante peccatum ſecundùm corporis conditionem. De hoc autem ſtatu transferendus erat cum vniuerſa poſteritate ſua, ad meliorem dignioremque ſtatum: vbi cæleſti & æterno bono in cælis ſibi parato frueretur. Sicut enim ex duplici natura compactus eſt homo, ita illi duo bona conditor à principio præparauit: vnum temporale, alterum æternum: vnum viſibile, alterum inuiſibile: vnum carni, alterum ſpiritui. Et quia primum eſt quod eſt animale, deinde quod eſt ſpirituale, temporale ac viſibile bonum prius dedit: Inuiſibile autem & æternum promiſit, & meritis quærendum propoſuit. Ad illius autem cuſtodiam quod dederat, & ad illud promerendum quod promiſerat naturali ratione in creatione animæ hominis inditæ, qua poterat inter bonum & malum diſcernere, præceptum addidit obedientiæ, per cuius obſeruantiam datum non perderet, & promiſſum obtineret, vt per meritum veniret ad præmium.

Hugo de ſacram lib. 1. parte 2. cap. 6.

1. *Cor. 15. f.*

QVÆSTIO I.

Vtrùm filij procreati in ſtatu innocentiæ fuiſſent ſtatim confirmati in iuſtitia?

Anſelm. *l. 1. cur Deus, c. 18.* Alenſis *2. p. q. 95. m. 1. art. 3.* D. Thom. *1. p. q. 100. art. 2. & hîc q. 2. art. 3.* Durand. *hîc q. 5. art. 3.* Maior. *q. 1.* Gabr. *q. 1. art. 2.* Baſſol. Leuch. *hîc.* Aretinus *comment. in Gen. p. 454.*

CIrca iſtam vigeſimam diſtinctionem, in qua Magiſter agit, de ſtatu primi hominis ſecundùm quòd erat principium aliorum, quæruntur tria: Primum eſt, Vtrùm filij procreati in ſtatu innocentiæ fuiſſent ſtatim confirmati in iuſtitia? Secundum, Vtrùm in ſtatu illo, fuiſſent illi ſoli geniti, qui nunc ſunt electi? Tertium, Vtrùm filij creuiſſent in corpore, & ſcientia ſicut modo?

Arg. 1. Circa primum, videtur quòd ſic. Probatio, Anſelmus, Cur Deus homo l. 1. c. 18. dicit: *Si primi parentes ſic vixiſſent, vt primò tentati non peccaſſent, ita confirmati fuiſſent cũ omni progenie ſua, vt vltrà peccare non poſſent.*

Arg. 2. c. 36 Item Gregorius 4. *Moral.* dicit quòd parentes non genuiſſent reprobos in ſtatu innocentiæ:

noeentiæ:ergo nec potentes peccare:quia tunc potuiſſent eſſe damnati, & per conſequens reprobi:ergo in iuſtitia confirmati fuiſſent geniti.

Item Dionyſius 4.cap. de Diui. Nom. *Bonum eſt potentius malo* : ſed malum peccati originalis in primis parentibus, eſt cauſa, quòd filij naſcuntur mali, malitia peccati originalis:ergo ſi primi parentes ſtetiſſent in iuſtitia, & rectitudine,in qua confirmati fuiſſent,genuiſſent filios in illa iuſtitia confirmatos. *Arg.* 3.

Item, ſi vnum oppoſitorum eſt alicuius oppoſiti cauſa, & ſuum oppoſitum erit conſimile cauſatiuum ; ſed peccatum in homine eſt cauſa peccati in progenito: ergo & iuſtitia fuiſſet cauſa iuſtitiæ. *Arg.* 4.

Oppoſitum, quia illi filij fuiſſent viatores:ergo peccatores eſſe poterant ; non ergo confirmati.

SCHOLIVM.

Duplex eſt confirmatio vna conueniens beatis, tollens poſſe peccare etiam venialiter : quia non dat Deus concurſum ad id neceſſarium. Alia viatoris non tollens poſſe, nec concurſum ad actum peccati neceſſarium,habens tamen infallibilem cuſtodiam,ne peccetur mortaliter, & hæc conueniret filiis in ſtatu innocentiæ,ſi viciſſent primam tentationem, non tamen antea:& contra hæc ſecundum tantùm, quod eſt Anſelmi, militant loca quædam Auguſtini 14. *Ciuit.c.*10. *&* 9. *de Gen.ad lit.*3. *quæ benè ſoluit Alenſis ſuprà.*

2. DIco ad quæſtionem [a], quòd aliquis poteſt dici confirmatus in iuſtitia, vel quia non poteſt peccare eo modo,quo non poſſe peccare, poteſt creaturæ competere,de quo dicetur lib.4. Alio modo poteſt dici confirmatus,quod non peccat, vel non peccabit : ſicut de multis viatoribus ſanctificatis in vtero : & fortè omnes peccauerunt venialiter : quia *ſi dixerimus, quod peccatum non habemus*, &c. non poſſe peccare primò, non poteſt competere viatori, alioquin eſſet contradictio : quia certitudo de beatitudine eſt maxima beatitudinis pars, non poſſe autem peccare, quod fuiſſet tunc ſcibile à quolibet, ſicut & modò poſſe peccare nobis eſt certum : ergo fuiſſet certitudo infallibilis de beatitudine:hoc autem competere poteſt comprehenſori ſoli,viator autem,& comprehenſor diſtinguuntur, ſicut eſſe citra terminum, & eſſe in termino. 1. *Ioan.*1. *Aug.*13. *Trin.c.*8.

Item, voluntas, cuius capacitas non eſt ad plenum ſatiata, non eſt perfectè confirmata:talis fuiſſet voluntas eorum:alioquin habuiſſent pro ſtatu illo quicquid vellent, & nihil mali vellent, & per conſequens eſſent beati : quia beatus eſt ſecundùm Auguſtinum *qui habet quidquid vult,& nihil mali vult.* 13. *Trin. c.*5.

Item,quamdiu in obiecto voluntatis viatoris eſt defectus boni,poteſt voluntas viatoris deficere à rectitudine,volendo illud,non ſecundùm debitam circunſtantiam:ſed dum eſt viator,non poteſt voluntas coniungi tali obiecto in quo eſt omnis boni ratio: igitur quamdiu viator eſt,poteſt deficere à rectitudine,& per conſequens peccare.

3. Secundo modo,accipiendo *eſſe confirmatum* ; Dico,quòd ſic merè viator poſſet eſſe confirmatus,& fuiſſent filij in ſtatu innocentiæ,in iuſtitia ſic confirmati,ſcilicet poſtquam primam tentationem viciſſent,ſicut pater primus fuiſſet confirmatus, ſi primæ tentationi reſtitiſſet,in iſta iuſtitia,quam tunc recepiſſet pro filiis, ſecundùm Anſelmum,pro tanto:quia omnes illam habuiſſent, & in ipſa confirmati fuiſſent, qui primæ tentationi reſtitiſſent,ſicut primus pater. *Quomodo omnes in ſtatu innocentiæ fuiſſent confirmati in iuſtitia.*

Sed transfudiſſétne [b] Adam iſtam iuſtitiam ? Dico, quòd non, cùm ſit donum ſupernaturale:ſed ex mera liberalitate diuina eſſet datum proli,ſicut fuit datum parenti,qui ſi primæ tentationi reſtitiſſet, confirmatus in illa iuſtitia fuiſſet, ſcilicet ſic inquam confirmatus,quia nunquam illam amiſiſſet,nec peccaſſet. *An Adam transfunderet iuſtitiam in filios.*

Sed habuiſſétne filius illam per patrem,vel per merita patris,vel parentum? Dico, quòd non:quod enim congruit toti naturæ,non datur vni indiuiduo mediãte alio,vel per meritum illius:ſed ſingulis indiuiduis ſingulæ fuiſſent appoſitæ iuſtitiæ originales.

Sed fuiſſétne filius confirmatus in illa natus?Dico quòd non, quia filius non recepiſſet perfectiorem iuſtitiam,quàm pater, ſed pater potuit eam perdere, & perdidit: ergo & filius,nec etiam illa iuſtitia neceſſitabat eos ad bene agendum.

Poteſt etiam ſic perſuaderi : nam ſi nullum fuiſſet meritum in prole, reſpectu iuſtitiæ, ſed in parente ſolùm,illud non fuiſſet tantùm ſicut meritum Chriſti, qui fuit ſecundus Adam:& tamen gratia,quæ confertur per meritum Chriſti in baptiſmo,vel

in aliis Sacramentis, non confirmat recipientem : ergo multò minùs ſuffeciſſet meritum cuiuſcunque parentis, vel prolis, ad confirmandum in iuſtitia.

Ad primum argumentum [e] dicitur, quòd Anſelmus hoc dicit opinando : vel hoc dixit, quia mirabiliter fuiſſent adiuti filij ne peccaſſent : tum propter iuſtitiam originalem, tum propter ſollicitam doctrinam parentum ; qui filij ſi habuiſſent victoriam de prima tentatione, ſic fuiſſent confirmati, ſicut & primus parens, ſi primæ tentationi reſtitiſſet: & victoriam habuiſſet, qui fuiſſet ſic confirmatus, quòd nunquam poſtea peccaſſet: ſed peccare potuiſſet occurrente inductiuo ad peccandum. 4.

Ad aliud concedo [d], quòd reprobi non fuiſſent nati : quia omnes nati ſeruaſſent iuſtitiam, non quia ſeruare non potuiſſent.

Ad aliud argumentum dico, quod licèt bonum eſt efficacius quàm malum ; quia parum facere de bono eſt maioris potentiæ, & virtutis, quàm multa mala facere : tamen malum aliquod poteſt pluribus obeſſe, quàm bonum aliquod prodeſſe.

Aliter poteſt dici, quòd etſi malum in Adam fuiſſet cauſa mali in prole: tamen non fuit cauſa confirmationis in malo in prole: quia tunc vnuſquiſque natus fuiſſet obſtinatus in malo: ergo ſimiliter nec iuſtitia cauſa confirmationis iuſtitiæ fuiſſet in prole.

Si vnum oppoſitorũ eſt cauſa alicuius oppoſiti, an ſuum oppoſitum, eſt cauſa ſimilis oppoſiti.

Ad vltimum dico quòd ſi illa duo oppoſita eſſent à cauſa vniuoca, ſcilicet bonum iuſtitiæ originalis, & malum peccati ; argumentum concluderet. Sed dico, quòd illa regula fallit in omnibus, vbi vnum oppoſitorum poteſt produci à cauſa vniuoca, & alterum tantum à cauſa æquiuoca. Exemplum, qualitas corporalis poteſt generare qualitatem corporalem, vt calor calorem: non autem qualitas incorporalis, poteſt generare qualitatem incorporalem: qualitas enim incorporalis immediatè à Deo creatur : ita in propoſito.

COMMENTARIVS

1. a AD quæſtionem reſpondet, ponendo talem diſtinctionem : Eſſe confirmatum duobus modis intelligi poteſt, ſcilicet eſſe confirmatum in bono, quòd non poſſit peccare, ita quòd ly *non* cadat ſuper ly *poſſe*, eo quòd etſi habent naturam eandem quam modò, & liberum arbitrium, tamen eſt ſic confirmatum in bono, quòd potentia propinqua peccare non poſſunt, & ſic beati dicuntur in bono confirmati, quòd non poſſunt peccare, & iſto modo dicit Doctor primam concluſionem, quod nullus viator ſic eſt confirmatus, quia ſi eſt viator, igitur eſt in ſtatu merendi, & demerendi, & ex conſequenti poteſt peccare; & ſic diceremus Virginem pro ſtatu viæ non ſic fuiſſe confirmatam; aliter enim eſt modo confirmata, quàm tunc, quia nunc eſt beata, tunc non erat beata. Imò dicit Doctor quòd implicat, quòd viator ſit iſto modo confirmatus, quia ſic eſſet beatus, quia potior pars beatitudinis eſt ſecuritas ; ſed non potens peccare, & ſciens ſe non poſſe peccare eſt ſecurus de ſua beatitudine : igitur talis non eſſet viator, ſed beatus.

Potior pars beatitudinis eſt ſecuritas.

2. Præterea obiectum voluntatis viatoris eſt ens limitatum, & finitum, &c. In quo non eſt omnis ratio boni, nec ab illo remouetur omnis ratio mali, & voluntas poteſt deuiare à tali obiecto per aliquam circumſtantiam non conuenientem tali obiecto, vel operari circa illud ſecundùm aliquam circunſtantiam non debitam illi obiecto, & ita peccare. Solum enim beati habent Deum pro obiecto clarè viſo, in quo ſolo eſt omnis ratio boni, & in eo nullus defectus boni, & circa tale obiectum voluntas errare nequit, igitur viator non poteſt ſic eſſe confirmatus, vt non poſſit peccare. Alio modo aliquis dicitur confirmatus in bono, quia non peccat in præſenti, nec peccabit in futuro ; & iſto modo in iſto ſtatu naturæ lapſæ multi fuerunt confirmati, quia non peccauerunt, ſaltem mortaliter, vt ſanctificati in vtero, & Apoſtoli in die Pentecoſtes, iſti tamen potuerunt peccare, & etiam fortè venialiter peccauerunt omnes, excepta Virgine Beata, quæ non ſolum mortaliter actualiter, nec mortaliter originaliter, ſed nec venialiter peccauit. De S. Ioanne Baptiſta eſt dubium, an venialiter peccauerit. Et teneo quòd ſic, quia ſepties in die cadit iuſtus veniaiiter, & reſurgit. Petrus Apoſtolus poſt confirmationem peccauit, & venialiter ad Gal. 2. *Reſtiti in faciem eius, quia reprenſibilis erat.* Si igitur in iſto ſtatu aliqui ſic fuerunt confirmati, quòd nunquam peccauerunt, vt Virgo, quæ nullum peccatum commiſit, & alij multi, qui non peccauerunt mortaliter, multò magis in illo ſtatu innocentiæ fuiſſent ſic confirmati, quòd nunquam peccaſſent; ſi tamen primæ tentationi reſtitiſſent, ſicut primus parens, &c.

Speculare hæc omnia.

Et nota diligenter, quòd Adam ſi victoriam habuiſſet, fuiſſet confirmatus ſic, quòd nunquam peccaſſet, tamen peccare potuiſſet ; ſimiliter eius filij. Et ſi quis arguat, ſi poterat peccare, ponatur in *eſſe* ; peccat, igitur non eſt confirmatus, & ita videtur quòd implicet ipſum poſſe peccare, & eſſe confirmatum in bono. Reſpondendum eſt non admittendo, quòd illa de poſſibili ponatur in *eſſe*, quia iã ſum obligatus ad iſtam, quòd eſt confirmatus, quòd non peccat, nec peccabit : & licèt illa de *poſſibili* ſtet cum iſta de *ineſſe*, non tamen ſua de *ineſſe* ſtat cũ poſitione poſita; ſcilicet quòd non peccabit, iſta enim contradicunt, non peccabit, & peccat; ſicut iſta ſedens poteſt currere, ſtant ſimul, non tamen iſta duo ſedens currit, ideò ſi es obligatus ad iſtã *Socrates ſedet*, & aliquis proponat iſtã, *poteſt Socrates currere*, concede, ponatur in *eſſe*, non ponatur, quia iã es obligatus ad tenendũ iſtam. *Socrates ſedet*, ita homines in ſtatu innocentiæ confirmati non peccaſſent, tamen quia fuiſſent viatores, potuiſſent peccare, non tamen iſta ponenda eſt in *eſſe*, quia es obligatus ad tenendum 3.

iſtam

iſtam ſcilicet ſunt confirmati ſic, quod non peccabunt.

b Sed ſuppoſito quòd Adam fuiſſet confirmatus in iuſtitia, generans Abel, per generationem communicaſſetne ei iuſtitiam originalem, ſic per generationem transfundendo eam, & communicando eam ſibi? Dico, quòd non, quia eſt merè donum Dei, & non habitum fuiſſet illud donum per generationem, quia iam non fuiſſet donum; generatio enim eſt per modum naturæ,& donatio per modum voluntatis.

4. *Iuſtitia originalis non neceſſitabat voluntatem.*

Alia dubia patent. Sed nota in reſponſione ad tertium dubium illam probationem: iuſtitia originalis non neceſſitabat ad bonum: inclinabat enim voluntatem ad iſta iuſtè volendo, non tamen neceſſitabat voluntatem, ſicut nec modò gratia: ſi enim neceſſitaſſet ad bonum, nec Adam, nec Eua peccaſſent, ſed de neceſſitate benè operati fuiſſent, & tunc ceſſaſſet meritum. Nota etiam illam optimam perſuaſionem, & eſt ratio reſponſiua ad ſecundum dubium.

Cur Deus homo, lib. 1. cap. 18.

c Auctoritas Anſelmi eſt in contrarium, quia videtur dicere, quòd ſi primam tentationem ſuperaſſet, fuiſſet confirmatus in iuſtitia pro ſe, & ſuis poſteris; ſed ſolutio tertij dubij eſt in contrarium. Dicendum eſt, quòd Anſelmus loquitur opinando, non tamen aſſerendo, nec probat: ſicut Ariſtoteles loquitur, quòd anima intellectiua eſt immortalis, ſicut opinatur, non tamen demonſtrat, ſic nec Anſelmus probat. Vel ideo Anſelmus illud dicit, quia filij in ſtatu innocentiæ mirabiliter fuiſſent adiuti, tum à iuſtitia originali fortiter inclinante voluntatem eorum ad bonum, ſicut modò habitus iuſtitiæ acquiſitus inclinat ad iuſtè volendum iuſta; & quantò habitus eſt perfectior, tantò magis inclinat, tum propter ſolicitam doctrinam parentum, qui docuiſſent filios ſeruare præcepta Dei, quæ ſunt de lege naturæ, vel conformia legi naturæ, quæ lex fuiſſet ſcripta in cordibus eorum, & ita faciliter ſuperaſſent primam tentationem, & tunc fuiſſent confirmati, nec peccaſſent, licèt potuiſſent peccare.

5. d Ad auctoritatem Gregorij *non generaſſent reprobos*, concedo: igitur nec generaſſent potentes peccare: negatur conſequentia, imò generaſſent viatores, & ita potentes peccare, qui tamen non peccaſſent. Et quia dictum eſt, quòd licèt naſcerentur in iuſtitia, non tamen fuiſſent confirmati in illa.

Contrà, bonum eſt efficacius malo; concedo, igitur ſicut malum eſt cauſa mali, ita iuſtitia eſt cauſa confirmationis in bono. Doctor dicit, quòd aliquando malum poteſt pluribus nocere, quàm bonum poſſit prodeſſe, & ideò licèt peccatum Adæ ſit cauſa quòd omnes naſcuntur in peccato originali, & maledicti, & filij iræ, non tamen iuſtitia originalis poteſt tantum prodeſſe illis, vt illi naſcerentur in iuſtitia confirmati. Vel aliter, & meliùs, ſicut peccatũ eſt cauſa peccati, non tamen eſt cauſa, cõfirmationis in malo, ſed mala volũtas naſcentis in peccato originali, ſicut Iudæi, & Pagani confirmantur in illo ex ſuo demerito perſonali, ita iuſtitia in parentibus non eſt cauſa confirmationis ipſius iuſtitiæ in filiis; ſed ſi Abel natus fuiſſet in iuſtitia originali ipſe ſuo merito meruiſſet in illa confirmari, ſuperaſſet enim diabolicam tentationẽ, non acquieſcendo illi, ſed Deo, & legi eius; & in hoc meruiſſet confirmationem ſuã in iuſtitia, & ideò iuſtitia, & peccatũ æquatur in hoc quòd peccatũ Adæ non eſt cauſa, quòd filius, qui naſcitur in peccato originali, ſit cõfirmatus in malo ſic, nec iuſtitia eius fuiſſet cauſa, vt filius naſcens in iuſtitia originali, eſſet confirmatus in iuſtitia originali; ſed ſicut demeritum perſonale eſt cauſa confirmationis in malo, ſic tunc in illo ſtatu meritum perſonale fuiſſet cauſa confirmationis in iuſtitia.

Peccatum cauſa peccati.

Ad vltimum ſic arguitur, ſi vnum oppoſitum, vt calor, eſt vnius oppoſiti cauſa, ſic eius oppoſitum, vt frigus eſt alterius oppoſiti cauſa, vt ſicut calor producit caloré, ita frigus producit frigus, quæ duo producta ſunt oppoſita; igitur cum peccatum Adæ ſit cauſa peccati filiorum, igitur & iuſtitia Adæ erit cauſa iuſtitiæ filiorũ, igitur non dabitur præcisè à Deo, ſed Adam transfundet illã. 6.

e Ad iſtud dicit Doctor quòd ſi illa duo oppoſita, ſcilicet peccatum originale filiorum, & iuſtitia filiorum Adæ, eſſent à cauſa vniuoca, argumentum concluderet, quod eſt dictu, quòd ſi illi duo effectus quilibet illorum eſſet à ſua cauſa, quæ eſſet vniuoca reſpectu illorum effectuum, argumentum valeret, vt calor productus eſt à calore producente vniuocè, & frigus productum eſt à frigore producente vniuocè; ſicut calor eſt cauſa caloris oppoſiti frigori, ſic frigus eſt cauſa frigoris oppoſiti calori producto, vt patet ad ſenſum. Sed dicit, quòd non eſt ita hîc, quia etſi peccatum Adæ eſt occaſio peccati filiorum, non tamen iuſtitia eſt cauſa iuſtitiæ, quia iuſtitia non eſt cauſa vniuoca iuſtitiæ filiorum, cùm ſit à ſolo Deo, ſicut patet, qualitas corruptibilis eſt cauſa qualitatis corruptibilis: igitur qualitas incorruptibilis, quæ opponitur qualitati corruptibili, producet qualitatem incorruptibilem, non ſequitur; quia qualitas incorruptibilis, vt charitas eſt à ſolo Deo, ſic iuſtitia originalis, & ideò negatur ſimilitudo, quòd ſi peccatum eſt occaſio peccati, igitur iuſtitia, quæ ei opponitur, erit cauſa iuſtitiæ oppoſitæ peccato: non eſt ſimile, & ideò argumentum non concludit.

Peccatum Adæ eſt occaſio peccati filiorum.

QVÆSTIO II.

Vtrùm in ſtatu innocentiæ fuiſſent illi ſoli geniti, qui nunc ſunt electi?

D. Th. 1. *p. q. 62. art. 6. vbi vult priùs eſſe volitum à Deo ordinem gratiæ, quàm naturæ, quod etiam tenet* Capr. 3. *d.* 1. *q.* 1. *art.* 3. Baſſols *hîc q. vn. art.* 3. Lychet. Tartaret. Orbell. *& alij Scoti hîc.* Scotus 1. *d.* 39. *&* 41. *&* 3. *d.* 7. *q. vlt. vbi docet priùs eſſe volitam gloriam perſonæ, quàm ipſam perſonam, & d.* 19. *&* 32. Aretinus *commentar. in Gene. fol.* 454. *c.* 3.

1. QVòd non, probo, quia aliqui nunc electi ex reprobis ſunt nati: ſed tunc non fuiſſent reprobi: ergo nec filij eorum: vel oportet dicere, quòd vnus & idem

filius electus poſſet eſſe à diuerſis parentibus: ita quòd iſte electus, qui nunc eſt de patre malo, in ſtatu innocentiæ fuiſſet de patre bono, quod eſt inconueniens.

Item, in illo ſtatu fuiſſent tot vnius ſexus, ſicut alterius: ſed non probabile eſt, quòd nunc ſaluentur tot de vno ſexu, ſicut de alio: ergo eædem perſonæ electæ nunc, non fuiſſent tunc. Aſſumptum probatur, quia nulla perſona fuiſſet coniuncta cum alia in linea aſcendente, vel deſcendente: quia hæc contra naturam fuiſſent (vnde Adam ſi nunc viueret, non poſſet contrahere) quælibet tamen perſona fuiſſet alij coniuncta per obligationem iſtius præcepti; *Creſcite, & multiplicamini*, &c. & vnus etiam non fuiſſet coniunctus duabus: quia bigamia fuiſſet contra legem naturæ: ergo in linea laterali oportebat tot eſſe fœminas, quot viros.

Gen. 1.

Cap. 36. Oppoſitum patet per Gregorium 4. Moralium in fine. *Si parentem primum nulla peccati rubigo corrupiſſet, nequaquam ex ſe filios gehennæ generaret, ſed illi, qui nunc per redemptorem ſaluandi ſunt, ſoli ab illo electi naſcerentur.*

SCHOLIVM.

Solos nunc electos fuiſſe naſcituros, ſi ſtatus innocentiæ vniuerſaliter perſeueraſſet: de quo latè tract. de prædeſt. Vide Scot. 1. d. 39. & d. 41. & 3. d. 19. ita Rubion. Baſſol. Vorillon, Lychet. Tartaret, & Gab. hîc. Areti. comment. in Gene. fol. 454. c. 3.

De his ſignis 1. d. 41. & 3. d. 19.

Dico[a] quòd ſoli nunc electi, fuiſſent in ſtatu innocentiæ nati. Ratio huius eſt, quia omnis ordinatè volens, poſt volitionem finis, immediatè vult illud, quod eſt immediatius, vel proximius fini: Deus eſt volens ordinatè; ergo primò vult ſeipſum, vel bonitatem ſuam tanquam finem. Secundò vult bonum creaturæ rationalis vltimatum, quod eſt communicatio creaturæ, ſiue communicatio beatifica ſuæ bonitatis, creaturæ tali: & poſtea vult gratiam, quæ ordinatur ad beatitudinem huius, vel ad fruitionem eius: & poſteriùs vult iſtum beatum, vel beatificabilem eſſe naſciturum à tali parente quod eſſe ſupponitur gratiæ. 2.

Homo prius determinatus eſt ad beatitudinem quam ad generari ab hoc vel illo homine.

Cùm ergo (vt dictum eſt) priùs[b] ſint beatitudini determinati, quàm quòd naſcantur à talibus parentibus, per quoſcunque parentes naſcantur, ex quo habent rationem poſterioris, huiuſmodi parentes non poterunt variare determinatos beatificandos à voluntate diuina, quin iidem in numero naſcantur.

Sed dices contrà, quantumcunque medicus primò velit ſanitatem ſibi, vel amico ſuo; quia tamen illam non poteſt dare ſine potione amara tali, ideò vult talem potionem amaram: ergo ſimiliter in propoſito, quamuis Deus velit illum beatificare, quia tamen non poteſt generari iſte, niſi per illum parentem, ideò ſicut iſte beatificandus, eſt determinatus vnus, & idem in numero: ſic ſuus parens licèt poſterius natura, vt ſic conſideratus.

Ad eſſe hunc hominem nō requiritur, eſſe ab hoc determinato patre.

Dico (ſicut dictum eſt) quòd[c] idem homo in numero, non ſolùm, quoad animam, ſed etiam quoad corpus organicum, potuit eſſe filius Adæ, & filius Abrahæ: & ex quocunque iſtorum duorum fuiſſet, idem in numero fuiſſet, quia ſi nihil ſubſtantiæ filij ſit de ſubſtantia patris, ſed totum de menſtruo, vt vult Philoſophus, *ſecundo de Gener. animalium*: vel ſi ibi concurrat ſemen viri cum iſto ſemine mulieris, Dico tamen, quòd eadem materia, ex qua iſte generatur, quæ fuit in ſtatu naturæ lapſæ ſub forma alimenti, talis potuit eſſe in ſtatu innocentiæ, ſub forma alia, puta pomi, vel huiuſmodi. 3.

Dices, quòd identitas numeralis in effectu, non ſolùm requirit identitatem numeralem materiæ: ſed etiam efficientis, ſicut tangit primum argumentum.

8. Met. 11. Idem numero effectus nō petit eandem numero cauſam.

Dico, quòd non[d] oportet, ignis enim A quantitatis, & virtutis tantæ, ſi ex tali materia, ignem talem generaret, ignis B eiuſdem virtutis, & qualitatis, pro eodem inſtanti, ſi in iſtam materiam ageret, eundem ignem in numero produceret: non obſtante quòd generans ſit aliud, & aliud numero: quia generatum non ſequitur præciſè vnitatem, vel pluralitatem ex generante. Vnde corpus organicum ad hoc quòd ſit idem numero, non requirit agens idem numero, licèt requiratur ibi materia eadem numero: & tunc materia exiſtente eadem, induceretur à diuerſis generantibus eadem forma numero: ita in propoſito. Si ponamus ergo filios procreari de ſemine, quod eſt ſuperfluum alimenti: idem alimentum in numero, quod etiam potuit eſſe in vtroque ſtatu, vel materia nutrimenti, quæ potuit eſſe hîc, ſub vna forma, & ibi ſub alia * indutum, vel induta forma ſeminis, ab vno agente per actum virtutis generatiuæ,

al. inductum, vel inducta.

Qui nunc eſt filius

neratiuæ, poſſet tranſmutari ad eandem formam, ab alio agente, & ſic eſſet idem numero: & ſic, qui modò eſt filius reprobi, potuit fuiſſe filius electi, & ex hoc patet ad primum argumentum.

reprobi, idē fuiſſet electi, ſi innocentia perſeueraſſet.

COMMENTARIVS.

1. a *Dico, quod ſoli*, &c. Nota benè hanc rationem Doctoris *hìc* & 41. *diſt. primi.* Sed difficultas oritur de multis damnatis; nam ab æterno voluntate conſequente ſunt voliti vt producantur in eſſe, & talis voluntas non poteſt impediri, vt patet à Doctore *in diſt.46.primi*, & in 2.diſt. 37. ſi ab æterno ſic ſunt voliti, quomodo in ſtatu innocentiæ non fuiſſent nati? & ſi ſic, non ſolùm electi nati fuiſſent. Dico, licèt iſta materia alibi eſſet pertractanda, quòd eſt recurrendum ad id quod dicit Doctor *in primo, diſtinct. 41. & in tertio, diſtin.* 19. ſcilicet, quòd in primo ſigno prædeſtinauit quos voluit prædeſtinare: & in tali ſigno habuit actum negatiuum circa reprobatos. In ſecundo ſigno præordinauit gratiam cuicunque prædeſtinato, & habuit tunc actum negatiuum circa reprobatos, In tertio ſigno præuidit aliquos electos caſuros, & ſimiliter omnes reprobos. Dico ergo, quòd in illo primo ſigno tantùm offerebantur voluntati diuinæ electi, ita quòd primò illos prædeſtinauit ad vitam æternam: & in alio ſigno voluit illos eſſe in ſtatu innocentiæ, & nullum actum habuit circa reprobatos, nec quantùm ad reprobationem, nec quantùm ad exiſtentiam eorum, & ſic illi nati non fuiſſent.

Vide ſigna doctoris.

2. Si dicatur, Nonne præuidebatur priùs creatura rationalis producenda in *eſſe* exiſtentiæ quàm fuerit prædeſtinata, vel reprobata. Dici poteſt quòd non, & confirmatur dictis Doctoris *in tertio diſt.7.q.vlt.* Licèt enim vt dicit ibi Doctor prædeſtinatio communiter terminetur ad aliquam perſonam. (Et dico *communiter*, quia prædeſtinatio animæ Chriſti terminabatur ad naturam, non autem ad perſonam, quia in tali vnione erat tantùm vna perſona ſcilicet diuina, quæ non prædeſtinabatur.) Non tamen ſequitur quòd talis perſona fuerit priùs volita quo ad *eſſe* exiſtentiæ. Imaginor enim ſic, quòd ſicut intellectus diuinus offerebat voluntati diuinæ omnes propoſitiones poſſibiles pertinentes ad *eſſe* exiſtentiæ, ſic etiam omnes naturas rationales poſſibiles, & ſic in facultate voluntatis erat determinare, ſiue determinatè velle tot, quot volebat produci in *eſſe* exiſtentiæ; non enim omnia poſſibilia ſibi oſtenſa fuerunt volita à voluntate diuina, quia illa tunc euenirent: mille enim mundi etiam iſto nobiliores ſunt ſimpliciter poſſibiles, & tamen non ſunt voliti.

Doctrina ſingularis & ſubtilis.

Dico ergo ad propoſitum, quòd intellectus diuinus obtulit voluntati diuinæ omnes creaturas rationales, beatitudinis capaces, oſtendendo illas voluntati diuinæ in *eſſe* cognito, & etiam oſtendendo ei beatitudinem poſſibilem in *eſſe* cognito, & tunc voluntas diuina in primo ſigno prædeſtinauit quos volùit, & in ſecundo ſigno omnes prædeſtinatos ad gloriam prædeſtinauit ad gratiam; & in tertio ſigno voluit omnes electos pro tempore debito habere *eſſe* exiſtentiæ, & in iſtis ſignis nullum actum habuit circa nunc damnatos; & in quarto ſigno offerebatur ei Adam caſurus; & amiſſurus iuſtitiam originalem; & in tali ſigno offerebatur Iudas, & alij damnati in ratione peccatoris, & in tali ſigno nullum actum poſitiuum habuit, nec circa Adam, nec circa Iudam: & in hoc ſigno terminauit iterum dare gratiam Adæ, & omnibus electis lapſis, & in tali ſigno, quia præuidit Iudam finaliter obſtinatum ipſum reprobauit; & pòſt voluit ipſum eſſe in *eſſe* exiſtentiæ pro tempore à ſe determinato: & ſicut dico de Iuda, hoc idem dico de omnibus aliis damnatis.

Dubium.

Et ſi in ſecundo ſigno in quo Adam, & omnes electi prædeſtinati fuerunt ad gratiam, & iuſtitiam originalem ſtetiſſent, ſolum illi nati fuiſſent, & nullum actum voluntas diuina habuiſſet circa nunc damnatos.

3. Sed eſſet difficultas de Angelis damnatis, ex quo voluntas diuina in primo ſigno omnes prædeſtinauit quos voluit, & in tali ſigno nullum actum habuit circa reprobatos, an ſi Adam præuiſus fuiſſet non caſurus, ſi Angeli mali creati fuiſſent. Dico, quòd in his quæ merè pertinent ad voluntatem diuinam, multa ſunt probabilia propter libertatem illius voluntatis: probabile eſt enim quòd ſicut tantùm homines prædeſtinati nati fuiſſent, & propter lapſum ipſius Adæ multi alij nati ſunt, qui non ſunt electi, ſic etiam ſi Angeli electi, & omnes alij electi vt homines tantùm ſunt præuiſi caſuri, probabile videtur quòd ſolùm illi creati fuiſſent. Eſt etiam probabile, quòd quamuis nullus electorum ſit præuiſus caſurus, quòd Angeli mali fuiſſent creati vt maior diuinæ voluntatis manifeſtetur iuſtitia. Sed quicquid ſit, vnum firmiter ſcimus, quòd voluntas diuina poteſt velle omne quod non implicat contradictionem, & velle ſuum ad extrà eſt abſolutè tantæ rectitudinis, quòd nullam præſupponit regulam, etiam in intellectu diuino, cui oporteat conformari, vt patet à Doctore *in vltima quæſtione prologi.*

Suſtinendo ergo, quod tantum electi nati fuiſſent. Dicit Doctor quòd poſterius vult iſtum beatificabilem eſſe naſciturum à tali parente. Et addit. *Si priùs* b *ſunt beatitudini determinati quàm*, &c. Iſta verba ſunt notanda cùm videantur ſibi implicare. Nam dicit primò, quòd electus prædeſtinatus fuit naſci à tali parente, puta, S. Franciſcus prædeſtinatus fuit naſci à tali parente; parens autem tunc fuiſſet electus, & tamen conſtat quòd pater eius fuit reprobatus. Et ex alia parte dicit, quòd ex quibuſcunque parentibus naſcantur, &c. Dico, quòd ſi Adam præuiſus fuiſſet ſicut ſanctus Franciſcus, prædeſtinatus fuiſſet naſci à tali parente, puta ab alio quàm à Petro Bernardono: Sic etiã natus fuiſſet, & quòd modò ſit natus ab alio, hoc non contradicit primo dicto, quia ſi Adam non fuiſſet præuiſus caſurus, tamen electi nati fuiſſent à determinatis parentibus, ſed quia Adam pòſt præuiſus eſt caſurus, multi alij ſunt voliti in *eſſe* exiſtentiæ à voluntate diuina quàm ſoli electi, & ſic multi electi nunc nati ſunt à parentibus reprobis, & hoc etiam præſciuit intellectus diuinus,

De patre noſtro Franciſco petrus Bernardonus pater ſancti patris Franciſci.

ninus, ſed non ante præuiſionem lapſus ipſius Adæ. Et addit Doctor quòd ille idem qui nunc natus eſt à reprobo, eſſet idem numero, ſi natus fuiſſet ab alio patre electo.

c *Dico ſicut dictum eſt*, &c. Hîc dicit Doctor quòd fuiſſet idem numero; & probat, quia eadem anima fuiſſet, & etiam eadem materia, ex qua generatus fuit: nam eadem materia nunc, quæ eſt ſub forma talis alimenti, puta panis, vel gallina, potuit tempore innocentiæ eſſe ſub forma pomi, vel huiuſmodi: ſicut ergo nunc ex tali alimento generatur tale ſemen, puta ex pane, ita tunc eadem materia panis exiſtens ſub forma pomi ex tali materia potuit generari tale ſemen. Nam in generatione ſeminis corrumpitur forma alimenti, & in materia illa producitur forma ſeminis.

d *Dico, quòd non oportet*, &c. Dicit Doctor quòd ad vnitatem numeralem in effectu non requiritur quòd talis effectus ſic ſit ab vno agente determinato, quòd ſi etiam eſſet ab alio non eſſet idem numero. Et ponit caſum, ſit ignis *A* virtutis vt duo, & gignat ignem *B* in materia ligni, & ſit alius ignis ſcilicet *C* eiuſdem virtutis, & in eodem inſtanti, quo *A* generaret *B*, generaret ipſum *B*, certum eſt quòd ipſum *B* eſt idem in numero quamuis ſit producibile à diuerſis cauſis: Doctor enim dicit, quòd ſufficit vnitas materiæ, ſed bene aduerte, quia ſi ignis in materiam ligni produceret ignem *B*, & ignis *C* produceret alium ignem in materia ligni, corrupto primo igne, hic ignis genitus non eſſet idem numero cum alio producto. Aliter Doctor ſibi contradiceret *in diſtin.* 3. huius ſecundi. Si verò materia ligni tranſmutatur ſimpliciter ad eandem formam numero, eſſet ſimpliciter idem numero, licèt eadem materia nata eſſet tranſmutari ad eandem formam ab alio, & alio agente. *Aduerte.*

SCHOLIVM.

Quantùm ad id quod tangitur in hoc argumento ſecundo, Alenſ. 2. p. quæſt. 95. m. 4. putat quòd in illo ſtatu gignerentur plures filij quàm filiæ, D. Bon. hîc art. 1. quæſt. 6. Richar. ar. 2. q. 1. Durand. q. 3. D. Thom. 1. p. q. 99. art. 2. ad tertium, tenent quòd eſſent æquales numero viri & mulieres. Scotus nihil de hoc reſoluit, ſed ad intentum argumenti putat ſtare identitatem numericam perſonæ electæ, ſiue ſit huius, vel illius ſexus, ex Philoſopho & ſæpiùs ſexum mutatum eſſe legimus. Plinius ait ſe id vidiſſe l. 7. cap. 4. talia habent Aul. Gell. noct. At. l. 9. c. 4. Alb. Mag. de animal. l. 18. tr. 2. c. 3. D. Aug. 3. ciu. 31. Volaterranus l. 29. tit. de veſica fin. refert cuiuſdam vxorem obtinuiſſe bullam à Pontifice pro diuortio, quia euaſit in virum, & ſimilem caſum contigiſſe anno elapſo 1618. in Hiſpania, accepi ab Illuſtriſſimo D. Fratre Florentio Conrio Archiepiſcopo Tuamenſi, olim noſtræ prouinciæ Hiberniæ Miniſtro digniſſimo, qui vidit tunc ibi exiſtens, ſuper hoc, ſcriptum authenticum: ſi ergo Deus decreuit inæqualem fore numerum virorum, & mulierum in gloria, potuit ex aliquibus fœminis illius ſtatus facere viros, manente vnitate indiuidui, ſi hoc eſſet neceſſarium ad illam inæqualitatem, ob rationem argumenti, nec hoc eſt contra Aug. 22. ciu. 17. Hier. ep. 61. ad Pammac. & 27. ad Euſtoc. alióſque Patres, docentes reſurrectionem futuram in vtroque ſexu, quia de illo ſtatu non loquuntur, nec in eo foret reſurrectio, quia nec caſus, ſed tranſlatio, & ex allatis conſtat nec omnes habituros in patria eum ſexum quem habuerunt aliquando in via.

Quomodo non fuiſſent æquales numero viri & mulieres in primo ſtatu?

AD ſecundum dico, quòd ſi volumus dicere, quòd æqualis eſt numerus ſaluandorum virorum, ſicut & mulierum, ſolutum eſt argumentum: ſed eſto quòd non ſint æquales in numero; poteſt dici, vt videtur, quòd non fuiſſent in numero æquali in ſtatu innocentiæ, per hunc modum, quòd maritus diu vixiſſet, & accepiſſet aliam vxorem, ſuâ mortuâ: & ſic fuiſſent in ſtatu illo plures fœminæ: vel ſi è conuerſo, plures viri: ſed quia ſecundæ nuptiæ non ſunt modò multùm laudabiles, & multò minùs tunc; ideò dico, quòd eadem perſona potuit eſſe mas & fœmina: nam maſculus & fœmina ſunt differentiæ accidentales, ita quòd huiuſmodi ſexus non variant ſpeciem, ſecundùm Ariſtotelem 10. *Metaph.* & ſicut ſexus muliebris non variat ſpeciem hominis, ſic nec hic ſexus hanc perſonam: & tunc, qui nunc eſt talis ſexus, potuit fuiſſe tunc alterius, vel è conuerſo. 4.

Tex. 25.

SCHOLIVM.

Hîc erat inepta additio, neſcio à quo poſita, ſcilicet quòd omnes in virili ſexu reſurgerent, præter B. Virginem, quam additionem Patres damnant, & ideò eam abraſimus. Recens ſcriptor P. Cornelius à Lapide in cap. 4. epiſt. ad Epheſ. falsò illam ſententiam tribuit Doctori, quia non nouit diſtinguere inter additionem & textum: & ſanè exactius debuiſſet omnia examinare, ne errorem tribueret tanto Doctori, qui nunquam negauit vtrumque

ſexum

ſexum reſurrecturum, ſed & ratio, quâ hoc probat Cornelius, quia ſcilicet vt iidem numero reſurgamus, requiritur manere eadem accidentia, eſt in Philoſophia craſſus error: nam conſtat ipſum P. Cornelium, nunc in ſenectute pluribus accidentibus carere, quæ habuit in pueritia, & alia nunc habere, quibus tunc caruit, tamen manet idem numerò Cornelius, & præcedenti Scholio oſtendi non omnes in patria habituros eum ſexum, quem aliquando habuerunt in via.

QVÆSTIO III.

Vtrùm filii in ſtatu innocentiæ creuiſſent in corpore, & ſcientia, ſicut modò?

D.Thom.1.*p.q.*99.*a.*1. *vbi* Caiet.Conrad.Alenſ. 2.*p.q.*95.*m.*3.Ric.*hic art.*2.*q.*2. & 4. Eſtius *hic.*§.4. Baſſol.*hic q.vn.art.*1.Leuchet.Tartar.& alij.

DIco, quòd fuiſſent primò neſcij: & quòd nerui eorum non fuiſſent primò apti ad motum progreſſiuum:ideò,&c. *Vide. Mag.in litera I.*

SCHOLIVM.

*Reſoluit, quòd in illo ſtatu non fuiſſent paruuli, primò apti ad motum progreſſiuum, quod intellige de perfecto, quia habuiſſent actiones membrorum aliqualiter illi ætati, & corpuſculo congruas: vt indicat Auguſtinus l.*1. *de pecc.mer.cap.*37. 38. *& idem eſt de aliquali vſu rationis, ex eodem ibi, & l.*2. *cap.*29. *&* 1.*confeſ.*7. *&* 22.*ciuit.* 22. *quia non eſt ſimile quòd proles humana in illo ſtatu, minùs apta eſſet ad ſibi neceſſaria, quàm proles beſtiarum, quæ aliqualem habent motum progreſſiuum, aliqualémque notitiam ſibi conuenientium.*

SVPPLEMENTVM R. P. PONCII.

1. DIco quòd fuiſſent, &c. Duas complectitur partes præſens quæſtiuncula. Prima,an filij in ſtatu innocentiæ geniti haberent iuſtam corporis molem, ſicut ipſe Adã & Eua habuere in primo ſuæ generationis,aut creationis inſtanti:An verò naſcerentur paruuli, ſicut modò naſcuntur, & ſucceſſiuè acquirerent iuſtam magnitudinem, ſicut modo acquirunt. Secunda eſt, An ſtatim ac naſcerentur haberent perfectionem ſcientiæ ſicut Adam habuit; an verò paulatim illam ſibi acquirerent. Circa primam partem huius quæſtionis aliqui ex ſanctis Patribus exiſtimarunt,aut ſaltem inſinuarunt, ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, non fuiſſe multiplicandos homines per propagationem naturalem mediante viri & mulieris coniunctione;ſicut modò multiplicantur.Ita Chryſoſtomus *hom.*18.*in Geneſim*, Damaſcenus *lib.*2.*fidei cap.*30. Nyſſenus *de opificio hominis cap.*17.Euth. *in pſalm.* 50. Auguſtinus *lib.de Geneſi contra Manichæos cap.*19. Hieronymus *epiſt.* 22. ad Euſtochum. Quòd ſi hæc ſententia eſſet vera, non haberet locum præſens difficultas; quia nulla eſſet ratio cur paruuli naſcerentur qui poſt Adamum producerentur, aut cur non haberent iuſtam magnitudinem.

In ſtatu Innocentiæ homines naſcerentur per propagationem carnalem.

Oppoſita ſententia, quam tenent ſcholaſtici omnes in hac diſtinctione, & cum S. Thoma 1. *par.queſt.* 98. multò certior eſt,niſi ſit de fide,ex ſcriptura Geneſ. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Item ibidem: *Relinquet homo patrem & matrẽ & adhærebit vxori,erúntque duo in carne vna.*Item ibidem. *Creſcite,& multiplicamini,& replete terram.*Quæ omnia ante peccatum dicta ſunt. Probatur vlteriùs authoritate Auguſtini *li.*9. *de Geneſi ad literam à cap.*3.*ad cap.*14.*& lib.*14.*de ciuit.à cap.*11. *deinceps*, qui etiam retractat *lib.*1.*Retract.cap.*10. quod dixerat *in lib. de Geneſ. contra Manichæos.* Idem etiam tenet Beda, Rupertus, & alij Patres.

Probatur præterea, quia aliàs non eſſent homines qui eſſent in ſtatu innocentiæ poſteri Adæ & Euæ,quod ſupponitur ab omnibus falsũ. Probatur denique,quia virtus generatiua non eſt data homini propter peccatum:ergo haberet cã quãuis non fieret peccatũ,& cõſequenter haberet actum ſuum, nimirùm generationem in aliquo indiuiduo,quamuis non fieret peccatum.Confirmatur, quia actus coniugij non eſt per ſe malus, aut indecens,niſi quatenus habet annexam deordinationem inordinatæ concupiſcentiæ: in illo autem ſtatu non haberet illam deordinationem, ſicut nec mulieres parerent cum dolore, vt pariunt de facto in pœnam peccati, iuxta illam ſententiam Domini: *In dolore paries filios.* Et fortaſſis,alij Patres, qui oppoſitum huius communis ſententiæ inſinuant, loquuntur de propagatione mediante deordinatione concupiſcentiæ, & dolore

Actus coniugalis non eſt per ſe malus.

& dolore partus, qualis propagatio non fieret tum.

2. *Naſcerenturne homines parui in ſtatu innocentiæ.*

Itaque ſuppoſito quòd in ſtatu innocentiæ perſeuerante alij ab aliis naſcerentur, primò dicendum eſt quòd ſine dubio naſcerentur paruuli; id enim exigit vteri materni ratio, quæ intra ſe non poteſt continere naturaliter hominem magnum, ſicut nec talem etiam à ſe abſque læſione ingenti, aut morte, emittere in lucem. Et hinc quamuis omnipotentia creatoris poſſent ſtatim ac naſcerentur in iuſtam excreſcere magnitudinem; tamen quia nulla authoritas ſuadet, quòd ita fieret, nec ſciri poteſt abſque authoritate; ex alia verò parte magis congruum & conueniens naturis hominum eſt, vt creſcerent paulatim.

Pro eo ſtatu pueri ſucceſſiuè creſcerent nec poſſent ſtatim ambulare.

Dicendum ſecundò eſt cum Doctore hîc & D. Thoma 1. *par. quæſt. 99. art. 1.* quos cæteri ferè Theologi ſequuntur, quod paulatim creſcerent, & quòd etiam non haberent ſtatim ac naſcerentur motum progreſſiuum perfectum, quo ſcilicet poſſent benè ambulare, quidquid dicat ſcholiaſtes noſter, qui videtur ambulationem aliquam ſtatim illis tribuere, ex eo quòd non minùs ilis quàm aliis animantibus id conuenire videatur ex natura rei ſaltem pro illo ſtatu. At certè quemadmodum de facto ſunt aliqua animalia, quæ poſſunt ſtatim ambulare, & aliqua, quæ non poſſunt; nec defectus ambulationis in illis, qui non ambulant, aſcribi debet hominum peccato, ſed naturis ipſorum animalium, vt euidens eſt; ita nihil obſtat, quo minus homo ex natura ſua in illa parua quantitate & diſpoſitione, quam habet naturaliter, cùm naſcitur, petat non ambulare; nec, vt iam dictum eſt, conſtat in ſtatu innocentiæ quòd alia illi conferretur diſpoſitio. Satis tamen probabile eſt quòd perfectiores aliquos motus tum haberet, meliorémque diſpoſitionem corporis, quàm modò habet, & quod citiùs ambularet, veniréque ad iuſtam magnitudinem; hoc enim concedendum ſalubritati paradiſi & ordinato modo viuendi hominum, præſertim cùm conſtet vtrumque horum multùm conducere poſſe ad bonam prolis diſpoſitionem: minùs autem inconueniens eſt imperfectam hanc indiſpoſitionem ponere in homine, ex quo oritur quòd ambulare nequeat, aut alios motus tam perfectè exercere quàm in illis animalibus quæ tamen non habent, & quidem pro illo ſtatu etiam, quia homo haberet parentes iudicio pollentes & diſcurſu, qui optimè ipſi prouidere poſſent, & facilè abſque illis motibus: alia verò animalia non tam perfectè & facilè prouidere valent ſuæ proli, niſi illa virtus ipſis concederetur: per quod patet ad fundamenta ſcholiaſtis.

Citiùs ambularent & creſcerent pro illo ſtatu.

3. *Pueri pro ſtatu innocentiæ non haberent ſcientiam, ſed eſſent neſcij non verò ignorantes.*

Quantùm ad ſecundam quæſtionis partem qua quæritur de ſtatu puerorum perſeuerante innocentia quantùm ad ſcientiam. Concluſio Doctoris eſt, quòd non haberent ſcientiam, ſed eſſent neſcij. Dicit autem datâ operâ quod eſſent neſcij, non verò quod eſſent ignorantes, quia ignorantia dicit carentiam ſcientiæ in eo, qui habere deberet ſcientiam, qualis ignorantia eſt pœna peccati, & propterea non caderet in pueros pro ſtatu innocentiæ. Neſcientia verò eſt ſimplex carentia cognitionis non ſupponens tale debitum in ſuo ſubiecto: huiuſmodi autem neſcientia non eſt pœna peccati; vnde poſſet optimè competere pueris pro ſtatu innocentiæ: & hinc probatur concluſio Doctoris, quæ communis eſt cum Magiſtro *in hac diſtinct.* & D. Thoma 1. *par. quæſt.* 101. *art.* 1. quia nihil impedit quominùs talis neſcientia competeret ipſis, & ex alio capite magis conforme eſt eorum naturæ, quòd eam haberent: quod probatur à Diuo Thoma, quia cõnaturaliter anima nõn poteſt habere ſcientiam, niſi mediantibus operationibus ſenſitiuis, iuxta illud, *Nihil eſt in intellectu, quod non fuit in ſenſu.* Verùm hæc probatio non poteſt Scotiſtis ſufficere, cum iuxta Doctorem ſuum probabiliter teneant quòd ligatio intellectus ad ſenſum ſit in pœnam peccati; & quòd proinde non eſſet in ſtatu innocentiæ. Meliùs ergo iuxta eorum ſententiam probatur ex eo, quòd non eſt vlla ratio, aut authoritas, vnde conſtet quòd ſpecies rerum omnium ipſis infundantur, ſicut dicuntur infuſæ Angelis & Adamo; ſed pauciſſimæ res ipſis proponi poterant pro ſtatu pueritiæ, ſeu infantiæ: ergo naturaliter pauca poterant ſcire, & conſequenter multa neſciebant.

Probatio D. Thomæ.

Reiicitur.

Vera probatio.

4.

Verùm quia aliquis dupliciter neſcire aliqua dici poteſt, primò actualiter, ſecundò habitualiter, quod hactenus oſtendimus, eſt, pueros ſtatus innocentiæ non habituros actualiter cognitionem multarum rerum, quas poſtea eſſent cogniturí; nec ſpecies etiam earum repræſentatiuas: nunc ergo videndum eſt, an ſtatim ac nati eſſent habitus ſcientifici omnium ſcientiarum ſpeculatiuarum ipſis eſſent infundendi? Et tenendum cenſeo cum D. Thoma 1. *par. quæſt.* 101. *art.* 1. & aliis Theologis communiter contra Richardum *in* 2. *diſt.* 20. *art.* 1. *quæſt.* 4. quòd non: quia quandoquidem non infunderentur ipſis ſpecies illæ omnes, ſed acquiſitio earum relinqueretur ipſis; ita ſimiliter de habitibus iſtis, qui ſine ſpeciebus illis nihil ſeruire poſſent, dicendum eſt, cùm nulla ſit ratio aut authoritas ſuadens oppoſitum. Hoc autem inter eos & nos intereſſet maximum diſcrimen, quod ipſi meliorem haberent indolem, & maiorem longè facilitatem ad illos habitus comparandos melioréſque Magiſtros, quàm nos habemus, vt apud omnes in confeſſo eſt.

Non haberẽt habitus ſcientifios ſpeculatiuos.

Maior eſt difficultas de virtutibus moralibus, nam ex vno capite eadem ratione qua comparatio, ſeu acquiſitio habituum ſpeculatiuorum, ſeu intellectualium ipſiſmet permitteretur, videretur dicendum cum Suarez *li.* 5. *de homine cap.* 8. quòd acquiſitio virtutum moralium ſimiliter ipſis eſſet permiſſa; ex alia verò parte videri poſſet cum D. Thoma *quæſt.* 18. *de veritate art.* 7. & Auerſa *quæſt.* 75. quòd iſtæ virtutes pertinerent ad iuſtitiam originalem, cum qua omnes in illo ſtatu naſci deberent. Verùm quia hoc connexionem habet cum reſolutione iſtius grauiſſimæ difficultatis, quæ eſt de ratione, in qua conſiſtit iuſtitia originalis, impræſentiarum vix benè decidi poteſt, niſi inuoluendo illam etiam difficultatem, quæ ſuo potiùs loco eſt relinquenda: hoc eſt, ad quæſtionem vnicam diſtinctionis 29. vbi decidetur num.

DISTINCTIO XXI.

De tentatione & lapſu primorum parentum.

A VIdens igitur diabolus hominem per obedientiæ humilitatem poſſe aſcendere, vnde ipſe per ſuperbiam corruerat, inuidit ei, & qui priùs per ſuperbiam diabolus fuerat, id eſt, deorſum lapſus, zelo inuidiæ factus eſt ſatan, id eſt, aduerſarius. Vnde & mulierem tentauit: in qua minùs quàm in viro rationem vigere nouit. Eius enim malitia ad tentandum virtutem timida, humanam naturam in ea parte vbi debilior videbatur aggreſſa eſt: vt ſi fortè illic aliquatenus præualeret, poſtmodùm fiducialiùs ad alteram, quæ robuſtior fuit, pulſandam vel potiùs ſubuertendam accederet. Primùm ergo ſolitariam fœminam exploratuit, vt in ea primùm omnem ſuæ tentationis vim experiretur. *Eccl.4.c. Quare ad fœminam prius venit.*

Quare in aliena forma venit.

B SEd quia illi per violentiam nocere non poterat, ad fraudem ſe conuertit, vt dolo hominem ſupplantaret, quem virtute ſuperare nequiret. Ne autem fraus illius nimis manifeſtaretur, in ſua ſpecie non venit, ne apertè cognoſceretur; & ita repelleretur, iterum ne nimis occulta foret fraus eius quæ caueri non poſſet, vt homo ſimul videretur iniuriam pati, ſi taliter circumueniri permitteret eum Deus, vt præcauere non poſſet: in aliena quidem forma venire permiſſus eſt diabolus: ſed in tali, in qua eius malitia facilè poſſet deprehendi. Vt ergo in propria forma non veniret, voluntate ſua propria factum eſt: vt autem in forma ſuæ malitiæ congruenti, veniret, diuinitus factum eſt. Venit ergo ad hominem in ſerpente, qui fortè ſi permitteretur, in columbæ ſpecie venire maluiſſet. Sed non erat dignum vt ſpiritus malignus illam formam homini odioſam faceret in qua Spiritus ſanctus appariturus erat. Non ergo niſi per ſerpentem, tentare permiſſus fuit diabolus: vt per illud quod foris erat, aſtutiam tentantis animaduertere fœmina quiret. Diabolus enim per ſerpentem tentabat in quo loquebatur. Ideóque ſerpens dictus eſt eſſe callidior cunctis animantibus terræ, quia, vt ait Auguſtinus: Mali Angeli licèt ſuperbia deiecti, natura tamen ſunt excellentiores omnibus beſtiis, propter eminentiam rationis, quamuis ſerpens non rationali anima, ſed ſpiritu diabolico poſſit ſapientiſſimus dici. [Non ergo mirum, ſi diabolus ſpiritu ſuo implens ſerpentem ſicut implebat, ſapientiſſimum reddiderat omnium beſtiarum:] quem tamen ad tentandum non elegit diabolus: ſed per quod animal permiſſus fuit, tentauit. Vnde Auguſtinus *ſuper Gen.* [Non eſt putandum, quòd diabolus ſerpentem, per quem tentaret elegerit, *Quare non niſi informa ſerpentis acceſſit. Gen.3.* *Aug. ſuper Gen. li.11. cap.2.* *Quare dictus eſt ſerpens callidior cunctis animantibus? Lib.11.c.3.*

rit, ſed cùm decipere cuperet, non potuit, niſi per quod animal poſſe permiſſus eſt. Nocendi enim voluntas ineſt cuique à ſe, ſed poteſtas à Deo.] Sic autem loquebatur diabolus per ſerpentem ignorantem ſicut per energumenos, vel phanaticos loquitur. Serpente enim velut organo eſt vſus, mouens naturam eius ad exprimendum ſonos verborum, & ſigna, quibus ſuam monſtraret voluntatem. [Sepens ergo nec verba intelligebat, nec rationalis eſt factus:][callidiſſimus tamen eſt dictus, propter aſtutiam diaboli. Locutus eſt autem ſicut aſina Balaam: ſed hoc diabolicum, illud Angelicum fuit. Boni enim & mali Angeli ſimiliter operantur.]Hîc quæri ſolet, quare mulier non horruit ſerpentem? Quia à Deo cùm nouerit creatum eſſe ipſum etiam officium loquendi à Deo accepiſſe putauit.

Lib. eod. c. 28. & 29. Nu. 22. c. Eccl. 13. b. Gen. 3. a. Verba ſerpentis.

De modo tentationis.

C TEntatio autem hoc modo facta eſt: Stans coram fœmina hoſtis ſuperbus, non audet in verba perſuaſionis exire, metuens deprehendi, ſed ſub interrogatione eam aggreditur, vt ex reſponſione colligeret, qualiter in malitia procedere poſſet. Cur, inquit, præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier, De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus, ne fortè moriamur. In quo verbo dedit locum tentanti, cùm dixit, Ne fortè moriamur, vnde mox diabolus dixit ad mulierem, Nequaquam moriemini: ſcit enim Deus quòd in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Attende ordinem ac progreſſum humanæ perditionis. Primò Deus dixerat; Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Deinde mulier dixit, Ne fortè moriamur. Nouiſſimè ſerpens dixit, Nequaquam moriemini. Deus affimauit, mulier quaſi ambigendo illud dixit, diabolus negauit; quæ ergo dubitauit, ab affirmante receſſit, & neganti appropinquauit.

Gen. 3. b.

De verſutia diaboli, qui ad facilius perſuadendum, malum remouit, & bonum in pollicito duplicauit.

D QVi ad ſuam perſuaſionem pleniter ſuffulciendam, id eſt, vt malum quod intendebat liberè perſuaderet, & malum quod mulier timuit, negando remouit, & promiſſionem addidit: & vt eius perſuaſio citiùs reciperetur, promiſſionem duplicauit. Vnam nempe comeſtionem ſuadens: duo in præmio propoſuit, ſimilitudinem Dei, ſcientiamque boni & mali ſpondens. Vbi tribus modis hominem tentauit, ſcilicet, gula in perſuaſione cibi cùm dixit, In quacunque die comederitis: Inani gloria in promiſſione Deitatis, cùm dixit, Eritis ſicut dij: Auaritia in promiſſione ſcientiæ, cùm dixit, Scientes bonum & malum. Gula, eſt immoderata cibi auiditas. Vana gloria, amor propriæ excellentiæ. Auaritia, immoderata habendi cupiditas, quæ non eſt tantùm pecuniæ, ſed etiam altitudinis & ſcientiæ, cùm ſupra modum ambitur.

Quod homo tribus modis tentatus eſt, gula, vana gloria, auaritia. Gregor. hom. 16. euang.

De

De duplici tentationis ſpecie.

E POrrò ſciendum eſt, duas eſſe ſpecies tentationis, interiorem ſcilicet, & exteriorem. Exterior tentatio eſt, quando nobis extrinſecùs malum viſibiliter ſuggeritur verbo, vel ſigno aliquo, vt ille cui fit, ad conſenſum peccati declinet: & talis tentatio tantùm fit ab aduerſario. Interior verò tentatio eſt, quando inuiſibiliter malum nobis intrinſecùs ſuggeritur: & hæc tentatio aliquando fit ab hoſte, aliquando à carne. Nam & diabolus inuiſibiliter mala ſuggerit, & ex carnis corruptione ſuboritur motus illicitus, & titillatio praua. Ideóque tentatio quæ ex carne eſt, non fit ſine peccato, quæ autem eſt ab hoſte, niſi ei conſentiatur, non habet peccatum, ſed eſt materia exercendæ virtutis. Tentatio autem carnis interior difficilius vincitur, quia interius oppugnans, de noſtro contra nos roboratur. Homo ergo, qui ſola exteriore tentatione pulſatus cecidit, tantò grauiùs plectendus erat, quantò leuiori impulſu fuerat proſtratus. Et tamen quia aliquam, licèt modicam, cadendi occaſionem habuit, idcirco per Dei gratiam iuuari potuit ad veniam: vt qui per alium ceciderat, per alium erigeretur. Qui ergo incitatorem habuit ad malum, non iniuſtè reparatorem habuit ad bonum. Diabolus verò, quia ſine alicuius tentatione peccauit, per alium vt ſurgeret iuuari non debuit, nec per ſe potuit: & ideò irremediabile peccatum eius extitit. Peccatum verò hominis, ſicut per alium habuit initium, ita per alium non incongruè habet remedium.

Quæſit exterior tentatio, & à quo fiat.

Quæſit tẽtatio interior, & à quo fiat. Greg. lib. 4. moral. c. 9. & Aug. lib. 1. de mirabilibus ſacræ Scripturæ c. 25

Quare homo, non Angelus, ſit redemptus?

F PRæterea Angelica natura, quoniam non tota perierat, ſed ex parte perſtiterat, non eſt redempta: humana verò tota perierat, & ideò ne penitus repentè perderetur, ex parte eſt redempta, vt inde ruina ſuppleretur Angelica: vnde Auguſtinus *in Euch.* [Placuit vniuerſitatis creatori & moderatori, vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo illa deſerente perſtiterat, de ſua certiſſimè cognita ſemper felicitate gauderet. At verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque ſuppliciis tota perierat, ex parte meruit reparari, vnde Angelicæ ſocietati ſuppleretur, quod ruina illa minuerat: hoc enim promiſſum eſt Sanctis, quod erunt æquales Angelis Dei.

Aug. c. 29.

Quod non ſoli viro præceptum fuit datum.

G ILlud etiam notandum eſt, quòd non ſoli viro præceptum videtur eſſe datum, cùm ipſa mulier teſtatur ſibi etiam eſſe mandatum, dicens, Præcepit nobis Deus, &c. Suprà tamen legitur ante factam mulierem Deum dixiſſe viro.][De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. Non dixit: Ne comedatis. Fortè quia facturus erat mulierem de viro, ſic præcepit, vt per virum ad mulierem peruenirent mandatum: quia mulier quæ ſubiecta viro fuit non niſi mediante viro diuinum debuit accipere præceptum. Vnde Apoſtolus. Si quid diſcere mulieres voluerint, domi viros ſuos interrogent.]

Aug. ſup. Gen. 8. lib. c. 17. Gen. 1. a. Gen. 2. d.

rogent.] [Si quæritur, quomodo loqui potuerunt, vel loquentem intelligere, qui nõ didicerant inter loquẽtes creſcẽdo, vel magiſterio? Dicimus, quia Deus eos tales fecerat, qui poſſent loqui, & diſcere ab aliis ſi eſſent.]

QVÆSTIO I.

Vtrùm [a] peccatum hominis primum in ſtatu innocentiæ, potuit fuiſſe veniale?

Alenſ. 2. *p. q.* 120. *m.* 6. D. Thom. 1. 2. *q.* 89. *ar.* 5. D. Bonau. *hìc ar.* 3. *q.* 1. Durand. *q.* 4. Vaſq. 1. 2. *d.* 148. *& Thomiſtæ negant: cum Scoto affirmant* Richar. *hic ar.* 3. *q.* 1. Maior *q.* 2. Gabr. *d.* 22. *q.* 1. *ar.* 3. Alm. *tract.* 3. *mor. c.* 22. Pitigianis *in Gen. fol.* 450. Rubion. Baſſol. Vorillon. & alij Scotiſtæ *hìc.*

1. CIrca diſtinctionem vigeſimamprimam, in qua Magiſter agit de caſu hominis in peccatum ex tentatione diaboli; quæruntur duo. Primò quæritur, Vtrùm peccatum hominis primum in ſtatu innocentiæ potuit fuiſſe veniale? Quòd ſic, probo: Rectitudo innocentiæ magis repugnat peccato mortali, quàm veniali: ſed non obſtante ſua rectitudine, potuit peccare mortaliter: igitur multò magis potuit peccare venialiter, etiam ipſo remanente in ſtatu innocentiæ; aliter non videretur minùs repugnare rectitudini innocentiæ peccatum veniale, quàm mortale, ſi vtrumque totaliter corrumperet. *Arg.* 1.

Item ab extremo in extremum non fit tranſitus, niſi per medium: peccatum veniale medium eſt inter iuſtitiam, & peccatum mortale: ergo, &c. *Arg.* 2. *§. Phyſ. & 10. Met. Rat. ad ppp.*

Oppoſitum: peccatum omne eſt deordinatio aliqualis; ſed deordinatio quæcunque quantumcunque modica, non potuit ſtare cum ſumma rectitudine poſſibili tunc homini in ſtatu innocentiæ, in qua creatus fuit: ergo quodcunque peccatum corrupiſſet illam rectitudinem rationis, & voluntatis; ſed non corrumpitur rectitudo per peccatum veniale: non ergo fuiſſet veniale.

Item, omni peccato debetur aliqua pœna: primo peccato non debetur alia, niſi mors. *Gen.* 2. ſed mors non debetur culpæ veniali: ergo ſi Adam peccaſſet, quocunque modo, ſibi debebatur pœna; ſed pœna non potuit ſibi deberi ipſo remanente in ſtatu innocentiæ: ergo omne peccatum fuit ſibi mortale, & nullum veniale: quia non patiebatur ſecum illam innocentiæ rectitudinem.

COMMENTARIVS.

1. a VTrùm primum peccatum potuerit eſſe veniale, id eſt, an iſta conſequentia ſit neceſſaria, vel non; Adam ſit in ſtatu innocentiæ, poterat peccare, igitur peccatum ſuum eſt mortale. Et oſtendit Doctor quòd non valet iſta conſequentia, imò ſtat quòd peccatum ſuum primum fuerit veniale, licèt de facto peccatum ſuum fuerit mortale. *Veniale* peccatum dicitur vel à *venio, venis*, quia venit in mentem præter intentum, & ex ſurreptione, vel *veniale* dicitur, quia vel ex infirmitate, vel ignorantia committitur, & ſic dicitur, *veniale* à *venia*. *Vnde dicatur peccatum veniale.*

Arguit Doctor probando quòd non fuit neceſſe quòd primum peccatum Adæ fuerit mortale, quia rectitudo iuſtitiæ magis repugnat peccato mortali quàm veniali, & tamen non obſtante illo ſtatu, & illa rectitudine illius ſtatus potuit peccare mortaliter, igitur & multò magis potuit peccare venialiter, & ſtare in illo ſtatu, quia non reuideretur (ſi ille ſtatus corrumperetur ex peccato veniali) quod magis repugnaret illi mortale peccatum quàm veniale, quod eſt falſum. Item, non eſt tranſitus ab vno extremo in aliud extremum, niſi tranſeundo per medium; ſed extrema ſunt iuſtitia originalis, & peccatum mortale: igitur oportet tranſire per peccatum veniale: ſi argumentum hoc concludat, nihil concludit, quia illa maior non eſt vera, niſi vbi medium eſt conditio neceſſaria requiſita neceſſariò inter extrema, ſicut medium inter duo, vbi non poteſt fieri tranſitus, &c. Sed ſi medium non eſt conditio neceſſaria non oportet, & maximè reſpectu cauſarum, liberè agentium, ſicut eſt voluntas; ipſa enim poteſt tranſire à iuſtitia ad peccatum mortale non peccando venialiter. Si tamen argumentum concludat quòd voluntas poteſt tranſire per illud medium, ſcilicet per peccatum veniale primò, & ſic concedo argumentum, & ſic debet ſcribi in Doctore.

In contrarium arguitur.

SCHO

SCHOLIVM.

Sententia Alenſis & D.Thomæ, negans Adamum primò potuiſſe venialiter peccare. Primò, quia corrumperetur illa ſumma iuſtitia, quocunque peccato. Secundò, quia quæcunque deordinatio virium ſuperiorum, foret tunc mortalis: refutatur, primò, quia donum iuſtitiæ originalis non perfectiùs vniebat vltimo fini, quàm gratia ſpecialis alicuius ſanctiſsimi, vt Baptiſtæ, ſecundò, potuit Adam primò proferre verbum otioſum.

2. DIcitur,[b] quòd primum peccatum non potuit fuiſſe veniale, quia peccatum purè veniale corrumpere non habet (remanens veniale) ſummam rectitudinem, quam habuiſſet homo in ſtatu innocentiæ: peccatum autem quodcunque tunc illam corrupiſſet: quare non potuit eſſe niſi mortale. *Alex. de Ales in 2. 2. collatione de peccatis. Vide D.Th. 1.2. q. 89. ar. 3.*

Item, quamdiù vires ſuperiores ſunt ordinatæ ad Deum, in viribus inferioribus nulla poteſt eſſe obliquitas: quia ſtante illo ſtatu, non eſt deordinatio in viribus inferioribus, niſi primò ſit in ſuperioribus: peccatum ergo primum oportuit, quòd haberet deordinationem virium ſuperiorum: ſed omnis talis deordinatio fuiſſet peccatum mortale: ergo, &c.

Contrà. Quia illud donum non coniungebat perfectiùs vltimo fini, quàm quæcunque gratia gratum faciens coniungit nunc viatorem: ſed cum gratia quacunque nunc poteſt ſtare veniale, etiam in perfectiſſimis: vnde Ioan. in Canonicâ ſua. *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus*, &c. igitur & Adam peccare potuit venialiter. *Reprobatur opin.* *1. Ioan. 1.*

Item, ſuppono quòd aliquis actus, ex genere poteſt eſſe peccatum veniale, puta verbum otioſum: ſed Adam potuit talem actum exercere, ociosè, ſcilicet loquendo: ſed actus de ſe venialis, non fit mortalis, niſi quatenus ſuper ipſum cadit præceptum: ergo cùm nullum præceptum habuiſſet Adam de abſtinendo ex neceſſitate ſalutis, à talibus verbis: ad nimis enim difficile obligaſſet viatorem, ſi eum in iſto ſtatu de neceſſitate ſalutis, obligaſſet ad faciendum ſemper, quod fuiſſet melius, vel expedientius: vel ad vitandum quodcunque retardatiuum ad melius. *Adam potuit primo proferre verbum ocioſum.*

COMMENTARIVS.

2. b PONitur Opinio domini Alexandri de Ales, & S.Thomæ qui tenent, quòd in illo ſtatu innocentiæ non potuit eſſe aliquod peccatum veniale, quia ibi fuit ſumma rectitudo poſſibilis homini haberi in illo ſtatu, quo creatus fuit Adam, ſummæ rectitudini repugnat quantuncumque modica obliquitas, quia illa tollit ſummum gradum rectitudinis, & peccatum veniale eſt aliqualis obliquitas, & peccatum veniale non poteſt corrumpere ſtatum innocentiæ; igitur omnis obliquitas quæ corrupiſſet illum ſtatum, fuiſſet obliquitas mortalis. Et ſecundò probant, quia vires inferiores non ſunt deordinatæ.

Sed Doctor duabus rationibus arguit, quia gratia, quæ nos in iſto ſtatu coniungit Deo, non eſt minoris perfectionis, quàm iuſtitia originalis fuerit in illo ſtatu, & tamen cum gratia in iſto ſtatu ſtat peccatum veniale in viris perfectiſſimis, vt in Ioanne Euangeliſta: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*; &c. igitur in illo ſtatu potuit eſſe culpa venialis cum iuſtitia originali, non enim videtur eſſe maior repugnantia peccati venialis ad iuſtitiam, quàm ad gratiam, & ad gratiam non habet quin poſſit ſtare cum ea, igitur & poteſt ſtare cum iuſtitia originali. In diſtinctione 29. habebimus quomodo iſtæ duæ virtutes ſe habent ſicut excedens, & exceſſum.

c Item, ſecundò ſupponit Doctor quòd aliquis actus ex ſuo genere ſit peccatum veniale, ſicut dicere verbum ocioſum. Item ſupponit, quòd Deus non obligaſſet homines in ſtatu innocentiæ ad minùs difficile, vt non præcepiſſet eis vt non dicerent verbum ocioſum, nec etiam præcepiſſet vt ſemper facerent quòd melius, & expedientius eſt, ſed tantummodo obligaſſet eos ad decem præcepta, ad quæ nos nunc obligauit, tunc Adam potuiſſet dicere verbum ocioſum, & illud ex ſuo genere eſt peccatum veniale, & non mortale; igitur. Nec valet dicere, ille ſtatus fuiſſet perfectiſſimus, concedo, loquendo de ſtatu viatorum; igitur in illo non fuiſſet peccatum veniale; nego conſequentiam. Nonne in iſto ſtatu fuerunt homines ita perfecti, ſicut fuiſſent in illo? & in iſto venialiter peccauerunt, quare non in illo, cum peccatum veniale non tollat perfectionem ab eis.

SCHOLIVM.

Reſoluit, quod potuit Adam committere non tantùm mortale, violando præceptum, cuius impletio eſt neceſſaria ad ſalutem: ſed etiam veniale, violando præceptum, cuius impletio non eſt neceſſaria ad finem, quod ideò vocat conſilium.

Mens Doctoris. Diſtinctio inter peccatũ mortale & veniale.

Dico ergo, [d] quòd potuit peccare venialiter in illo ſtatu. Circa quod ſciendum, quòd peccatum mortale non diſtinguitur à veniali in hoc, quòd vnum eſt reſpectu finis, vt mortale: & aliud eorum, quæ ſunt ad finem, vt veniale; ſed vtrumque poteſt eſſe, & circa ea, quæ ſunt ad finem, & circa finem. Sed in hoc diſtinguuntur, quia peccatum mortale eſt deordinatio oppoſita ordinationi, ſine qua finis non poteſt ſequi aliquo modo; quæ quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio fit: & ideò omnis deordinatio cadens ſub præcepto, auertit à fine neceſſario. Sed alia eſt ordinatio, quæ poteſt eſſe reſpectu finis ſequendi, quæ non eſt neceſſaria, ſed vtilis, quæ non eſt de præcepto, ſed potiùs de conſilio: & deordinatio oppoſita huic, eſt peccatum veniale, nec facit cadere à fine neceſſario; ſed facit quòd actus non procedat meliori modo, quo poteſt. 3.

Dico ergo, quòd Adã [e] potuit non tantũ exercere actũ deordinatũ cõtra præceptũ: ſed etiã contra conſilium tantùm, vt non faciendo maximè expedienda: vel faciẽdo aliqua retardatiua, licèt non faceret directè contra præceptum neceſſarium ad ſalutẽ.

Ad rationẽ Alex. Al.

Ad primum pro opinione oppoſita [f] dico, quòd mortale plus repugnat, & quo ad intentionem, & quoad neceſſitatem illi rectitudini, non ſolùm habituali, ſed etiam actuali, quàm venialis obliquitas: quia illa potuit ſtare cum ſumma rectitudine habituali tunc poſſibili viatori; ſicut cum certitudine intellectus de aliqua concluſione, poteſt ſtare opinio de alia: quia non repugnant: & fortè etiam non repugnabat actuali: ſicut nunc actum maximum meritorium, & valde excellentem, poteſt nunc ſequi aliqua vana gloria, quæ eſt peccatum veniale; nec veniale illud tolleret meritum iſtius actus, ſic meritorij. 4.

Vide in 4. di. 4. ar. 3. q. 2. & diſt. 17. art. 2.

Loquitur caſu quo eſſet liber. & cum tali præcepto.

Sed dices, quòd tunc poſſet eſſe ſimiliter in beato veniale. Dico, quòd ſi beatus dimitteretur ſibi, poſſet in illum actum, ſed non eſſet ſibi venialis ratione præcepti, quod habet de ſemper eliciendo illum actum beatificum, & non diuerſificando non ſolùm ad oppoſitum, ſed nec ad diſparatum: & propter præceptum de ſemper operando optima, eſſet ſibi quæcunque deordinatio talis mortale peccatum.

Portio ſuperior eſt intellectus & voluntas, vt immediate reſpiciunt Deum.

Ad ſecundum, eſto, quòd verum ſit, [g] quòd in inferioribus viribus non potuerit fuiſſe deordinatio, niſi præfuiſſet in ſuperioribus: tamen dico, quòd non omnis deordinatio in virtute ſuperiori, eſt peccatum mortale: nam leuis motus per ſurreptionem de opinione aliqua circa articulos fidei, eſt deordinatio in portione, vel in virtute ſuperiori: nam poteſt eſſe circa tale obiectum, quod non poteſt conſiderari, niſi per virtutes ſuperiores, vt Deum eſſe trinum, & vnum, & tamen non omnis motus leuis, eſt ibi peccatum mortale, licèt in ſuperiori virtute ſit grauius peccatum, quàm in inferiori, vt patebit *diſt.* 24.

Portio inferior eadẽ potẽtiæ, vt reſpiciunt alia, de quo infr. d. 24. Ad arg. in opp.

Ad primum in oppoſitum per dicta patet. Ad ſecundum de pœna [h] dico, alia pœna quàm mors, poteſt reſpondere veniali puta diſplicentia aliqua, vel aliquid huiuſmodi. Vel poteſt dici, quòd pœna ſibi propriè non correſpondet: ſed committens veniale eſt debitor feruentioris actus voluntatis, quàm prius; qui feruor conſumeret peccatum veniale, de hoc *lib. 4. diſt.* 21. nec obfuiſſet innocentiæ Adæ habuiſſe pœnam debitam veniali, præter mortem.

COMMENTARIVS.

3. *Quid ſit peccatum mortale & veniale.*

Reſpondet Doctor ad quæſtionem oſtendendo quid [i] ſit peccatum mortale, & quid peccatum veniale, & deinde reſpondet per duas vel tres cõcluſiones. Primò dicit, quod peccatum mortale, & veniale non diſtinguitur per hoc, quòd mortale eſt circa finẽ, & veniale eſt circa ea quæ ſunt ad finem tantùm, & non circa finem; quia vtrunque peccatum poteſt eſſe circa finem, & circa media ad finem, & ita non ſunt iſtæ differentiæ, quibus conſtituantur in *eſſe*. Sed in hoc differunt, quod peccatum mortale eſt deordinatio oppoſita ordinationi, ſine qua ordinatione quis non poteſt conſequi finem: & huiuſmodi ordinationes neceſſariò requiſitæ ad conſequendum finem ſunt decem

Decem leges ſunt.

præcepta Legis. Sunt enim decem leges, decem viæ per quas neceſſe eſt nos ambulare, & peruenire ad patriã cæleſtem: iſtæ ordinationes cadũt ſub præcepto vt fiant, & neceſſe eſt nos ſic eſſe ordinatos, vt Deum adoremus adoratione Latriæ, ei credamus, in eo ſperemus, & ipſũ ſuper omnia diligamus, & extẽſiuè, & intẽſiuè, vt dicetur *in* 3. *d.* 27. *ar.* 3. Et ſimiliter eius nomen nos oportet honorare, nõ aſſumẽdo illud in teſtimoniũ falſitatis: & ſic de aliis præceptis, & iſtę ordinationes ſic sũt ſub præcepto, ꝙ etiã deordinationes oppoſitæ sũt ſub prẽcepto ne fiãt, & ſiquis ſit illis deordinationibus deordinatus, eſt in peccato mortali, ſic quòd furtũ faciens mortaliter peccat. Et ſic ſunt decem peccata mortalia oppoſita iſtis decẽ præceptis. Deordinatio autẽ quæ eſt peccatũ veniale nõ cadit ſub præcepto, nec ordinatio oppoſita eſt neceſſaria ad ſalutẽ; ſicut nõ dicere verbũ ociosũ eſt ordinatio expediẽs, & per quã faciliùs quis conſequitur vitã æternã; tamẽ ſine illa ordinatione poteſt quis ſaluari, quia ſeruãdo legẽ Dei, ſufficit, iuxta illud Chriſti: *Hoc fac, & viues*: ſcilicet dilige Deum ſuper omnia, & proximum ſicut teipſum. Ex hoc patet, quòd ſolum façere contra

decem

decem præcepta eſt peccatum mortale. Facere autem contra conſilia, & contra alia præcepta quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis, quis non mortaliter peccat. Nec ſequitur: Iſte non facit ſecundùm conſilium, nec ſecundùm præceptum non neceſſarium ad ſalutem; igitur deficit à fine vltimo. Negatur conſequentia, ſequitur tamen, talis ſic operans venialiter peccat; igitur talis non procedit meliori modo quo poteſt. Hoc eſt verum, & hoc eſt venialiter peccare, & conuertuntur.

4. *Adam peccauit mortaliter.*

e Doct. igitur dicit ponendo hanc concluſionem. *Adam potuit non tantum exercere actum deordinatum contra præceptum*, & ſic mortaliter peccare, vt peccauit; *ſed etiam potuit exercere actum contra conſilium tantùm*, & ſic venialiter peccare. Et hîc dicit Doctor quòd dupliciter potuit facere contra conſilium, vel negatiuè, non faciendo illud, quod conſilium dicit eſſe faciendum, imò contrariè faciendo aliquid, retardans à præmio: quia peccato veniali debetur pœna, quæ poteſt hominem retardare à beatitudine, ſicut in ſtatu iſto Socrates mercator ſeruans diuinam legem, non ſecundùm illud conſilium facit: *Vade, & vende omnia, quæ habes*, &c. imò facit aliquid retardatiuum, quia implicat ſe mercantiis, quibus implicitus minùs eſt aptus Deo promptè ad ſeruiendum, & ſi venialiter peccat, non tamen mortaliter, quia non facit contra aliquam illarum decem ordinationum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis.

f Primum argumentum in oppoſitum, & argumentum primum opinionis eandem habent vim, & ideò ſoluendo vnum ſoluitur reliquum; ideò pro ſolutione primi argumenti opinionis eſt notandum, quòd duplex eſt rectitudo vna habitualis, alia actualis. R. rectitudo habitualis dicitur eſſe quidam habitus in voluntate hominis iuſti, & recti, qui habitus inclinat ad iuſta iuſtè volendũ; & voluntas ſic habitualiter dicitur habitualiter velle iuſta iuſtè; & ſic iuſtus dormiens habitualiter vult iuſta. Iſto modo in ſtatu innocentiæ Adam habuiſſet iuſtitiam originalem inclinantem voluntatem Adæ ad humiliter volendum iuſta.

Quæ ſit rectitudo habitualis.

5. Sed quæ fuiſſent obiecta illius iuſtitiæ originalis, ad quæ inclinaſſet voluntatem ad volendum? Dico, quòd decem ordinationes, quæ cadunt ſub decem præcepta diuinæ legis, & illæ decem ordinationes ſunt ex intentione præcipientis, & in ſe habent neceſſitatem à præcipiente vt fiant: aliter nullus dicitur rectus, nec iuſtus: & iſta includuntur in latitudine illius ſummæ rectitudinis, quæ fuiſſet in ſtatu innocentiæ.

Vtrùm autem ordinatio, quæ cadit ſub conſilio, ſcilicet non dicere verbum ocioſum, pertineat ad huiuſmodi latitudinem ſummæ rectitudinis. Dico, quòd non, quia ſic non ex intentione conſulentis vt ſit neceſſariò requiſita ad ſalutem, nec ad illam rectitudinem: ſed illa ordinatio conſilij eſt alia, diſparata ordinatio à prima, & ideò quis poteſt eſſe ſummè rectus rectitudine neceſſaria, dato quòd non ſit rectus, nec ordinatus ſecundùm illam ordinationem conſilij, ſicut intellectus poteſt eſſe certus de *A* concluſione, & tamen dubitare de *B* concluſione, & tantùm opinari de illa, nec tamen minuetur de *A* concluſione: ita hîc à ſimili quis non erit ſeruans conſilium, & tamen erit rectus rectitudine pertinente ad ſalutem.

Tunc reſpondet Doctor quòd peccatum mortale plus repugnat illi ſummæ rectitudini habituali, quàm peccatum veniale. Patet, quia peccatum veniale non opponitur alicui illarum decem ordinationum pertinentium ad illam rectitudinem neceſſariam ad ſalutem, & tamen peccata mortalia illis directè opponuntur: igitur poteſt ſtare tota illa rectitudo cum peccato veniali, cùm ei non opponatur: non ſic poteſt ſtare peccatum mortale, quia opponitur alicui illarum decem ordinationum requiſitarum ad illam ſummam rectitudinem.

Diſcrimẽ eſt inter peccatum mortale & veniale.

Dicit etiam Doctor quòd peccatum veniale non repugnat actuali rectitudini. Actualis rectitudo eſt illa quæ eſt in actu noſtræ voluntatis, qui actus eſt conformis rationi rectæ ſine dictamine legis diuinæ; vt quis prædicans populo principaliter ex charitate, tamen in actu illo prædicandi oritur motus leuis inanis gloriæ, quia appetit laudari à populo, non principaliter propter illud mouetur, ille meretur, & tamen venialiter peccat; repugnat igitur veniale peccatum ſolum ſuæ ordinationi, quæ cadit ſub conſilio, non autem repugnat alicui ordinationi, quæ cadit ſub præcepto: ideo licèt non poſſit ſtare cum ordinatione cui opponitur, & illam deſtruat, non tamen deſtruit ordinationes cadentes ſub præcepto, quare quis poteſt eſſe perfectè ordinatus ordinatione neceſſaria ad ſalutem, qualis fuiſſet in ſtatu innocentiæ, & tamen venialiter peccare. Et ſi dicas etiam beatum poſſe peccare venialiter, eo quòd veniale peccatum non opponitur.

6.

Reſpondet Doctor ponendo caſum, quòd Deus ſi dimitteret beatum ſibi, poſſet peccare, ſiue poſſet in verbum ocioſum, ſed illud verbum eſſet ſibi peccatum mortale, eo quòd beatus habet præceptum de ſemper operando optima, & de ſemper eliciendo optimum actum beatificum quantùm poteſt; ſed exiſtens in ſtatu innocentiæ fuiſſet in via, & non in termino, & ipſe non habuiſſet præceptum de ſemper faciendo optima, ideò peccatum Adæ non fuiſſet mortale virgij Catharinæ, ſic quòd beati tenentur adimplere in patria illud præceptum: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, & ex omnibus viribus tuis*, ita quòd tenentur colligere omnes vires in vnum, & ſecundùm illas ſemper Deum diligere. Vide S. Bonauenturam *in* 3. *diſtinct.* 17. *quæſt. vlt.* Nota illud, quod dicit Doctor *ſi beatus dimitteretur ſibi*, quia in rei veritate, & confirmatus, quòd non poteſt peccare, nec mortaliter, nec venialiter, igitur peccatum veniale non poteſt eſſe in eo.

Beati tenentur adimplere illud præceptum, diliges dominũ, &c.

Ad ſecundum de viribus, &c. Dicendum, quòd ſi Adam fuiſſet Deo obediens, & potentiæ ſenſitiuæ inferiores fuiſſent obedientes voluntati, ſed quia voluntas non fuit obediens Deo, datum eſt ei in pœnam ſecundùm Auguſtinum vt vires inferiores non obediant ei. Et ideò Doctor concedit quòd ſi vires ſuperiores, vt intellectus, & voluntas fuiſſent ordinatæ in Deum, in viribus ſenſitiuis nulla fuiſſet deordinatio; ideo prima deordinatio fuit in viribus ſuperioribus, quia Adam elegit magis complacere vxori, quàm placere Deo, & ideò primo

7.

ibi fuit deordinatio de facto. Doctor tamen dicit, quòd non oportuit vt illa deordinatio in Deum fuiſſet peccatum mortale, quia circa Deum poteſt eſſe peccatum veniale. Et dat exemplum vt ſi quis in ſuperiori portione, quæ immediatè reſpicit Deum habeat aliquem motum ſurreptiuum, & leuem contra articulum de Trinitate, non propterea ille peccat mortaliter, ſed venialiter, & ita prima deordinatio potuit fuiſſe venialis in portione ſuperiori. Et nota, quòd portio ſuperior eſt intellectus, & voluntas, vt ſcilicet immediatè reſpiciunt Deum, portio verò inferior eſt idem intellectus, & eadem voluntas vt reſpicit obiectum creatum, hoc patebit. *diſt. 24. huius.*

Exemplum.

Nota.

Ad aliud de pœna dico, quòd peccato veniali non debetur mors, nec æterna, nec corporalis: potuit verò Adam, & filij ſui in illo ſtatu peccare venialiter, & puniri citra mortem corporalem, vt puta habendo diſplicentiam de illo peccato, vel aliquid huiuſmodi, & hoc non repugnabat illi ſtatui. Et ſi dicas, illi ſtatui non debebatur pœna, concedo, pœna quæ eſt mors; ſed non eſt verum de aliis pœnis, maximè voluntariè ſumptis pro peccato veniali. Vel dic, quòd ſicut modò peccans venialiter illi peccato propriè non debetur pœna, ſed committens peccatum veniale eſt debitor alicuius actus charitatis feruentis, vtputa, quis modicum plus debito bibit, tenetur cum feruentiori charitate dicere horas ſuas, ſi ſit Clericus; vel *Pater noſter*, ſi ſit ſecularis, vel alias ſuas orationes, ita in illo ſtatu qui peccaſſet venialiter conuerſus ad Deum feruentiori modo adoraſſet eum.

QVÆSTIO II.

Vtrùm peccatum Adæ fuerit grauiſſimum?

Alenſis 2. *p. q.* 120. *m.* 4. D. Bonau. *hic a.* 3. *q.* 3. D. Tho. 2. 2. *q.* 163. *a.* 1. *& hic q.* 2. *a.* 1. Richar. *hic ar.* 3. *q.* 2. Durand. *q.* 3. *Gab. q. vn. a.* 2.

Hæc quæſtio ponitur in aliquibus originalibus in principio ſeq. diſt. in. Cap. 18. *3. Ethico. c.* 9.

SEcundò quæritur, Vtrùm peccatum Adæ fuerit grauiſſimum? Quòd ſic, per Auguſtinum *in Ench.* qui vult, quòd peccatum ideò eſt malum, quia adimit bonum: ſed peccatum Adæ ademit maximum bonum, quia iuſtitiam originalem à ſe, & ab omnibus ſuis poſterioribus: ergo, &c. 1.

Item, ſecundùm iuſtitiam diuinam, pœna correſpondet culpæ, quia in Apoc. *Quantum glorificauit ſe, & in delitiis fuit, &c.* & ibidem, *ſecundùm menſuram delicti, erit & plagarum modus*: ſed peccato Adæ maxima pœna fuit inflicta, quia mors, quæ eſt vltimum terribilium, & ſui, & omnium poſteriorum: ergo, &c.

Item gloſſa Auguſtini ſuper illud verbum Pſal. 68. *quæ non rapui, tunc exoluebam*, dicit, quod *Eua, & Adam rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt fœlicitatem*: ſed appetere diuinitatem ſibi voluiſſe ineſſe, fuit, vt dicitur, maximum malum in Angelo malo (patet de hoc ſuprà) adhuc autem multò magis in homine, quia diuinitas multò magis eſt improportionata homini, quàm Angelo: ergo magis peccauit Adam, quàm Angelus: & ponitur iſta auctoritas in litera.

Diſt. 6.

Oppoſitum, Auguſt. 12. ſuper Gen. ca. vlt. & ponitur in diſt. 22. cap. illo. *Ex quo manifeſtè*, dicit, quod Adam *non carnali concupiſcentia victus, ſed amicabili quadam compulſus beneuolentia, quâ plerunque fit vt offendatur Deus, ne offendatur amicus, peccauit.* Eua autem ſecundùm eum, multò magis peccauit: quia appetiuit illam æqualitatem diuinam, quam nunquam appetebat Adam.

SCHOLIVM.

Primum peccatum Adæ non fuiſſe immoderatum amorem ſui, ſed coniugis, quam noluit contriſtare, ſecundùm mentem Auguſtini.

Quale fuit peccatum Adæ. Diſt. 6. q. 1

HIc ſunt tria videnda. Primò, [a] quale fuit primum peccatum Adæ. Secundò, quàm graue fuit eius peccatum. Tertiò, de comparatione grauitatis peccati Adæ ad grauitatem peccati Euæ. 2.

De primo dico, quòd in genere ſunt duo actus voluntatis, *velle*, & *nolle*: in *nolle* autem non poteſt primò conſiſtere peccatum, vt dictum eſt ſuprà, ſed in *velle*. Eſt autem *velle* duplex, aut eſt velle aliquid amore amicitiæ, qui eſt propter ſe vel propter

pter amatum : vel amore commodi, qui eſt propter aliud ; & ita quod amatur amore amicitiæ, magis amatur, quàm quod amatur amore commodi, vt dicit Ariſtoteles primo Poſteriorum, t. 5. *Propter quod vnumquodque*, &c. Primum autem peccatum Adæ, non fuit ex immoderato amore ſui, ſicut fuit primum peccatum Angeli : Angelus autem per eſſentiam ſuam intelligit ſe primò, & homo priùs intelligit alia quàm ſe : & vtitur obiecto ſenſibili in ſui cognitione. Primum ergo peccatum hominis non potuit eſſe immoderatus amor ſui, ſed ſecundùm quod dicit Auguſtinus *vbi ſuprà*, immoderatus amor amicitiæ vxoris. Nam dicit Auguſtinus quòd *noluit contriſtare eam, quam credebat ſine ſuo ſolatio contabeſcere, & à ſe alienatam omnino interire*, vt habetur in litera. c. illo, *Ex quo manifeſtè*. Patet ergo quòd non fuit amor concupiſcentiæ, vel libidinis, quia ille nondum fuerat, ex iſto autem amore inordinato peccatum grauius ſequebatur, ſcilicet, voluntas explendi illud, quod non licuit : puta præceptum de eſu pomi violare, quod quidem non fuit expreſsè præceptum ex natura rei, vel de lege naturæ, ſicut ſunt præcepta Decalogi : eſus enim illius pomi in ſe, non fuit de genere mali, ſed ſolum fuit malum ; quia prohibitum ad experiendum eorum obedientiam.

Quod amatur ex amicitia, magis amatur quã quod ex cõcupiſcẽtia.

11. in Gen. c. 42.

Quod fuit primũ peccatũ Adæ?

COMMENTARIVS.

1. *Primum peccatum Adæ 11. Super Gen. cap. vltimo.*

a Hic ſunt tres articuli. Primus declaratus fuit partim diſt. 6. q. 2. vide ibi de *velle*, & *nolle*. Hîc nota differentiam, quare primum peccatum Angeli potuit fuiſſe inordinatus amor ſui, non ſic potuit peccare Adam ; ſed primum peccatum Adæ fuit amor amicitiæ vxoris ſuæ inordinatus. Vide authoritatem beati Auguſtini. Nota, quòd primò non potuit peccare amore concupiſcentiæ, vel libidinis circa vxorem, quia nulla adhuc erat libido, quia illa eſt ſequela peccati. Ad iſtum amorem amicitiæ inordinatum vxoris ; ſequebatur grauius peccatum, ſcilicet velle complere illud, quod non licuit, ſcilicet velle comedere de pomo vetito. Ibi nota, quòd ſecluſo præcepto diuino de non edendo pomum, peius fuiſſet dicere verbum ocioſum, quàm comedere de illo pomo, quia dicere verbum ocioſum eſt ex ſuo genere actus peccati venialis ; ſed comedere de illo pomo non eſt ex ſe peccatum, nec eſt de lege naturæ. Ideò dicit Doctor quòd eſus pomi non erat ex natura rei quid malum, nec illud fuit præceptum ex natura rei, nec de lege naturæ, quaſi eſſet circa aliquid, quod de ſe eſt malum : ſed tantùm fuit malum edere, de illo, quia ſolùm à Deo prohibitum ad experiendum eorum obedientiam, vt nobis appareret (non Deo, quia omnia ſciebat) quòd ingrati exiſtentes tantorum bonorum, & beneficiorum non obedirent. Peccatum igitur primum Adæ fuit in velle, volendo, ſcilicet, & amando vxorem amore amicitiæ inordinato, quod factum fuit vt magis vellet diſplicere Deo, quàm vxori, & ita inductus ab ea comedit. Eſt enim veriſimile cùm ipſa fuerit ſeducta, & crediderit diabolo ſe poſſe conſequi æqualitatem Dei, & conſequi etiam ſcientiam boni, & mali, ſi vir ſuus vnà ſecum comederet : acceſſit ad Adam, & dixit ei vt comederet, ipſo nolente, triſtis effecta fuit, videns ex hoc ſe non poſſe conſequi, quod credebat, ſcilicet æqualitatem Dei, Adam videns ipſam mœſtam, credidit, quòd ſi non conſentiret ei, tabeſceret, & ex triſtitia veniret ad maciem, imò à ſe derelictam omnino interiret, maluit Deo diſplicere quàm vxori, & huius cauſa fuit inordinatus amor amicitiæ ad eam ; non amor concupiſcentiæ, nec libidinis, quia illa nondum erant in Adam cùm eſſet innocens : ſed grauiter errauit ſecundum Sanctos, quia debuit eam corrigere, & docere, quòd propter eſum illius ligni non conſequeretur æqualitatem Dei, nec ſcientiam æqualem ſcientiæ Dei, quia ipſe non fuit ſeductus ſecundùm Paulum *ad Corinth. ſecundo*, & ita ille non credidit, ſed non corripuit, & quis ſcit quòd eam non corripuerit, ſed mulieres aliqua affectione affectæ non de facili ſuſcipiunt diſciplinam, magis enim credidit diabolo, quàm viro.

SCHOLIVM.

Peccatum Adæ non fuiſſe grauiſsimum, quia non priuauit bono optimo formaliter id eſt rectitudine virtutis ſummæ (fuit enim contra temperantiam, vel obedientiam) nec fecit contra legem naturalem, ſed poſitiuam, & de re alias indifferenti, eſt tamen maximum quo ad nocumentum extrinſecum, quod cauſauit.

De grauitate peccati Adæ.

3. EX iſto patet ſecundum[b], ſcilicet, de grauitate huius peccati. Nam grauitas peccati, vel concluditur ex hoc, quòd opponitur magis intenſæ bonitati ; vel quia bonitas oppoſita eſt magis neceſſaria, ſcilicet, quia peccatum tale, eſt magis contra plura præcepta, & magis ardua, quàm aliud peccatum. Neutro autem modo fuit peccatum Adæ maximum, quia non priuabat formaliter bonitatem maximam:

Peccatum Adæ non fuiſſe grauiſſimum, formaliter.

non enim fuit directè contra maximum bonum diuinum: ſed formaliter contra bonum creatum, quamuis indirectè priuaret bonum maximum: nec etiam fuit illud peccatum directè contra arduiſſimum, vel neceſſarium præceptum, quod eſt, *Exod.20.* *Diliges dominum Deum*, &c. nec contra ſecundum magis neceſſarium poſt illud, quod eſt de dilectione proximi: exceſſus enim de diligendo eum, minùs eſt directè contra illud, quàm odium proximi. Idem exceſſus etiam de diligendo proximum, *Vide ſupr. diſt. 6.q.2.* minùs eſt contra dilectionem Dei, quàm eſt odium Dei (ſi tamen Deus poteſt odiri) quia igitur eſus ligni vitæ non fuit peccatum, niſi quia prohibitum; ita enim benè licuiſſet ſumpſiſſe de illo ligno, ſicut de quolibet alio, ſi non affuiſſet præceptum: *Vide 37. diſt. 3.* peccata autem contra decem præcepta Decalogi, ſunt peccata, quæ ſunt contra illud, cuius contrarium præcipitur, & quod eſt etiam tenendum, & obſeruandum ex lege naturæ: ergo ſequitur quòd peccatum hominis primi, non fuit, quantùm ad hoc grauiſſimum, imò dico, quòd multa peccata fiunt modo à multis, quæ ſunt grauiora, ita quòd ſi Adam debuiſſet fuiſſe damnatus pro illo, multò minorem pœnam ſuſtinuiſſet.

COMMENTARIVS.

2. b SEcundus articulus eſt de grauitate peccati Adæ. Vbi nota, quòd duobus modis vnum peccatum comparatum ad aliud dicitur grauius alio. Vno modo, quando vnum peccatum, vt puta, blaſphemia Dei opponitur maiori bonitati, quàm aliud peccatum, vtputa, blaſphemia parentum. Primum peccatum eſt grauius ſecundo, quia contra Deum, & ſecundum eſt contra patris & matris perſonam. Si etiam blaſphemans Deum, adoraret Deum, actum meritorium optimum faceret, & magnum gradum gratiæ acquireret, & magnum gradum gloriæ. Si ſimiliter Blaſphemans patrem, eum honoraret, actum meritorium, gradum gratiæ, & gloriæ acquireret, non tamen ita bonum, ſicut adorans Deum, vterque blaſphemando bonum illud perdunt, tamen vnus maius bonum perdit altero, & ſic vnus grauius altero peccat. Peccatum Adæ iſto modo non fuit grauiſſimum, quia non opponebatur ſuæ bonitati, nec ſi obediens fuiſſet tantum bonum acquiſiuiſſet, quantum ille qui Deum adoraſſet. Alio modo peccatum dicitur grauius altero peccato, quia vnum eſt contra bonitatem magis neceſſariam quàm aliud peccatum, & dicitur bonitas vna magis neceſſaria altera bonitate, vtputa, bonitas aliqua cadit ſub præcepto legis naturæ, & legis diuinæ ſimul. Alia bonitas cadit tantùm ſub præcepto legis diuinæ. Prima bonitas dicitur magis, neceſſaria quàm ſecunda, & peccans contra illam bonitatem grauius peccat, quàm peccans contra ſecundam tantùm. Exemplum: Nam interficere quemquam eſt prohibitum lege diuina, & lege naturæ ſimul, & ſemel. Concupiſcere eſt tantùm prohibitum lege diuina, & non naturæ, Interficiens enim grauius peccat quàm concupiſcens Bertam ad fornicandum. Salomon enim comparans furtum adulterio dixit adulterium eſſe grauius furto, quia contra rem magis arduam. Iſto modo etiam peccatum Adæ non eſt grauiſſimum, quia non fuit contra bonitatem magis neceſſariam, quia non comedere de illo pomo, non fuit bonitas maximè neceſſaria, quia non cadebat, niſi ſub præcepto diuino, non autem ſub præcepto legis naturæ.

Vnum peccatum eſt grauius altero duobus modis.

Exemplum.

Oſtendit etiam Doctor in litera, quòd diligere vxorem inordinatè non fuit grauiſſimum 3.
peccatum, quia non contra illud: *Diliges dominum Deum tuum.* Nec contra ſecundum maximè neceſſarium, & arduum poſt primum ſcilicet, Diliges proximum tuum, &c. Et patet, quia exceſſus de diligendo Deum non eſt contra illud præceptum de dilectione proximi, ſed benè odire proximum eſt contra illud præceptum. Nec etiam exceſſus de dilectione proximi eſt directe contra illud præceptum de dilectione Dei, ſed benè odium Dei, ſi ſit poſſibile. Exceſſus igitur dilectionis proximi, vt puta vxoris in Adam non fuit contra illud præceptum. Nec etiam eſt tantum contra ſecundum de dilectione proximi, ſicut odium proximi: grauius igitur peccatum eſt odire proximum, & odire vxorem, quàm excedere in diligendo vxorem: igitur illud primum peccatum, quo Adam peccauit, diligendo inordinatè vxorem, non fuit grauiſſimum, quia non fuit contra illa duo præcepta maximè neceſſaria, nec ex conſequenti contra illam bonitatem maximè neceſſariam ſcilicet diligere Deum, & proximum.

Item nota, quòd peccata legis diuinæ, aut ſunt de lege naturæ ſtrictè ſumpta, aut de lege naturæ, quia conformia legi naturæ, & ita cadunt ſub duplici negatione bonitatis correſpondentis illis præceptis, & ita ſunt bonitates neceſſariæ, fortè illud præceptum de non concupiſcendo non eſt de lege naturæ: iuxta illud Pauli: *Concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diuina diceret. Non concupiſces.* Alia ſunt de lege naturæ, & diuinæ ſimul, ſed præceptum de non edendo pomum tantùm de lege diuina fuit, & nullo modo de lege naturæ, & ideò illa bonitas *non edere*, &c. non fuit multum neceſſaria.

SCHO

SCHOLIVM.

Peccatum Euæ fuiſſe formaliter grauius peccato Adæ: hoc tamen ex circunſtantiis, fuiſſe grauius illo: illa petiit æqualitatem Dei, Adam non, & is tentante illa, lapſus eſt.

4. DE tertio dico,[c] quòd peccatum Euæ fuit grauius multò plus quam peccatum Adæ, pro eo, quòd voluit ſibi vſurpare æqualitatem diuinitatis, vt dicit Magiſter, & Auguſtinus: patet in litera. Vnde habens auiditatem æqualitatis Dei, & ſcientiæ diuinæ, fuit ſeducta: vir autem non fuit ſeductus, vt vult Apoſtolus *ad Tim. 2. cap.* & ideò ſic appetendo non peccauit, ſed ex inordinato amore, vt dictum eſt; & ideò peccatum mulieris fuit grauius. Item fuit peccati viri cauſa, & ideò grauius addendo, quod prædictum eſt. *Quis grauius peccauerit Adã, an Eua.*

Dico tamen pro argumentis, quòd peccatum poteſt aggrauari ex circunſtantia accidentali, propter excellentiam perſonæ, & dignitatem, quæ ex hoc magis debet præcauere peccatum. Item propter fortitudinem, & poſſibilitatem reſiſtendi, ideò dicit Magiſter in litera, quòd quia Adam exteriori tentatione pulſatus cecidit, tantò grauiùs plectendus erat: quantò leuiori impulſu erat proſtratus. Tentatio enim carnis difficilius vincitur: quia de noſtro contra nos roboratur. Quia igitur Adam fuit circunſpectior, & nobilior, & fortior ad reſiſtendum, ideò per accidens ſuum peccatum fuit maius. Tradita enim fuit Adæ iuſtitia originalis tanquam digniori, & circunſpectiori, & fortiori, ita quòd ſi eam perderet, pro ſe & tota ſua poſteritate perderet, non ſic autem fuit tradita mulieri, ideo Adæ peccatum accidentaliter, fuit grauius peccato Euæ: formaliter tamen per ſe merè, & præcisè in ſe, peccatum Euæ fuit grauius. *Diſt. 21.* *Peccatum Euæ grauius peccato Adæ per ſe, & conuerſo accidentaliter.*

5. [d] Ad primum argumentum. Illud eſt grauius, quod plus adimit de bono: verum eſt ſi adimit formaliter: quod non fecit peccatum Adæ, vt viſum eſt: ſed nec iuſtitiam originalem ademit formaliter, ſed ſolùm demeritoriè. *Ad arg. 1.*

Ad ſecundum dicendum, [e] quòd peccatum illud eſt maius, cui debetur maior pœna: dummodò illa pœna ſit formaliter punitio illius culpæ: ſic autem peccato Adæ non debebatur maxima pœna, imò ſi ipſe damnatus fuiſſet pro illo peccato, non fuiſſet ita grauiter punitus pro iſto peccato, ſicut multi alij. Et cum dicis, quòd mors infligebatur ſibi pro illo peccato, quæ eſt maxima pœna, Dico, quòd non dicebatur immortalis ante culpam, per aliqua intrinſeca, quæ poſtea fuiſſent corrupta per peccatum: ſed per gratuita ſibi collata. Videmus autem aliquando, quòd ex parua culpa ſubtrahuntur maxima beneficia: licèt pro illa non infligatur maxima pœna, imò modica. Et poteſt dici, quòd mors, quæ debetur peccato Adæ, licèt ſit pœna generalior, & magis extenſa, quàm alia quæcunque pœna, homini pro quocunque peccato data, non tamen eſt maior pœna, quàm illa, quæ debetur peccato mortali, nam licèt Adam per peccatum ſuum amiſerit iuſtitiam originalem pro eo, & pro tota ſua poſteritate, non ſequitur ex hoc, quòd mors conſequuta per ſubtractionem illius iuſtitiæ, ſit grauior pœna: ſicut nec dehæreditatio, quæ ſequitur dehæreditatum, & poſteritatem totam, eſt grauior pœna, quàm decapitatio vnius hominis, quam non ſequitur decapitatio alicuius de poſteritate: nec exulatio alicuius quam ſequitur tota poſteritas, eſt maior pœna, quàm illa decapitatio. *Ad 2.* *Subtractio maiorũ beneficiorũ nõ arguit maiorẽ grauitatẽ culpæ.*

Ad aliud dico, [f] quòd Adam non appetebat æqualitatem Dei directè, & formaliter: ſed tantùm interpretatiuè; & ſic omnis peccans ſecundùm, quòd dicit Anſelmus *de caſu diaboli* vult rapere æqualitatem Dei: imò vult eſſe maior Deo, in eo, quòd voluntatem ſuam vult præferri voluntati diuinæ, non obediendo voluntati eius. Et hoc eſt ſolùm interpretatiuè, & non formaliter appetere æqualitatem Dei: & ſic tantùm interpretatiuè, & non formaliter appetierunt tam homo, quàm Angeli mali æqualitatem Dei. *Quia ſcilicet non efficaciter voluerunt eã, Eua vero efficaciter, vel id de Angelis, nõ eſt de textu, quia nã habetur in reportat. & aliquibus antiq.*

COMMENTARIVS.

Peccatũ Euæ fuit grauius peccato Adæ.

c TErtius articulus eſt de comparatione peccati Adæ ad peccatum Euæ. Et ſimpliciter loquendo, peccatum Euæ fuit grauius, quia ſi Adam, & Eua eſſent damnati, quilibet pro peccato illo grauius puniretur Eua, quàm Adam, quia ipſa appetiit æqualitatem Dei; non Adam, quia non credidit, nec appetiit.

Nota inferiùs, quòd tentatio exterior, qualis fuit

fuit illa Adæ,quæ facta fuit per mulierem, faciliori modo vincitur, quàm tentatio interior, quæ eſt tentatio carnis, quæ de noſtro contra nos roboratur. Diabolus tentauit Euam, Eua tentauit Adam : cùm igitur Adam eſſet fortior Eua, & circumſpectior, quia ad plura aſpiciens,& nobilior, quia minori tentatione tentatus, quàm Eua ceciderit, hoc eius peccatum aggrauat, tamen ſimpliciter, & in ſe, conſiderando vtrumque peccatum, peccatum Euæ fuit maius.

An ſi Eua ſola peccaſſet, & non Adam,perdidiſſemus iuſtitiam originalem?

Dico,quòd non,quia ſibi non fuit data, niſi pro ſe, non pro nobis,benè ſi ſolus Adam peccaſſet, & non Eua, adhuc illam perdidiſſemus, quia Eua non acceperat pro nobis.

Vtrùm ſi Eua peccaſſet, & Adam non, an ipſa fuiſſet mater noſtra? Aliqui dicunt, quòd Deus creaſſet vnam aliam mulierem, & illam dediſſet Adæ, & fuiſſet mater noſtra. Sed ad quid? ſi dediſſet aliam fortè alia grauiori tentatione tentaſſet eum, ad quid addere malum malo? ſufficiebat prima,quæ ſi feciſſet pœnitẽtiam, non obfuiſſet filiis, ſicut Virgo munda non obfuit,munditiæ Chriſti benedicti.

d Ad argumenta. Ad illud,quod dicit, quod plus adimit de bono eſt grauius, quod concedo, ſi illud bonum adimitur formaliter per peccatum oppoſitum illi bono, ſicut pater ſupra de blaſphemante Deum,qui adimit formaliter plus de bono, quàm blaſphemans patrem. Et dico, quòd peccatum Adæ formaliter non adimit iuſtitiam originalem, quia non opponebatur illi formaliter; ſed tantùm ademit demeritorie, ſed peccatum non dicitur grauius, quia adimit plus de bono demeritorie. Patet, quia habens decem gradus gloriæ, & totidem gratiæ,& centum gradus meritorios, peccans peccato carnis, perdit omnia demeritorie, & tamen formaliter parum perdit: Blaſphemans autem Deum multum perdit formaliter de bono, & in caſu parum demeritorie, quia vbi non meruerit, niſi duos gradus gloriæ, & gratiæ, & decem merita iſta demeritorie perdit, & minùs alio, & tamen multò plus formaliter alio perdit de bono, vt patet, ſi Deum honoraſſet, quando blaſphemauit,& ſi alius continens fuiſſet,cùm peccauit,iſte minus de bono habuiſſet,& alius plus de bono.

Quomodo peccatum dicatur grauius?

e Ad ſecundum dicendum quòd debet eſſe correſpondentia culpæ ad pœnam, ſi pœna magna,& peccatum ſimiliter,& ſic à poſteriori cognoſcimus grauitatem peccati. Dicit Doctor quòd verum eſt, ſi illa pœna ſit formaliter punitio illius culpæ. Exemplum: Hic blaſphemat Deum, hic blaſphemat patrem, punitio formaliter correſpondens blaſphemiæ patris, eſt minor punitione, quæ correſpondet blaſphemiæ Dei,& loquendo de tali pœna, non debebatur peccato Adæ maxima pœna, imò modo adulterans, ſi damnaretur, & ſimul cum eo Adam,pro illo peccato grauius puniretur iſte, quàm Adam. Et cùm probat, quia ſibi inflicta fuit pœna mortis pro ſuo peccato: & hæc eſt maxima pœna. Dupliciter reſpondet. Primò ſic, negando, quòd mors fuerit ei inflicta pro ſuo peccato:& patet,quia Adam,ſi erat immortalis in illo ſtatu non erat immortalis ex natura,vel ex cauſa intrinſeca naturali; ſed ſi erat immortalis,erat tantum ex Dei dono nolentis concurrere cum cauſis naturalibus terminatis ad mortem, & hoc quamdiu obediens fuiſſet, vel ſuperaſſet primam tẽtationem. Dico igitur, quia peccauit,& inobediens fuit, Deus ſubtraxit illa beneficia ſibi collata,& ſic ex conſequẽti ſecuta eſt mors; non eſt ergo mors pœna formaliter punitiua peccati Adæ, ſed illa eſt modica. Videmus enim quandoque pro vno peccato ſubtrahi ab aliquo maxima beneficia, non tamen infligitur magna pœna punitiua correſpondens illi peccato, & patet in exemplo. Si Socrates ſit beneficiatus ab aliquo principe, puta à Sereniſſimo Imperatore, & Plato non, peccent in Sereniſſimum Imperatorem ambo, priuabitur Socrates omnibus beneficiis ſibi collatis à Sereniſſimo Imperatore, & alius puniretur in decem, quæ erit pœna ſecundùm iuſtitiam punitiuam correſpondens peccato Platonis, & in totidem Socrates puniretur, & non in plus,niſi fuiſſet beneficiatus;& ſic Adã fuit priuatus multis donis donatis à Deo, & tamen modica pœna fuiſſet punitus in inferno, quàm alius adulter,loquendo de pœna punitiua culpæ. Alia reſponſio eſt,quòd mors non eſt maior pœna, quàm illa, quæ debetur peccato mortali,quia illa eſt damnatio æterna, quæ eſt perpetua ſeparatio à Deo: mors autem corporalis eſt ſolùm ſeparatio corporis ab anima vſque ad futurum iudicium,quam etiam mortem multi appetunt, nullus tamen appetit damnationem: & ideò licèt ſit generalior pœna, & ad plures ſe extendat mors, quàm damnatio, non eſt tamen maior, nec intenſior pœna, & ponitur exemplum de exhæredato, quæ pœna eſt vniuerſalior conſequens totam poſteritatem de hæreditate,& de decapitatione.

Exemplum.

Quomodo Adam erat immortalis.

f Ad vltimũ. An Adam appetierit æqualitatem Dei, quia illud videtur dicere gloſſa ſuper illud, *Quæ non rapui*, &c. Scotus conceſſit quòd Eua appetiit æqualitatem Dei, Adam non, nunc ſoluendo dicit quod Adam, & Eua, & Angeli tantum interpretatiuè appetierunt æqualitatẽ Dei. De Eua dico,quòd cùm fuerit ſeducta,ipſa credidit diabolo,& ſi credidit, poſſe conſequi illam æqualitatem Dei,& ſic fortè appetiit, & non tantũ interpretatiuè. Adam non fuit ſeductus,& non credidit illam poſſe conſequi, quia tamen peccauit, voluit voluntatem ſuam præponere voluntati diuinæ, & ſic interpretatiuè appetiit æqualitatem,imò maioritatem. An Angeli? In 6. diſt. huius dicit quòd appetierunt illam,& non tantùm,quòd illã potuerunt appetere: ante enim ſecundum articulum principalem,q. 2. ibi: *Viſo igitur de primo inordinatè concupito* parum infra, vel habuit Angelus inordinatum *nolle* nolendo ſcilicet oppoſita eorum,quæ concupiuit ſcilicet nolendo ſibi beatitudinem minùs ineſſe, quàm Deo, & ita voluit ſuam beatitudinem eſſe diuinæ æqualem, & ſequitur, *vel quàm Deum eſſe*, id eſt,noluit ſuum *eſſe* eſſe minus *eſſe* diuino, & ita voluit ſuum *eſſe* fore æquale *eſſe* diuino. Vide literam, & etiam expoſitionem literæ. Quod ergo hîc dicit, *quòd tantùm Angeli appetierunt æqualitatem Dei interpretatiuè*. Dic quòd litera eſt corrupta, ſic enim iacet in Reportatis; *& ſic tantum interpretatiuè, & non formaliter appetiit Adam æqualitatem Dei*, & nihil dicit de Angelis. Vel dico, quòd pro tanto eã voluerũt interpretatiuè, quia non

Quid ſit appetere æqualitatem Dei interpretatiuè, niſi ſpernere ipſum Deum.

Vide in reportatis.

non voluerunt eam volitione efficaci, & imperatiua ad conſequendum eam, vt dicit in Reportatis. *diſt. 6.* ſed credo quòd Eua volitione efficaci voluit eam quantùm fuit ex ſe; patet, quia ipſa quæſiuit media ſibi oſtenſa à dæmone, ſi ſcilicet Adam conſentiret in opinionem ſuam, & comederet de ligno vetito, haberent ambo æqualitatem Dei, & hoc medium quæſiuit, & ſuggeſſit viro, vt comederet; quia igitur nec Adam, nec Angeli mali ſic appetierunt, ideò dicuntur interpretatiuè appetiiſſe: tamen Adam, nec volitione ſimplici illud voluit, ſicut Angeli mali voluerunt; ſic igitur ſume differentiam: Eua voluit volitione efficaci æqualitatem Dei, Angeli mali, quia ſciebant eam non poſſe conſequi, voluerunt eam tantùm volitione ſimplici: Sed Adam, nec vna volitione, nec alia voluit Dei æqualitatem, ſed ſimpliciter interpretatiuè. Si dicas, Igitur Eua grauius peccauit Angelo, nego conſequentiam, quia ſeducta fuit, & decepta, & credēs illud fore poſſibile, appetiit impoſſibile tanquam poſſibile, & in hoc aliqualiter excuſatur. Sed diabolus ſciuit hoc fore impoſſibile, & tamen illud voluit, vt dictum eſt, & ſic appetiit impoſſibile, vt impoſſibile, nec erat deceptus, & ideò maiorem oſtendit iniquitatem, quàm Eua. Nota, quòd hæc quæſtio de grauitate peccati Adæ ponitur in quibuſdam textibus in vigeſimaprima diſt. tamen pertinet ad vigeſimamſecundam.

Quomodo Angelus.

Quomodo Eua appetit æqualitatem Dei.

DISTINCTIO XXII.

De hominis tranſgreſſione.

A Dic videtur diligenter inueſtigandum eſſe quæ fuerit origo & radix illius peccati. Quidam putant quandam elationem in animo hominis præceſſiſſe, ex qua diaboli ſuggeſtioni conſenſit. Quod videtur Auguſtinus innuere *ſuper Gen.* ita inquiens. [Non eſt putandum quòd homo deiiceretur, niſi præceſſiſſet in eo quædam elatio comprimenda: vt per humiliationem peccati ſciret quam falſò de ſe præſumpſerit, & quòd non benè ſe habet facta natura ſi à faciente receſſerit.] Item *in eodem*, [Quomodo verbis tentatoris crederet mulier, Deum ſe à re bona & vtili prohibuiſſe, niſi ineſſet eius menti amor ille propriæ poteſtatis, & de ſe ſuperba præſumptio: quæ per tentationem fuerat conuincenda aut perimenda. Denique non contenta ſuaſione ſerpentis, aſpexit lignum bonum eſu, decorum aſpectu: nec credens ſe inde poſſe mori, fortè putauit Deum alicuius cauſa ſignificationis illa dixiſſe, ideò manducauit, & dedit viro ſuo fortaſſis cum aliqua ſuaſione, quam Scriptura intelligendam reliquit. Vel fortè non fuit ſuaderi neceſſe, cùm eam mortuam eſſe illo cibo, non videret vir.] Sicut ergo non eſt permiſſus diabolus tentare fœminam, niſi per ſerpentem: ita nec virum, niſi per fœminam,] vt ſicut præceptum Dei per virum venit ad mulierem, ita diaboli tentatio per mulierem tranſiret ad virum. [In muliere verò quæ rationalis erat non eſt ipſe locutus vt in ſerpente, ſed perſuaſio eius, quamuis inſtinctu adiuuaret interius, quod per ſerpentem gerebat exteriùs.] Ex prædictis tentationis modus atque progreſſus inſinuatur: nec non etiam quod prædiximus, innui videtur, ſcilicet, quòd tentationem præceſſerat aliqua elatio, & præſumptio in mente hominis.

Aug. lib. 11. cap. 5.

Aug. lib. de Gen. ad lit. 11. cap. 30.

Aug. lib. 1. dicto. c. 27.

Ibidem.

Obiectio

Obiectio contra illos qui dicunt elationem præceſſiſſe in mente.

B *Aug. de Gen. ad lit. locis ſuperius citatis.* *Quomodo intelligenda ſint illa verba hic definit.* *Vide tentationis ordinem.*

QVod ſi ita fuit, non ergo alterius ſuggeſtione priùs peccauit, cùm auctoritas tradat ideò peccatum diaboli incurabile eſſe, quia non ſuggeſtione, ſed propria ſuperbia cecidit: hominis verò curabile, quia non per ſe, ſed per alium cecidit, & ideò per alium reſurgere potuit. Quocirca prædicta verba Auguſtini pium ac diligentem lectorem efflagitant: quæ ſic intelligere ſanè quimus, Non deiiceretur homo in actum illius peccati, vt ſcilicet lignum vetitum ederet, & in has miſerias per tentationem diaboli, niſi elatio comprimenda præceſſiſſet, non vtique tentationem, ſed opus peccati. Talis enim fuit ordinis proceſſus: diabolus tentando dixit, Si comederitis, eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum: quo audito, ſtatim menti mulieris ſurrepſit elatio quædam, & amor propriæ poteſtatis: ex quo placuit ei facere quod diabolus ſuadebat, & vtique fecit. Suggeſtione igitur peccauit, quia tentatio præceſſit: ex qua in mente eius orta eſt elatio, quam peccatum operis ſecutum eſt, & pœna peccati.

Quæ fuit elatio mulieris.

C *In principio huius diſt.*

ET talis quidem elatio in mente mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere ſimilitudinem Dei cum æqualitate quadam, putans eſſe verum quod diabolus dicebat. Et ideò ſpecialiter mulierem commemorat Auguſtinus inquiens, Quomodo crederet mulier diabolo, niſi eſſet in mente eius de ſe ſuperba præſumptio? Et quod ibi ſequitur, ſcilicet, Quæ per tentationem fuerat conuincenda vel perimenda: ad mulierem referendum eſt, vt intelligatur, quæ mulier, non quæ elatio fuerat per tentationem, &c.

Quæ fuit elatio viri, an crediderit, & voluerit quod mulier.

D *Quomodo Adam non fuit ſeductus.*

SOlet quæri, Vtrùm illa talis elatio & amor propriæ poteſtatis in viro fuerit, ſicut in muliere? Ad quod dicimus, Quia Adam non fuit ſeductus eo modo quo mulier. Non enim putauit eſſe verum quod diabolus ſuggerebat. In eo tamen fuiſſe ſeductum credi poteſt quòd commiſsũ veniale putauerit, quòd peremptorium erat. Sed nec prior ſeductus fuit, nec in eo in quo mulier, vt crederet Deum illud lignum ideò tangere prohibuiſſe, quoniam ſi tangerent, fierent ſicut dij. Veruntamen præuaricator fuit Adam, vt teſtatur Apoſtolus. Poterat enim aliqua elatio menti eius ineſſe illico poſt tentationem, ex qua voluit lignum vetitum experiri, cùm mulierem non videret mortuam, eſca illa percepta. Vnde Auguſtinus *ſuper Gene.* [Cùm Apoſtolus Adam præuaricatorem fuiſſe oſtendat dicens, In ſimilitudinem præuaricationis Adæ: ſeductum tamen negat, vbi ait, Adam non eſt ſeductus, ſed mulier, vnde & interrogatus non ait, *Mulier ſeduxit me:* ſed ait, *Dedit mihi, & comedi.* Mulier verò dixit. *Serpens ſeduxit me.* Hanc autem ſeductionem propriè vocauit Apoſtolus, per quam id quod ſuadebatur, cùm falſum eſſet, verum putatum eſt, ſcilicet quòd Deus lignum illud ideò tangere prohibuerit, quia ſciebat eos ſi tetigiſſent, ſicut Deos futuros: tanquam eis diuinitatem inuideret, qui eos

Rom. 5. c. Lib. 11. c. 42. Rom. 5. c. 1. Tim. 2. d. Gen. 3. e.

eos homines fecerat. Sed etſi virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum latere non poterat, ſolicitauit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem videret acceptâ illâ eſcâ non eſſe mortuam, non tamen eum arbitror ſi iam ſpirituali mente præditus erat, vllo modo credidiſſe quod diabolus ſuggerebat.] *Lib.& c. eiſdem poſt pauca. Heb.4.d.*

Quis plus peccauit, Adam, vel Eua?

E EX quo manifeſtè animaduerti poteſt, quis eorum plus peccauerit, Adam ſcilicet, vel Eua. Plus enim videtur peccaſſe mulier, quæ voluit vſurpare diuinitatis æqualitatem, & nimia præſumptione elata credidit ita eſſe futurum. Adam verò nec illud credidit, & de pœnitentia, & Dei miſericordia cogitauit, dum vxori morem gerens, eius perſuaſioni conſenſit, nolens eam contriſtare, & à ſe alienatam relinquere ne periret, arbitratus illud eſſe veniale non mortale delictum. Vnde Auguſtinus: Apoſtolus ait, *Adã non eſt ſeductus.* Quod vtique ita accipi poteſt, vt intelligatur non eſſe ſeductus prior ſcilicet, vel in eo in quo mulier: vt ſcilicet crederet illud eſſe verum, *Eritis ſicut dij:* ſed putauit vtrunque poſſe fieri, vt & vxori morem gereret, & per pœnitentiam veniam haberet. Minùs ergo peccauit, qui de pœnitentia, & Dei miſericordia cogitauit. [Poſtquam enim mulier ſeducta manducauit, eíque dedit vt ſimul ederent, noluit eam contriſtare, quam credebat ſine ſuo ſolatio contabeſcere, & à ſe alienatam omnino interire: non quidem carnali victus concupiſcentia, quam nondum ſenſerat, ſed amicabili quadam beneuolentia, qua plerũque fit vt offendatur Deus, ne offendatur amicus: quod eum facere non debuiſſe, diuinæ ſententiæ iuſtus exitus indicauit. Ergo alio quodam modo ipſe etiam deceptus eſt.] Inexpertus enim diuinæ ſeueritatis, in eo falli potuit, vt veniale crederet eſſe commiſſum.][ſed dolo illo ſerpentino, quo mulier ſeducta eſt, nullo modo arbitror illum potuiſſe ſeduci.] Ex his datur intelligi, quòd mulier plus peccauerit, in qua maioris tumoris præſumptio fuit: quæ etiam in ſe, & in proximum, & in Deum peccauit: vir autem tantum in ſe, & in Deum. Inde etiam colligitur, quòd mulier plus peccauerit, quia grauiùs punita eſt, cui dictum fuit, in dolore paries filios, &c. *Lib.& c. eiſdem. 1.Tim.2.d. Aug.li.14. de ciu.Dei cap.11. In quo Adam deceptus eſt. Lib.11. de Gen.c.42.*

Quod prædicta ſententiæ aduerſari videtur.

F SEd huic videtur contrarium, quod Auguſtinus ſuper Gen. de viro & muliere peccatum ſuum excuſantibus ait, [Dixit Adam, Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi deligno, & comedi, nõ dicit, *peccaui.* Superbia enim habet confuſionis deformitatem, non confeſſionis humilitatem. Nec etiam mulier confitetur peccatum, ſed refert in alterum dicens: Serpens decepit me, & comedi: in impari ſexu, ſed pari faſtu.] Ecce hîc dicit Auguſtinus quia parem faſtum habuit mulier cum viro. Pariter ergo ſuperbierunt, & pariter peecauerunt. Sed hoc ita determinari poteſt vt dicamus parem vtriuſque fuiſſe faſtum in excuſatiõne peccati, & etiam in eſu ligni vetiti: ſed diſparem, & in muliere multò maiorem, in eo quod credidit, & voluit eſſe ſicut Deus, quod non vir. Veruntamen & de viro legitur, quòd voluit eſſe ſicut Deus. Dicit enim Auguſtinus ſuper illum locũ Pſalmiſtæ. *Gen.3.c. Aug.li.1. de Gen. cap.35. De viro etiam legitur, quod*

noluit eſſe ſicut Deus Pſalm. 68. In tom. 8. Pſalm. 70. Phil. 2. a. Tract. 17. ſup. Ioan. circa illud Ioan. 5. ſed & patrem ſuum dicebat Deum.

Quæ non rapui tunc exoluebam. Rapuit Adam & Eua præſumentes vt diabolus de diuinitate, rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem. Item, ſuper illum locum, *Deus quis ſimilis tibi.* [Qui per ſe vult eſſe vt Deus, peruersè vult eſſe ſimilis Deo: vt diabolus, qui noluit ſub eo eſſe: & homo, qui vt ſeruus noluit teneri præcepto, ſed voluit vt nullo ſibi dominante eſſet quaſi Deus. Item ſuper illum epiſtolæ locum, *Non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo*: quia non vſurpauit, quod ſuum eſſet, vt diabolus & primus homo.]

Quorundam ſententia, quod Adam ambierit eſſe vt Deus, ſed non crediderit poßibile.

G IDeò quibuſdam videtur, quòd etiam Adam ambierit eſſe ſicut Deus, non tamen crediderit id fieri poſſe: & ideò falſum eſſe quod diabolus promittebat cognouit. Et licèt diuinitatis æqualitatem concupierit, non tamen adeò exarſit, nec tanta eſt affectus ambitione ſicut mulier: quæ illud fieri poſſe putauit, & ideò magis illud ambiendo ſuperbiuit. Virum autem aliqua fortè ambitionis ſurreptio mouit: ſed non ita, vt illud verum vel poſſibile fore putaret. Aliis autem videtur ideò dictum eſſe, quòd Adam illud voluerit, quia mulier de eo ſumpta illud voluit: ſicut inquiunt, peccatum dicitur per vnum hominem intraſſe in mundum, id eſt, in humanam naturam: cùm tamen mulier ante virum peccauerit, quia per mulierem intrauerit de viro factam. Vel potiùs ideò per hominem dicitur intraſſe, quia etiam peccante muliere, ſi vir non peccaſſet, humanum genus minimè peccatis corruptum periret. Minùs ergo peccauit vir quàm mulier.

Obiectio contra id quod dictum eſt, virum minùs peccaſſe.

H HIs autem opponi ſolet hoc modo, [Tribus modis (vt Iſidorus ait) peccatum geritur, ſcilicet ignorantia, infirmitate, induſtria. Et grauius eſt infirmitate peccare, quàm ignorantiâ: grauiúſque induſtriâ, quàm infirmitate. Eua autem videtur ex ignorantia peccaſſe, quia ſeducta fuit. Adam verò ex induſtria, quia non fuit ſeductus, vt Apoſtolus ait.] Ad quod dicimus, quia licèt Eua in hoc per ignorantiam deliquerit, quod putauit verum eſſe quod diabolus ſuadebat: non tamen in hoc, quin nouerit illud Dei eſſe mandatum, & peccatum eſſe contrà agere. Et ideò excuſari à peccato per ignorantiam non potuit.

Iſid. lib. 2. de ſummo bono c. 17.

1. ad Tim. 2. d. Reſponſio.

Quod ignorantia alia excuſat, alia non.

I ESt enim ignorantia, quæ excuſat peccantem, & eſt ignorantia talis, quæ non excuſat. Eſt autem ignorantia vincibilis, & ignorantia inuincibilis. Excuſatio omnis tollitur vbi mandatum non ignoratur.

De triplici ignorantia, quæ excuſat, & quæ non.

K ESt enim ignorantia triplex, & eorum ſcilicet, qui ſcire nolunt cùm poſſint, quæ non excuſat, quia & ipſa peccatum eſt: Et eorum qui volunt,

Iſid. ibid. & Greg.

ſed

ſed non poſſunt,quæ excuſat, & eſt pœna peccati non peccatum:Et eorum qui quaſi ſimpliciter neſciunt non renuentes, vel proponentes ſcire, quæ neminem plenè excuſat,ſed ſic fortaſſe vt minùs puniatur. Vnde Auguſtinus ad Valentinum, [Eis aufertur excuſatio, qui mandata Dei nouerunt, quam ſolent habere homines de ignorantia.][Et licèt grauius ſit peccare ſcienter quàm neſcienter, non ideò tamen confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras,vt in eis quiſquam excuſationem requirat. Aliud eſt enim neſciſſe,aliud ſcire noluiſſe][quia in eis qui intelligere noluerunt,ipſa ignorantia peccatum eſt:in eis verò qui non potuerunt, pœna peccati.Ignorantia verò quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt,nullum ſic excuſat vt æterno igne non ardeat,ſed fortaſſe vt minus ardeat.] Non igitur mulier excuſationem habuit de ignorantia, cùm & mandatum nouerit, & peccatum eſſe ſecus agere non ignorauerit.

lib. 11.mor. c.16. *Aug. idem ſentit tom. 7. lib. de natura & gratia contra Pelagianos c.17. de gratia & libero arbitrio c. 2. & 3.to. 7. Vbi non ſit excuſatio.*

Vnde proceſſerit conſenſus illius peccati, cùm natura hominis eſſet incorrupta.

L SOlet etiam quæri,cùm ſine vitio eſſet natura hominis, vnde conſenſus mali proceſſerit? Ad quod reſponderi poteſt, quia ex libero arbitrio propriæ voluntatis fuit. Et in ipſo enim & in alio cauſa extitit vt fieret deterior.In alio,quia in diabolo qui ſuaſit. In ipſo, quia voluntate liberi arbitrij conſenſit. Et cùm liberum arbitrium ſit bonum, ex re vtique bona malus ille conſenſus prouenit: & ita ex bono malum manauit.De hoc autem in ſequenti pleniùs tractabimus, cùm origo mali, & in qua re coaleſcat,inueſtigabitur. *Diſt.34.*

An voluntas præceſſerit illud peccatum?

M SI verò quæritur,Vtrùm voluntas illud peccatum præceſſerit? Dicimus, quia peccatum illud & in voluntate, & in actu conſtitit, & voluntas actum præceſſit, ſed ipſam voluntatem alia hominis voluntas mala non præceſſit, atque ex diaboli perſuaſione, & hominis arbitrio illa voluntas mala prodiit, qua iuſtitiam deſeruit, & iniquitatem inchoauit: & ipſa voluntas iniquitas fuit.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm peccatum primi hominis fuerit ex ignorantia?

D.Bonau.*hîc a.2.q.1.*Richard.*a.2.q.1.*Ægid.*q.2.a.1.*Argentin.*q.1.a.3.*Baſſol.*hîc q.vn.art.3.*

1. CIrca diſtinct. 22. in qua Magiſter agit de tentatione primorum parentum, vt ſe tenet ex parte tentati; quæritur vnum, Vtrùm peccatum ptimi hominis fuerit ex ignorantia? Quòd ſic, Auguſtinus 14. *de Ciuit. cap.* 11. *& etiam* 11. *ſuper Geneſ. cap.* 4. dicit, quòd Adam credidit peccatum ſuum fuiſſe veniale. *Arg.1.*

Item, omnis peccans, vel peccat ex electione: vel ex paſſione: vel ex ignorantia, illud peccatum non fuit ex paſſione: quia nulla ordinata paſſio potuit eſſe ante primum peccatum: nec ex electione, quia electio ſequitur conſilium; vnde electionis defectus videtur prouenire ex ratione, cuius defectus præſupponit peccatum, quod non conuenit quantùm ad illum ſtatum: ergo ex ignorantia peccauit.

Contrà 1. ad Timo. 2. *Adam non vſt ſeductus, ſed Eua.*

SCHOLIVM.

Poſita triplici diuiſione ignorantiæ, reſoluit peccatum Adam, non fuiſſe ex errore, nec ex ignorantia facti præcedente, ſed fortè ex ignorantia circunſtantiarum ſequentium, vt quòd tanta pœna non puniretur.

Quare Magiſtrũ in litera Peccatum ex ignorãtia triplex.

REſpondeo, [a] propriè loquendo, peccatum ex ignorantia eſt triplex, vel vbi ignorantia eſt cauſa, & ſic præcedit peccatum: quia ſi ſciret non peccaret, & ſic eſt quaſi diſpoſitio ad peccatum. ſecundo modo concomitatur peccatum: ſic enim dicitur peccare ignorans, vel aliquis peccando ignorare. Tertio modo poteſt ignorantia ſequi ex peccato quaſi pœna eius. Item [b] diſtinguitur, quòd poteſt accipi pro ſimplici neſcientia, vel pro ignorantia erronea. Item diſtinguitur, quòd poteſt eſſe ipſius facti [c] in ſe: vel quoad aliquas circunſtantias: vel quoad aliquid conſequens. 2.

Adam non peccauit ex errore.

Loquendo ergo de ignorantia, quæ eſt error: ſic non peccauit ex ignorantia: quia error non præceſſit, ita ſcilicet, quòd crederet illud factum eſſe bonum, vel bonum ex hoc ſequi: quia vt dicit Auguſtinus 3. de lib. arbit. *approbare vera pro falſis, eſt naturæ ipſæ, non inſtitutæ.*

Contrà, ſi offerebatur ſibi quando peccauit bonum verum, in eligendo non peccauit: ſi bonum apparens, errauit. Dico, quòd aliquid ſimplex offerebatur ſibi, & vt verum bonum, potuit apprehendi, ſcilicet diligere vxorem: tamen non eſt vſus ſicut apprehendit. Vnde ſciuit eſſe melius Deo placere, quàm vxori: & volitio quâ voluit vxori placere, fuit peccatum & ante illam non habuit errorem, niſi impropriè vocando *errorem*: & ideò priùs peccauit, quàm errauit. Cuius probatio eſt, quia ſi ante peccatum errauit, bonum aliquid ergo apparuit ſibi quod non erat bonum, ſed apparebat: & tunc circa principium potuit eſſe error, quia illud eſt principium, quod apparet de ſe verum.

Vide 1. d. 42. & 3. d. 23.

Si autem dicatur, quòd non eſt principium, ergo ſi apparuit falſum, ex ſyllogiſmo falſo, in forma, non concluditur, ſibi neceſſariò: quia non oportet voluntatem adhærere propter ſyllogiſmum ſophiſticum, ſi ex ſyllogiſmo falſo in materia, quæro, aut de ſe apparet falſum, & ſic eſſet oppoſitum principij veri, quod neminem deciperet ſi ex alio appareret falſum; tunc erit proceſſus in infinitũ: aut erit deuenire ad aliquod, quod de ſe apparet falſum ideò dicendum, quod non peccauit ex errore. Similiter ignorantia facti non præceſſit peccatum: ſciuit enim hoc eſſe contra præceptum Dei, comedere de ligno, ſed ignorantia circunſtantiarum conſequentium, vtpote verùm tanta pœna ſequeretur, benè potuit habere illam ignorantiam ante peccatum. Similiter [d] ignorantia potuit ſequi peccatum primum, inquantum ex immoderato appetitu complacendi vxori ſuæ peccando, credidit oppoſitum, ſcilicet eſſe veniale, quod erat mortale. 3.

Quæ ignorantia fuit in peccato Adæ

Ad arg. Sufficit apprehenſio ad volitionem.

Ad primam rationem dicendum, quòd iſta credulitas erronea, vel concomitabatur, vel ſequebatur primum peccatum. Ad ſecundum [e] dico, quòd peccauit ex electione, in eo, quod elegit ſic complacere vxori: non tamen intelligendo electionem, prout eſt ſyllogiſmi practici, potuit enim quod inordinatè appetiit, fuiſſe abſolutè apprehenſum, apprehenſione ſimplici, abſque aliquo erroneo iudicio præcedente: & hoc ſufficit ad hoc, quod illud inordinatè appeteret.

COMMENTARIVS.

1. *Peccatum ex ignorantia poteſt contingere tribus modis.*

a *Reſpondeo*, &c. Dicit Doctor quòd peccatum ex ignorantia poteſt tripliciter contingere, vt homicidium: aut enim ignorantia præcedit, id eſt, quod homicida ignoret tale homicidium eſſe peccatum; & talis ignorantia eſt cauſa peccati, accipiendo *cauſam* pro occaſione, ſiue pro diſpoſitione, ad quam ſequitur tale homicidiũ, puta, quia ignorat eſſe peccatum, ideò committit homicidium: & ſi non ignoraret, non committeret. Talis ignorantia, quæ eſt iuris diuini, vel iuris naturæ nunquam excuſat. Vel ſecundò, dicitur peccare ex ignorantia concomitante, id eſt, quòd peccatum concomitatur ignorantia, quia licèt nõ ignoret homicidium eſſe peccatum, multa tamen ignorat, puta quòd tanta pœna debebatur, tanto

tanto præmio,vel dono priuatur, vel quòd tam vituperabilis reddatur, & huiuſmodi, & ſic dicitur communiter, *omnis peccans ignorat.* Tertiò ipſa ignorantia poteſt ſequi ex peccato quaſi pœna peccati, ſicut dicitur Sapientiæ 2. cap. quòd *malitia excæcauit eos*:certum eſt enim, quòd genus humanum propter peccata in magnam cæcitatem incurrit tanquam in pœnam peccati.

Ignorantia accipitur dupliciter.

b *Item,diſtinguitur,quòd poteſt accipi pro ſimplici neſcientia*, &c. Hîc nota, quòd ignorantia accipitur dupliciter. Vno modo negatiuè, ſiue priuatiuè, ſicut Franciſcus ignorat hominem eſſe riſibilem, quia ponitur tantùm negatio ſcientiæ. Alio modo contrariè, & talis ignorantia non tantùm ponit negationem huius cognitionis,que cognoſcitur hominem eſſe riſibilem, ſed etiam ponit habitum,vel actum contrarium, ſicut quis firmiter credit hominem non eſſe riſibilem, id eſt, quòd habeat notitiam de iſta, quòd homo non eſt riſibilis, quæ poteſt cauſari in aliquo per ſyllogiſmum falſigraphum: & talis ignorantia opponitur contrariè ſcientiæ, vt patet primo Poſteriorum, & ſic hoc modo poteſt accipi *iniuſtitia*,negatiuè, ſcilicet & contrariè, vt patet à Doctore ſuprà *diſt.7.& in tertio,diſt.30.*

2. *Quid ignorantia facti.*

c *Secundo modo poteſt eſſe ipſius facti*, &c. Dicit Doctor quòd aliquando ignorantia eſt ipſius facti, quod eſt,quando ignoratur tale factum eſſe peccatum. Exemplum: Aliquis ſcit homicidium eſſe peccatum mortale,& committit illud, dando venenum, ſi ignorat hoc factum eſſe verum homicidium, &c. dicitur ignorantia facti: vel poteſt eſſe ignorantia quo ad aliquas circumſtantias, vt quando aliquis ſcit homicidium eſſe pecatum mortale, & commiſſum in Eccleſia eſt maius peccatum,ignorat tamen aliquam circumſtantiam fortè magis aggrauantem. Vel poteſt eſſe ignorantia quo ad aliquod conſequens, puta ignorantiæ,quòd tali peccato tanta,vel tanta pœna debeatur, vel quòd tanto bono priuetur. Sequitur in textu,*loquendo igitur*,&c.

Doctor dcit, quòd talis error non fuit in Adam:ſciuit enim magis fore obediendum Deo, quàm conſentire delitiis vxoris, & ſciuit quòd comedendo de pomo, ne contriſtaret delitias vxoris erat malum, & contra diuiuinum præceptum, & ideò non peccauit ex ignorantia, accipiendo *ignorantiam*, puta quæ præcedit peccatum,& eſt diſpoſitio ad peccatum, vt dixi ſuprà. Sequitur,* *ideò,quia prius peccauit*,quia ſi tu dicis,quod prius errauit, accipiendo *errorem* primo modo pro ignorantia ante peccatum, ſequitur quòd aliquod bonum apparuit Adæ, quod tamen in veritate non erat bonum, ſed tantùm in apparendo, vt puta, ſi complaceret magis vxori, quàm Deo eſſet bonum tantùm apparenter,ſi tale bonum,vt apparens priùs ſibi apparuit,ignorauit eſſe bonum apparens, ſequitur quòd ante peccatum,puta ante electionem, qua peccauit conſentiendo vxori, potuit eſſe error circa primum, quod eſt impoſſibile, & declarat Doctor quomodo talis error fuit circa principium. Sicut enim principium de ſe verum eſt notum ex notitia terminorum, ita quòd ibi non accidit error, terminis tamen præcognitis, ita illud poteſt dici principium apparens verum, quod apparet verum ex ſola notitia terminorum, ſicut hoc maius bonum eſt aſſentire vxori,quàm Deo.

Si dicatur,quòd talis error non fuit circa principium:ergo ſi hoc falſum, puta magis complacere vxori,quàm Deo, eſt maius bonum, non eſt principium apparens verum, ſequitur quòd erit concluſio falſa apparens vera, & tunc aut talis concluſio apparet vera ex ſyllogiſmo falſo in forma, aut ex ſyllogiſmo peccante in materia. Si primo modo, ſequitur quòd non concluſit ſibi neceſſariò, quia ipſe Adam,vt creditur,fuit perfectiſſimus Logicus: cùm omnium creaturarum habuiſſet ſcientiam, & ſi non concluſit ſibi, non opòrtet voluntatem Adæ adhærere huic, ſcilicet quòd melius eſſet complacere vxori, &c. Si ſecundo modo, aliqua præmiſſa fuit falſa:& quæritur vltrà, ſi præmiſſa falſa fuit, aut de ſe apparebat falſa,aut ex alia:ſi primo modo, ergo illa erat oppoſitum primi principij, quia ſicut primum principium verum eſt de ſe, apparens verum, & nemo decipitur in eius veritate: ita ſimiliter oppoſitum primi principij eſt de ſe apparens falſum: & ſic neminem decipit. Si ſecundo modo, ſcilicet ſi dicas, quòd illa præmiſſa falſa ex alia apparet vera,& ſic intelligit illud,*ſi ex alio apparet falſum*,id eſt,ſi id quod eſt falſum, ex alio apparet,ſupplè quod eſt verum: quæro de illa alia præmiſſa, ex qua iſta apparet, aut ex ſe apparet falſa; aut ex alia; ſi ex ſe,procedo vt priùs, quia erit oppoſitum primi principij: ſi ex alia tunc erit proceſſus in infinitum: ſi ergo fuit error in Adam ante peccatum,& ille error non potuit eſſe ex ſyllogiſmo falſo in forma,aut in materia:ergo ille error erat in principiis, quod eſt impoſſibile,quia nullus circa principia erat.

3. *Adam fuit perfectiſſimè logicus.*

d *Similiter*,&c,Dicit Doctor quòd tale peccatum potuit ſequi talis ignorantia, quod ex immoderato amore complacendi vxori ſuæ credidit illud peccatum eſſe veniale, quod tamen erat mortale, non credo tamen quòd ante peccatum fuerit talis ignorantia,quòd crediderit illud peccatum tantùm eſſe veniale,ſed ſic appetitus eius fuit immoderatus,complacendo vxori, quòd fuit excæcatus, credendo illud peccatum eſſe veniale. Vnde dicit Doctor quòd talis ignorantia concomitabatur,vel ſequebatur ipſum peccatum.

4.

e *Ad ſecundum dico*, &c. Nota in iſta litera, quòd electio propriiſſimè ſumpta ſequitur concluſionem ſyllogiſmi practici, id eſt, quòd ſequitur cognitionem concluſionis practicæ deductæ ex ſyllogiſmo practico,ſicut aliquis eligit ſibi potionem vt ſanetur:intellectus enim ſic concludit, omnis ſanitas eſt acquirenda per medium ordinatum ad illam: ſed potio amara eſt medium conueniens ad ſanitatem acquirendam:ergo, &c. Electio enim voluntatis,quæ ſequitur talem volitionem,dicitur electio propriiſſimè ſumpta. Poteſt etiam eſſe electio circa aliquod principium ſibi ſimpliciter oſtenſum, vt bonum eſt diligendum,nam oſtenſo hoc principio voluntati,voluntas poteſt diligere illud: & talis dilectio dicitur electio,licèt non ita propria,&c.

Quomodo electio voluntatis dicatur electio.

DISTINCTIO XXIII.

De Dei permißione in actu tentandi.

A PRætereà quæri ſolet, cur Deus hominem tentari permiſerit, quem decipiendum fore præſciebat? Sed non eſſet laudabile homini, ſi ideò benè viuere poſſet, quia nemo malè viuere ſuaderet: cùm in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle non conſentire ſuadenti, Deo iuuante: [& eſt glorioſius non conſentire, quàm tentari non poſſe.][Mouentur etiam quidam dicentes: Cur creauit Deus quos futuros malos præſciebat? Quia præuidit quid boni de malis eorum eſſet facturus. Sic enim eos fecit, vt relinqueret eis vnde aliud facerent: & ſi culpabiliter aliquid facerent, illum de ſe laudabiliter operantem inuenirent. A ſe habent voluntatem malam, ab illo naturam bonam, & iuſtam pœnam. Fruſtrà ergo dicitur, non deberet Deus creare quos præſciebat malos futuros: ſciebat enim bonis profuturos, & iuſtè pro mala voluntate puniendos. [Addunt etiam, talem hominem debere facere, qui nollet omnino peccare. Concedimus quidem meliorem naturam eſſe quæ omnino peccare nollet. Concedant & ipſi non eſſe malam, quæ talis facta eſt, vt poſſet non peccare ſi vellet, & iuſtè punitam, quæ voluntate, non neceſſitate peccauit. Cùm ergo hæc bona ſit, illa melior, cur non vtramque faceret, vt vberiùs laudaretur de vtraque? Illa enim de ſanctis Angelis, hæc de hominibus eſt.] Item inquiunt, Si Deus vellet, & iſti boni eſſent. Et hoc quidem concedimus: ſi melius voluit, vt quod vellent eſſent. Et boni quidem non infructuosè, mali verò non impunè eſſent.] Item inquiunt: [Poſſet Deus voluntatem eorum vertere in bonum, quia omnipotens eſt: Poſſet reuera. Cur non fecit? Quia noluit. Cur noluit? Ipſe nouit. Non debemus plus ſapere quàm oportet.

Aug. ſuper Gen. lib. 11. c. 4, & 6. Secunda quæſtio. Lib. eo. c. 9. Ibid. c. 6. Tertia quæſtio. Lib. eo. c. 7. Quarta quæſtio. Lib. eo. c. 6. Quinta quæſtio. Li. eo. c. 10. Rom. 12. a. Hug. lib. 1. de ſacramentis par. 6. cap. 18.

Hic qualis ſecundùm animam: & agit de ſcientia hominis ante peccatum.

B ET quidem ſecundùm animam rationalis fuit homo habens diſcretionem boni & mali. Scientiam quoque rerum creatarum, & cognitionem veritatis, quæ primæ perfectioni congruebat, mox conditus non incongruè accepiſſe putatur, & ad illam non ſtudio, vel diſciplina aliqua per interualla temporis profeciſſe, ſed ab exordio ſuæ conditionis diuinitùs illam percepiſſe.

Quod triplicem habuit homo ante lapſum cognitionem, ſcilicet rerum propter ſe factarum, & creatoris, & ſui.

C FVit homo primus ante lapſum triplici cognitione præditus, rerũ ſcilicet, propter ſe factarũ, & creatoris, & ſui. Rerum quippe cognitionem hominem

hominem accepiſſe perſpicuum eſt, cùm non ipſe creator, vel Angelus aliquis, ſed homo omnibus animantibus nomina impoſuerit: vt oſtenderetur, quod ſingulorum notitiam homo ipſe habuerit. Quæ enim propter illum creata erant, & ab illo regenda & diſponenda erant, horum omnium Deus illi & ſcientiam tribuit, & prouidentiam, atque curam reliquit: quia vt ait Apoſtolus, Non eſt cura Deo de bobus. Quorum aliorúmque animalium Deus homini curam reliquit & prouidentiam, vt dominationi eius ſubiicerentur, & ratione illius gubernarentur: vt ſciret illis neceſſaria prouidere, à quibus emolumentum debebat recipere. Hanc autem ſcientiam homo peccando non perdidit, ſicut nec illam, quâ carnis neceſſaria prouidentur. Et idcirco in ſcriptura homo de huiuſmodi non eruditur, ſed de ſcientia animæ, quam peccando amiſit.

De cognitione rerũ creatarum. *idem Hug. ibid. c. 13.* *1. Cor. 9. b.*

De cognitione creatoris.

D COgnitionem quoque creatoris primus homo habuiſſe creditur. Cognouit enim à quo creatus fuerat: non eo modo cognoſcendi, quo ex auditu ſolo percipitur, quomodo à credentibus abſens quæritur, ſed quadam interiori aſpiratione, qua Dei præſentiam contemplabatur: non tamen ita excellenter ſicut poſt hanc vitam Sancti viſuri ſunt, neque ita in ænigmate qualiter in hac vita videmus.

Hug. ibid. cap. 14. *Rom. 10.* *1. Cor. 13. d.*

De cognitione ſui.

E POrrò ſui cognitionem idem homo talem accepiſſe videtur, vt & quid deberet ſuperiori, & quid æquali, & inferiori non ignoraret. Conditionem quoque ſuam & ordinem, ſcilicet qualis factus eſſet, & qualiter incedere deberet, quid agere, quid cauere, intellexit. Si horum notitiam non habuiſſet, non eſſet reus præuaricationis, neque ſeipſum cognouiſſet.

Idem c. 15. *ibidem.*

Vtrùm homo præſcius fuerit eorum quæ ſibi futura erant.

F SI autem quæritur, Vtrùm homo ſcientiam habuerit eorum quæ circa eum futura erant, id eſt, ſi ruinam ſuam præſciuerit: & ſimiliter ſi præſcierit bona quæ habiturus fuiſſet, ſi in obedientia perſtitiſſet? Reſponderi poteſt, quod ei magis facienda indicta ſunt, quàm futura reuelata. Accepit enim ſcientiam & præceptum eorum quæ facienda fuerant, ſed non habuit præſcientiam eorum quæ futura erant. Non fuit ergo homo præſcius ſui caſus, ſicut & de Angelo diximus. Quod Auguſtinus *ſuper Gen.* aſſerit, ratione vtens quam ſuprà poſuimus. Hæc de ſcientia hominis quantùm ad primum ſtatum pertinet, dixiſſe ſufficiat.

Quare dicitur non habere futurorum præſcientiam. *Diſt. 4. li. a. Aug. li. 11. c. 18. & li. de correp. & gratia c. 10.*

Qvæstio Vnica.

Vtrum Deus poſsit facere voluntatem creaturæ rationalis impeccabilem per naturam?

Alenſ.2.p.q.1.art.2.§.3. D.Thom. *hîc q.1.art.1.* D.Bonau. *art.1.q.1.* Richar. *art.1.q.1.* Durand.*q.1.* Gabr. *q.1.* Argent. *q.1.art.4.* Baſſol. *q.vn.*

CIrca diſtinctionem 23. in qua Magiſter agit, de caſu primorum parentum ex parte Dei permittentis, quæro vnum, Vtrùm Deus poſſit facere voluntatem creaturæ rationalis impeccabilem per naturam? Quòd ſic, probo. Deus poteſt facere aliquod corpus, quod non poteſt deordinari à motu ſuo, vt eſt corpus cæli: ergo ſimiliter poteſt facere aliquem ſpiritum, qui non poterit deordinari à motu ſuo: ergo erit impeccabilis. 1.

Arg.1.

Arg.2. Item, Deus poteſt facere voluntatem aliquam, quæ neceſſariò tendat in aliquod bonum, puta in finem: ergo facere poterit, quòd neceſſariò iſta voluntas tendat in omne ordinatum ad illum finem: quare, &c. Antecedens patet per Auguſtinum 13. *de Trin.* qui dicit, quòd omnes volunt neceſſariò beatitudinem. Conſequentia probatur. Eadem enim neceſſitate, quâ aliquid tendit in finem, tendit & in ea, quæ ſunt ad finem.

Cap.3.5. & 8.

Arg. 3. Diſt.7. Præterea, Anſelmus dicit, & eſt ſuprà dictum, quòd poſſe peccare, non eſt libertas, nec pars libertatis: ſed quod non eſt de eſſentia alicuius, poteſt per potentiam Dei (ſaltem ſi eſt abſolutum) fieri ſine illo: ergo liberum arbitrium eſſe ſine potentia peccandi, non includit contradictionem.

Arg. 4. Item, Deus poteſt facere creaturam impeccabilem per gratiam: ergo & per naturam. Antecedens patet de Angelis confirmatis. Conſequentia probatur, quia Deus poteſt facere in creatura, quicquid non repugnat limitationi creaturæ: ſed non repugnat naturæ limitatæ, quòd Deus creet aliquam creaturam, in qua vnitiuè contineatur perfectio charitatis, vel gratiæ. Charitas enim eſt quid finitum, ſicut & gratia, & ideò non poſſunt facere creaturam infinitam, licèt vnitiuè contineantur in ea: & ita videtur, cùm Deus poſſit omni creatura data, nobiliorem creare; quòd poſſit creare creaturam in tali gradu entitatis, quod vnitiuè contineat perfectionem charitatis, & gratiæ. Vel proba ſic conſequentiam, quia quod non opponitur alicui creaturæ, poteſt concreari illi, & per conſequens poteſt eſſe connaturale ſibi: gratia vel charitas eſt huiuſmodi reſpectu rationalis creaturæ: ergo, &c. 2.

Item, aliqua voluntas poteſt eſſe, & eſt impeccabilis, in primo inſtanti creationis: quia in primo inſtanti tali, eſt motus voluntatis naturalis, & per conſequens rectus naturaliter, & neceſſariò: ergo & in quolibet inſtanti ſequenti, poteſt voluntas illa talis continuari. Conſequentia patet, quia ex quo manet forma eadem in inſtantibus ſequentibus, ſicut in primo; ſi in primo poteſt, & neceſſariò eſt impeccabilis, igitur & in aliis.

Oppoſitum Anſelmus, *Cur Deus homo lib.2.c.10.in fine*, reſpondens diſcipulo quærenti ab eo, cur non potuit Deus facere creaturam rationabilem impeccabilem per naturam? Dicit Anſelmus quia non potuit ipſam facere Deum: ergo nulla creatura poteſt eſſe impeccabilis, niſi ſit aſſumpta à ſuppoſito diuino. 3.

Item hoc idem dicit Auguſtinus contra Maximinum, lib.3.cap.13. vnde dicit ibi, quòd *Angeli peccauerunt, & dæmones facti ſunt, & cuicunque rationali creaturæ præſtatur, vt peccare non poſsit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ.*

Item, Hieronymus *in tractatu de filio prodigo*, dicit, quòd ſolus Deus eſt, in quem non poteſt cadere peccatum, & ponitur diſt.7.c.2. huius 2.

Scholium.

Pro negatiua parte, in qua omnes conueniunt, ſcilicet non eſſe poſsibilem creaturam impeccabilem per naturam, ponit tres rationes Alenſis, eáſque refutat.

Ad

4. AD quæſtionem [a] dicitur, quòd Deus non poteſt hoc facere, quod patet per auctoritates dictas, & per rationes. Prima talis eſt, omnis voluntas, quæ non eſt regula ſuæ actionis, ſed habet regulam ſuperiorem, aliam ſcilicet à ſe, poteſt ab iſta ſibi dimiſſa diſcrepare, & per conſequens peccare: ſed omnis voluntas creata eſt huiuſmodi, &c. *Opinio Alex. de Ales. 2. 2.*

Prætereà, voluntas creata ſibi derelicta, vel ſecundùm ſe conſiderata, non tantùm habet pro obiecto adæquato primum bonum & verum, quod eſt finis vltimus: ſed bonum, quod conuertitur cum ente, ſcilicet bonum commune ad bonum verum, & ad bonum apparens: ſed nulla potentia eſſe poteſt quæ naturaliter non poſſet tendere in totum ſuum obiectum: ergo omnis voluntas creata per naturam, poteſt tendere in bonum apparens, & per conſequens poterit deficere, & deuiare.

Item, omnis creata voluntas, ex hoc quòd eſt de nihilo, neceſſariò tendit in nihil: ergo non poteſt de nihilo creari, quin poſſit deficere.

5. Dico, quòd iſtæ rationes non concludunt. Ad primam, nego aſſumptum: non enim eſt neceſſe quòd voluntas quæ non eſt ſua regula, in agendo poſſit deficere: ſufficit enim quòd in agendo conformetur neceſſariò regulæ, quæ non poteſt deuiare. Exemplum, intellectus noſter non eſt ſua prima principia intelligibilia, quia ante omnia *intelligere*, eſt ſicut tabula raſa, in qua nihil depictum eſt: & tamen intellectus noſter, circa prima principia, non poteſt errare. 2. *Metaph.* cùm tamen non ſit in intelligendo regula ſua. Eodem modo de voluntate beati, nam in operando non poteſt errare. Vnde omne illud, quod neceſſariò conformatur regulæ ſuæ, etſi non ſit ipſa regula ſua, non poteſt plus deficere quàm ipſa regula ſua. *Reprobat Alenſem.* *3. de Ani. t. c. 14. tex. c. 1. & infr.* *Quod neceſſariò cõformatur recto non poteſt eſſe nõ rectum.*

Contra ſecundam rationem [c], quidquid ſit obiectum voluntatis diuinæ, voluntas diuina extendit ſe ad omne id, ad quod extendit ſe voluntas creata: ſicut intellectus diuinus extendit ſe ad omnia intelligibilia, ad quæ extendit ſe intellectus creatus: igitur extendit ſe voluntas diuina ad bonum apparens, ſicut voluntas creata: & tamen non poteſt deuiare. Et ſimiliter voluntas beati extendit ſe, ad quodcunque obiectum extendit ſe voluntas damnati, & tamen non ſequitur, quod poſſit peccare. *Quomodo voluntas diuina poteſt ſe extendere ad omne id ad quod ſe extẽdit creata?*

Dico igitur, quòd bonum [d] apparens poteſt eſſe obiectum voluntatis Dei, & beati, non tamen quantùm ad omnem actum voluntatis quem habet circa illud viator, vel damnatus: quia duplex eſt actus voluntatis, ſcilicet, *velle*, & *nolle*: ideò bonum apparens poteſt eſſe obiectum Dei voluntatis, & beati: ſed non reſpectu cuiuſcunque actus voluntatis.

Ad aliud, ſi concedatur, quòd voluntas ſibi dimiſſa tendat in nihil; tamen ex hoc non ſequitur, quòd poſſit peccare, vel errare: quia pari ratione cùm intellectus ſit ex nihilo, poteſt deficere: & per conſequens, ſecundùm tuam rationem poſſet errare circa prima principia: quod falſum eſt, quia circa prima principia non poteſt errare, ſtante natura ſua. Similiter amare Deum, eſt actus voluntatis creatæ de nihilo; & tamen ſtante actu, impoſſibile eſt ipſum deficere à rectitudine, ita quòd poſſet eſſe non rectus, dum eſt. Si etiam eſſet bona ratio, concluderet, quòd lapis poſſet peccare: quia ſibi demiſſus tendit in nihil, & voluntas etiam beati. *Actus charitatis non poteſt male fieri.*

Dico igitur, quòd omnis creatura poteſt tendere in nihil, & in non eſſe, eo quod de nihilo eſt: & ſua actio, ſimiliter tendit in non eſſe: & huiuſmodi tendentia ſurgit neceſſario ex natura rei, ſed ex hoc non poteſt poni defectus culpabilis.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Alexandri.* a *AD quæſtionem dicitur*, &c. Hæc eſt opinio Alexandri de Ales quòd Deus non poſſet facere creaturam rationalem impeccabilem ex natura, in qua concluſione concordat cum Doctore, ſed rationes Alexandri non videntur concludere, ideo Doctor reſpondet ad illas, & prima ratio clara eſt, ad quam reſpondet Doctor.

b *Dico, quòd iſtæ rationes non concludunt.* Dicit, quòd oporteret probare, quòd licet voluntas creata non ſit ſua regula, quod tamen neceſſariò non conformetur regulæ ſuperiori. Sed Alexander diceret, attenta libertate voluntatis, quòd non neceſſariò conformatur. Sed quia multi voluerunt tenere voluntatem creatam velle neceſſariò vltimum finem, & per conſequens neceſſariò conformare ſe vltimo fini in amando illum, & ex vno dicto *in diſt. 5. huius ſecundi* volens efficaciter finem, neceſſariò vult ordinata ad finem: ergo à fortiori volens neceſſariò finem, neceſſariò vult ea, quæ ſunt ad finem, cùm neceſſitas ordinatorum ad finem ſumatur à fine, & ſic talis voluntas neceſſariò haberet conformari primæ regulæ; ideò Doctor dicit quòd oporteret probare illam, ſupple, quòd non, de neceſſitate conformetur primæ regulæ.

Prætera voluntas creata, &c. Ratio ſtat in hoc,

hoc, quia etſi voluntas creata non peccet in appetendo bonum verum, poteſt peccare in appetendo bonum apparens, & poteſt illud appetere; cùm omne bonum tam verum, quàm apparens ſit obiectum voluntatis creatæ.

2. *Contra iſtas rationes.*

c *Contra ſecundam rationem*, &c. Et dicit Doctor primò, quicquid ſit obiectum voluntatis diuinæ, hîc non determinat de obiecto voluntatis diuinæ, & loquitur hîc de obiecto motiuo, & non terminatiuo: nam loquendo de obiecto motiuo, oportet dicere quòd eſſentia diuina eſt obiectum adæquatum motiuum voluntatis diuinæ, vt patet à Doctore *in* 1, *d.* 41. *&* *d.* 10. & ſic vult multoties, quòd eſt idem obiectum, tam intellectus, quàm voluntatis, & ſub eadem ratione, vt patet *in* 1. *di.* 3. *in* 2. *&* *in* 4. *di.* 49. & certum eſt quòd eſſentia ſub ratione, qua hæc eſſentia, eſt obiectum adæquatum intellectus diuini quaſi motiuum, vt patet à Doctore *in prolog. q. de ſubiecto Theologiæ, & q. ſeq.* & ſic ſequitur, quòd eadem eſſentia ſub eadem ratione eſt adæquatum obiectum diuinæ voluntatis. Si verò loquamur de obiecto determinatiuo, Dico, quòd ſicut intellectus diuinus habet ens, inquantum ens, vt patet à Scoto *in primo, diſt.* 39. ac poteſt elici ab ipſo *in quæſt. de ſubiecto Theologiæ & q. ſeq. & ex diſt.* 3. *q.* 4. *primi. & diſt in.* 43. *in* 2. *q.* 1. *diſt in. primi.* Sic voluntas dici poteſt habere omne ens pro obiecto terminatiuo. Dicit ergo Doctor quòd ſicut voluntas creata per Alexandrum, habet omne bonum apparens pro obiecto: ita dicit Doctor quòd voluntas diuina habet bonum apparens pro obiecto, & tamen ex hoc non ſequitur, quòd voluntas diuina poſſit deficere. Hoc idem dicit de beato.

Quomodo eſſentia diuina ſit obiectũ adæquatum motiuum.

3. d *Dico igitur, quod bonum apparens.* Doctor dicit quòd bonum apparens non poteſt eſſe obiectum voluntatis diuinæ quantùm ad *velle*, quia ipſa non poteſt velle bonum apparens, vt patet, nec ſimiliter voluntas beati, ſed benè poteſt habere actum nolitionis, puta nolendo illud. Non credas tamen quòd in voluntate diuina ſit duplex actus voluntatis, ſcilicet *velle*, & *nolle*, quia tunc illi actus non identificarentur cum voluntate diuina, vt poſſet probari in ſimili *in primo, diſt.* 2. quòd non poteſt eſſe duplex actus in intellectu diuino, & etiam probari poſſet *diſt.* 39. *primi.* Dico ergo, quòd in voluntate diuina eſt tantùm vnus actus poſitiuus, qui eſt ipſum *velle*, qui actus poteſt diuerſificari non in ſe, ſed per alium, & alium reſpectum, ſiue per aliam, & aliam tendentiam in aliud, & aliud obiectum; nam vt terminatur ad Petrum, volendo ſibi gratiam, dicitur ille actus affirmatiuus, & in ſe, & quantùm ad reſpectum, vt verò terminatur ad Iudam, volendo ſibi beatitudinem, ille actus, quamuis in ſe ſit poſitiuus, & affirmatiuus, tamen vt includit reſpectum ad nolendum beatitudinem, poteſt dici negatiuus; & ſic iſte actus poteſt diuerſimodè variari ſecundùm diuerſos reſpectus: ſicut etiam eſt idem actus intellectus diuini in ſe, & tamen poteſt dici alius, & alius ſecundùm alium, & alium reſpectum, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 39. Dico ergo, quòd voluntas diuina poteſt habere bonum apparens pro obiecto, ſed non reſpectu actus affirmatiui, ſed tantùm negatiui modo præexpoſito; in beato verò eſt duplex actus poſitiuus, ſcilicet *velle*, & *nolle*, & ipſe beatus habet etiam bonum apparens pro obiecto, ſed non reſpectu actus volendi, quia non poteſt velle bonum apparens, & hoc non ex repugnantia naturæ ſuæ, ſed ex hoc, quòd voluntas diuina determinauit nunquam cooperari voluntati beati ad huiuſmodi actum, vt patet in ſimili *in quarto, diſt.* 49. ipſum tamen bonum apparens poteſt eſſe obiectum voluntatis beati reſpectu volitionis.

Vnum velle eſt in voluntate diuina.

In beato eſt duplex actus poſitiuus.

SCHOLIVM.

Propter auctoritates Sanctorum, tenet ſententiam communem: additque duplicem rationem. Prima, omnis voluntas, quæ non eſt ſua regula, nec neceſſariò coniuncta ſuæ regulæ, poteſt ab ea deficere. Secunda, voluntas non tendens neceſſariò in obiectum infinitum ſibi præſens, poteſt tendere in aliquid, non in ordine ad illud: talis eſt omnis voluntas creata, ſibi relicta: ſed magis tenet Doctor concluſionem propter auctoritates; de quo 4. *d.* 49. *q.* 6.

6. Dico igitur ad quæſtionem e, quòd non poteſt fieri talis natura ſiue voluntas quæ ſit impeccabilis per naturam: quia auctoritates Sanctorum ſunt expreſsè de hoc, ad quod probabiliter declarandum f, ſuppono hîc, quòd omnis voluntas poteſt appetere commodum, quia hoc competit appetitui ſequenti apprehenſionem: & ſi omnis appetitus poteſt appetere commodum, poteſt appetere proprium commodum; tunc ſic probatur: Omnis voluntas, in qua non neceſſariò coniunguntur appetere commodum, & rectè appetere, poteſt appetere rectè, & non rectè: ſed in nulla voluntate creata poſſunt coniungi illa neceſſariò: igitur, &c. Minor patet, quia nulla voluntas poteſt appetere rectè ex hoc ſolo, quòd appetit, niſi voluntas primi. Maior eſt ſimiliter plana, quia ex quo non neceſſariò coniunguntur, vnum poteſt ab alio ſeparari.

Dices, quòd voluntas poteſt g creari talis, quæ ex hoc quòd appetit rectè appetit, & poteſt creari in tali natura, quòd non poſſit appetere, niſi conformiter regulæ ſuæ: & per conſequens in appetendo, ſiue ex hoc, quod appetit non poterit non rectè appetere, ſicut nec regula.

Contrà, omnis voluntas h, ſicut poteſt ſibi velle commodum, ſic videtur quòd poteſt velle, eo modo, quo eſſet ſibi maius commodum, ſi ſic ineſſet ſibi: qui quidem

modus

modus non eſt ordinatus à Deo, vt ſuppono, & per conſequens voluntas appetens commodum, ſub tali modo, quo eſſet ſibi maius, vel ſummum commodum, non conformabitur regulæ ſuæ.

Ex hoc poteſt confirmari ratio prima ſoluta ſic: Omnis voluntas, quæ non eſt ſua regula, nec neceſſariò eſt conformis regulæ ſuæ, poteſt deficere in rectitudine: ſed omnis voluntas creata derelicta naturæ ſuæ, eſt talis, vt patet.

7. Item ſecundò arguo ſic [1], neceſſariò omnis voluntas, quæ in appetendo non eſt ſatiata, nec quietata, nec poteſt ſibi dimiſſa quietari, niſi in obiecto infinito, quod non habet præſens & per conſequens non tendit actualiter in illud, talis, inquam, voluntas poteſt appetere aliquid, non in ordine ad illud, vel tendere in bonum apparens, ex quo non eſt immobilitata in iſto infinito; ſed omnis voluntas creata naturaliter ſibi dimiſſa, eſt huiuſmodi: quare, &c. Et ex hoc poteſt confirmari, & verificari ſecunda ratio ſoluta: quæ dicebat obiectum voluntatis creatæ, eſſe bonum indifferens ad apparens bonum, & ad verum bonum: quia enim voluntas creata in puris naturalibus, non poteſt neceſſariò immobilitari in ſummo bono, ideò poteſt tendere in aliud, non in ordine ad illud. Et tertia ratio etiam ſoluta, poſſet etiam ex hoc confirmari.

Teneo igitur, propter auctoritates magis, quod Deus non poteſt facere voluntatem rationalem impeccabilem per naturam; ſed per donum ſupernaturale. Sed quomodo, dicendum eſt *lib. 4. diſt. 49.* in materia de beatitudine. *Quomodo ſupernaturaliter ſit creatura impeccabilis.*

8. Ad primum, verum eſt [k], quòd Deus poteſt facere corpus, quod non poteſt deordinari in ſuo motu deordinatione culpabili: quia corpus tale, non poteſt eſſe ſuſceptibile peccati, vel culpæ, ſicut voluntas: tamen non poteſt facere corpus, quod non poſſet moueri difformiter, nec cui repugnet neceſſariò ex principio intrinſeco difformiter moueri, ſi Deus velit illud ſic mouere. *Quæſt. 6.*

Et per ſimile, voluntas, quæ ex natura ſua creatur libera, non poteſt creari, quin naturæ ſuæ dimiſſa, poſſet ſe mouere ſic ordinatè, vel aliter: vel quin poſſit ſic moueri, & contrario modo, quantùm eſt de ſe: niſi imaginetur vnus Angelus, ſicut fingit Anſelmus *de caſu diaboli*, quòd primò eſſet quædam natura, & deinde daretur ſibi affectio commodi, ſine ratione; tunc iſta voluntas non eſſet capax peccati, niſi daretur ſibi plus: ſicut etiam eſt in phreneticis, & in habentibus vſum rationis perpetuò impeditum: talis enim non eſt capax peccati, nec actus meritorij cum illis circunſtantiis, ſed quæſtio intelligi debet de habente voluntatem, & ſimul vſum rationis. *Vide ſupr. di. 5. & 6.*

Ad aliud dico [l], ſicut dixi in primo, quòd voluntas creata non neceſſariò tendit in finem ſibi oſtenſum, nec in vniuerſali, nec in particulari. Tenendo tamen communem viam, poteſt dici, quòd non ſequitur, tendit neceſſariò in hoc bonum infinitum: ergo & in quodlibet, quod eſt in illud ordinatum, quia in illis non eſt perfectè ratio boni, etſi etiam tenderet in finem neceſſariò, non ſequitur quòd tenderet in omne, quod eſt ad finem, modo debito. *d. 1. q. 3. Tendere neceſſariò in bonum infinitum, non infert ſic tendere in finitum.*

Ad aliud de Anſelmo *poſſe peccare, non eſt libertas, nec pars libertatis*, Dico, quòd verum eſt, quòd poſſe præcisè in peccatum, quod eſt carentia, vel priuatio debitæ circunſtantiæ, non eſt libertas. vel libertatis pars, tamen poſſe in actum, cui annexa eſt deformitas, eſt benè pars libertatis, non ſimpliciter, ſed creatæ. *Poſſe peccare quomodo eſt libertatis creata.*

9. Vel dici poteſt, & redit quaſi in idem, quòd poteſt loqui de *poſſe peccare*, prout dicit ordinem ad actum talem, qui quidem ordo eſt relatio; quæ nihil eſt ſui fundamenti, vel potentiæ, quæ eſt principium illius actus, & ſic *poſſe peccare*, non eſt libertas; vel pars libertatis: nec tamen ſequitur fundamentum, nec principium illius actus poſſe eſſe ſine tali reſpectu: quia quando reſpectus de neceſſitate ſequitur fundamentum, licet non ſit pars, vel aliquid fundamenti, tamen non poteſt eſſe fundamentum ſine illo: ſicut nec reſpectus, ſine fundamento. Si autem accipiatur *poſſe peccare* pro fundamento illius reſpectus, quod quidem fundamentum eſt principium actus, cui annexa eſt deformitas, poteſt eſſe pars libertatis huius: non dico libertatis abſolutæ, quæ abſtrahit à creata, & increata: ſed eſt pars libertatis creatæ: vnde deformitas actus, magis conuenit libero arbitrio, inquantum creatum, quàm inquantum liberum. *Poſſe peccare non eſt libertas ſecundo explicatur.*

Ad aliud, an Angeli beati, vel homines ſint impeccabiles per gratiam, patebit in quarto. Et ſi ita ſit; nego tamen conſequentiam: quia illud, quod habet de ratione ſua formali, quòd ſit perficiens alterum, & alterum ſit ſuſceptiuum illius, & de ratione ſua eſt perfectibile ab illo, hæc inquantùm huiuſmodi, ſunt diuerſa primò, in tantum, *d. 49. q. 6.*

Perfectibile non poteſt eſſe ſuũ perfectiuũ quantumcunque creſcat in perfectione.

tantum, quod impoſſibile eſt, quod vnum quantumcunque creſcat in perfectione ſubſtantiali, & eſſentiali, in ſuo genere, ſit alterum eſſentialiter, vel contineat illud vnitiuè: ſicut patet de materia, & forma, ſubſtantia, & accidente. Nam ſtante limitatione ſubiecti, impoſſibile erit ipſum includere perfectionem ſuam eſſentialiter, & vnitiuè, puta ſi potentia materiæ ſit potentia receptiua formæ, quantumcunque creſcat, huiuſmodi potentia in perfectione talis potentiæ, nunquam continebit vnitiuè formam: nec ſubſtantia, ſiue ſubiectum, accidens: ſed quantumcunque creſcerent huiuſmodi perfectibilia, tantùm creſcerent in capacitate, & potentia, niſi poneretur ſubſtantia creata formaliter infinita, ſicut Deus; tunc enim vnitiuè contineret ſuas perfectiones, & eſſet eadem eis, ſicut Deus: quod eſt impoſſibile, ipſam ſcilicet eſſe infinitam.

Nullum finitũ poteſt vnitiuè includere perfectionẽ charitatiũ.

Quantumcunque igitur charitas ſit perfectio finita, vel gratia, tamen nullus gradus entis, ſiue ſubſtantiæ, quantumcunque maximus (ex quo tamen finitus eſt) poteſt eſſe, in quo vnitiuè perfectio charitatis contineatur. Quantùm igitur creſceret creatura rationalis in entitate, & nobilitate ſubſtantiali, tantum creſceret in potentia, vel capacitate, & non aliter: quantumcunque etiam concrearetur gratia alicui creaturæ, ſemper tamen gratia eſſet gratia: nec eſſet naturalis, ita quod de natura ſua, vel conſequens naturam neceſſariò.

Nullus actus elicitus voluntatis eſt naturalis, modo præcedat adpertentia. D. Th. & Henr. vbi ſup. diſt. 5.

Ad vltimum dico, quòd motus naturalis, vel inclinatio voluntatis in finem, non eſt actus elicitus, ſi tamen voluntas in primo inſtanti habeat actum elicitum, non video, quin poſſit tunc peccare: nullus tamen actus elicitus voluntatis eſt naturalis, niſi pro tanto, quia eſt conformis inclinationi naturali, quæ non eſt actus elicitus: ſed omnis actus voluntatis elicitus, eſt merè liber. Illi autem, qui negarent voluntatem Angeli, vel hominis poſſe habere actum elicitum, niſi rectum in primo inſtanti, dicerent, quòd non eſt ſimile, de primo inſtanti, & de aliis: quia dicerent, quòd totum, quidquid eſt in primo inſtanti creationis, vel productionis, eſſet à producente, vel creante: & ideò in primo inſtanti non poſſet peccare, niſi redundaret, & in Deum: ſed in ſequentibus inſtantibus aliis, poſſet elicere actum bonum, vel malum, de actu tamen elicito Angeli, vtrùm in primo inſtanti potuit eſſe malus, dictum eſt ſuprà. 10.

COMMENTARIVS.

4. e *Dico igitur ad quæſtionem*, &c. Hìc Doctor intendit probare intentum principale, & vt clariùs intelligatur, ſupponit aliqua.

Voluntas noſtra tenetur ſequi voluntatem diuinam.

Primò, quòd voluntas noſtra tenetur ſequi regulam ſuperiorem, quæ eſt voluntas diuina: ita quòd deuiando ab illa peccat, vt patet infrà *diſt. 35. & in primo, diſt. 44. & in quarto, diſt. vltima.*

Secundò ſupponit, quòd voluntas creata eſt tantæ libertatis, quòd nullo modo neceſſitatur reſpectu cuiuſcunque obiecti etiam formaliter infiniti, vt ſatis probauit *in primo, diſt. 1.*

Quare voluntas peccet.

Tertiò ſupponit, quòd voluntas dicitur ex hoc peccare, vel quia omittit quod tenetur facere, puta omittit diligere Deum in aliquo tempore, & tamen pro aliquo tempore tenetur diligere ipſum ſuper omnia, vt probat Doctor *in tertio, diſt. 9. & 27.* vel quia committit aliquid, quod obligatione diuina tenetur euitare: ſtante ergo obligatione diuina reſpectu multorum præceptorum, an potuerit fieri natura rationalis impeccabilis? Et ſic debet intelligi titulus quæſtionis, quia ſicut Deus dedit præcepta ſecundæ tabulæ, obligando non ad obſeruantiam illorum, etiam potuit nos non obligare, vt patet in tertio. Sed de præceptis primæ tabulæ eſt magis dubium. Non enim credo, quòd Deus de potentia abſoluta poſſit diſpenſare contra hoc præceptum, vt creatura non teneatur diligere Deum ſuper omnia. De hoc vide *in tertio, diſt. 27.* Sed quicquid ſit, non curo pro præſenti. Titulus tamen quæſtionis ſic debet intelligi, quòd ſtante obligatione diuina, vel naturali ad aliquid agendum, vel non agendum, an potuit creari natura rationalis ex natura impeccabilis, & probat Doctor quòd non.

Nota & bene.

f *Ad quod probabiliter declarandum.* Hìc ſupponit quòd omnis voluntas poteſt appetere commodum, & per conſequens proprium commodum, & ſic peccare. Hìc tamen nota, quòd ſi voluntas ſecundùm appetitum naturalem appetat commodum, quantumcunque appetat, non peccat, cùm talis appetitus naturalis ſit ſemper rectus, vt patet ſuprà *in hac ſecundo, diſtinct. 6. quæſtio. 2, & 4. diſt. 49. & 50.* Dico vltrà, quòd abſolutè loquendo, ſi voluntas ſecundùm affectionem iuſtitiæ, ſiue vt libera appetat conformiter tali appetitui, ex hoc etiam non dicitur peccare, ſed quia Deus obligauit nos non ſequi immoderatè appetitum naturalem, vt patet, quia appetitus naturalis non eſt ad mori, quia nolumus expoliari, ſed veſtiri, & tamen Deus obligauit nos, vt velimus actu elicito mori, ſecundùm quòd placet voluntati ſuæ. Debet ergo intelligi ratio Doctoris ſic; ex quo omnis voluntas creata poteſt velle conformiter appetitui ſuo naturali commodum, & proprium commodum contra ordinationem diuinam, ideò poteſt peccare. Et meritò dicit quòd omnis voluntas, in qua non neceſſariò coniunguntur appetere commodum, ſupple actu elicito, & rectè appetere, poteſt appetere rectè, & non rectè. 5.

Quomodo ratio Doctoris ſit intelligenda.

g *Dices, quòd voluntas*, &c. Si diceretur, quòd ſicut Deus creat voluntatem ſecundũ appetitum natura

naturalem, ita quòd ſicut ille appetitus ſemper eſt rectus, & inclinatio eius ſemper recta. Videtur quòd poſſit creare voluntatem, vt liberam, quòd ſicut ipſa eſt in ſe recta, & à Deo creata, ita *appetere* ſuum ſupple actu elicito, ſit rectum, & ſic ex hoc, quòd appetit actu elicito ſemper dicatur recta, ita quòd tali actu non poſſit appetere non recta.

6. *Nota.* h *Contra omnis voluntas*, &c. Nota benè hanc literã, quia hîc non probatur quòd dicitur abſolutè, quòd non poſſit creare aliquã voluntatem, quæ ex hoc, quòd appetit actu elicito, rectè appetat: nam ſicut voluntas actu elicito poteſt appetere ſibi commodum, ita ſimiliter actu elicito poteſt appetere maius commodum, & ſummum ſibi commodum, ſic quòd poteſt ſequi ſuum appetitum naturalem. Appetitus enim naturalis eſt tantùm ad perfectionem ſibi poſſibilem, & tantùm ad poſſibile, vt probat Doctor *in quarto*, *diſt.* 43. pono modò quòd appetitus naturalis poſſit abſolutè ad ſummam beatitudinem creari, quod verum eſt, vt patet à Doctore *in quarto, diſt.* 50. & ſic ad illam tanquam ad commodum ſibi, & ad maiorem tanquam ad maius, & ad ſummam tanquam ad ſummum commodum; ſed voluntas libera, quæ eſt eadem realiter cum ſeipſa, vt appetitus naturalis, vt patet ſuprà, *diſt. 6. quæſt. 2. & in quarto, diſt.* 49. maximè in appetendo actu elicito conformatur ſecundùm appetitum naturalem, quia ergo Deus non poſſet creare talem voluntatem, quæ actu elicito tantùm appeteret ad quod eius appetitus naturaliter inclinatur. Dicit ergo Doctor ſupponendo vnũ, quod dicit in litera, ſcilicet quòd appeteret commodum eo modo, quo eſſet ſibi maius commodum. Hic modus appetendi non eſt ordinatus ad Deum, vt ſuprà patuit, & quòd hic modus non ſit ordinatus à Deo, imò oppoſitum magis; patet, quia eſt mihi maius commodum abſolutè beatificari ſimul in anima, & corpore, morte non intercedente: eſt etiam mihi maius commodum ſumma beatitudine beatificari, quàm minori, ſed hîc modus non eſt à Deo, cùm ordinauerit dare beatitudinem correſpondentem meritis, & ſic de aliis dici poteſt.

7. *Quomodo Angeli cognoſcebant ſe & ſum Deum* i *Item ſecundò arguo ſic*, &c. Iſta ratio Doctoris dicit, quòd non poteſt ex ſe quietari, niſi in ente infinito, quod non habet præſens. Ex hoc videtur quòd ſi haberet perfectè præſens, quòd ex natura non poſſet peccare, & ſic oriuntur multa dubia, quia ſecundùm eum *in hoc 2. diſt. 9.* omnes Angeli habuerunt Deum ſub ratione deitatis præſentem in ſpecie intelligibili creata ab ipſo, & perfectè cognoſcebant ipſum eſſe ens formaliter infinitum, & perfectè quietatinum, & tamen multi eorum peccauerunt. Secundò, quia non video, quin Deus poſſit facere creaturam rationalem, cui ipſe Deus eſſet præſens in ratione infiniti, ita quòd talis creatura intuitiuè videret illum, & ſic tunc non poſſet peccare ex dictis eius, cuius tamen oppoſitum patet, ſupponendo quòd teneatur ipſum diligere ſuper omnia. Nam tunc non repugnaret ſibi, poſſe deficere à tali dilectione, vt patet ab ipſo *in 1. diſt. 1.* quòd voluntas reſpectu Dei clarè viſi non neceſſitatur ad diligendum ipſum, ſed poteſt non diligere. Dico, quòd hîc Doctor loquitur de creatura, vt derelicta in puris naturalibus, quæ vt ſic, non habet bonum infinitum ſub ratione propria ſibi præſens, nec in ſe, nec in ſpecie intelligibili, vt patet à Doctore in pluribus locis. Si ergo non habet bonum infinitum ſibi præſens, in quo poſſit quietari, ſequitur quòd poſsit deficere, & peccare, & non dicit Doctor quòd ſi haberet, quia tunc non poſſet peccare, imò eſſet magis argumentum à fortiori, quòd ſi Angelus habuit Deum ſibi præſentem, & tamen potuit peccare, quantò magis creditur, quòd relicta in ſuis puris naturalibus non poteſt habere Deum ſibi præſentem ſub ratione propria, nec reſpectu cognitionis intuitiuæ, nec etiam abſtractiuæ poterit ex natura ſua deficere, & peccare.

Nunc Doctor ſoluit argumenta principalia.

8. k *Ad primum* patet quomodo Deus poſſet facere aliquod corpus moueri difformiter, cùm non repugnet naturæ ſuæ intrinſecæ: ſicut enim nunc primum mobile mouetur ab Oriente in Occidentem, poſſet facere quòd moueretur è contra; & ſicut tale corpus perficit curſum ſuum vno die naturali, poſſet facere ipſum moueri in maiori tempore, & in minori. Sed hîc eſſet difficultas, quia graue motu ſuo tendit tantùm ad centrum terræ. An modo Deus poſſet facere ipſum graue, quod tenderet ſurſum, ita quòd ſicut ſua natura tendit deorſum, quòd etiam poſsit tendere ſurſum? *Dubium, an Deus poſſit facere ipſum graue tendere ſurſum?*

Dico breuiter, quòd ſi loquamur de principio intrinſeco ipſius motus, quod eſt grauitas, ipſa eſt ſicut ratio formalis mouendi graue deorſum, quod repugnat ſibi, quòd ſit ratio formalis mouendi illud ſurſum, quia tunc aliquid, quod ſecundùm ſuam rationem formalem eſt determinatæ actionis, non poſſet fieri actionis oppoſitæ, non mutata tali ratione formali. Si etiam loquamur de principio intrinſeco paſsiuo. Dico, quòd graue ſic habet naturalem inclinationem ad motum deorſum, quòd non poteſt moueri ſurſum ſecundùm inclinationem ſuam naturalem, niſi mutaretur natura grauis: patet, quia inclinatio naturalis, & natura, cuius eſt, ſunt ſimpliciter eadem res, vt dicit Doctor *in 4. diſt. 49.* modò inclinatio naturalis ſic neceſſariò, & ſemper eſt ad aliquid in particulari, quòd non poteſt eſſe ad oppoſitum illius, vt patet à Doctore *vbi ſuprà*. Si verò loquamur, vt graue comparatur ad potentiam ſuperiorem, Dico, quòd non repugnat ſibi poſſe moueri ſurſum, & moueri difformiter.

9. *Reſponſio.* l *Ad aliud dico*. Hîc Doctor dat duplicem reſponſionem. Vnam ſequendo ad viam propriam, quòd nulla voluntas creata neceſſariò tendit in finem vltimum, vt ſatis probauit *in primo, diſtinct.* 1. Aliam, quia poſito ſecundùm communem opinionem quòd voluntas creata neceſſariò velit vltimum finem, non tamen ſequitur, quòd neceſſariò velit ordinata ad finem; & vltrà poſito quòd velit neceſſariò ordinata ad finem, non tamen ſequitur quòd neceſſariò velit modo debito. Iſta litera habet aliqualem difficultatem. Si enim voluntas creata vult neceſſariò vltimum finem tanquam ſummè commodum ſibi ordinando illum finem ad commodum ſuum, certum eſt quòd non ſequitur quòd neceſſariò velit omnia alia entia, quæ ſunt ad Deum, quia in ratione talis volitionis finis, non includitur volitio aliorum à Deo, & ſi via communis ſic intelligeret, quòd voluntas creata ſic neceſſariò vult vltimum finem illa voluntas non rectè vellet, quia non vellet eo modo, quo eſſet volibile, quia tantùm eſt volibile propter ſe, vt dicit Doctor *Volũtas creata neceſſariò vult vltimum finem.*

in 4. dist. 49. Si verò communis opinio dicat, quòd voluntas creata vult vltimum finem clarè visum propter se, ita quòd diligat illum tantùm propter se, adhuc non sequitur quòd velit alias creaturas; quia in ratione talis volitionis finis non simpliciter includitur ratio aliarum creaturarum, quia tunc esset impossibile illum diligere sine aliorum dilectione. Si verò sic intelligatur, quòd ex ordinatione diuina voluntas creata tenetur diligere finem propter se, & ea, quæ sunt ad finem propter illum, ita quòd nisi voluntas creata diligat creaturas in ordine ad Deum, non potest rectè diligere vltimum finem propter se: sic verum est quòd hoc modo Dominus ordinauit, vt diligamus eum propter se, & proximum propter Deum, ita quòd ista non stant simul, dilectio Dei propter se, & odium proximi. Si etiam loquamur simpliciter, & absolutè, possumus dicere quòd voluntas creata necessariò diligat Deum propter se, non tamen sequitur, quòd diligat creaturam in ordine ad Deum, quia potest ipsam non diligere in ordine ad Deum, & sic peccare. *Nota & benè.*

DISTINCTIO XXIV.

De adiutorio per quod homo ante lapsum stare potuit.

A NVnc diligenter inuestigari oportet, quam gratiam, vel potentiam habuerit homo ante casum: & vtrùm per eam potuerit stare, vel non. Sciendum est ergo, quòd homini in creatione (sicut de Angelis diximus) datum est per gratiam auxilium, & collata est potentia, per quam poterat stare, id est, non declinare ab eo quod acceperat: sed non poterat proficere in tantum, vt per gratiam creationis sine alia mereri salutem valeret. Poterat quidem per illud auxilium gratiæ creationis resistere malo, sed non perficere bonum. Poterat tamen per illud benè viuere quodammodo, quia poterat viuere sine peccato: sed non poterat sine alio gratiæ adiutorio spiritualiter viuere, quo vitam mereretur æternam: vnde Augustinus *in Ench.* [Sic factus est homo rectus vt & manere in ea rectitudine posset, sed non sine diuino adiutorio, & suo fieri peruersus arbitrio, vtrumlibet horum elegisset, vel manere, vel cadere, Dei voluntas fieret vel ab illo, vel de illo. Et quia suam maluit facere voluntatem quàm Dei, de illo facta est voluntas Dei.] Item *in eodem:* Sic hominem priùs oportebat fieri, vt & benè posset velle, & malè. Nec frustra, si benè: nec impunè, si malè. Idem quoque *in libro de correptione & gratia* ait. [Si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cùm primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino auxilio posset manere si vellet: non vtique sua culpa cecidisset, defuisset quippe adiutorium, sinè quo manere non posset.] Idem. [Dederat Deus homini bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat rectum: dederat adiutorium, sine quo non posset in ea manere si vellet, & per quod posset. Vt autem hoc vellet, in eius dimisit arbitrio.] In eodem, [acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quo posset, nam si habuisset, perseueraſſet.] His testimoniis euidenter monstratur, quod homo rectitudinem & bonam voluntatem in creatione accepit, atque auxilium quo stare poterat: alioquin non sua culpa videretur cecidisse.

Dist. 3. li. f. August. cap. 107.
idem habetur in tom. 7. li. de correptione & gratia. cap. 10.
Cap. 105.
Cap. 11. in fine in to. 7.
Lib. & c. eisdem.

Qualis

Qualis fuerit illa rectitudo & bonitas voluntatis in qua creatus eſt.

B SEd quomodo rectam & bonam voluntatem habuit homo, ſi per eam nec mereri vitam valuit, nec ea ſtare voluit: Quia nec aliquid mali ea tunc volebat, & ad tempus ſtare voluit, ſed non perſeueranter, & ideo recta & bona fuit tunc voluntas hominis.

Oppoſitio contra illud quod dictum eſt, hominem non potuiſſe proficere.

C AD hoc autem quod dicimus, hominem non potuiſſe proficere, vel mereri per gratiam creationis, ſolet opponi ſic; Per illud auxilium creationis potuit ſtare in bono quod acceperat. Potuit ergo reſiſtere tentationi. Sed reſiſtere tentationibus atque ſuggeſtionibus malis, meritum eſt ac bonum remunerabile: Omne autem bonum meritum profectus eſt. Per gratiam ergo creationis proficere potuit ſine adiectione alterius gratiæ. Ad quod dicimus, quia reſiſtere malo, & non conſentire tentationi *Reſponſio.* non feciſſet illi meritum, & ſi non conſenſiſſet: quia nihil in eo erat quod ad malum impelleret, ſicut Angelis, qui non ceciderunt non fuit meritum, quòd ſteterunt, id eſt, quòd non corruerunt. Nobis autem meri- *Gen. 8. d.* tum eſt aliquando ſi malum non facimus, ſed reſiſtimus: ibi duntaxat, vbi cauſa ſubeſt, quæ nos id facere mouet: quia ex peccati corruptela proni ſunt ad lapſum greſſus noſtri. Vbi autem non interuenit cauſa nos ad malum impellens, non meremur ſi ab eo declinamus. Declinare enim à malo ſemper vitat pœnam, ſed non ſemper meretur palmam.

De adiutorio homini in creatione dato, quo ſtare poterat.

D HIc conſiderandum eſt, quod fuerit illud adiutorium homini datum in creatione, quo poterat manere ſi vellet. Illud vtique fuit libertas arbitrij ab omni labe & corruptela immunis, atque voluntatis rectitudo, & omnium naturalium potentiarum animæ ſynceritas atque viuacitas.

De libero arbitrio.

E LIberum verò arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente, vel malum eadem deſiſtente. Et dicitur liberum, quantùm ad voluntatem, quæ ad vtrumlibet flecti poteſt. Arbitrium verò quantùm ad rationem, cuius eſt facultas, vel potentia illa, cuius etiam eſt diſcernere inter bonum & malum: & aliquando quidem diſcretionem habens boni & mali, quod malum eſt eligit, aliquando verò quod bonum eſt. Sed quod bonum eſt niſi gratia adiuta non eligit, malum verò per ſe eligit. Eſt enim in anima rationali voluntas na- *Oſea 13. e. Quòd bruta animalia non habent liberum arbitrium, ſed*
turalis, quâ naturaliter vult bonum, licèt tenuiter & exiliter, niſi gratia iuuet: quæ aduenies iuuat eam, & erigit vt efficaciter velit bonum. Per ſe autem poteſt velle malum efficaciter. Illa ergo rationalis animæ potentia, qua bonum vel malum poteſt velle, vtrunque diſcernens liberum

appetitum ſenſualitatis Hug. l. 1. de ſacr. part. 8. c. vltimo.

arbitrium nuncupatur: quod bruta animalia non habent, quia ratione carent: habent tamen ſenſum & appetitum ſenſualitatis.

De ſenſualitate.

F

De ratione quæ habet duas partes, quantum ad officia.

Quid ad rationem pertinet.

Vbi incipit ratio.

Cap. 1. Lib. de trin. 12. cap. 8.

EST enim ſenſualitas quædam vis animæ inferior, ex qua eſt motus qui intenditur in corporis exteriores ſenſus atque appetitus rerum ad corpus pertinentium. Ratio verò vis animæ eſt ſuperior, quæ (vt ita dicamus) duas habet partes vel differentias, ſuperiorem & inferiorem. Secundum ſuperiorem ſupernis conſpiciendis, vel conſulendis intendit: ſecundùm inferiorem, ad temporalium diſpoſitionem proſpicit. Quicquid ergo in anima noſtra nobis conſiderantibus occurrit, quod non ſit commune cum beſtiis, ad rationem pertinet. Quod autem in ea reperis commune cum beſtiis, ad ſenſualitatem pertinet. [Et vbi nobis gradatim in conſideratione partium animæ progredientibus, primum aliquid occurrit, quod non eſt commune cum beſtiis, ibi incipit ratio.] Hoc autem Auguſtinus docet 12. *lib. de Trin.* ita dicens. [Videamus vbi ſit quaſi quoddam hominis exterioris interioríſque confinium. Quicquid enim habemus in animo commune cum pecore, rectè dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim ſolum corpus exterior homo deputabitur: ſed adiuncta quadam vita ſua, qua compages corporis & omnes ſenſus vigent, quibus inſtructus eſt ad exteriora ſentienda.] [Aſcendentibus ergo introrſum quibuſdam gradibus conſiderationis per animæ partes, vbi incipit aliquid occurrere quod non ſit nobis commune cum beſtiis, ibi incipit ratio, vbi homo interior iam poſſit agnoſci.] [Rationis autem pars ſuperior in æternis rationibus conſpiciendis, vel conſulendis adhæreſcit: portio inferior ad temporalia gubernanda deflectitur.] [Et illa rationis intentio qua contemplamur æterna, ſapientiæ deputatur: illa verò qua benè vtimur rebus temporalibus, ſcientiæ deputatur.] [Cùm verò diſſerimus de natura mentis humanæ, de vna quadam re diſſerimus, nec eam in hæc duo quæ commemorauimus, niſi per officia, geminamus.] [Carnalis autem vel ſenſualis animæ motus, qui in corporis ſenſus intenditur, nobis pecoribúſque communis eſt, qui ſecluſus eſt à ratione ſapientiæ, rationi autem ſcientiæ vicinus eſt.]

Ibid. c. 7.

Lib. eod. c. 14. & 15.

Ibid. ca. 4. cap. 12. eiuſdem lib.

Quòd talis eſt ordo peccandi, vel cadendi in nobis, qualis fuit in primis hominibus.

G

Lib. 12. de trin. c. 12. ſententialiter.

Quod in nobis eſt vir & mulier & ſerpens, & quomodo. 1. Cor. 11. b. Gen. 2. d. Teſtimonio Aug. ita eſſe oſtēdit. lib. de trin. 12. cap. 3.

[ILLUD quoque prætermittendum non eſt, quòd talis nunc in vno homine tentationis eſt ordo & progreſſio, qualis tunc in primis præceſſit parentibus. Vt enim tunc ſerpens malum ſuaſit mulieri, ipſáque conſenſit, deinde viro ſuo dedit, ſicque conſummatum eſt peccatum: ita & nunc in nobis pro ſerpente eſt ſenſualis motus animæ: pro muliere inferior portio rationis, pro viro ſuperior rationis portio.] Et hic eſt vir, qui ſecundùm Apoſtolum dicitur imago & gloria Dei: & illa eſt mulier, quæ ſecundùm eundem, dicitur gloria viri. Atque inter hunc virum & hanc mulierem, eſt velut quoddam ſpirituale coniugium naturaliſque contractus, quo ſuperior rationis portio, quaſi vir, debet præeſſe & dominari, inferior verò, quaſi mulier, debet ſubeſſe, & obedire. Ideo vir ſecundùm Apoſtolum,

Apoſtolum, non debet habere velamen, ſed mulier. Et ſicut in cunctis animantibus non eſt repertum homini adiutorium ſimile ſibi, ſed de illo ſumptum quod ei formaretur in coniugium: ita & in partibus animæ, quas cum pecoribus habemus communes, nullum menti noſtræ ſimile eſt adiutorium. vnde Auguſtinus *in eodem*, [Illud noſtrum quod in actione corporalium, atque temporalium tractandorum, ita verſatur, vt non ſit nobis commune cum pecore, rationale eſt quidem; ſed ex illa rationali noſtræ mentis ſubſtantia, qua ſubhæremus intelligibili & incommutabili veritati, tanquam ductum, & inferioribus tractandis gubernandiſque deputatum eſt. Sicut enim in omnibus pecoribus non eſt inuentum viro adiutorium ſimile ſibi, niſi de illo detractum in coniugium formaretur, ita menti noſtræ, qua ſupernam conſulimus veritatem, nullum eſt ad vſum rerum temporalium, quantùm naturæ hominis ſatis eſt, ſimile adiutorium ex animæ partibus, quas communes cum pecoribus habemus. Ideóque rationale noſtrum non ad vnitatis diuortium ſeparatum: ſed in auxilium ſocietatis quaſi deriuatum, in ſuo diſpartitur officio. Et ſicut vna caro eſt duorum in maſculo & in fœmina, ſic intellectum noſtrum & actionem ſiue rationem & appetitum rationalem, vel ſi aliquo modo ſignificantius dici poſſunt, vna mentis natura complectitur: vt ſicut de illis dictum eſt: Erunt duo in carne vna: ſic & de his dici poſſit, duo in mente vna.] Ecce ex *Gen. 2. d.* his verbis apertè intelligi poteſt, qualiter in anima hominis exiſtat imago illius coniugij, & qualiter in ſingulis noſtrum ſpiritualiter ſint illa tria, ſcilicet vir, mulier, ſerpens.

Qualiter per illa tria in nobis conſummetur tentatio.

H NVnc ſupereſt oſtendere, quomodo per hæc tria in nobis conſummetur peccatum: vbi agnoſci poterit, ſi diligenter intendatur, quid ſit in anima mortale, vel veniale peccatum. Vt enim ibi ſerpens ſuaſit mulieri, & mulier viro: ita & in nobis ſenſualis motus, cùm illecebram peccati conceperit quaſi ſerpens ſuggerit mulieri, ſcilicet inferiori parti rationis, id eſt, rationi ſcientiæ, quæ ſi conſenſerit illecebræ, mulier edit cibum vetitum: pòſt de eodem dat viro, cùm ſuperiori parti rationis, id eſt, rationi ſapientiæ eandem illecebram ſuggerit, quæ ſi conſentit, tunc vir etiam cum fœmina cibum vetitum guſtat. Si ergo in motu ſenſuali tantùm peccati illecebra teneatur, veniale ac leuiſſimum eſt peccatum. Si verò inferior pars rationis conſenſerit, ita vt ſola cogitationis delectatione ſine voluntate perficiendi teneatur, mulier ſola manducauit, non vir: cuius auctoritate cohibetur voluntas, ne ad opus vſque perueniat. Si verò adſit plena voluntas perficiendi, vt ſi adſit facultas, ad effectum perducatur, vir quoque manducat, quia ſuperior pars rationis illecebræ conſenſit: & tunc eſt damnabile & graue peccatum. Quando autem mulier ſine viro guſtat, aliquando eſt mortale, aliquando veniale peccatum. Vt enim dictum eſt, tunc mulier ſine viro guſtat, cùm ita delectatione cogitationis peccatum tenetur, vt faciendum non decernatur: vel cùm quidam terminus & menſura peccato adhibetur à viro, vt non liceat mulieri effrænata libertate in peccatum progredi. Si ergo peccatum non diu teneatur delectatione cogitationis, ſed ſtatim vt mulierem tetigit, viri auctoritate repellatur, veniale eſt. Si verò diu in delectatione cogitationis teneatur,

Quando peccatum ſit veniale.

& ſi voluntas perficiendi deſit, mortale eſt, & pro eo damnabitur ſimul vir & mulier, id eſt, totus homo, quia & tunc vir non ſicut debuit mulier eam cohibuit: vnde poteſt dici conſenſiſſe.

Repetitio ſummam perſtringens.

1 ITaque breuiter ſummam perſtringam, quando peccatum ita in anima concipitur, vt illud facere diſponat, vel etiam perficiat aliud frequenter aliud ſemel: vel etiam quando delectatione cogitationis diu tenetur, mortale eſt. Cùm verò in ſenſuali motu tantum eſt, vt prædiximus, tunc leuiſſimum eſt: quia ratio tunc non delectatur. Ideò autem ſupra dixi aliud frequenter aliud ſemel: quia quædam ſunt, quæ ſi tantum ſemel fiant, vel facienda diſponantur, damnant: quædam verò non, niſi ſæpiùs fiant, vel facienda decernantur: vt de ocioſo verbo, & huiuſmodi. Hæc Auguſtinus *in* 12. *lib. de Trin.* tradit ita, [Sicut in illo coniugio primorum hominum ſerpens manducandum perſuaſit, mulier autem non manducauit ſola, ſed viro ſuo dedit, & ſimul manducauerunt: ita & in quodam ſecreto coniugio, quod in vno homine geritur & dignoſcitur, cùm rationi ſcientiæ, quæ in rebus temporalibus agendis ratiocinandi viuacitate verſatur, animalis ſenſus ingerit quandam illecebram, tunc velut ſerpens alloquitur fœminam. Huic autem illecebræ conſentire, de ligno vetito eſt edere. Sed iſte conſenſus ſi ſola cogitationis delectatione contentus eſt, ſuperioris verò auctoritate conſilij ita retinentur membra, vt non exhibeantur arma iniquitatis peccato: ſic habendum exiſtimo, velut lignum vetitum mulier ſola comederit. Si autem in conſenſu illo ita decernitur quodque peccatum, vt ſi ſit poteſtas etiam opere impleatur: intelligenda eſt mulier dediſſe viro ſuo ſimul edendum illicitum cibum. Neque enim poteſt peccatum non ſolùm cogitandum ſuauiter, verùm etiam perpetrandum efficaciter mente decerni: niſi & illa mentis intentio, penes quam ſumma poteſtas eſt, membra in opus mouendi, vel ab opere cohibendi, malæ actioni cedat. Nec ſanè cùm ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen & voluens libenter quæ ſtatim vt attigerunt animum reſpui debuerunt, negandum eſt eſſe peccatum: ſed longè minùs, quàm ſi & opere ſtatuatur implendum. Et ideò de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, pectúſque percutiendum, & dicendum; *Dimitte nobis debita noſtra.* Neque enim ſicut in illis duobus primis hominibus perſonam ſuam quiſque portabat, & ideò ſi ſola mulier cibum ediſſet illicitum, ſola vtique mortis ſupplicio plecteretur: ita dici poteſt in homine vno, ſi delectationibus illicitis, à quibus continuo ſe deberet auertere, cogitatio libenter ſola paſcatur, nec facienda decernantur mala, ſed tantum ſuauiter in recordatione teneantur, quaſi mulierem ſine viro poſſe damnari. Abſit hoc credere. Hæc quippe vna perſona eſt, vnus homo eſt, totúſque damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata, per mediatoris gratiam remittantur.] Idem quoque *in libro contra Manichæos* de hoc eodem ſic ait, Apoſtolus dicit, Secundum principem poteſtatis aëris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Nunquid ergo viſibiliter eis apparet, aut quaſi

Cap. 12. Auctoritate Aug. ita eſſe & confirmat.

Rom. 6. c.

Ibidem. Vtrùm ſit mortale quod in ſola delectatione tenetur cogitationis.

Matt. 6. b.

Aug. li. de Gen. 2. c. 14. in to. 1. Eph. 2. a.

quaſi corporeis locis accedit ad eos & operatur? Non vtique, ſed miris modis per cogitationes ſuggerit quicquid poteſt: quibus ſuggeſtionibus reſiſtendum eſt. Non enim ignoramus aſtutias eius. Quomodo enim acceſſit ad Iudam, quando ei perſuaſit vt Dominum traderet? Nunquid in locis, aut per hos oculos ei viſus eſt? Sed vtique vt dictum eſt, in cor eius intrauit. Repellit autem illum homo, ſi paradiſum mentis cuſtodiat. Poſuit enim hominem Deus in paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret illum: quia ſic & Eccleſiæ dicitur in Canticis canticorum, Hortus concluſus, fons ſignatus, quo vtique non admittitur peruerſitatis ille perſuaſor, ſed tamen per mulierem decipit. Non enim etiam ratio noſtra deduci ad conſenſum peccati poteſt, niſi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi, tanquam rectori viro. Etiam nunc in vnoquoque noſtrum nihil aliud agitur, cùm ad peccatum quiſque delabitur, quàm tunc actum eſt in illis tribus, ſerpente, muliere, & viro. Nam primò fit ſuggeſtio, ſiue per cogitationem: ſiue per ſenſus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel guſtando, vel olfaciendo: quæ ſuggeſtio cùm facta fuerit, ſi cupiditas noſtra non moueatur ad peccandum, excluditur ſerpentis aſtutia. Si autem mota fuerit, quaſi iam mulieri perſuaſum erit: ſed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat & compeſcit. Quod cùm fit, non labimur in peccatum, ſed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio conſentiat, & quod libido commouerit, faciendum eſſe decernat, ab omni vita beata, tanquam de paradiſo expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamſi non ſubſequatur factum, quando rea tenetur in conſenſione conſcientia.

Ioan.13. a. & Luc.22.a

Gen.2.a

Cant.4.d.

Quare hæc de animæ partibus dixit.

K HÆc de animæ partibus interſeruimus, vt ipſius animæ natura pleniùs cognoſceretur, & ſecundùm quam ſui portionem in ea ſit liberum arbitrium intelligatur: ſcilicet, ſecundùm rationem, qua omne peccatum mortale geritur, ſed non omne veniale, illud ſcilicet, quod in ſolo motu ſenſualitatis exiſtit.

Quòd ſenſualitas ſæpè in Scriptura aliter quàm ſuprà accipitur, ſcilicet, vt etiam inferior rationis portio eius nomine intelligatur.

L NOn eſt autem ſilentio prætereundum, quòd ſæpè in Scriptura nomine *ſenſualitatis*, non id ſolum in anima quod eſt nobis commune cum pecore, ſed etiam inferior portio rationis quæ temporalium diſpoſitioni intendit, intelligitur. Quod diligens Lector in locis Scripturæ, vbi de ipſa fit mentio, vigilanter annotet.

Quæstio Vnica.

Vtrùm portio ſuperior ſit potentia diſtincta, à portione inferiore?

D. Thom. 1. *p. q. 79. a. 9 & hic q. 2. a. 1.* D. Bonau, *hic 2. p. ar. 2. q. 2.* Ric. *art. 2. q. 4.* Dur. *q. 4.* Gabr. *q. 1. ar. 3.* Ægid. *q. 2. art. 1.*

Arg. 1. Circa diſtinctionem, vigeſimamquartam, in qua Magiſter determinat de adiutoriis ad reſiſtendum, ponens quandam diſtinctionem animæ potẽtiarum: quæritur vnum, Vtrùm portio ſuperior ſit potentia diſtincta à portione inferiori? Quòd ſic, ſecundùm Auguſtinum 12. *de Trin. c.* 4. Imago eſt in ſuperiori portione, ſed in inferiori non eſt; ſed hoc non eſſet, ſi eſſent vna, & eadem potentia.

Arg. 2. Item, potentiæ diſtinguuntur per obiecta 2. *de Anima t.* 33. ſed obiectum portionis ſuperioris eſt æternum, & inferioris temporale, quæ ſunt obiecta valde diſtincta: ergo, &c.

C. 2. Confirmatur 6 *Ethic.* Scientificum, & ratiocinatiuum, ſunt alteræ particulæ animæ, quia obiecta eorum, ſcilicet neceſſarium, & contingens, differunt genere.

Oppoſitum per Auguſtinum, vbi ſuprà in principio capituli, inquit, *Animam in hæc duo*, ſcilicet portionem ſuperiorem, & inferiorem, *non niſi per officia geminamus*, §.

SCHOLIVM.

Portionem ſuperiorem non eſſe vnam potentiam ſed complecti memoriam, intelligentiam & voluntatem, vt reſpiciunt obiectum æternum, eaſdem etiam tres potentias contineri in portione inferiori, vt tendunt in entia alia à fine.

Vide Mag. in litera hic. DIco, a quòd poteſt eſſe vnus intellectus quæſtionis, Vtrùm portio ſuperior ſit tantùm vna potentia, & portio inferior tantùm vna alia diſtincta ab illa: & tunc dico, quòd ille intellectus eſt falſus, & impoſſibilis: quia neutra portio tantum eſt vna potentia. Nam ſecundùm Auguſtinum *vbi ſuprà*, portio ſuperior eſt reſpectu æternorum: ſed reſpectu æternorum poteſt eſſe, & eſt memoria, intelligentia, & voluntas quæ ſunt plures potentiæ diſtinctæ: igitur, &c. Maior patet per Auguſtinum, diſtinguendo ſuperiorem portionem ab inferiori. Minor patet per eundem, qui dicit, quòd imago Trinitatis, quæ non eſt niſi quantùm ad illas tres potentias, eſt in portione ſuperiori rationis: ergo ſequitur quòd portio ſuperior non eſt vnica potentia. 2.

Portio ſuperior continet memoriam, intelligentiã, voluntatẽ.

Potentias prædictas reſpicere æterna.

Quod etiã b huiuſmodi potentiæ dictæ ſint reſpectu æternorũ, patet per potentias, quæ ponuntur principia productionum in diuinis, quæ, ſunt neceſſariò intellectus, & voluntas. Hæc enim principia, ſiue potentiæ, ſunt reſpectu obiecti æterni, ſcilicet eſſentiæ diuinæ: non enim prædictæ potentiæ, intelligendo, & volendo obiectum temporale, ſiue non æternum producunt Filium, & Spiritum ſanctum: quia tunc dependerent perſonæ iſtæ à temporali: ſed huiuſmodi principia, vel potentiæ, intelligendo, & volendo eſſentiã diuinã, quæ æterna eſt, principiant perſonas: igitur ſimiliter erit de huiuſmodi potẽtiis in creatura rationali, ſcilicet quòd memoria, intelligẽtia, & voluntas erũt reſpectu æternorũ: portio igitur ſuperior, quæ eſt reſpectu æternorũ, cùm non ſit reſpectu eorũ, niſi ratione prædictarum potentiarũ, non erit vna potentia tantùm.

De hoc 1. d. 3. q. vlt.

Explicat illas tres potentias in portione inferiori.

Eodem modo de portione inferiori, in qua ſcilicet, eſt illa eadẽ imago Trinitatis, quæ etiã cõſiſtit in illis tribus potentiis: quia anima poteſt eſſe, & eſt quãdoque in potentia accidentali, reſpectu obiecti tẽporalis intelligibilis, habens notitiã habitualem, ſiue habitum ſcientiæ, vel concluſionis alicuius, & hoc reſpicit memoriam: aliquando eſt in actu ſecundo intelligendi illud, & hoc reſpicit intelligentiam: ex hoc autem, quòd in actu intelligit, ſequitur volitio, quæ reſpicit voluntatem. Quare cùm iſta tria non poſſint eſſe vna potentia, portio inferior non erit tantùm vna potentia.

Portio etiam ſuperior c & inferior non poſſunt diſtingui per hoc, quòd vna ſit contemplatiua, vel reſpectiua, & alia practica: imò tam ſpeculatiua quàm practica pertinent, ſecundùm Auguſtinum) ad portionem ſuperiorẽ: quia contemplatio (ſecundùm Auguſtinum) non eſt niſi actus reſpiciens æternum & praxis eiuſdẽ portionis ſuperioris, eſt actus eius reſpiciens temporale reſpectu æterni, ſiue in ordine ad æternum

COMMEN

COMMENTARIVS.

1. *Portio ſuperior eſt reſpectu æternorum.*

Dico, quòd poteſt, &c. Hîc dicit Doctor quòd iſte intellectus eſt falſus, ſcilicet quòd portio ſuperior eſt tantùm vna potentia animæ, & portio inferior tantùm alia; quia certum eſt quòd portio ſuperior poteſt eſſe in intellectu, voluntate, & memoria, quia portio ſuperior eſt reſpectu æternorum, ſic intelligendo, quòd tunc memoria dicitur portio ſuperior quando intellectui creato eſt præſens obiectum æternum, vel in ſe, vel in ſpecie intelligibili, vel per habitum fidei: ita quòd memoria talis includit intellectum, & obiectum æternum: & ſic talis memoria poteſt dici portio ſuperior, & non eſt memoria aliqua potentia diſtincta ab intellectu, vt ſæpiùs dictum eſt. In intelligentia, ſiuè in intellectu poteſt dici portio ſuperior, pro vt intellectus habet actualem intelligentiàm, ſiue intellectionem æternorum. Similiter in voluntate eſt portio ſuperior, pro vt ipſa diligit æterna: & ſic patet quomodo portio ſuperior non eſt tantùm vna potentia.

Nota.

b *Quòd etiam huiuſmodi potentiæ*, &c. Nota hanc literam, quia multa hîc dicit; primò, quòd huiuſmodi potentiæ, ſiue portio ſuperior ſunt reſpectu æternorum, patet, quia voluntas diuina, & intellectus diuinus, quæ ponuntur principia productiua in diuinis, ſunt tantùm reſpectu eſſentiæ diuinæ. Hoc vide ſuprà *in primo, diſt.* 2. 6. 7. & 26. & *in hoc ſecundo, diſt.* 1. *quæſt.* 1. Dicuntur enim iſtæ potentiæ principia productionum diuinarum, prout reſpiciunt eſſentiam diuinam, ſic tamen intelligendo, vt aliàs expoſui, quòd intellectus diuinus neceſſariò priùs operatur circa eſſentiam, intelligendo ipſam, quæ intellectio dicitur operatio, quâ habitâ, tunc ipſe intellectus vnà cum eſſentia eſt principium productiuum Filij, ita quòd talis operatio præexigitur productioni Filij, non vt ratio formalis producendi, nec vt aliquid pertinens ad rationem formalem producendi Filium, vt ſatis patet *in primo, diſt.* 2. *quæſt.* 2. *par.* 2. *diſt.* 5. *quæſt.* 2. *diſt.* 6. & 7. & 27. Sed ex hoc præexigitur, quia intellectus diuinus prius eſt operatiuus quàm productiuus.

Intellectio dicitur operatio.

2. *Quomodo intellectus diuinus producat filium.*

Dicit ergo hîc Doctor quòd *intellectus diuinus intelligendo eſſentiam diuinam producit* Filium, id eſt, quòd intelligit illam, antequàm ſit productiuus. Hoc idem dico de voluntate. Secundò dicit Doctor quòd iſtæ duæ potentiæ dicuntur productiuæ intelligendo, & volendo eſſentiam diuinam, quæ eſt æterna, non intelligendo, nec volendo obiectum temporale, quia tunc dependerent perſonæ iſtæ à temporali, & litera ſic debet intelligi, ſcilicet quòd intellectus diuinus priùs intelligendo eſſentiam eſt productiuus Filij, & ſic Filius ſuo modo, licèt impropriè dependet ab eſſentia, non tamen inquantùm intelligentia, ſed inquantùm eſſentia. Nam ſæpiùs declaratum eſt, quòd memoria fœcunda ſemper includit potentiam, & obiectum; & ſic memoria fœcunda in diuinis includit intellectum diuinum, & eſſentiam diuinam; & hoc totum eſt ratio formalis integralis productiua Filij, non tamen proxima, niſi priùs intellectus diuinus intelligat ipſam, non quòd eſſentia diuina, & intellectus ex ſua ratione formali non ſit ratio perfectiſſima producendi Filium, & diſpoſitiſſima; ſed quia talis memoria prius eſt operatiua, quàm productiua, ideò dicimus quòd talis memoria ad hoc vt ſit proxima ratio producendi oportet priùs eſſe operatiuam: & quia ipſa memoria eſt ratio formalis producendi Filium, ipſe Filius ſuo modo dependet à tali memoria fœcunda, licèt principaliter ab eſſentia. Si ergo intellectus diuinus produceret Filium de lapide cognito, ita quòd lapis cognitus pertineret ad memoriam, tunc ipſe Filius dependeret ſuo modo à lapide, & ſic æternum à temporali. Sed declaratum eſt ſuprà *in hoc ſecundo, diſt.* 1. *q.* 1. quòd nulla creatura eſt in eſſentia diuina ex natura rei, quæ ſit ibi in ratione obiecti intelligibilis ex natura rei, ſed eſt ibi tantùm per actum intellectus diuini, ita quòd per illum actum producuntur in tali *eſſe*, & talis productio cùm ſit communis toti Trinitati, neceſſariò præſupponit perfectam productionem ad intrà, & ſic patet quomodo Filius non producitur in diuinis de lapide: Loquendo tamen de productione ſimpliciter Filij, quia loquendo de productione ſecundùm *quid*, poteſt produci de lapide cognito, & etiam de ſeipſo cognito: ſed ipſa productio ſecundùm *quid* præſupponit veram productionem, & ſimpliciter ipſius: & ſic patet quòd ſicut potentiæ diuinæ producunt Filium, & Spiritum ſanctum, intelligendo, & amando diuinam eſſentiam, quæ eſt æterna, ſic intellectus noſter, & voluntas, & memoria dicuntur portio ſuperior, vt reſpiciunt æterna.

Memoria fœcunda quid includat.

Quomodo filius non producatur de lapide.

3. *Cognitio ſpeculatiua eſt duplex.*

c *Portio etiam ſuperior, & inferior*, &c. Doctor dicit quòd portio ſuperior non diſtinguitur ab inferiori ex hoc, quòd inferior eſt practica, &c. imò tam ſpeculatiua, quàm practica pertinent ad portionem ſuperiorem. Et vt iſta litera intelligatur, notanda ſunt verba. Primò, quòd cognitio ſpeculatiua eſt duplex, quædam eſt tantùm propter ſe, vt cognitio entis inquantùm ens, & eius paſſionum in ſuis rationibus generalibus: & talis cognitio non propriè ordinatur ad praxim, de qua in quæſt. vlti. prologi. Sed eſt difficultas, an poſſit eſſe cognitio de Deo, vel de aliqua perſona diuina, ſimpliciter, & tantùm ſpeculatiua. Dictum eſt ſuprà *in q. vlti. prolo.* quòd non, quia talis cognitio ordinatur ad praxim, vide ibi. Poſſet fortè eſſe cognitio de Deo merè ſpeculatiua, vt puta cognoſcendo Deum nõ ſub ratione propria, nec ſub ratione ſummi boni, vel infiniti, ſed ſub ratione entis, vel abſoluti, & huiuſmodi.

Secundò notandum eſt, quòd cognitio propriiſſimè practica eſt cognitio concluſionis deductæ ex ſyllogiſmo practico, vt patet à Doctore vbi ſuprà: & talis cognitio poteſt adhuc dici verior practica, ſi actu dirigat in praxim, & veriſſimè practica, ſi voluntas elicit actum conformiter tali cognitioni, vt patet infrà à Doctore *diſt.* 19. *huius.* Cognitio verò principiorum eſt benè cognitio practica; ſed non ita practica ſicut cognitio concluſionis, vt patet *in q. vlt. prologi.* Et quia principia practica ſumuntur à fine, cognitio finis in ſe, adhuc erit minùs practica, quia magis recedit à cognitione concluſionis.

Cognitio ſpeculatiua eſt duplex.

4. *Exemplum.*

Tertiò notandũ eſt, quòd ab vltimo fine poſſunt ſumi principia multa, & ab illis deducuntur multæ concluſiones. Exemplum, nam ſummo bono eſt ſummè obediendum, Deus eſt ſummè bonus, ergo, &c. Ex iſta concluſione deduco alias ſic: Deo eſt ſummè obediendum; ſed Deus præcipit

pit proximum etiam diligendũ, ergo,&c. Ex iſta teneor diligere proximũ propter Deum: ergo teneor ſubuenire illi tempore neceſſitatis; & ſic deinceps. Iſta enm vltima concluſio, vel cognitio vltimæ concluſionis non tantùm dirigit ad praxim, quæ eſt actus voluntatis, quo velit ſubuenire proximo; ſed etiam ſic dirigit voluntatem, vt non tantùm eligat ſubuenire proximo, ſed etiam vt imperet potentiis ſenſitiuis ad ſubueniendum ei corporaliter. Hæc vltima concluſio eſt verè practica, loquendo tamen de cognitione directiua, quia non tantùm dirigit in actum elicitum voluntatis, ſed etiam in actum imperatum vltra cognitionem, videlicet, quòd eſt ſubueniendum proximo etiam corporaliter: tunc talis intellectus imperio voluntatis poteſt diſcurrere per omnia media, quouſque perueniat ad aliquod medium magis oportunum, quo ſubueniatur proximo, loco, tempore, modo, &c. Hæc cognitio talis medij, quæ eſt directiua in actum elicitum voluntatis, & in actum imperatum in aliis potentiis ſenſitiuis, adhuc eſt verior practica: & ſi voluntas conformiter elicit, & imperat, tunc hæc cognitio eſt perfectiſſimè practica, & obtinet vltimum gradum cognitionis practicæ.

5. Et nota, quòd in hoc diſcurſu, quem feci, vltimus finis eſt principalis, & ipſe Deus, vel ſummum bonum, ſub quo ſunt multi fines ordinati ad inuicem, vt patet intuenti. Cognitio ergo vltimi finis poteſt dici quodammodo contemplatiua, ſiue ſpeculatiua, non quòd non ſit vera practica, ſed pro eo poteſt dici ſpeculatiua, quia inter cognitiones practicas, hæc maximè recedit à propriiſſimè practica, vt ſatis patet à Doctore *vbi* ſuprà. Cognitio verò ordinatorum ad finem eſt magis practica, & perfectè practica, vt dedixi. Quando ergo dicit Auguſtinus quòd non eſt niſi actus reſpiciens æternum, & praxis eiuſdem portionis ſuperioris eſt actus reſpiciens temporale reſpectu æterni: ſic debet intelligi, quòd cognitio vltimi finis poteſt dici contemplatio; includendo tamen amorem vltimi finis, quia propriè contemplatio, de qua Auguſtinus loquitur, eſt cognitio æternorum cum amore, ita quòd talis cognitio eſt directiua in amorem: & tunc eſt perfectè contemplatio, quando voluntas illud cognitum amat. Et quando dicit, quòd *praxis eiuſdem portionis ſuperioris eſt actus eius reſpiciens temporale*, ſic debet intelligi (quòd intellectus intelligens vltimum finem tanquam ſummum bonum, & voluntas amans illud intelligit, quòd temporalia ſunt diligenda propter illum finem (quòd talis dilectio, quæ ſequitur talem cognitionem, poteſt dici praxis portionis ſuperioris, id eſt, quòd poteſt dici operatio ſequens ad cognitionem, & amorem æternorum: & ſic quando aliquis intellectus cognoſcit vltimum finem poteſt dici portio ſuperior propriè ſumpta, & quando cognoſcit creaturas, vt diligendas propter vltimum finem, adhuc poteſt dici portio ſuperior, largè tamen ſumpta, vt patet à Doctore *in tertio, diſt.* 15. & ſic quando voluntas diligit vltimum finem in ſe, & propter ſe poteſt dici portio ſuperior, & quando diligit alia propter vltimum finem poteſt dici portio ſuperior largè tamen ſumpta.

itio vltimis, an ur contiua

Nota.

SCHOLIVM.

Vtramque portionem in re eſſe idem. Primò, quia vna potentia tendit in principium & concluſionem, ergo in finem & medium. Secundò, beatitudo eſt in vtraque portione. Tertiò, charitas eſt in vtraque, per quam diligitur Deus & proximus.

3. Est igitur alius [d] intellectus quæſtionis, accipiendo aliquam potentiam in portione ſuperiori, vt intellectiuam, & aliquam ſimilem in inferiori, ſcilicet etiam intellectiuam: & ſic de voluntate, & memoria, vtrum ſint diſtinctæ potentiæ.

mem que i di-i.

Et dico quòd non. Hoc probo [e] primò ex actu, & operatione, nam Auguſtinus *vbi ſuprà*, dicit, quòd portio ſuperior intendit regulis æternis, & ſuperioribus contemplandis: inferior autem intendit temporalibus agendis, ſecundùm regulas æternas. Vnde portio ſuperior intendit fini primo, à quo accepit regulas agendorum. Arguo tunc ſic: Eadem potentia cognoſcit principia, & concluſionem, aliter nulla eadem potentia cognoſceret concluſionem, cùm non cognoſcatur per ſe niſi ex collatione ad principium, quia principium non cognoſcitur, niſi ſciatur elici concluſio contenta in illo: & Ariſtoteles etiam 2. *de Anima*, dicit quòd oportet eſſe

16. ſenſum vnum, qui cognoſcat diuerſa obiecta, diuerſorum ſenſuum, & diuerſitatem illorum obiectorum: ſed portio inferior cognoſcit concluſionem, quæ eſt de hoc agibili temporali, cuius principium, & regulam æternam cognoſcit portio ſuperior, ſcilicet, quòd præcepta Dei, ex charitate ſunt implenda, vel aliquod tale: ergo eadem erit potentia intellectiua illius portionis ſuperioris cognoſcentis principium, & portionis inferioris cognoſcentis concluſionem.

4. Secundò [f] probatur idem ex actu beatifico ſpeciali: nam beatitudo non conſiſtit in pluribus potentiis eiuſdem rationis: nam ſi ſit in intellectu ſimul, & voluntate; non tamen eſt in duabus intellectiuis potentiis, vel in duabus volitiuis, ſed tantùm in vna intellectiua, vel volitiua: quia beatitudo ſecundùm omnes Philoſophos, eſt optimum hominis, ideò in vna virtute conſiſtit eiuſdem rationis: ſed beatitudo eſt portionis ſuperioris rationis (hoc eſt manifeſtum) & etiam portionis inferioris rationis; probo, quia oportet quòd beatitudo ſit iſtius potentiæ, quæ eſt principium merendi:

merendi : huiuſmodi eſt tota portio rationis inferioris:ſi ergo tota intellectiua, & ſuperioris, & inferioris portionis,eſt beatificabilis, illa intellectiua vtriuſque portionis erit vna potentia.

Tertiò ex ratione [g] habitus idem oſtenditur, idem habitus ſimplex non perficit duas potentias : ſed eadem charitas perficit voluntatem ſuperioris portionis, & inferioris : igitur non ſunt duæ potentiæ:& ſimiliter erit de intelligentia. Probatio maioris, quia diſtinctio in poſteriori, non arguit diſtinctionem in priori (maior vnitas ſemper debet eſſe in priori, quàm in poſteriori) ſed habitus eſt vnus, igitur potentia, quam informat magis eſt vna. Probatio minoris, quia charitas eſt in voluntate portionis ſuperioris, qua Deus diligitur, & eadem in voluntate portionis inferioris,qua diligitur proximus,qui eſt obiectum temporale(vna enim charitas,extendit ſe ad omnia diligibilia)igitur non eſt niſi vna voluntas:& ſimiliter igitur niſi vnus intellectus.

5. Ad primum dico,quòd imago conſiſtit in anima,non ſecundùm quòd totaliter eſt vnum ens: quia eſſentia animæ repræſentat vnitatem, & diſtinctionem ; vnitatem reſpectu eſſentiæ, diſtinctionem reſpectu potentiarum, vt ſuæ potentiæ ſunt ſub actibus : quia tunc conſideratur ibi origo quaſi vnius potentiæ ab alia, vt dictum eſt diſtinctione decima ſexta : potentiæ autem animæ poſſunt comparari, vel reſpectu temporalium, vel reſpectu æternorum:& vt reſpectu æternorum, habent quandam ſpecialem ſimilitudinem, ratione qua eſt expreſſior imago in ipſis, vt ſic quam vt ſub actibus reſpectu temporalium:minùs enim repugnant memoria, intelligentia, & voluntas creatæ,vt ſunt reſpectu æternorum Patri,& Filio, & Spiritui ſancto æternis, quàm vt ſunt reſpectu lapidis, vel alterius obiecti temporalis, & quia minùs expreſsè repræſentatur imago in anima,prout huiuſmodi potẽtiæ animæ ſunt ſub actibus reſpectu temporalium, quàm quando ſunt ſub actibus reſpectu æternorum : hinc eſt, quòd Auguſtinus dicit, imaginem eſſe in portione ſuperiori, quæ eſt reſpectu æternorum:non in portione inferiori,quæ eſt reſpectu temporalium, non quòd ibi non ſit imago in eiſdem potentiis,licèt minùs expreſſa,vt dictum eſt.

Imaginem in vtraque portione.

6. Ad aliud,cùm dicitur,[h] potentiæ diſtinguuntur per obiecta, dicitur ; quòd duplex eſt obiectum, formale ſcilicet & materiale. Formale eſt adæquatum potentiæ, vt color viſui.Materiale, quod non eſt adæquatum, vt albedo. Sed non video [i] quin albedo ſit obiectum viſus ita formale, ſicut color. Si enim nullus eſſet intellectus abſtrahens hoc vniuerſale, quod eſt color, oculus bouis videret album, & nigrum: imò color, vt quid commune abſtractum, non videtur, ſed hoc album & hoc nigrum, quorum neutrum eſt obiectum adæquatum viſui : quia nulla potentia habet obiectum adæquatum non abſtractum, niſi diuinus intellectus : quia nulla res eſt in qua contineantur omnia perceptibilia à potentia, niſi eſſentia diuina : obiecta igitur formalia in re poſſunt eſſe album & nigrum, ſed non eſt aliquod iſtorum obiectum adæquatum viſiuæ potentiæ.

Obiectum formale, & materiale, quæ ſint.

Nulla potẽtia creata habet obiectum non abſtractum pro adæquato.

Dico ergo [k] ad argumentum, quòd non omnis diſtinctio obiectorum formalis, facit diſtinctionem potentiarum, nam manifeſtum eſt quòd non oportet tot eſſe viſus; quot ſunt colores, nec tot eſſe auditus, quot ſunt ſoni: imò Philoſophus, *ſecundo de Anima*, ex ratione talis mixtionis in tali organo, puta viſus, concludit illam potentiam,puta viſum eſſe iſtius obiecti, & non alterius : & pro tanto ſequitur quòd diſtinctio obiectorum,facit diſtinctionem potentiarum:quia tale obiectum limitatum, & diſtinctum non percipitur, niſi à tali potentia, & numquam ab alia: quæ quidem potentia eſt limitata ad tale obiectum ratione talis mixtionis organi. Sed aliud eſt de potentiis non organicis,quæ ſunt abſtractiſſimæ, & ſunt totius entis:vnde ibi non habet veritatem propoſitio illa, quod diſtinctio obiectorum facit diſtinctionem potentiarum,ſed ſolùm eſt vera in organicis potentiis,quæ non ſunt abſtractiuæ.

Idem eſt obiectum intellectus & voluntatis 1.d 3. q.3. Tex.c. 130. & 132.

Quomodo diſtinctio obiectorum facit ad diſtinctionem potentiarum?

7. Si quæras,quod eſt obiectum adæquatum potentiæ non organicæ. Dico, [l] quod ſi ens, poteſt habere conceptum, vel rationem communem ad ens creatum, & increatum,eſt obiectum adæquatum intellectus:non quòd per [m] abſtractionem illam ſit obiectum intellectus.ſed quia à quolibet intelligibili poteſt abſtrahi vna talis ratio, vel conceptus,& tunc non diſtinguerentur [n] portio ſuperior,& inferior, nec etiam intellectus,& voluntas formaliter per obiecta,ſi autem [o] ens non poſſet habere talem conceptũ communẽ,ſi debeat aſſignari potentiæ non organicæ,quæ ſe extendit ad omne ens,aliquod obiectum adæquatum,& primũ,illud non erit, niſi eſſentia diuina in ſe continens omnes rationes aliorum entium,& ad quam omnia alia entia habent attributionem.

Sed

Diſt.3.q. 3.&.3. & alibi.

Sed hoc falſum eſt, vt probatum eſt *in primo libro*, ſcilicet quòd eſſentia diuina non poteſt eſſe obiectum primum & adæquatum intellectus creati; ſed ſolùm intellectus Dei, cui eſt proportionata, & reſpectu creati intellectus eſt improportionata. Et ſi eſſentia diuina non ponatur eſſe obiectum primum intellectus creati, cùm ſecunddùm communiter loquentes, creato, & increato nihil poſſet eſſe commune vniuocum; ſequitur quòd potentia non organica non habebit vnum obiectum vnius rationis, & adæquatum, & hoc eſt probabile propter perfectionem potentiæ: à ſenſibilibus enim particularibus, puta albo, & nigro, & ab aliis, ad quæ ſe extendit potentia viſiua, quæ ab illa limitata eſt abſtrahitur quoddam commune vniuocum: & vltrà ab huiuſmodi ſenſibilibus, & aliis aliarum potentiarum, quoddam commune vniuocum, & tandem poteſt procedi ſic abſtrahendo, quòd vnum erit vniuocum obiectum ſenſibile, commune omnibus ſenſibilibus.

Niſi ens ſit vniuocum creato & increato, intellectus non habet obiectum adequatũ vnius rationis.

Sic etiam, & obiectum potentiæ [p] diuinæ, obiectum dico operabile, non poteſt eſſe aliquid adæquatum, niſi tantùm ens poſſibile, quod non eſt vnum in re, ſed aliquo modo eſt vnum: hoc eſt tantùm in intellectu: quia non poteſt eſſe aliquid vniuocum reale omnibus operabilibus à potentia diuina: ſicut etiam ponitur, propter perfectionem intellectus, quod ipſe intellectus ad tot ſe extendit, quòd nullum vnum obiectum habet ſibi adæquatum, & vnius rationis.

Vel dic ad illam [q] rationem, quòd quantumcunque obiecta diſtinguantur, primò penes neceſſarium, & contingens, vel penes æternum, vel temporale, ſi tamen vnum illorum poſſit accipi vt principium cognoſcendi alterum, talis diſtinctio obiectorum non requirit diſtinctionem potentiarum: ſic autem eſt de obiectis portionis ſuperioris rationis, & inferioris: quare, &c.

COMMENTARIVS.

6. d Eſt igitur alius intellectus, &c. Dicit Doctor quòd ſi intelligatur portio ſuperior, & inferior in eadem parte intellectiua, ita quòd portio ſuperior dicatur vna potentia intellectiua, & alia inferior dicatur alia potentia intellectiua, vel ſimiliter quòd portio ſuperior in voluntate dicatur vna potentia volitiua, & inferior alia potentia volitiua, ita quòd ſint ibi diſtinctæ potentiæ, vel volitiuæ, vel intellectiuæ, eo modo, quo dicimus quòd intellectus, & voluntas ſunt diſtinctæ potentiæ; quòd hîc ſenſus eſt manifeſtè falſus, & probat multis rationibus, quòd inferior, & ſuperior portio in intellectu eſt tantùm vna potentia intellectiua realiter, & formaliter hoc idem de voluntate, & antequam deducam argumenta Doctoris, declaro mentem ipſius. Vult enim ipſe; idem intellectus realiter, & formaliter, & nulla facta diſtinctione in illo propter opus intellectus, dicatur portio ſuperior, & inferior, dicitur portio ſuperior inquantum ipſe intellectus habet cognitionem æternorum, inferior inquantùm habet cognitionem temporalium, ſicut aliàs diximus *in quæſt. vltima prologi*, quòd idem intellectus ſimpliciter, vt denudatus ab omni cognitione non eſt practicus, nec ſpeculatiuus; ſed vt recipit cognitionem merè ſpeculatiuam, per illam dicitur ſpeculatiuus, & vt recipit cognitionem practicam per illam dicitur practicus. Sic in propoſito idem intellectus omnino indiſtinctus ex parte rei, vt recipit cognitionem terminatam ad æterna dicitur portio ſuperior; vt verò recipit cognitionem terminatam ad temporalia dicitur inferior. Si conſideretur etiam intellectus, vt actiuus, & non tantùm receptiuus. Dico, quòd vt partialiter producit cognitionem æternorum dicitur portio ſuperior actiua, vt verò partialiter producit cognitionem temporalium dicitur portio inferior actiua.

Quomodo intellectus dicatur portio ſuperior & inferior.

Portio ſuperior poteſt accipi duobus modis.

7. Addo tamen vnum, quòd portio ſuperior poteſt accipi propriiſſimè, & ſic eſt cognitio æternorum in ſe. Poteſt etiam accipi largè, vt dixi ſuprà, & ſic eſt cognitio temporalium æterna; portio verò inferior impropriè eſt cognitio temporalium ſecundùm regulas prudentiæ, ita quòd talis cognitio regulat voluntatem circa temporalia. Poteſt etiam dici portio inferior, vt eſt cognitio temporalium, quæ regulat voluntatem circa temporalia, ordinando illa ad Deum, vt ad vltimum finem, & ſicut dixi de intellectu quantùm ad portionem ſuperiorem, & inferiorem, idem ſimpliciter dico de voluntate. Verum eſt, quòd extra literam poſſet hoc addi, quòd portio ſuperior in intellectu eſt, quando intellectus cognoſcit æterna, ſaltem in conceptibus generalibus ſuo modo tranſumptis, vt cognoſcendo ſummum bonum, ſummum ens: & hoc contingit via naturali, vt patet *quæſt. 1. prologi, diſt. 3. primi, & diſt. 3. ſecundi.* Si verò cognoſcit ipſum Deum ſub ratione propria, hoc contingit per reuelationem, vt patet à Doctore, talis portio adhuc eſt perfectior, quia terminatur ad obiectum ſub ratione perfectiori; vt verò cognoſcit ipſum ſub ratione propria, & inquantùm talis cognitio eſt imperata à voluntate charitate informata, & ad cognitionem inclinantem, tunc talis portio adhuc eſt valde perfectior, quia per talem cognitionem perfectiori modo intellectus, vnitur Deo, quia gratuita, & meritoria. Vt verò intellectus cognoſcit eſſentiam diuinam, nudè, & intuitiuè (quod contingit in beatis) talis portio eſt perfectiſſima, & perfectior haberi non poteſt. De portione verò inferiori poſſunt dari gradus ſecundùm perfectionem, nam ſi intellectus cognoſcit tantùm aliquod temporale, in ſe poteſt dici inferior portio, vt verò dirigendo voluntatem in praxim, circa tale temporale erit portio perfectior: vt verò cognoſcit dirigendo voluntatem,

Dantur gradus in portione inferiori.

tem, vt eligat illud ſimpliciter propter Deum, talis portio adhuc eſt perfectior, vt verò cognoſcit dirigendo voluntatem, vt eligat illud propter Deum, ita quòd talis cognitio ſit imperata à voluntate charitate concurrente, talis portio in ſe adhuc eſt valde perfectior. Si verò talis intellectus cognoſcit temporale, dirigendo voluntatem, vt eligat illud propter Deum iam clarè viſum à tali intellectu, vt eſt in beatis, tunc talis portio eſt perfectiſſima, & ſicut dixi de portione intellectus, ſimiliter dico de voluntate.

8. e *Hoc probo primò ex actu, & operatione*, &c. In iſta ratione Doctor ſupponit primò, quòd ſimpliciter eſt eadem potentia, quæ cognoſcit principium, & concluſionem, & hoc patet, nam concluſio cognoſcitur per cognitionem principij, ſi ergo *A* potentia cognoſcit hominem eſſe riſibilem propter cognitionem principij huius: animal rationale eſt riſibile, oportet ipſum *A* cognoſcere illud, quia aliter non cognoſceret vnum propter aliud. Et Similiter ſi intellectus *A* cognoſcit illud principium inquantùm eſt principium alicuius concluſionis, ille idem poteſt cognoſcere concluſionem. Secundò ſupponit, quòd cognitio alicuius temporalis in ordine tamen ad æterna, poteſt eſſe reſpectu concluſionis, quæ deducitur ab aliquo principio æterno, ſicut cognoſco hoc principium æternum, ſcilicet quòd Deo eſt ſummè obediendum, & cognoſco etiam hoc, quòd Deus præcepit proximum eſſe diligendum; ergo cognoſco Franciſcum, qui eſt proximus meus eſſe diligendum, propter Deum. Sed cognitio huius concluſionis dicitur portio inferior, & cognitio principiorum dicitur portio ſuperior, cùm ſit reſpectu æternorum. Cùm ergo idem intellectus cognoſcat concluſionem, & principia, ſequitur quòd portio ſuperior, & inferior ſunt tantùm vna potentia intellectiua, id eſt, quòd idem intellectus penitus indiſtinctus ſecundùm rem poteſt dici portio ſuperior, & inferior ſecundum aliam, & aliam cognitionem.

Quomodo dicatur portio ſuperior, & inferior.

9. f *Secundò probatur idem ex actu beatifico*, &c. In iſta ratione ſupponit primò, quòd beatitudo eſt tantùm in vna potentia eiuſdem rationis, ita quòd non poteſt eſſe in duabus potentiis intellectiuis, vel in duabus volitiuis; patet, quia beatitudo eſt optimum hominis, quia perfectiſſimè coniungit optimo obiecto, vt patet à Doctore *in quarto, diſt.* 49. igitur potentia intellectiua optima eſt illa, quæ perfectiſſimè vnitur optimo obiecto, & ſi daretur in duabus potentiis intellectiuis, ſequeretur quòd ipſa beatitudo non eſſet optimum partis intellectiuæ, cùm ipſa eſſet diuiſa in duabus potentiis eiuſdem rationis.

Secundò ſupponit, quòd illa potentia eſt maximè præmianda ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam magis meruit, quia præmium correſpondet merito, & dicendo quòd meritum eſt à portione inferiori. Nota bene hanc literam. Non enim ſic debemus intelligere, quòd portio inferior præmietur: & ſimiliter ſuperior: ſed debet ſic intelligi, quòd eadem voluntas eſt præmianda ſecundùm portionem inferiorem, id eſt, quòd ex quo maximè voluntas meruit ſecundùm portionem inferiorem, hoc eſt, diligendo temporalia ex charitate propter Deum, vel fugiendo illa, quæ Deo diſplicent ex charitate propter Deum, & ſic voluntas dicitur præmiari ſecundùm portionem inferiorem, quia opera illa meritoria elicita à voluntate præmiantur, & ſecundùm illa opera circa temporalia dicitur portio inferior. Potuit etiam mereri ſecundùm portionem ſuperiorem, puta diligendo Deum in ſe, & propter ſe; & ſic dicitur præmiari ſecundùm portionem ſuperiorem, quia illa dilectio, ſecundùm quam voluntas dicitur portio ſuperior præmiatur à Deo, quia ex quo beatitudo tantùm eſt in vna potentia eiuſdem rationis, ſequitur quòd portio ſuperior, & inferior in voluntate, quæ beatificantur modo ſupradicto, non ſint duæ potentiæ volitiuæ.

Nota.

10. g *Tertiò ex ratione habitus idem oſtenditur*, &c. Hîc Doctor ſupponit principaliter vnum, ſcilicet quòd maior vnitas ſemper requiritur in priori eſſentialiter, quàm in poſteriori. Patet in omnibus eſſentialiter ordinatis poſterioris, & prioris, nam in cauſis effectiuis ab vnitate cauſæ poteſt eſſe pluralitas effectuum, & identitas effectus non poteſt eſſe à pluribus cauſis æquè totalibus, & alterius rationis, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. tamen ab vna cauſa totali effectiua poſſunt eſſe plures effectus diuerſi ſpecie. Hoc quidem patet in cauſis finalibus, nam maior vnitas requiritur ſimpliciter in fine qui eſt prior, quàm in ordinatis ad finem. Patet de facto, quia plura abſolutè poſſunt ordinari ad eundē finē, non autē pluralitas ordinatorum requirit pluralitatem finium; nec vnum, idem poteſt ordinari ad duos fines æquè primos, vt patet ſuprà, *diſtinct.* 2. *primi*, Hoc etiam patet in cauſis ſubiectiuis, ſiue receptiuis; nam receptiuum eſt prius eſſentialiter ipſo recepto, & receptum dependet eſſentialiter ad ipſum receptiuum, & ſimpliciter maior vnitas requiritur in receptiuis, quàm in recepto: patet de facto, quia eadem ſubſtantia numero plura accidentia recipit, idem enim intellectus numero plures intellectiones, & plures habitus recipit: pluralitas quoque poſterioris recipit ſtat cum vnitate prioris receptiui, licèt non è contra; non enim identitas, vel vnitas recepti ſtat cum pluralitate recipientis prioris, quia vnum & idem numero, & penitus indiuiſum non poteſt æquè immediatè recipi in pluribus.

Quomodo identitas effectus non poſſit eſſe à pluribus cauſis.

Et ſi dicatur hîc, quòd aliqua vnitas poſterioris neceſſariò requirit pluralitatem receptiui prioris; vna enim albedo numero non poteſt recipi, niſi in corpore quanto, ita quòd in tali corpore eſt materia, & formia, quæ diſtinguuntur realiter, & quantitas. Dico, quòd ſola quantitas eſt ratio recipiendi, & ſi, per poſſibile, eſſet ſeparata à corpore, adhuc reciperet albedinem, cùm ſit propria ratio recipiendi, & hoc patet in quātitate ſeparata in Sacramento altaris. Haberes ergo probare, quòd eadem albedo poſſet recipi in duabus quantitatibus; ſtat ergo iſtud, quòd Doctor ſupponit. Addit etiam quòd ſimpliciter eſt eadem charitas numero, quæ recipitur in portione ſuperiori, & inferiori; ergo portio ſuperior, & inferior hîc ſic debet intelligi, quòd eadem charitas numero recipitur in voluntate immediatè: & vt inclinat voluntatem ad dilectionem Dei dicitur, quòd eſt in voluntate, vt in portione ſuperiori: & vt eadem charitas inclinat voluntatem ad dilectionem proximi, dicitur

Sola quantitas eſt ratio recipiendi.

quòd eſt in voluntate, vt in portione inferiori, & ſic patet, quomodo portio ſuperior, & inferiòr in voluntate non ſunt duæ potentiæ.

11. h *Ad aliud*, &c. Antequàm deueniam ad reſponſionem Doctoris primò reſpondeo formaliter ad argumentum, quia cùm dicit, quòd æternum eſt obiectum portionis ſuperioris, & temporale inferioris, ita, quòd ſuperior non reſpicit temporale, nec inferior æternum, & ſic videtur quòd omnino ſint duæ potentiæ. Nam ex hoc arguimus, quòd potentia viſiua eſt alia ab auditiua, quia obiectum vnius nullo modo poteſt eſſe obiectum alterius. Dico, quòd ſi portio ſuperior eſſet quædam vis in intellectu, vel voluntate, quæ tantùm reſpiceret æterna, & inferior quædam alia vis quæ tantùm reſpiceret temporalia, argumentum haberet difficultatem; ſed non ſic ponimus; ſed dicimus, quòd etſi intellectus omnino indiuiſus ex parte rei reſpicit omne ens pro obiecto ſibi adæquato, tamen idem intellectus vt habet reſpectum ad æterna, dicitur portio ſuperior: vt verò habet reſpectum ad ens temporale dicitur portio inferior, & ſic benè concedo quòd iſti duo reſpectus habent alium, & alium terminum; nam vnus habet æternum pro termino, & alius temporale. Reſpondet ergo Doctor. Hæc opinio diſtinguit quòd eſt duplex obiectum, ſcilicet formale, & materiale, & vt elicio ex dictis Doctoris accipitur hîc *obiectum formale* pro illo, quod eſt ratio formalis vel mouendi potentiam, vel terminandi actum illius, ita quòd nihil poteſt mouere potentiam talem, niſi ſub ratione tali, nec terminare niſi ſub ratione tali. Exemplum: ſonus in quantum ſonus eſt obiectum formale potentiæ auditiuæ. Et ſimiliter color, & lux, &c. Dicunt ergo, quòd ratio formalis eſt ratio mouendi potentiam viſiuam vel terminandi actum illius, ita quòd nihil poteſt mouere illam, nec terminare actum eius per aliquam rationem eius formalem, ſed tantùm per rationem coloris. Color ergo vt eſt cõmune abſtractum ab omnibus coloribus dicitur obiectum formale. Sed quæcunque continentur ſub colore, puta albedo, &c. dicuntur obiecta ſolum materialia, non enim albedo ſub ratione albedinis, poteſt mouere potẽtiam viſiuam vel terminare actum eius, ſed tantùm ſub ratione coloris ſic communis, & abſtracti, Dicit ergo iſta opinio quòd potentiæ diſtinguuntur per obiecta, quòd verum eſt de obiectis formalibus: quia quot ſunt obiecta formalia, tot oportet eſſe potentias; ſed non eſt verum de obiectis materialibus, quia plura obiecta materialia vt plures colores poſſunt eſſe eiuſdem potentiæ.

Duplex obiectum.

Quomodo color dicatur obiectum.

Potentiæ diſtinguuntur per obiecta. Quomodo iſta propoſitio ſit intelligenda.

12. i *Sed non video*, &c. Hîc Doctor improbat aliã opinionem & intendit probare quòd eiuſdem potentiæ poſſunt eſſe plura obiecta formalia, modo præexpoſito: nam albedo ſub ratione albedinis, poteſt mouere potentiam viſiuam, & terminare actum eius, & patet de boue, & capra, qui non poſſunt extrahere colorem in communi, & tamen certum eſt quòd vident albedinem; ergo ſignum eſt quòd ſi albedo mouet potentiam viſiuam bouis ſub ratione albedinis; & ſimiliter terminat actum eius; patet, quia albedo videtur: imò plus dico, hæc albedo eſt obiectum formale, quia hæc albedo ſub ratione propria poteſt mouere, & terminare: patet, quia propriè videt hoc album, & ſic patet quomodo eiuſdem potentiæ poſſunt eſſe plura obiecta formalia. Nota tamẽ pro Doctore quia obiectum formale, quod dicitur propriè ratio formalis mouendi potentiam, vel terminandi actum eius aliquando accipitur in ſua ratione generali, vt color ſub ratione coloris, aliquando ſub ratione ſpeciali, vt albedo ſub ratione albedinis poteſt mouere, & etiam ſub ratione coloris, quæ eſt ratio magis communis. Et ſimiliter hæc albedo poteſt mouere ſub ratione huius albedinis, & ſimiliter terminare, & etiam ſub ratione albedinis in communi, & ſub ratione coloris: nam communiter quodlibet potentiæ ſi eſt motiuum habet propriam rationem mouendi: vel ſi terminatiuum habet propriam rationem terminandi. De hoc ſatis dictum eſt ſupra d. 3. q. vlt. Secundo nota quòd ſi albedo mouet perfectiori modo quam color quia obiectum quantò eſt perfectius in entitate, tantò ratio mouendi vel terminandi eſt perfectior vt patet à Doctore in pluribus locis. Dico tertio quòd Doctor hîc dicit quod videtur color ſingularis, vide gloſſam ſuper diſtinctionem tertiam huius. Nota quartò quòd dicendo, quòd nulla potentia habet obiectum adæquatum non abſtractum niſi diuinus intellectus, hoc ſic debet intelligi quod loquendo de obiecto motiuo ſola eſſentia diuina eſt obiectum adæquatum intellectus diuini ſed loquendo de terminatiuo non poteſt eſſe ſola eſſentia diuina ſed ſimpliciter ens inquantùm ens.

Potentiæ ſenſitiuæ quare acquirunt obiecta diſtincta.

l *Dico ergo ad argumentum*, &c. Nota quare potentiæ ſenſitiuæ requirunt diſtincta obiecta, ita quod potentia viſiua tantùm reſpicit colorem vel lucem: & hoc eſt quia eſt ſic mixta & per conſequens & ſic determinati obiecti & ſimiliter potentia auditiua, quia eſt ſic mixta ideo tantum reſpicit ſonum tanquam obiectum: ſonus ergo eſt obiectum adæquatum formale potentiæ auditiuæ, ſub quo tamen continentur plura obiecta formalia, ſed non adæquata, quia quilibet ſonus ſecundum rationem propriam & formalem poteſt mouere potentiam auditiuam, & terminare actum eius: ponuntur ergo obiecta diſtincta formalia & adæquata eſſe diſtinctarum potentiarum organicarum, quia propter talem mixtionem in organis talis potentia ſic reſpicit vnum obiectum quod non aliud: in potentiis vero non organicis, cuiuſmodi eſt intellectus & voluntas, quia ſunt omnino abſtractæ ab organis, ideo non oportet ponere ſic diſtincta obiecta adæquata: nam ens in quantum ens & vt ſimpliciter complectitur omne ens, eſt adæquatum obiectum potentiæ intellectiuæ vt patet in primo diſt. 3.

m *Dico quod ſi ens*, &c. Hîc modo Doctor incipit dubiè loqui; dicit primò quod ſi poteſt abſtrahi aliqua ratio communis enti creato & increato, tunc ens in communi & obiectum adæquatum intellectus: & hoc ſimpliciter eſt verum, vt probauit ſupra, diſt. 3. q. 3. primi, vbi tenuit expreſsè quòd aſſignare aliquod commune vniuocum pro obiecto adæquato intellectus: & illud commune non poteſt eſſe niſi ens inquantum ens. vide ibi bonas gloſſas.

Non quod per abſtractionem, &c. Nota benè hanc literam, non enim vult Doctor quòd talis

talis conceptus entis. Sic abſtractus ſit adæquatum obiectum intellectus, quia vt ſic, dicit tantùm vnum conceptum numero, vnica intellectione intelligibile, vt patet *in prima quæſt prolog.* Nam adæquatum obiectum intellectus dicitur ens inquantum ens, hoc eſt inquantùm includitur in quolibet ente, ita quòd quodlibet ens ſub ratione propria poteſt mouere intellectum, & terminare actum eius, & etiam ſub ratione communi, quia à tali obiecto communi poteſt abſtrahi conceptus. Conceptus ergo talis communis poteſt dici obiectum adæquatum intellectus inquantùm à quolibet ente intelligibili poteſt abſtrahi vna talis ratio communis, vel conceptus.

n *Et tunc non diſtinguerentur*, &c. Si ponatur ens inquantùm ens, vt eſt commune omni enti, obiectum intellectus, tunc portio ſuperior, & inferior non diſtinguitur per obiecta, id eſt, quòd ſi intellectus habet tantùm ens inquantùm ens pro obiecto, adæquato, reſpicit quodlibet ens; & ſic non oportet ponere in intellectu iſtas portiones ſic diſtingui, intelligendo quòd ſint portiones ibi diſtinctæ ex natura rei. Sed loquendo de portione, vt dixi ſuprà, quæ dicit alium, & alium reſpectum, hoc modo diſtinguitur per obiecta, quia per temporale, & æternum. Similiter intellectus, & voluntas: non diſtinguuntur per obiecta: patet, quia idem obiectum eſt vtriuſque potentiæ, vt patet *diſt. 3 q. 2. & in 4. diſt. 49.*

Intellectus & voluntas quo modo non diſtinguuntur per obiecta.

15.

o *Si autem ens*, &c. Hîc Doctor dicit primò, quòd ſi ens inquantùm ens, non eſt commune vniuocum omni enti, tunc intellectus non habebit vnum obiectum adæquatum, & probat, quia ſi non datur talis conceptus communis, oportet dicere vel quòd vnum obiectum numero ſit adæquatum obiectum intellectus creati, & hoc non, quia ſi illud poneretur, non poſſet poni, niſi eſſentia diuina, quia ipſa ſola continet virtualiter omne ens. Modò ipſa non eſt obiectum proportionatum intellectui creato, ſed tantùm diuino, vt patet *in prologo q. 3, & quæſt. 14. quodlib.* Et ratio eſt, quia eſt formaliter infinita, quia tunc moueret ad cognitionem infinitam. Hoc poteſt elici *diſtinct. 8. q. vlti.* Cætera clara ſunt in litera.

p *Sic etiam, & obiectum potentiæ diuinæ*, &c. Dicit Doctor quòd potentia diuina, quæ eſt productiua ad extrà, quæ tantùm reſpicit poſſibile, vt patet in primo, illud poſſibile quod eſt commune omni operabili, vel producibili, non erit vnum in re dictum vniuocum de omnibus operabilibus, quia à ſenſibili, & in ſenſibili non poteſt abſtrahi vnus conceptus ex natura rei vniuocus, qui prædicatur de ſenſibilibus operabilibus, & inſenſibilibus, cuiuſmodi ſunt Angeli, ſed ſi abſtrahitur aliquid commune, illud non erit per operationem intellectus. Hoc autem Doctor non dicit ſecundùm opinionem propriam, vt patet in primo, diſt. 3. & 8.

q *Vel dic*, &c. Doctor dicit hîc, quòd licèt temporale & æternum ſint diſtincta obiecta, & formalia, non tamen arguunt diſtinctas potentias, ſed vnum illorum eſt via deueniendi in cognitionem alterius: nam intellectus noſter ſicut per cognitionem cauſati deuenit in cognitionem cauſæ primæ, ita per cognitionem temporalis deuenit in cognitionem æterni. *Nota.*

DISTINCTIO XXV.

De libero arbitrio.

A IAm verò ad propoſitum redeamus, ſcilicet, ad liberi arbitrij tractatum: quod Philoſophi definientes dixerunt liberum de voluntate iudicium, quia poteſtas ipſa & habilitas voluntatis & rationis, quam ſuprà diximus eſſe liberum arbitrium, libera eſt ad vtrumlibet: quia liberè poteſt moueri ad hoc, vel ad illud. Liberum ergo dicitur arbitrium, quantùm ad voluntatem: quia voluntariè moueri, & ſpontaneo appetitu ferri poteſt ad ea quæ bona, vel mala iudicat, vel iudicare valet. *Diſt. 24. litera E.*

Quod liberum arbitrium non pertinet niſi ad futurum, nec ad omne futurum.

B HOc autem ſciendum eſt, quòd liberum arbitrium ad præſens, vel ad præteritum non refertur, ſed ad futura contingentia. Quod enim in præſenti eſt, determinatum eſt, nec in poteſtate noſtra eſt, vt tunc

ſit, vel non ſit, quando eſt: Poteſt enim non eſſe, vel aliud eſſe poſtea: ſed non poteſt non eſſe dum eſt, vel aliud eſſe dum id eſt quod eſt: ſed in futuro an hoc ſit, vel illud, ad poteſtatem liberi arbitrij ſpectat. Nec tamen omnia futura ſub poteſtate liberi arbitrij veniunt, ſed ea tantùm quæ per liberum arbitrium poſſunt fieri, vel non fieri. Si quis enim tale quid velit ac diſponat facere, quod in eius nullatenus ſit poteſtate, vel quod ſine ipſius diſpoſitione æquè fieret, in hoc ipſe liberum non habet arbitrium.

Quòd ſuprapoſita deſcriptio liberi arbitrij non conuenit Deo, nec his qui glorificati ſunt.

C *Quòd in Deo ſit liberum arbitrium. Cap. vlt. in tom. 5. 1. Cor. 12. b. In lib. de fide 2. c. 3. in medio capitis.*

ET quidem ſecundùm prædictam aſſignationem, in his tantùm videtur eſſe liberum arbitrium, qui voluntatem mutare, & in contraria poſſunt deflectere: in quorum videlicet poteſtate eſt eligere bonum, vel malum, & vtrumlibet ſecundùm electionem facere, vel dimittere. Secundùm quod, nec in Deo, nec in his omnibus, qui tanta beatitudinis gratia ſunt roborati, vt iam peccare nequeant, liberum arbitrium eſſe poteſt. Sed quòd Deus liberum arbitrium habeat, Auguſtinus docet *in lib. 22. de Ciu. Dei*, ita inquiens, Certè Deus ipſe nunquid quoniam peccare non poteſt, ideò liberum arbitrium habere negandus eſt? Ambroſius quoque *in lib. de Trin.* ait, Paulus dicit, Quia omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult, id eſt, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.

Qualiter in Deo accipitur liberum arbitrium.

D *Hieron. ad Damaſum papam in tom. 1. in fine epiſtola. Luc. 15. c.*

SEd aliter accipitur liberum arbitrium in creatore quàm in creaturis. Dei etenim liberum arbitrium, dicitur eius ſapientiſſima ratio & omnipotens voluntas: quæ non neceſſitate, ſed libera bonitate omnia facit prout vult. Ideóque Hieronymus attendens non ita eſſe liberum arbitrium in Deo ſicut eſt in creaturis, ab ipſo videtur liberum arbitrium excludere, in Homilia quadam de filio prodigo dicens, [Solus Deus eſt in quem peccatum non cadit, nec cadere poteſt. Cætera cùm ſint liberi arbitrij, in vtramque partem flecti poſſunt.] Dum ait, cætera, indicat liberum arbitrium ſicut eſt in cæteris, non ita eſſe in Deo.

Quòd Angeli & Sancti qui iam beati ſunt, habent liberum arbitrium.

E *Auguſt. cap. 30.*

Cap. 105.

Quod liberius erit arbitrium quãdo peccare non poterit.

ANgeli verò & Sancti, qui iam cum Domino feliciter viuunt, atque ita gratia beatitudinis confirmati ſunt, vt ad malum flecti nec velint, nec poſſint, libero arbitrio non carent: vnde Auguſtinus *l. 22. de Ciu. Dei* ait: [Sicut prima immortalitas fuit quam peccando Adam perdidit poſſe non mori: ita primum liberum arbitrium, poſſe non peccare, nouiſſimum, non poſſe peccare. Idem *in Enchiridio*: Sic oportebat priùs hominem fieri, vt benè velle poſſit & malè: Poſtea verò ſic erit, vt malè velle non poſſit: nec ideò carebit libero arbitrio. Multò quippe liberius erit arbitriũ, quod omnino nõ poterit ſeruire peccato. Neque aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, quâ beati ſic eſſe volumus, vt eſſe miſeri nõ ſolùm nolimus, ſed ne

ſed nequaquam prorſus velle poſſimus. Sicut ergo anima noſtra nunc habet non infelicitatem, ita nolle iniquitatem ſemper habitura eſt. Sed ordo ſeruandus fuit : quo Deus voluit oſtendere quàm bonum ſit animal rationale, quod etiam peccare poſſit : quamuis ſit melius quòd peccare non poſſit.] Ecce his verbis euidenter aſtruitur, quòd poſt beatitudinis confirmationem erit in homine liberum arbitrium, quo peccare non poterit : & nunc in Angelis eſt, & in Sanctis, qui cum Domino ſunt : & tantò vtique liberius, quantò à peccato immunius, & ad bonum pronius. Quo enim quiſque ab illa peccati ſeruitute, de qua ſcriptum eſt, *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*, longiùs abſiſtit, tantò in eligendo bonum liberius habet iudicium. Vnde ſi diligenter inſpiciatur, liberum videtur dici arbitrium, quia ſine coactione & neceſſitate valet appetere, vel eligere quod ex ratione decreuerit. *Ioan.8. d.*

De libertatis arbitrij differentia ſecundùm diuerſa tempora.

F EX prædictis perſpicuum fit, quòd maior fuit libertas arbitrij prima quàm ſecunda, & tertia multò maior quàm ſecunda, vel prima. Prima enim libertas arbitrij fuit, in qua poterat peccare, & non peccare. Vltima verò erit, in qua poterit non peccare, & non poterit peccare. Media verò, in qua poteſt peccare, & non poteſt non peccare: ante reparationem etiam mortaliter, poſt reparationem verò ſaltem venialiter.

De quatuor ſtatibus liberi arbitrij in homine.

G ET poſſunt in homine notari quatuor ſtatus liberi arbitrij. Ante peccatum enim ad bonum nil impediebat, ad malum nihil impellebat. Non habuit infirmitatem ad malum, & habuit adiutorium ad bonum. Tunc ſine errore ratio iudicare, & voluntas ſine difficultate bonum appetere poterat. Poſt peccatum verò ante reparationem gratiæ premitur à concupiſcentia, & vincitur, & habet infirmitatem in malo, ſed non habet gratiam in bono : & ideò poteſt peccare : & non poteſt non peccare : etiam damnabiliter. Poſt reparationem verò ante confirmationem premitur à concupiſcentia, ſed non vincitur : & habet quidem infirmitatem in malo, ſed gratiam in bono : vt poſſit peccare propter libertatem & infirmitatem, & poſſit non peccare ad mortem propter libertatem & gratiam adiuuantem : nondum tamen habet poſſe omnino non peccare, vel non poſſe peccare, propter infirmitatem nondum perfectè abſorptam, & propter gratiam nondum plenè conſummatam. Poſt confirmationem verò infirmitate penitus conſumpta, & gratia conſummata, nec vinci poterit, nec premi, & tunc habebit non poſſe peccare. *Hug. de S. Vict. l. 3. ſentent. c. 9. præterea ſciendum, & li. 1. de ſacramentis parte 6. cap. 16.*

De corruptione liberi arbitrij per peccatum.

H VNde manifeſtum eſt, quòd præter alias pœnalitates pro peccato illo, incurrit homo pœnam in corruptione & depreſſione liberi arbitrij. Per illud namque peccatum naturalia bona in ipſo homine corrupta ſunt, & gratuita detracta. Hic eſt enim ille qui à latronibus vulneratus eſt, & ſpoliatus. Vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus *Idē Hug. li. 3. ſenten. ca. præter alias pœnalitates. Luc. 10. c. Iacobi. 1. c.*

non eſt priuatus, alioquin non poſſet fieri reparatio: Spoliatus verò gratuitis, quæ per gratiam naturalibus addita fuerant. Hæc ſunt data optima, & dona perfecta: quorum alia ſunt corrupta per peccatum, id eſt, naturalia: vt ingenium, memoria, intellectus: alia ſubtracta, id eſt, gratuita, quanquam & naturalia ex gratia ſint. Ad generalem Dei quippe gratiam pertinent. Sæpè tamen huiuſmodi fit diſtinctio, cùm gratiæ vocabulum ad ſpeciem, non ad genus refertur. Corrupta eſt ergo libertas arbitrij per peccatum: & ex parte perdita. vnde Auguſtinus *in Ench.* Libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit, & ipſum. Cùm enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus eſt, huic ſeruus addictus eſt.] Ecce liberum arbitrium dicit hominem amiſiſſe: non quia poſt peccatum non habuerit liberum arbitrium, ſed quia libertatem arbitrij perdidit: non quidem omnem, ſed libertatem à miſeria & à peccato.

Aug. cap. 30. 2. Pet. 2. d.

De tribus modis libertatis arbitrij.

I

De libertate à neceſſitate,

EST namque libertas triplex, ſcilicet à neceſſitate, à peccato, à miſeria. A neceſſitate: & ante peccatum & poſt æquè liberum eſt arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modò. Ideóque voluntas meritò apud Deum iudicatur, quæ ſemper à neceſſitate libera eſt, & nunquam cogi poteſt. Vbi neceſſitas, ibi non eſt libertas: vbi non eſt libertas, nec voluntas, & ideò nec meritum. Hæc libertas in omnibus eſt, tam in malis quàm in bonis. Eſt & alia libertas, à peccato, ſcilicet, de qua dicit Apoſtolus, Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Et veritas in Euangelio, Si Filius vos liberauit, verè liberi eritis. Hæc libertas à ſeruitute peccati liberat, & ſeruos iuſtitiæ facit: ſicut è conuerſo ſeruitus peccati liberos iuſtitiæ facit, vnde Apoſtolus; Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Et item, Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Hanc libertatem peccando homo amiſit. Ideóque Auguſtinus dicit, quòd homo malè vtens libero arbitrio, & ſe perdidit, & ipſum: quia perdita eſt per peccatum libertas, non à neceſſitate, ſed à peccato. Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

De libertate à peccato.
2. Cor. 3. d.
Ioan. 8. e.
Rom. 6. d.
In Ench. cap. 30.
Ioan. 8. d.

Qui habent hanc libertatem, ſcilicet, à peccato, & per quid.

K

Ioan. 8. e.

ISTam libertatem quæ eſt à peccato, illi ſoli nunc habent, quos Filius per gratiam liberat, & reparat: non ita quòd penitus ſint ſine peccato in hac mortali carne, ſed vt in eis peccatum non dominetur neque regnet. Et hæc eſt vera & bona libertas, quæ bonam parit ſeruitutem, ſcilicet iuſtitiæ. vnde Auguſtinus *in Ench.* ait, [Ad iuſtitiam faciendam non erit aliquis liber, niſi à peccato liberatus, eſſe iuſtitiæ cœperit ſeruus: & ipſa eſt vera libertas, propter * recti facti lætitiam, ſimul & pia ſeruitus, propter præcepti obedientiam.] Eſt alia libertas non vera, malæ ſeruituti adiuncta, quæ eſt ad malum faciendum: vbi ratio diſſentit à voluntate, iudicans non eſſe faciendum quod voluntas appetit: ad bonum verò faciendum concordat ratio voluntati, & ideò ibi vera libertas eſt, & pia. De libertate autem ad malum, & ſeruitute mala, ait Auguſtinus *in Ench.* [Seruo addicti peccato, ſcilicet quæ poteſt eſſe libertas, niſi quando eum peccare dele

Rom. 6. e. cap. 30. alias, rectè faciendi licentiam.

Cap. ſuperius citato.

delectat. Liberaliter enim ſeruit, qui ſui Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſeruus eſt.]

Quæſtio de libertate ad malum, an ſit ipſa libertas liberi arbitry, an alia?

L Hic quæri poteſt, Vtrùm hæc libertas, qua quis liber eſt ad malum, ſit libertas arbitrij? Si enim libertas arbitrij eſt, bonum quidem eſt: quia libertas arbitrij bonum naturale eſt. Quibuſdam videtur, quòd ſit ipſa libertas arbitrij, quæ ſemper bona eſt, ſed propter peccati ſeruitutem ad malum fit liberior & pronior: & ideò dicitur non eſſe vera libertas, quia ad malum eſt. Aliis autem videtur, quòd hæc libertas ad malum, quam *ſuprà* commemorauit Auguſtinus non ſit ipſa libertas arbitrij: ſed ſit quædam pronitas peccandi, & curuitas quæ ex peccato eſt, & mala eſt. *Reſponſio ſecundum quoſdam.*

Quæſtio alia de libertate ad bonum, an ipſa ſit libertas arbitrij, an non?

M Similiter etiam quæri ſolet, Vtrùm illa libertas vera, quæ eſt ad iuſtitiam faciendam ſit ipſa libertas arbitrij? Quidam dicunt illam eandem eſſe, ſed reparatam per gratiam, qua iuuante libera eſt ad bonum: ſine gratia verò non eſt libera ad bonum. Vnde Auguſtinus *in Ench.* [Iſta libertas ad benefaciendum, vnde erit homini addicto & vendito ſub peccato: niſi eum redimat, qui dicit, Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum eſt liber ad operandum benè?] Ecce apertè oſtendit liberum arbitrium per gratiam liberari, vt per illud benè operetur quis. Ideóque dicunt illam libertatem veram, quæ eſt ad benè faciendum, cuius *ſuprà* meminit Auguſtinus eſſe libertatem ipſam arbitrij gratia Dei liberatam & adiutam. Alij verò putant non eſſe ipſam arbitrij libertatem, ſed aliam quandam: quæ ex gratia & libero arbitrio in mente hominis, Deo operante, incipit eſſe cum reparatur. *Reſponſio ſecundum quoſdam. Aug. c. 30. Ioan. 8. e.*

Certa determinatio vtriuſque quæſtionis, qua dicitur libertas ad bonum, & ad malum eſſe libertas arbitrij.

N Verùm nobis magis placet, vt ipſa libertas arbitrij ſit, & illa qua quis liber eſt ad malum, & illa qua quis liber eſt ad bonum faciendum. Ex cauſis etiam variis ſortitur diuerſa vocabula. Dicitur enim libertas ad malum faciendum, antequam per gratiam ſit reparata: ſed cùm per gratiam fuerit reparata, dicitur libertas ad bonum faciendum: quia ante gratiam libera eſt voluntas ad malum, per gratiam verò libera fit ad bonum. Semper ergo voluntas hominis aliquo modo libera eſt, ſed non ſemper bona eſt. Non enim eſt bona, niſi à peccato liberata, eſt tamen à neceſſitate libera. Vnde Auguſtinus *in lib. de gratia & libero arbitrio.* Semper in nobis voluntas libera eſt: ſed non ſemper bona eſt. Aut enim libera eſt iuſtitiæ quando ſeruit peccato, & tunc eſt mala, aut à peccato libera eſt quando ſeruit iuſtitiæ, & tunc eſt bona. *Ad Valentinũ c. 15. Tom. 7. Rom. 6. d.*

De libertate à miſeria.

O *Rom.8.d.* EST iterum libertas à miſeria: de qua Apoſtolus ait: Et ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Hanc libertatem habuit homo ante peccatum, quia omni carebat miſeria, & nulla tangebatur moleſtia: & plenius habebit in futura beatitudine, vbi miſer eſſe non poterit. Sed in hac vita, quæ eſt inter primum peccatum & vltimam confirmationem, nemo à miſeria liber eſt: quia pœna peccati non caret.

Repetit de corruptione liberi arbitrij, vt addat alia.

P EX prædictis iam apparet in quo per peccatum ſit imminutum, vel corruptum liberum arbitrium: quia ante peccatum nulla erat homini difficultas, nullúmque impedimentum de lege membrorum ad bonum, nulla impulſio, vel inſtigatio ad malum. Nunc autem per legem carnis ad bonum impeditur, & ad malum inſtigatur: vt non poſſit velle & perficere bonum, niſi per gratiam liberetur & adiuuetur: quia vt ait Apoſtolus: Peccatum habitat in carne. Liberum ergo arbitrium cum ſemper & in ſingulis ſit liberum, non eſt tamen pariter liberum in bonis & in malis, & ad bona & ad mala. Liberius eſt enim in bonis, vbi liberatum eſt: quàm in malis, vbi liberatum non eſt. Et liberius eſt ad malum quod per ſe poteſt: quàm ad bonum, quod niſi gratia liberetur & adiuuetur non poteſt.

Ad Phi. 2.b.

Rom.7.d.

Quod non eſt pariter liberum arbitrium in bonis & in malis.

De libertate quæ ſit ex gratia, & quæ ex naturæ.

Q *Rom. 7.c.* LIbertas ergo à peccato & à miſeria per gratiam eſt: libertas verò à neceſſitate, per naturam. Vtramque libertatem naturæ ſcilicet & gratiæ, notat Apoſtolus cum ex perſona hominis non redempti ait, velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: ac ſi diceret, habeo libertatem naturæ, ſed non habeo libertatem gratiæ: ideò non eſt apud me perfectio boni. Nam voluntas hominis, quam naturaliter habet, non valet erigi ad bonum efficaciter volendum, vel opere implendum, niſi per gratiam liberetur & adiuuetur. Liberetur quidem, vt velit, & adiuuetur, vt perficiat. Quia, vt ait Apoſtolus, Non eſt volentis velle, neque currentis currere, id eſt, operari: ſed miſerentis Dei, qui operatur in nobis velle & operari bona: cuius gratiam non aduocat hominis voluntas vel operatio, ſed ipſa gratia voluntatem præuenit præparando vt velit bonum, & præparatum adiuuat vt perficiat.

Quid poſſit per ſe hominis voluntas, & quid per gratiam.

Rom.9 c.

Ad Phil. 2.b.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum aliquid aliud à voluntate, cauſet effectiuè actum volendi in voluntate?

Alenſis 2.*p.q.*74.*m.*4.& 8. D.Tho. 1.*p.q.*83.*a.*1.2.3.4.& 3.*q.*18.*a.*4. Henr. *quodl.*12.*q.*5. Goffr.*quodl.* 6.*q.*7.& *quodl.*8.*q.*12. Bellar.*l.*3.*de gratia & lib. per totum.* Caſtro *contra Hæreſes.v.liberum arbitrium. Vide* Scot.4.*d.*49.*q.*11.*n.*10.& 2. *Phyſ.q.*13.

1. CIrca diſtinctionem vigeſimamquintam, in qua Magiſter reuertitur ad determinandum de libero arbitrio, quod conſiſtit in voluntate, de quo diſtinctione præcedenti fecerat mentionem; quæro vnum, Vtrùm aliquid aliud à voluntate, cauſet effectiuè actum volendi in voluntate? Quòd ſic, probo, *tertio de Anima*, ponit Ariſtoteles ordinem mouentium, & motorum, ſic, ſcilicet quòd appetibile eſt mouens non motum: appetitus mouens,& motum, ab ipſo ſcilicet obiecto appetibili: & tertiò motum non mouens, quod ſcilicet mouetur per actum,& imperium voluntatis, vel appetitus, vt corpus animalis: non poteſt dici, quòd appetibile mouet metaphoricè, ſicut finis mouet, quia tunc Philoſophus ſtatim æquiuocaret de mouente in ſuo proceſſu, cùm dicit, quòd primum, puta appetibile, mouet ſecundum,ſcilicet appetitum: & ſecundum, ſcilicet appetitus, mouet tertium, quia ſecundum, ſcilicet appetitus, mouet propriè; & in eſſentialiter ordinatis, videtur quòd eo genere motus, quo mouetur vltimum à medio, moueatur medium à primo. *Arg.*1. *Tex.*54.

Item voluntas non eſt potentia actiua: ergo effectiuè non cauſat ſuam volitionem: & oportet tunc quod ab alio cauſetur. Conſequentia patet. Probo antecedens, quia potentia actiua, eſt principium tranſmutandi aliud inquantùm aliud, *quinto Metaph.* & ſic potentia actiua habet actum tranſeuntem in aliud: ſed voluntas non poteſt agere in obiectum: quia illud non patitur à potentia: magis igitur eſt dicendum è conuerſo. *Arg.*2. *Tex.com.* 17.

Item, accidens per accidens, non egreditur de per ſe principiis ſui ſubiecti: ſed volitio eſt accidens per accidens, quia quandoque ineſt, quandoque non ineſt: ergo, &c. *Arg.*3.

Item, quod eſt de ſe indeterminatum ad vnum oppoſitorum, inquantùm huiuſmodi, non agit niſi concurrat agens determinans: quia vt indeterminatum non plus ſe habet ad *eſſe* effectus quàm ad *non eſſe*: voluntas autem de ſe, ſic ſe habet ad actum ſuum: quare oportet dare aliud agens, quod non videtur eſſe, niſi obiectum. *Arg.*4.

SCHOLIVM.

Probat ex Sanctis & ratione, ſi voluntas eſſet tantùm paſſiua, quòd tolleretur libertas, quia hæc in voluntate excludente neceſſitatem conſiſtit,ita Ambr.2.de fide.3. Aug.3.de lib.arb.1.& 5.ciu.9.Proſper.primo de voc.gen.c.3.Bern.lib.de gratia & lib.arb.& ſer. 181 *in cant.Concil.Arauſ.can.*3.

2. AD oppoſitum, per Auguſtinum *duodecimo de Ciuit. c.*6. dicit, quòd ſi duo ſint æqualiter affecti animo, & corpore, & poſtea tententur eadem pulchritudine,vel obiecto, vnde eſt, quòd vnus cadit,& alius non cadit? Et dicit, quòd hoc ſolum eſt à voluntate. Idem dicit Anſelmus *de Concep. Virgin.cap.*8. *Ratio opp. al* 4.

Item Auguſtinus 2.*de Lib.arb.* quòd niſi ea, quæ ſunt voluntaria nobis,eſſent poſita in poteſtate noſtra,voluntas neque eſſet laudanda, neque vituperanda, neque etiam eſſet monenda, & qui dicit,vel ſentit voluntatem non eſſe monendam, talis eſt exterminandus ab hominum numero.

Arguo igitur ſic,[a] In poteſtate patientis non eſt, quòd ipſum patiatur,inquantùm

[a] patiens.

Si voluntas eſſet tantũ paſſiua, nõ eſſet libera.

patiens. Probatio, quia patiens non patitur, niſi quia agens agit: ſed prius non eſt in poteſtate poſterioris: igitur actio agentis non eſt in poteſtate patientis, inquantùm patiens: igitur nec paſſio eius: probatio, quia ſi agens agit, patiens neceſſariò patitur: ergo voluntas ſi eſt ſolùm receptiua & paſſiua, reſpectu ſuæ volitionis, nulla volitio eſt in poteſtate eius: ergo, &c.

Item adducuntur auctoritates Anſelmi *voluntas mouet nos tanquam ſua inſtrumenta*, & de Concep. virgi c. 4. *Voluntas inſtrumentum ſeipſum mouens*, & Auguſtinus primo lib. retract. cap. 22. vbi dicit, quòd *Nihil eſt tam in poteſtate noſtra quàm ipſa voluntas*: igitur ex hoc poteſt haberi, quòd nulla actio in nobis eſt ita à nobis, ſicut volitio voluntatis.

Item Auguſtinus 83. quæſtionum quæſt. octaua: auctoritas etiam Ariſtotelis 9. Metaphyſic. cap. octauo, vbi dicit, quòd *poteſtas rationalis eſt ad oppoſita*, igitur cùm, ſecundùm ipſum, oporteat tale indeterminatum determinari ab alio (ideò ſubdit Ariſtoteles hoc ſoluendo, *hoc autem dico appetitum, & prohæreſim*, id eſt, electionem) igitur appetitus eſt effectiuus ſuæ volitionis.

Tex. c. 10.

Item vna ratio talis, obiectum voluntatis eſt finis, ad quem terminatur eius volitio, & propter quem eſt volitio eius: ſed finis non mouet niſi metaphoricè, *primo de Gener.* igitur non effectiuè, inquantùm finis, quia verè mouens effectiuè, mouet propter finem, ſed finis inquantùm finis, non mouet propter finem: ergo nullum obiectum voluntatis ipſam mouet ad volendum effectiuè: ergo à ſe mouetur.

Tex. c. 35.

Item, nobiliſſimæ potentiæ conſequentes formam nobiliſſimam, non poſſunt eſſe tantùm paſſiuæ: intellectus, & voluntas ſunt nobiliſſimæ potentiæ, maximè voluntas: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

1. NOta, quòd Doctor in iſta diſtinctione recitat duas opiniones, quæ concordant in hoc, quòd aliquid aliud à voluntate effectiuè cauſat actum volendi, ſed differunt in modo: nam prima, quæ eſt Gotfredi *quodlib. 6. q. 7. & quodlib. 8. q. 12. & alibi.* Vult quòd phantaſma exiſtens in virtute phantaſtica, cauſet effectiuè volitionem, quâ voluntas vult obiectum, cuius eſt tale phãtaſma. Et alia opinio vult quòd ipſum obiectum cognitum ſit cauſa huiuſmodi cognitionis, & non vult quòd ſit ipſum obiectum, vt tantùm habet *eſſe* cognitum, ſed quòd ipſa intellectio actualis quâ obiectum ipſa habet *eſſe* cognitum eſt cauſa volitionis in voluntate, quâ ipſa voluntas vult tale obiectum, cuius eſt talis cognitio, & iſta opinio ſecunda eſt ibi: *Alia eſt opinio.*

Opinio Gotfredi.

a *Arguo igitur ſic: In poteſtate*, &c. Hîc Doctor ſupponit vnum ex auctoritatibus præcedentibus, ſcilicet quòd actus volũtatis ſit in poteſtate eius, alioquin ſecundùm illum actum non eſſet laudanda, vel vituperanda, quo ſuppoſito probat intentum, quòd aliud à voluntate non eſt cauſa effectiua ipſius actus, qui dicitur eſſe in poteſtate voluntatis. Et arguit ſic: *in poteſtate patientis non eſt, quòd ipſum patiatur inquantùm patiens*; patet iſta, quia patiens inquantùm patiens ex hoc dicitur, quia ſe habet in ratione recepti-ui, vt puta lignum approximatum igni in hoc, quòd recipit calorem ab igne dicitur pati. Quæro modò à quo habet, quòd dicatur pati, certum eſt quòd ab igne cauſante calorem in ligno, ideò enim patitur ab igne, quia recipit calorem ab ipſo, & ſi ignis non cauſaret calorem in ligno, tunc lignum non diceretur pati ab igne, ergo ſequitur, quòd talis calor productus ab igne præintelligitur ipſo patiente, vt patiens eſt. Cum ergo poſterius inquantùm poſterius non habeat in poteſtate ſua prius, ſequitur quòd inquantùm patiens non habet in poteſtate ſua calorem ſecundùm quem patitur, quia calor priùs producitur in eſſe ab ipſo igne, quàm lignum inquantùm patiens dicatur pati ſecundùm talem calorem. Si ergo voluntas per te, patiatur ab obiecto recipiendo volitionem tanquam à cauſa productiua illius, ſequitur quòd illa volitio prius eſt in poteſtate obiecti efficiẽtis, & ſic ſequitur quòd ipſa inquantùm patitur, eſt poſterior volitione, & ſic non habet in poteſtate ſua illam; ergo ſi ſecundùm Sanctos voluntas habet in poteſtate ſua volitionem, ſequitur quòd habebit in poteſtate ſua inquantùm eſt prior ipſa: & ſic voluntas erit cauſa effectiua volitionis, & non inquantùm paſſiua, vel receptiua, & inquantùm actiua ſaltem eſt prior natura, vt patet *diſt. 1. q. 1. huius ſecundi*, & inquantùm paſſiua, & ſub illa ratione qua patitur eſt poſterior.

SCHOLIVM.

Ponitur opinio Goffredi cum ſuis fundamentis, quæ tenet volitionem effici à phantaſmate, quia mouens & motum ſunt diſtincta ſubiecto, & idem nequit eſſe agens & patiens.

Gotf. quodl. 6. q. 7. & quodl. 8.

DIcitur hîc ab vno doctore moderno, quòd aliquid aliud à voluntate, eſt effectiua cauſa volitionis in ipſa, & illud ponit eſſe phantaſma. Ratio ſua principalis eſt iſta; 3.

Eſt iſta, oportet mouens & motum eſſe diſtincta ſubiecto: ſed in parte animæ intellectiua, nihil poteſt eſſe diſtinctum ſubiecto à voluntate: igitur ibi nihil eſt motiuum ipſius: igitur oportet eſſe aliquid aliud extra partem intellectiuam & illud ponitur phantaſma. Primam propoſitionem ſic, quia idem eſt ponere mouens & motum non eſſe diſtincta ſubiecto, & idem mouere ſe quod eſt impoſſibile. Primò quia idem tunc reſpectu eiuſdem eſſet in actu & potentia: quia 3. Phyſic. dicitur quòd *tale eſt mouens in actu, quale eſt mobile in potentia.* *Gotf. quodl. 6. q. 7. & quodl. 8. q. 12. & quod lib. 9. & q. 14. & quod lib. 13. q. 3. Tex. c. 17. & ſeq.*

Item dicit, quòd illud, ſcilicet quòd idem non poteſt ſeipſum mouere, eſt principium Metaphyſicum: ideò tollere illud, eſt auferre principium requirendi veritatem in Metaphyſica. *Tex. c. 70.*

Secunda ratio eſt talis; materia & efficiens non coincidunt in idem numero, 2. *Phyſi.* ergo nec agens, & patiens. *Tex. c. 20.*

Item, *quinto Metaphyſi.* mouens refertur ad mobile realiter: ſed eiuſdem ad ſeipſum non eſt relatio realis. Probatio, quia relatiua realiter ſunt realiter oppoſita: ſed oppoſita ſimul non poſſunt competere eidem. *Tex. c. 10.*

Item, agens approximatum paſſo diſpoſito, agit neceſſariò: ideò dicit Ariſtoteles *ſecundo de Anima*, quòd ſi ſenſus eſſet actiuus, ſemper ageret, ſicut ignis ſemper comboreret, ſi haberet combuſtibile præſens: ergo eodem modo, voluntas ſemper vellet, ſi eſſet cauſa actiua ſuæ volitionis. *Tex. c. 52.*

Dices, quòd voluntas libera eſt; ideò non ſequitur quòd ſemper agat ſicut ignis, qui non eſt liber. Contrà, ſaltem ſequitur quòd ſemper poteſt agere cùm vult, & ſemper poteſt velle.

4. Dices, quòd obiectum apprehenſum requiritur, ſicut cauſa ſine qua non: quia ſecundùm Auguſtinum, *Inuiſa poſſumus diligere, incognita nequaquam.* *S. Tri. 4. & 9.*

Contrà, quia ſic poſſet ſuſtinere, quòd quodlibet agit in ſe: nam ſi lignum approximatum igni comburatur, dicam eodem modo, quòd ignis non comburit: ſed lignum comburit ſe, & ignis eſt cauſa ſine qua non: & ſic dicam de omnibus. *Trin. 3. & 10. Trin. 1. & alibi.*

Item ad principale, Omne agens æquiuocum eſt nobilius effectu ſuo, ſed voluntas, ſi cauſat volitionem ſuam, non cauſat niſi ſicut cauſa æquiuoca: igitur voluntas, vt præcisè eſt cauſa actiua, vel principium productiuum volitionis, cùm ex hoc, quòd eſt principium productiuum volitionis, non ſit habens volitionem: ſequeretur quòd eſſet nobilior quàm vt volens formaliter. Dicit ergo illa opinio, quòd intellectus agens, nec mouet intellectum poſſibilem, nec voluntatem, ſed phantaſma irradiatum ab intellectu agente, mouet immediatè intellectum poſſibilem: quia quanquam vbi ſit phantaſma, ibi ſit intellectus: intellectus tamen eſt alicubi, vbi non eſt phantaſma: & ſic ſaluatur quòd mouens, & motum ſunt diſtincta ſubiecto: phantaſma igitur irradiatum immediatè cauſat intellectionem, & volitionem immediatione cauſæ, ſed non immediatione effectus: quia priùs cauſat intellectionem, quàm volitionem.

SCHOLIVM.

Sententia Henricii in quam videtur inclinare D. Thomas eſt, volitionem fieri ab obiecto cognito, ſicut ſenſatio fit ab obiecto ſenſibili.

5. ALia eſt opinio Doctoris antiquioris, quæ ponit eandem concluſionem, ſcilicet, quòd voluntas mouetur ab alio, ſed ponit illud aliud eſſe obiectum cognitum, vel intellectum. Et hoc confirmatur per auctoritatem Auerroïs *duodecimo Metaph.* qui dicit, quòd balneum in re extrà, mouet vires ſenſitiuas, quas ſcilicet mouet effectiuè: ſed balneum in anima mouet voluntatem: igitur obiectum vt cognitum mouet effectiuè appetitum. Item, appetitus ſenſitiuus effectiuè mouetur ab appetibili ſenſibili: igitur & intellectiuus ab appetibili intelligibili. *Henric. quodl. 12. q. 5. Com. 36. Quære D. Tho. 1. contra gen. 7. & 8. 1 Phyſ. & in q. de potentia & 1. p. q. 77. & 1. 2. q. 9. & 3. par. q. 32.*

Si dicas contra hoc, quod non eſt, non poteſt eſſe cauſa alicuius entis: ſed obiectum intelligibile poteſt eſſe non ens in ſe ſimpliciter: ergo non poteſt eſſe cauſa volitionis. Reſpondent, quòd obiectum, vt cognitum, cauſat, & hoc eſt dicere, quòd intellectus per intellectionem ſuam cauſat volitionem, & ſic non oportet quòd illud, quod cauſat hoc, ſit nihil: cognitio enim abſtractiua non eſt nihil in intellectu, licèt obiectum non ſit in ſe, vel in re extra. Iſtæ duæ opiniones concordant in hoc, quòd ponunt aliquid aliud à voluntate mouere ipſam, ſed diſcordant in mouente, vt patet.

SCHO

SCHOLIVM.

Refutat opiniones allatas. Primò, quia voluntas poteſt habere nolle & velle circa idem omnino immutatum, ſed contraria circa idem non poſſunt effici ab agente naturali, ergo nec velle & nolle ab obiecto, vel phantaſmate. Secundò, alias volitio non eſſet in poteſtate voluntatis, quia paſſio non eſt poteſtate patientis.

Agens naturale non cauſat cõtraria in idẽ paſſum.

CONtrà concluſionem in ſe, ſunt rationes principales, & replico eas ſic deducendo: agens naturale non poteſt eſſe per ſe cauſa contrariorum circa idem paſſum (vt excludatur per hoc inſtantia de diſſolutione glaciei, & conſtrictione luti) ſed in poteſtate voluntatis noſtræ eſt habere *nolle*, & *velle*, quæ ſunt contraria reſpectu vnius obiecti: ergo illa non poſſunt fieri ab agente naturaliter: ego non ab obiecto, quia eſt agens naturale. Eſto igitur quod obiectum eſſet cauſa ipſius velle, oportet tamen eſſe aliud, quod eſſet cauſa ipſius *nolle*: ſed illud aliud à voluntate, non poſſet eſſe niſi obiectum malum: ſed malum cum ſit quid priuatiuum non poſſet eſſe cauſa actus poſitum, cuiuſmodi eſt *nolle*: ergo oportet, quod ſit effectiuè à voluntate. 6.

Si voluntas, non eſt actiua nec libera.

Itẽ, paſſio c non eſt in poteſtate patientis ſpecialiter, quãdo eſt ab agente naturali, ſed ſi obiectum eſt agens naturaliter volitionem, & non voluntas: igitur & volitio non erit in poteſtate voluntatis, & ſi ſic, tunc nec aliquis actus alius, imperatus à volũtate, erit in poteſtate volũtatis: & ſic nec merebitur, nec demerebitur per volitionẽ

Dicitur, quòd pro tanto d in poteſtate voluntatis eſt volitio, pro quantò poteſt determinare intellectum ad conſiderationem huius, vel illius, vel auertere eum ab hoc vel ab illo: & ſic eſt in poteſtate voluntatis volitio, licet non quantum ad actum primum. 7.

Contrà accipio primam actionem in voluntate, cauſatam ab obiecto, quodcunque ſit illud, quod oportet ponere ſecundùm te, illa actio eſt mere naturalis: ergo illa non eſt in poteſtate voluntatis: nec enim eſt in poteſtate noſtra, quin viſis tangamur, ſecundum Auguſtinum. Si igitur poſt iſtum actum poſſum mouere intellectum ad conſiderandum hoc, vel illud: quæro per quem actum non per iſtum, quia iſte non eſt in poteſtate voluntatis: ergo oportet per alium. De illo alio, quæro, vnde eſt, vel eſt ab ipſa voluntate, vel ab obiecto, vel à phantaſmate? Si à voluntate, habeo propoſitum: quia tunc eſt in eius poteſtate illa volitio, & eſt effectiuè ab ipſa: & eadem ratione prima volitio, aut eſt ab alio, ſcilicet ab obiecto, vel phantaſmate, & ſi ſic, tunc erit actus naturalis, & per conſequens, non plus erit in poteſtate voluntatis ſic imperare intellectui, de conſideratione huius, vel illius, quam fuerit primus actus.

ADDITIO. *Ex iſtis deductionibus poteſt colligi talis ratio: ſi voluntate poteſt conſiderationem hanc imperare, & ſibi oppoſitam; quæro per quid? ſi per ſeipſam: habetur propoſitum. ſi non, ſed per obiectum mouens, cum ipſa motio obiecti non ſit in poteſtate voluntatis, quia ſecundùm eam neceſſariò mouetur: igitur nec in poteſtate hominis erit volitio ſequens, quæ imperatur per illam motionem: quia mouens, quod non mouet, niſi in quantum mouetur: ſi in poteſtate eius non ſit, quod mouetur: nec in poteſtate eius erit, quod moueat ad volitionem ſequentem: Illa enim non erit in poteſtate voluntatis: & ita in toto proceſſu erit volitio naturalis, & non erit niſi ordo, & circulatio mõtorum, & mouentium naturaliter.*

Dices, quòd in conſiderando per intellectum, poteſt occurrere impedimentum in illa circulatione actuum: eſt enim iſti phantaſmati primo mouenti coniunctum aliud, & aliud, quaſi vicinum ſibi, & ideò fortiùs mouet, vel poteſt mouere intellectum ad intellectionem, vel conſiderationem ſui, & per conſequens voluntatem ad actum volitionis, ita quòd non erit neceſſe, quòd obiectum, quod primò occurrit, cauſet volitionem: ſi enim cogito aliquid delectabile mouens appetitum, non eſt neceſſe moueri ad illud, quia poteſt occurrere per conſiderationem intellectus aliud obiectum, magis mouens voluntatem, ita quòd ſiſtat voluntas à prima ſua volitione 8

Sed contrà, concedo quòd poteſt occurrere impedimentum à caſu: ſed illud non erit in poteſtate voluntatis, nec ad imperium eius: eodem enim modo eſt de appetitu

titu bruti : nam bos videt herbam, quæ mouet appetitum ſuum, & ex illo appetitu mouetur progreſſiuè ad herbam: ſed ſi in motu illo occurrit obiectum, magis delectabile, fortiùs mouens appetitum, tunc ſiſtitur à primo motu : & tamen non liberè, quia neceſſariò mouetur ab illo maiori delectabili occurrente, quanquam caſualiter occurrat.

Henr. ſuprà. Alij dicunt ad rationem, quod obiectum intellectus occurrit ſub duplici ratione, ſcilicet, ſub ratione illiciti, & ſub ratione delectabilis ; vt patet in obiecto fornicationis: & tunc in poteſtate voluntatis eſt ſiſtere intellectum in turpi, dimittendo aliam partem: & tunc ſequitur mala electio.

Delectabile & turpe quomodo ſimul mouẽt voluntatẽ Contrà, quæro, vel iſtæ duæ rationes æqualiter mouent, vel non? ſi æqualiter, ergo cauſabunt ſimul nolle, & velle in voluntate, reſpectu eiuſdem obiecti : quod eſt impoſſibile. ſi inæqualiter mouent, ergo alterum mouet efficacius voluntatem, & mouet naturaliter, & neceſſariò: & per conſequens non erit illa volitio in poteſtate voluntatis : ſed neceſſariò etiam, ſecundùm illam mouebit intellectum : non igitur poterit ſiſtere eum in alio.

COMMENTARIVS.

1. b *Contra concluſionem in ſe*, &c. In iſta ratione Doctor ſupponit ſcilicet quòd nulla cauſa naturalis circa idem paſſum poteſt eſſe cauſa contrariorum. Iſta propoſitio ſic declaratur, & ſuppono quòd *A*, ſit cauſa naturalis & diſpoſita, & paſſum circa quod agit ſit optimè diſpoſitum, quia hoc modo loquitur Doctor de cauſa naturali & paſſo diſpoſito. Si dicas quòd aqua poteſt producere duo contraria, puta frigiditatem & caliditatem, in tanta intenſione vt ſint contraria, ſequitur quòd aut non producet, aut duo contraria ambo ſimul, quia ſi aliquid poteſt producere circa aliquod paſſum optimè diſpoſitum, æquè ſimul poterit producere illa duo contraria: patet, quia ſi cauſa ſit naturalis & agat ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ & non eſt magis determinata ad vnum quàm ad aliud, ſequitur quòd duo contraria in eodem inſtanti producit, & in eodem paſſo, quod eſt impoſſibile, & non poteſt dici quod tantum vnum producat : quia non eſt maior ratio de vno quam de alio : & ſi non poteſt producere iſta duo ſimul, ſequitur quòd nec etiam ſucceſſiuè, quia ſtante æquali diſpoſitione & æquali virtute circa idem paſſum æquè diſpoſitum, nõ eſt maior ratio quòd vnum producat quàm aliud : & ſic ſequitur quod vel duo contraria ſimul producet vel quod nihil, quod eſt inconueniens.

Deinde ſupponit Doctor quod velle & nolle ſint duo contraria vt dixit *in primo diſt. 4. & in ſecundo d. 7. & in tertio d. 30.* quod velle & nolle reſpectu eiuſdem obiecti, ſunt contraria, nam ad ipſa ſequitur contradictio ſicut communiter ad contraria *ex 4. Metaph.* quòd modò ſit aliqua cauſa alia à voluntate, quæ ſit cauſatiua *velle* & *nolle* reſpectu vnius & eiuſdem obiecti, loquendo de cauſa naturali, videtur omnino impoſſibile. Et quia dicit hîc Doctor quòd malum non poteſt eſſe cauſa ipſius nolitionis, cum ſit nihil, quia eſt ſola priuatio boni: ſi diceretur hîc quòd vult etiã quod malitia aliqua ſit ens poſitiuum vt patet de iniuſtitia contrariè ſumpta : & patet à Doctore in 2. diſt. 7. & infrà, diſtin. 41. & in ſimili in tertio diſt. 30. ergo talis malitia quæ eſt ens poſitiuum poterit eſſe cauſa. Dico quòd talis malitia dupliciter poteſt conſiderari vt puta habitus iniuſtitiæ : aut enim conſideratur vt dicit carentiam bonitatis, quæ deberet ineſſe & ſic dicit priuationem ; aut vt eſt quidam habitus acquiſitus ex frequentatis actibus, & tunc eſt quid poſitiuum, & eſt verum ens : & tale vt ſic, & cauſatiuum alicuius actus voluntatis maximè erit cauſatiuus volitionis ſicut & aliud ens poſitiuum. Malitia ergo propriè formaliter ſumpta ſiue malum, eſt ſola priuatio boni : hoc patet à Doctore infrà diſt. 34. & in reſponſione ad argumenta.

c *Item paſſio non eſt in poteſtate patientis*, &c. Nota quia Doctor dicit quòd paſſio, &c. maximè ſi eſt ab agente naturali, hoc non dicit ſecundùm mentem propriam, quòd ſi eſſet ab agente libero quod tunc poſſet eſſe in poteſtate patientis, quia *in diſt. 17. primi* probat quod actus meritorius ex hoc dicitur meritorius in volũtate noſtra quia principium merendi eſt in poteſtate noſtra: & ſi voluntas diuina produceret illum actum, non diceretur mereri ſecundùm illã, ita vt mereri ſit in poteſtate illius. Dicit ergo Doctor quòd etſi ſecundùm aliquos poſſet concedi quòd paſſio, ſiue actus quo aliquid patitur, dicatur in poteſtate patientis, quando ille actus producitur ab agente libero : tamen eſt manifeſtè falſum de agente naturali, quòd ſemper agit de neceſſitate, & ſecundùm vltimũ potentiæ ſuæ. 2.

Si dicatur, nonne voluntas dicitur formaliter libera quando recipit actum intelligendi ? hoc patet à Doctore in primo diſt. 3. q. 7. actus enim bonus vel malus dicitur quia liber: ergo ſi voluntas formaliter dicitur libera per actum quem recipit, videtur quòd in quantùm recipit, ille actus ſit in poteſtate ſua quia liber. Dico quòd aliud eſt dicere volontatem eſſe liberam formaliter, & denominatiuè, quia recipit actum liberè productum; & aliud eſt dicere voluntatem eſſe liberam ita quòd habet in poteſtate ſua liberè poſſe producere talem vel talem actum : libertas enim ex hoc attenditur, quia habet in poteſtate ſua merè liberè poſſe producere *velle* & *nolle*, reſpectu vnius & eiuſdem obiecti, licèt ſucceſſiuè : & ſic per ſe dicitur libera in quantum principium productiuum, vt patet à Doctore in pluribus locis. Vt verò recipit actum voluntatis liberè productum dicitur tantùm libera terminatiuè, quia per aliquem effectum liberè productum: quia effectus denominatione extrinſeca dicitur liber ex hoc, vt reſpicit cauſam liberè producentem.

d *Dicitur, quòd pro tanto*, &c. Dicunt iſti, quòd voluntas ex hoc habet in poteſtate ſua 3.

velle,quia poteſt determinate intellectum , &c. Et vt intelligatur,pono exemplum:Nam Franciſcus in *eſſe* cognito eſt præſens voluntati , tunc Franciſcus eſt cauſa effectiua volitionis in voluntate;& talem volitionem non habet voluntas in poteſtate ſuæ; ſed habita iſta volitione poteſt imperare intellectui , vt cognoſcat aliud obiectum,puta Ioannem , & ſic auertere ipſum intellectum à conſideratione Franciſci, & tunc Ioannes ſic cognitus ab intellectu per imperium voluntatis cauſat volitionem ſui in voluntate;& ſic dicitur quòd voluntas habet in poteſtate ſua hanc volitionem reſpectu Ioannis , non quòd cauſet illam,ſed quia poteſt imperare intellectui, vt conſideret ipſum Ioannem, & quia ad cognitionem ipſius Ioannis, quæ eſt ex imperio ipſius voluntatis,ſequitur volitio cauſata ab ipſo Ioanne cognito , ex hoc dicitur quòd voluntas habet ipſum *velle* in poteſtate.

e *Contra.* Hîc Doctor probat quòd non dicatur ſic libera, quia certum eſt quòd prima volitio ſecundùm eos non eſt in poteſtate voluntatis , vt puta volitio , quâ vult Franciſcus primò,quia *impoſſibile eſt quin viſis tangamur.* Hæc auctoritas ſic debet intelligi, quòd non eſt in facultate voluntatis , nec prima intellectio obiecti puta delectabilis , nec etiam prima viſio , ſed bene eſt in poteſtate voluntatis ipſum intellectum firmare in cognitione , & ſimiliter ipſum ſenſum.

SCHOLIVM.

Refutat in ſpeciali opinionem Gotfredi de phantaſmate. Primò , quia cauſa æquiuoca totalis eſt perfectior effectu ,& phantaſma imperfectius eſt volitione. Secundò , animæ ſeparatæ non poſſent intelligere nec velle.

Contra Gotfred. Cauſa æquiuoca totalis eſt perfectior ſuo effectu.

COntra illud de phantaſmate f , Agens æquiuocum totale , eſt nobilius effectu: ſed phantaſma per ipſum eſt agens æquiuocum totale intellectionis , & volitionis:ergo eſt nobilius omni intellectione, & volitione : igitur phantaſiatio eſt nobilior felicitate Philoſophorum , quam ponebant conſiſtere in intellectione , & volitione. Nec poteſt ſolui per lumen intellectus agentis : quia illud non eſt diſtinctum ſubiecto,à voluntate, & intellectu:ergo phantaſma non poteſt agere in ipſam voluntatem per ipſum, vel in intellectum poſſibilem : nec etiam intellectus agens in phantaſma, cùm non ſit diſtinctum ſubiecto,ab ipſo:agens enim,& patiens oportet eſſe diſtincta ſubiecto, ſecundùm eum. 9.

Ratio efficax contra opinantem.

Item,ſequeretur,cùm in anima ſeparata , vel in Angelo non ſit phantaſma , quòd non poterunt velle : vel ergo oportet quòd Deus immediatè cauſet malum velle in Angelo , vel aliud obiectum extrinſecum : & tunc prima volitio Angeli non fuiſſet culpabilis,ex quo non fuiſſet in poteſtate ſua, nec cauſa actiua eius:nec eſt probabile quòd animæ ſeparatæ,vel Angeli, nullo modo poſſint ſe mouere, ſed quod ſtarent immobiliter vbicunque ponerentur , ac ſi eſſent in carcere. Nec valet dicere , quòd Philoſophi non viderunt,quomodo eſſe poterat noua intellectio in Angelis , quia de Angelis enarrauerunt : & vbi falſa ſunt principia , non eſt mirum ſi ſequantur falſæ concluſiones. Si tamen conueniſſent nobiſcum,quòd Angeli accepiſſent eſſe nouum, ſiue eſſe poſt non eſſe,benè admiſiſſent nouas intellectiones in Angelo.

ADDITIO. *Quod etiam dicunt,quòd libertas attenditur in voluntate , quia poteſt mouere intellectum ad diuerſa conſiderandum, non eſt verum:nam ex hoc , quod intellectus poteſt diuerſa conſiderare,non ſequitur quòd ſit libertas in voluntate. Quod probo multipliciter. Primò , nam ſi ſecundùm imaginationem Anſelmi de caſu diaboli , eſſet Angelus creatus cum affectatione commodi tantùm , & non iuſtitiæ , ſecundùm quam attenditur libertas , poſſet adhuc intellectus diſcurrere , & conſiderare diuerſa : talis ergo voluntas eſſet rationalis , quia cognoſcitiua ſua eſſet rationalis , & in potentia ad conſiderandum diuerſa : & tamen iſta voluntas non eſſet libera , nec poſſet peccare : ergo illa indifferentia cognoſcendi , non eſſet ratio libertatis.* 10.

Item ſecundò, per imperium voluntatis apprehenſiua ſenſitiua , poteſt in diuerſos actus , & oppoſitos : quia aliquando videtur ſibi aliquid dulce , aliquando amarum : & ſecundùm hoc, quandoque fertur in vnum quandoque in aliud igitur ſi propter hoc , quod ſic poteſt in diuerſos actus intellectus , eſſet voluntas libera;tunc appetitus bruti eſſet liber , quia viſus eius poteſt moueri ad oppoſita videnda.

Item tertiò,indeterminatio intellectus in ſyllogizando in practicis,ad vtranque partem, eſt cum defectu:quia neceſſario oportet,quod ſophyſticè ſyllogizet ad alteram partem contradictionis:& in hoc eſt intellectus defectibilis : ſi ergo libertas eſſet in voluntate propter talem indeterminationem in intellectu,voluntas eſſet libera ex defectibilitate intellectus.

Tex.c.10. *Item quartò,9.Meta.c.4.potentia rationalis,vt ſcientia,vel intellectus,eſt ad oppoſita : & ſi poſſet*

poſſet exire in actum de ſe, ſimul exiret in oppoſita, quia eſt oppoſitorum: ſicut Sol in diuerſis paſſis facit oppoſitos effectus: & ſi idem ſubiectum, ſimul reciperet contraria, ſimul cauſaret ea vel nihil faceret in eius ſubiecto: ſic eſt hic: ideò potentia rationalis, vt ſcientia, vel intellectus habens ſcientiam non exit de ſe, & ideò oportet quòd determinetur ad alterum, ad hoc, quòd poſsit exire in actum: & illud determinatiuum, ſecundùm Philoſophum ibi, eſt appetitus, aut ergo ſic determinat, quòd nullam determinationem recipit à determinato, & habetur propoſitum: ſi autem non determinat, niſi inquantùm determinatur ab intellectu, vt ab obiecto cognito: ergo eſt iſta ratio indeterminata ſicut potentia rationalis prima: & ſicut prius ſi exiret in actum, exiret in oppoſita. Reſtat igitur, vt voluntas ſe determinet, & iſta ratio procedit de potentia intellectiua, quæ eſt oppoſitorum per rationem, quæ eſt ſcibilium.

11. *Quod etiam dicunt, quòd finis vt cognitus mouet efficiens, non eſt verum. Quòd probo, primò, quia finis ex hoc, quòd mouet efficientem ad cauſandum, eſt alia cauſa ab efficiente: hæc enim eſt cauſalitas ſua: igitur finis, inquantùm finis, non mouet efficientem effectiuè, quia ipſe efficiens mouet effectiuè: & alia eſt cauſalitas vnius, & alterius, aliter non eſſet alia cauſa, ſed in agentibus ex propoſito, finis non mouet niſi ſit cognitus ab agente ex propoſito: igitur finis vt cognitus non mouet effectiuè.*

Item ſecundo, quia omne mouens effectiuè eſt efficiens: ſi ergo finis moueat effectiuè, finis erit efficiens: ſed omne per ſe agens, ſeu efficiens, agit propter finem: ergo omnis finis mouebit propter finem: ſed finis eſt primum mouens, & mouet prius omni alia cauſa: ſi igitur moueat ſe propter finem, adhuc vt finis in alia motione mouebit ſe effectiuè propter finem: & ita infinities mouebit ſe propter finem, & idem infinities erit finis ſui ipſius, quia poteſt infinities mouere: vel cuiuſlibet finis erit alius finis in infinitum. 2. Phy. t.c.49.

Quòd etiam dicunt, quòd mouens, & motum diſtinguuntur ſubiecto, Non eſt verum: nam ſubiectum reſpectu propriæ paſſionis non eſt tantùm cauſa materialis, ſed effectiua, aliter non eſſet neceſsitas inhærentiæ paſsionis ad ſubiectum, quia cauſalitas materiæ, ſiue potentiæ paſſiuæ eſt contradictionis, ex 9. Meta. quæ non eſt neceſsitatis ſed contingentis inhærentiæ: igitur non eſt neceſſe efficiens, & effectum diſtingui ſubiecto. Similiter in grauibus, & leuibus, eſt principium intrinſecum mouendi, quia mouent ſe, vt patet alibi, dicetur, quòd graue mouet ſe conſecutiuè, non effectiuè. Tex. 17.

Contrà, ſi motus iſte non eſt cauſaliter ab aliquo: ergo Deus: ergo cum ſit de nouo, & non à ſe, erit ab aliquo alio: & non eſt dare, quod mouetur ab aliquo alio: igitur, &c. ſimiliter animatum auget ſe: igitur, &c. item per impedimentum impeditur agens ne agat: ergo ſoluto impedimento, aliquid agit, aliter dicerem, te ſedente, tonitruum fieri in cælo conſecutiuè.

Ideò aliter dicunt alij, quòd ab obiecto cauſatur affectio in voluntate, quæ affectio cauſat volitionem.

Contrà, æquè ſequuntur inconuenientia, ſiue obiectum cauſet affectionem, ſiue volitionem, quæ affectio ſit cauſa naturalis volendi, neceſſariò cauſans volitionem, ſi videtur, quod illa affectio non ſit cauſa affectionis in voluntate, tunc poteſt cauſari aliquid ab obiecto, quod non neceſsitat voluntatem, ſcilicet paſſio aliqua, vt complacentia, vel aliquid huiſmodi, licet illa affectio neceſſario cauſetur ab obiecto.

COMMENTARIVS.

4. *Contra Gotfredum.* f CContra *illud de phantaſmate*, &c. Hîc Doctor intendit inducere Gotfredum ad hoc inconueniens, quod phantaſiatio ſit nobilior fælicitate Philoſophorum, quam ponebant in intellectione, & volitione. Et dicit: Si enim phantaſma eſt cauſa totalis intellectionis, & volitionis, & certum eſt quòd æquiuoca cum differat ſpecie ab intellectione, & volitione, ergo erit nobilior vtraque, vt ſubtiliter probat Doctor in quarto in materia de Euchariſtia, quòd cauſa æquiuoca eſt nobilior ſuo effectu. Hoc totum planum eſt, ſed cùm dicit, ergo phantaſiatio erit nobilior intellectione, hoc non eſt ſic notum, ſed oportet quod deducatur ex iſtis, virtus enim phantaſtica, vnà cum ipſo phantaſmate eſt cauſa phantaſiandi, vel actus phantaſiæ, quia ſi ſenſus exterior eſt cauſa partialis ſenſationis, & principalis, vt vult Doctor *quæſt. 15. quolib.* multò fortiùs ſenſus interior erit cauſa partialis principalis ſui actus, & certum eſt, quòd virtus phantaſtica eſt valde nobilior ipſo phantaſmate, vt patet. Si ergo phantaſma poteſt eſſe cauſa totalis intellectionis quæ recipitur in intellectu, & volitionis, quæ recipitur in voluntate, & virtus phantaſtica eſt valde nobilior ipſo phantaſmate, ergo operatio eius principalis erit valde nobilior intellectione, & volitione, & per conſequens homo erit magis fælix per actum phantaſiæ, quàm per actum intellectus, & voluntatis, cùm fælicitas conſiſtat in nobiliori operatione hominis, vt patet 10. *Ethic.* & Doctor deducit *in quarto, diſt. 49.* Et ſi dicatur, quòd intellectio eſt nobilior, quia ipſum phantaſma cum virtute phantaſtica poteſt producere duos effectus ordinatos, quorum poſterior erit nobilior, quia actum phantaſiandi, & actum

Cauſa æquiuoca eſt nobilior effectu.

actum intelligendi. Dico, quòd quando aliqua potentia actiua ſe habet ad aliquas operationes, quarum vna dicitur ſibi propria, & quam in ſe recipit, & qua perfectè vnitur ſuo obiecto; ſemper talis operatio eſt nobilior illa, quæ non eſt, ita propria ſibi, & quæ nullo modo recipitur in tali potentia, & per conſequens non poteſt eſſe id, quo formaliter vniatur ſuo delectabili; modò virtus phantaſtica per actum phantaſiæ receptum in illo poteſt vniri ſuo obiecto optimo, intellectio verò tantum recipitur in intellectu, & volitio in voluntate.

5. *Nec poteſt ſolui per lumen intellectus agentis*, &c. Dicerent iſti, quòd benè verum eſſet, ſi phantaſma per ſe, vel cum virtute phantaſtica eſſet cauſa intellectionis virtute propria, ſed eſt cauſa virtute intellectus agentis, ita quòd intellectus agens eſt magis cauſa intellectionis principalis. Doctor dicit quòd hoc dictum contradicit dictis eorum, quia ipſi dicunt, quòd debet agens eſſe diſtinctum ſubiecto à patiente, vt patet in iſta opinione Gotfredi & hoc idem *in primo, d.3. q.7.* Modò intellectus agens non diſtinguitur ſubiecto à poſſibili, & ſic non poteſt agere in illum.

Ratio difficultas contra opinionem Auerroïs.

Nec valet dicere, quòd Philoſophi non viderunt, &c. quia Doctor dixit ſuprà, quòd ex quo in Angelo non eſt aliquod phantaſma, quærit à quo cauſetur ſuum *velle* quo Angelus peccauit? Si à voluntate Angeli habetur intentum. Si à Deo immediatè, ergo ſecundùm illum non peccauerunt; ſi ab alio obiecto extrinſeco, ſimiliter non peccauerunt, quia tale velle non eſt in poteſtate eius, Dicunt modo iſti, quòd Angelus non poteſt habere *velle* nouum, vel intellectionem nouam, quæ ſint in poteſtate eius, quia Philoſophi hoc non viderunt, nam ipſi voluerunt, quòd tam volitio, quàm intellectio Angeli ſint ſubſtantiæ ipſius Angeli, vt patet *tertio de Anima.* Dicit Doctor quòd hoc poſuerunt propter falſum principium, quia ipſi poſuerunt Intelligentias habere neceſſe eſſe, & ab æterno; ſed nos diſcordamus cum Philoſopho in hoc principio, dicentes, quòd habuerunt nouum *eſſe* poſſibile, & meritò diſcordamus in concluſione ponendo in eis nouas intellectiones, & nouas volitiones.

In Angelo non eſt phantaſma.

Intelligentiæ habuerunt nouum eſſe poſſibile.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta adducta n.3. & ſeq. pro opinione Goffredi, explicando exactiſsimè difficultates graues & varias Philoſophicas, quæ notantur in margine: ex fine collige quare intellectio efficiatur ab obiecto 1.d.3. q.7. & non volitio: quia intellectio non præſupponit aliquam operationem circa ſuum obiectum, etſi non poteſt habere dependentiam ab eo, niſi efficientiæ: at volitio ſupponit aliam operationem circa obiectum: & ſic ab eo dependet.

Hen. quodl 10. q.9. & quodl. 13. qu.2. & quodl. 14. q.2. & 5.

AD primam rationem [a] pro illa opinione, cùm dicitur quòd mouens & motum debent eſſe ſubiecto diſtincta neceſſariò: Dicitur, quòd verum eſt in corporalibus ſolùm: credo etiam quòd ibi non neceſſariò eſt verum: ſaltem dico quòd in ſpiritibus eſt ſimpliciter falſa: quia Deus non poſſet vnum Angelum ita nudum in naturalibus creare, quin ille ſuis naturalibus relictus, poſſet ſuam eſſentiam intelligere: & ſic idem eſſet mouens, & motum indiſtinctum ſubiecto. 12.

Mouens & motum non neceſſario diſtingui ſubiecto. D. Thom.

Ad probationem ſuam, quòd iſta ſunt eiuſdem rationis, mouens, & motum eſſe indiſtincta ſubiecto, & idem mouere ſe; patet quòd alius doctor concederet voluntatem moueri ab obiecto, vt apprehenſo ab intellectu, & tamen obiectum, vt apprehenſum ab intellectu, vel intellectus oſtendens tale obiectum, non ſunt diſtincta ſubiecto, à voluntate, & tamen non concederet mouens & motum ibi eſſe idem.

Sed ego dico [b], quòd non ſolùm indiſtincta ſubiecto, ſed vnum, & idem ſimplex poteſt eſſe mouens, & motum.

Quomodo idem moueat ſe dictum eſt 1.d.7. & hoc 2. d. 2. q.10.

Cùm dicis, quale eſt agens in actu, tale eſt paſſum in potentia, &c. dico, quòd ſi accipiatur *actus*, & *potentia* vt ſunt duæ primæ differentiæ entis, ſic diuidunt omne ens: vnde & hoc ens idem numero diuidunt, & iſto modo eſt contradictio, quòd idem ſit in actu, & in potentia ſimul reſpectu eiuſdem: quia potentia, vt eſt differentia entis diſtincta contra actum, eſt neceſſariò includens oppoſitionem, vel negationem eius reſpectu cuius ponitur potentia: vt album in potentia, non eſt album in actu, quamdiu eſt in potentia: & iſto modo eſt impoſſibile quòd aliquid ſic exiſtens in potentia, faciat ſe in actu: non tamen eſt neceſſe omne paſſum, vel motum, eſſe ſic in potentia, & agens ſuum in actu.

Quomodo aliquid eſt actu & potentia tale.

Nota.

Alio verò modo poſſunt conſiderari *actus*, & *potentia*, prout ſcilicet diuidunt potentiam, vel principium actiuum, & paſſiuum, per vniuocum, & æquiuocum. In vniuocis enim agentibus verum eſt, quòd tale eſt paſſum in potentia, quale agens in actu: & ideò impoſſibile eſt quòd idem ſit in actu formaliter tale, & in potentia tale ſimul: tamen in actione æquiuoca nunquam oportet hoc eſſe verum: quia ibi agens oportet eſſe nobilius, & virtualiter tale. 13.

Et ſi dicas, quòd nihil idem poteſt eſſe ſimul in potentia ad aliud, & actu habere illud eminenter, vel virtualiter: Dico, quod hoc eſt falſum, quia hoc non eſt aliud dicere, quàm quòd tale non ſit capax ſuæ perfectionis. Videmus autem quòd illi, cui natura dedit potentiam vt poſſit augmentari, dedit ei potentiam augmentatiuam

tiuam actiuam,& effectiuam augmenti,& nutritiuam ad hoc quòd poſſit conſeruari.

Et ideò abſurdum eſt quòd nobiliſſima forma, cuiuſmodi eſt anima intellectiua, non habeat potentias actiuas ſuæ perfectionis accidentalis,& receptiuas eiuſdem. Et quia non poteſt in talibus formis dari potentia actiua, & paſſiua, quæ ſint diſtinctæ ſubiecto, cùm non ſint potentiæ organicæ,ideò non diſtinguuntur ſubiecto: & ideò ibi erunt vnitiuè, ſine diſtinctione ratione ſubiecti: non tamen ſine diſtinctione formali.

Abſurdum animam intellectiuam non eſſe actiuã ſuarum perfectionum. Diſt.49. q.14.

Item, oſtenditur in quarto libro quòd anima ſeparata habet potentiam mouendi ſeipſam ad aliud, & aliud *vbi*:nam ſic moueri competit enti imperfectiſſimo. Perfectiones enim diſtinctæ in natura inferiori,debent eſſe vnitiuè, vel non negari eſſe in natura perfectiori,& ad quam inferior ordinatur.

Anima ſeparata poteſt ſe loco mouere.

Cùm dicitur, eſt principium Metaphyſicum, Dico quòd non eſt verum: quia principia talia cognoſcuntur eſſe vera notis terminis ab omnibus ratione vtentibus, vel ſaltem ſapientibus: ſed notis terminis illius principij, non patet illud principiũ multis ſapientibus eſſe verũ vel poteſt dici, quòd ſi intelligatur *potentia* pro principio receptiuo,& actus pro forma,quâ agens agit, tunc nihil eſt aliud dicere, quàm quòd nihil eſt receptiuum,quod habet rationem actiui vel eminentioris:ſed hoc patet eſſe falſum de ſubſtantia reſpectu propriæ paſſionis, vel alterius accidentis reſpectu cuius eſt actiua,& cuius eſt receptiua.

Virtualiter tale an poteſt fieri formaliter tale, explicatur optime.

Si dicas,quòd agens c virtualiter tale,non poteſt facere ſe formaliter tale:quia habens aliquid modo eminentiori faceret, quòd haberet illud modo minùs eminenti, quod eſt impoſſibile, ſicut patet de Sole,qui eſt calidus virtualiter,& de Deo, in quo eſt virtualis potentia producendi aſinum, vel in quo virtualiter perfectio aſini continetur:& neutrum poteſt eſſe formaliter tale. Reſpondeo, in talibus exemplis committitur *non cauſa,vt cauſa*:quia quando in aliqua re ſunt plures proprietates, ratione quarum proprietarum,poſſunt ſibi aliqua plura ineſſe:& in vna alia re eſt vna iſtarum proprietatum,ratione cuius dicantur illa plura debere eidem ineſſe, committitur *non cauſa,vt cauſa*:ſic in propoſito.

15. Et ideò dico, quòd vniuerſaliter hæc propoſitio, quòd *nihil exiſtens virtualiter tale, vel modo eminentiori exiſtens tale, poteſt eſſe formaliter tale*, eſt ſimpliciter falſa ex terminis: & ſi eſt vera, non eſt vera,niſi ratione materiæ, in qua eſt. Probatio, ſicut in exemplo tuo, ſi præciſa cauſa eſt, quòd aliquid non poteſt recipere aliquam formam formaliter ſic, quia modo eminentiori habet eam, tunc oppoſitum erit cauſa oppoſiti,quod ſcilicet ſi non habet modo eminentiori, vel virtualiter eam, quòd poterit eam recipere formaliter, vel modo minùs eminenti. Cùm igitur Saturnus non ſit calidus virtualiter, poterit fieri formaliter calidus, quod eſt falſum. Ratio igitur,quare Sol virtualiter calidus,non poteſt fieri formaliter calidus, non eſt, quia eſt virtualiter calidus:ſed quia caliditas eſt qualitas ſenſibilis, quæ non eſt nata recipi,niſi in corpore mixto: corpus enim Solis, quia non eſt corpus ſic mixtum, & compoſitum, non poteſt recipere formaliter calorem: ideò Sol virtualiter calidus non poteſt eſſe formaliter calidus, vel cauſare in ſe caliditatem, ſicut ignis, qui ſi frigefieret ſubtracto infrigidante,quia eſt virtualiter calidus, fieri poſſet à ſeipſo formaliter calidus:ſicut patet de aqua ſummè calefacta,quæ ſubtracto calefaciente reducit ſe ad frigiditatem,non ergo ratione,qua Sol eſt calidus virtualiter, non poteſt eſſe calidus formaliter.

Quare Sol virtualiter calidus non poteſt formaliter calefieri ſicut ignis qui eſt virtualiter calidus, poſſet eſſe à ſe formaliter talis.

Nec etiam exemplum de Deo valet, quia non ex eo, quòd Deus perfectiones omnium virtualiter habet, & modo eminentiori, ideò non poteſt eas habere formaliter, ſed ex eo, quod eſt eſſentia ſimpliciſſima,in qua non poteſt eſſe compoſitio rei, & rei: vel quia perfectio Dei eſt infinita, ideò non poteſt recipere aliam, & aliam rem. Propoſitio igitur vniuerſaliter intellecta eſt falſa. Vnde credo, quòd vniuerſaliter omne ſubiectum virtualiter continet paſſionem ſuam: tamen formaliter recipit eam,& hæc videtur ſententia Philoſophi, 7 *Metaph.tex.*12, vbi dicit, quòd ad hoc,quòd generetur quantum,& quale, non oportet præcedere,nec præexiſtere, niſi ſubſtantiam.

Virtualiter tale non poteſt eſſe formaliter tale, falſa propoſitio.

16. Ad aliam de materia, & efficiente, quæ non coincidunt, dicitur, quòd in voluntate poſſumus duo conſiderare: vel inquantùm eſt appetitus, vel inquantùm eſt libera: inquantùm libera efficit: inquantùm appetitus recipit, ita quòd eſt ibi differentia intentionis in voluntate, inquantùm eſt appetitus, & inquantùm eſt libera.

Hen.quod. 13.q.11.

Hoc non benè capio, quia proxima ratio conſtituendi ſpeciem, cuiuſmodi eſt differentia vltima, eſt proxima ratio recipiendi propriam paſſionem: non enim recipit homo riſibiliratem ratione animalis, ſed ratione, qua rationalis. Ratio autem formalior voluntatis, eſt magis libera, quàm ratio appetitus, quare eſt ratio recipiendi inquantùm libera, ſicut ratio libertatis eſt magis ratio conſtituendi. Per illam etiam reſponſionem, patet quòd quælibet ſpecies poſſet agere in ſe, ita bene non libera, ſicut libera: ita quòd ratione materialis, ſiue generis poſſet recipere, & ratione differentiæ, vel formæ poſſet efficere. Manifeſtum etiam eſt, quòd cùm aqua calefacta redit ad propriam naturalitatem, & frigiditatem; quod tota aqua agit, & tota patitur: forma enim non agit in materiam ſuam, quam actu informat.

Voluntas etiam qua libera, eſt paſſiua, & non tantũ actiua.

Hen, quare Var. 2, & 8. diſt. primi.

Præterea, iſte Doctor dicit alibi, quòd genus, & differentia differunt penes intentiones, & dicit quòd differentia intentionis non arguit, quòd ſit res alia, & alia, igitur ipſe habet concedere, quòd voluntas cùm agit inquantùm libera, & patitur inquantùm appetitus, ratione eiuſdem realitatis primò agit, & patitur.

Ideò concedo quòd per eandem realitatem, primò eſt voluntas receptiua actus; & effectiua eiuſdem: nec per aliam rationem realem elicit, & recipit, niſi per aliam rationem cauſatam ab intellectu noſtro. Cùm igitur dicitur, quòd materia, & efficiens non coincidunt, dico, quòd Ariſtoteles *ſecundo Phyſicorum*, vbi hoc ſcribitur, loquitur ibi de memoria quæ eſt ſubiectum tranſmutationis realis, quæ eſt alia, quàm ſit ſubiectum receptiuum, de quo nunc loquimur; quod coincidit cum efficiente.

Vide Scot. in 2. Phyſ. in tex. 68.

Efficiens & agens diſtinguũtur, ſicut actio & actio.

Præterea, materia, id eſt, ſubiectum, non coincidit in idem numero cum efficiente, quod dicitur propriè efficiens diſtinctum contra agens: ſic enim efficere tranſit in materiam extrinſecam, ſicut & factio: ſed non ſic tranſit actio agentis, propriè loquendo de agente, cuius ſcilicet actio eſt tantùm ad intrà. 17.

Relatio alia dependens eſſentialiter, alia accidentaliter, alia nullo modo.

Ad aliud de relationibus oppoſitis, dico, quòd relationes reales ſunt in triplici differentia, quædam ſunt relationes, quæ habent dependentiam eſſentialem, vt cauſæ ad cauſatum: aliæ ſunt relationes originis, quæ tamen non habent dependentiam inter ſe, vt paternitas, & filiatio in diuinis: aliæ habent dependentiam accidentalem mutuo, vt mouens, & motum: motum enim non dependet eſſentialiter à mouente, quia non dependet, niſi ratione illius accidentis, quod recipit: quidquid enim eſt de eſſentia moti præſupponitur motui.

De hoc 1. d. 26.

De quo 1. d. 28.

Idem dependet à ſe accidentaliter.

Primæ duæ relationes repugnant in eadem natura, vel perſona, ſiue ſuppoſito, ſecundæ repugnant in eadem perſona, vel ſuppoſito, quia nullum ſuppoſitum producit ſe: ſed non repugnant tamen in eadem natura, ſi illa eſt illimitata: ſicut patet quòd in natura diuina eſt producens, & productum. Sed relationes tertio modo dictæ non repugnant in eodem ſiue natura, ſiue ſuppoſito, quia idem poteſt acquirere ſibi & efficere in ſe perfectionem ſuam accidentalem, & ſic accidentaliter dependere à ſe. Vnde dico, quòd non repugnant ex ratione relationum oppoſitarum, vt oppoſitæ ſunt, ſcilicet quòd nõ poſſunt fundari in eodem: ſed quia habent dependentiã eſſentialem.

Quæ relatiua realiter oppoſita nequeũt eſſe ſimul?

Ad probationem, cùm dicitur relatiua realia eſſe oppoſita, & oppoſita non inſunt ſimul, dico, quòd relatiua realia huiuſmodi denominatiuè accepta, non ſunt ſic oppoſita, quòd ſcilicet, vnum denominatiuè ſumptum, neget ſuum correlatiuum, vt ſcilicet, quòd ſequatur, ſi eſt actiuum, ergo non eſt paſſiuum: ſicut inferunt contraria; vt ſcilicet, ſi hoc eſt album, ergo non eſt nigrum: ſed in abſtracto benè inferunt, vt, ſi eſt actio; ergo non eſt paſſio: vel ſi eſt motio actiua, ergo non eſt motio paſſiua, tamen non repugnant, quia poſſint ſimul eſſe in eodem, ſicut repugnat albedo, & nigredo.

Ad aliud, ſuſtinendo quòd quanquam voluntas ſit actiua, tamen intellectio, vel obiectum apprehenſum, eſt illud, ſine quo non (ſicut ponunt alij, quod intellectio ſine phantaſmate non eſt in actu, & hoc facit naturalis ordo potentiarum) cùm dicitur, quòd tunc pari ratione poſſet dici, quòd lignum agit in ſe, & comburitur à ſe præſente igne, & ignis eſt ſine quo non, & ſic de aliis; dicitur, quòd non eſt ſimile: quia ignis approximatus huic combuſtibili, & illi æqualiter diſpoſito, æqualiter comburit, & vniformiter ipſum lignum: duobus autem oſtenſis voluntati, quamuis æqualiter diſpoſitis, non ſemper æqualiter vult voluntas: & ideò patet quòd illud comburi non poteſt eſſe actiuè à ligno, ſicut volitio à voluntate. Sed hæc reſponſio non ſufficit: quia diceret aduerſarius, quòd hoc eſt, quia lignum naturaliter comburit ſe, præſente igne ſicut cauſa, ſine qua non: ſed voluntas liberè. Vel ſic ſolue inſtantiam ſecundùm aliam reportationem. 18.

Vnde conſtat quod lignum non comburit ſe ſicut voluntas vult ſe?

Cùm

Cùm arguitur, [e] quòd tunc ſuſtineri poſſet, quòd quodlibet ageret in ſe, puta, quòd lignum comburet ſe præſente igne, ſicut cauſa ſine qua non; non ſequitur, quia nos videmus quòd iſte ignis appoſitus alij combuſtibili, quàm ligno, comburit illud, & ideò ſcimus quòd cùm calefacit hoc lignum, quod eſt actio ſua. Sed hoc non ſufficit [f], nam ergo ſemper dicam, quòd cuicunque combuſtibili applicetur ignis, ſi illud comburatur, hoc erit per actionem ſuam propriam in ſeipſum, neceſſitate naturali: tamen non ſine igne præſente, ſicut cauſa ſine qua non, ſolum.

Quare quodlibet non agit in ſe, ſicut voluntas & intellectus.

19. Dico igitur [g] hîc primò, quòd oportet in hac materia, etiam ſecundùm eos, dare aliquid prius, quod tamen non ſit cauſa efficiens, ſed ſit cauſa, ſine qua non: & hoc probo per ipſum, qui hanc opinionem ponit. Nam ſecundùm ipſum intellectus non eſt cauſa intellectionis, nec voluntas volitionis: ſed ſolùm phantaſma eſt cauſa vtriuſque, & tamen ſecundùm eum, impoſſibile eſt phantaſma priùs cauſare volitionem, niſi priùs natura cauſet intellectionem: & ita ponit intellectionem eſſe cauſam, ſine qua non, ipſius volitionis. Quod igitur voce negat, dictis ſuis affirmat, ſcilicet, cauſam ſine qua non. Intellectio enim ſecundùm eum, eſt prior natura volitione: tamen in nullo genere cauſæ ſe habet reſpectu volitionis, quando enim aliquis effectus præcedit alium effectum ordine naturæ, non poteſt cauſa exire in actum cauſandi effectum poſteriorem, non prius cauſato effectu priori illa prioritate. Exemplum, Sol non poteſt illuminare poſteriorem partem medij, niſi priùs naturâ illuminet partem propinquiorem, & tamen pars propinqua illuminata, non habet aliquam rationem cauſæ reſpectu illuminationis partis magis diſtantis: quia & ipſa immediatè illuminatur à Sole immediatione cauſæ. Vnde eſto quòd phantaſiatio, vel obiectum apprehenſum requiratur ad hoc quòd ſit volitio, non tamen requiritur, niſi ſicut cauſa ſine qua non.

Dari aliquid prius effectu quod non ſit cauſa eius, ſed aliquid ſine quo non.

Secundò [h] ad auctoritatem Ariſtotelis *ſecundo de Anima*, cùm dicit, quòd ſi ſenſus eſſet actiuus, ſemper ſentiret; Dico, quòd effectus prior non dependeret ab effectu poſteriore, & ſi eſſet effectus ſimpliciter primus, non dependeret ab aliquo effectu, ſed ſolùm à ſuis cauſis: prima autem potentia inter potentias animæ eſt ſenſus exterior: ideò eius effectus non dependet ab aliquo effectu, ſed ſolùm à ſuis cauſis: ſi igitur ſenſus exterior eſſet actiuus, & haberet in ſe principium ſufficiens effectiuum ſenſationis, ipſe ſemper ageret. Sed ſic non eſt de intellectu, & voluntate: quia volitio eſt effectus poſterior intellectione naturaliter; & intellectio phantaſmate, vel phantaſiatione; & propter illum ordinem neceſſarium, non poteſt cauſari volitio à voluntate, niſi priùs cauſetur ab intellectu intellectio: & ſimile eſt de intellectione reſpectu phantaſmatis, vel phantaſiationis: quanquam igitur ſenſus ſemper ageret, vel ſentiret ſi eſſet actiuus; non tamen oportet hoc dicere de voluntate, nec etiam de intellectu.

Ad locum Ariſt. poſitum n. 3.

ſi independenter ab obiecti concurſu, & ſic expone Ariſt. dum ait: ſi ſenſus eſſet actiuus ſẽper ſentiret.

20. Dico tertio [i], ad inſtantiam de ligno calefactiuo ſui, cùm dicitur ſi ita eſſet de voluntate, ita poſſet dici de quocunque alio, ſcilicet, quòd lignum comburit ſeipſum præſente igne, qui eſt cauſa ſine qua non, concedo, quòd exiſtens in actu primo mouendi ſe, ſeipſo actiuè, & non alio, exit in actum ſecundum: ſicut habens ſcientiam in actu primo, non indiget aliquo effectiuo, vel motiuo ducente ipſum ad actum conſiderandi, niſi habens actum primum deficiat in aliquo, quod neceſſario requiritur ad hoc, quòd poſſit exire ad actum ſecundum: ſicut quamuis oculus hominis, qui non poteſt immutare medium, haberet actum primum videndi: non tamen poſſet videre rem in tenebris.

Declarat quare lignum non ſe comburat ſicut volũtas ſe vult. Vide d. 5. q. 2. primi.

Sed rationabile eſt, quòd tam nobilis perfectio animæ cuiuſmodi eſt voluntas, qua anima eſt in actu primo, poſſit exire in actum ſecundum, quo anima formaliter perficitur in actu ſecundo, nullo alio actiuo requiſito: ſed ad huiuſmodi paſſiones, quæ ſunt calefieri, & humectari, quibus corrumpitur natura ligni, & non perficitur, non poteſt poni rationabiliter ipſum lignum habere actum primum, ſeu principium actiuum, quo actiuè præſente igne, ſicut cauſa ſine qua non ſolum, reducat ſe ad actum illum ſecundum, quo natura ligni corrumpitur.

Si etiam inſtes ſic [k]: Effectus non dependet à cauſis prioribus quantùm ad ſuum fieri, niſi à materia, & efficiente: cùm igitur obiectum reſpectu actus volitionis, non ſe habeat nec vt materia, nec vt efficiens: igitur volitio non dependebit ab obiecto: & ſic eſſe poterit ſine obiecto. Patet ſatis [l] per prædicta, huius obiectionis ſolutio. Licèt enim effectus dependeat ſolùm à cauſis prioribus, (quantùm ad ſuum *fieri per ſe* & ſuum *eſſe per ſe*) materia ſcilicet & efficiente, poteſt tamen dependere ex alio tan-

Cur volitio dependet ab obiecto, cum non ſit eius cauſa?

quam ex illo, quod eſt præexactum neceſſariò.

Si dicas etiam [m] quòd habens actum primum, poteſt eſſe ratio ſufficiens actus ſecundi, non in ſe, ſed in alio; contrà [n] ſi nos ponamus quòd hæc potentia prima eſt actiua puta calefactiua, quæro, quid reducit ipſam ad actum? Verbi gratiâ, quid reducit potentiam calefactiuam ad actum, præſente ligno? certum eſt quòd nihil niſi ipſamet potentia actiua, dicente Ariſtotele 5. *Meta. tex* 2. *&* 3. quòd ad idem genus cauſæ reducuntur ars & ædificator: ſed ars non reducitur ad actum niſi à ſe: reſpectu artificiati: ergo potentia actiua eſt de ſe ſufficiens principium eliciendi actionem ſuam, quæ eſt actio vera de genere Actionis, cuius terminus eſt operatio. Forma igitur quæ non habet actum primum, vel principium actiuum, niſi reſpectu actus ſecundi immanentis, ſeu operationis, quæ eſt terminus iſtius actionis, poterit habere huiuſmodi actum ſecundum immanentem à ſeipſa: ſicut potentia actiua, quæ non eſt nata exire in actum ſecundum, in alio receptum, vel in aliud tranſeuntem exit à ſeipſa præſente obiecto in actum illum.

Ad aliud [o] cùm dicitur, cauſa æquiuoca totalis, eſt nobilior ſuo effectu, vel producens æquiuocum, eſt nobilius producto, verum eſt quòd eſt nobilius termino formali productionis, ratione cuius productum, quod eſt compoſitum vnum per accidens, dicitur productum. Vnde voluntas eſt nobilior volitione, non tamen oportet quòd ſit nobilior voluntate ſub volitione formaliter exiſtente: imo nobilior eſt voluntas volens actualiter, ratione bonæ volitionis, quàm voluntas ſolùm volens virtualiter. Ponitur exemplum, quod non oportet producens eſſe nobilius producto ſimpliciter, (niſi ſcilicet, ratione termini formalis) de accidente generato in homine, de nouo ab alio accidente, quod quidem accidens non generatur, puta albedo, ſed homo albus, & tamen non oportet quod generans album ſit nobilius homine albo.

Non generatur forma ſed compoſitũ.

COMMENTARIVS.

1. a RESpondet Doctor ad rationes opinionis Gotfredi, quarum prima eſt talis; oportet mouens, & motum eſſe diſtinctum ſubiecto; ſed in parte intellectiua animæ nihil poteſt eſſe diſtinctum ſubiecto à voluntate, ergo, &c.

Doctor reſpondendo dicit ibi: *Ad probationem ſuam*, &c. quia Dicit Gotfredus quòd iſta ſunt idem mouens, motum eſſe in diſtincta ſubiecto, & idem mouere ſe. Dicit Doctor quòd ſecundùm alium Doctorem hoc non concederetur, quia ipſe diceret, quòd obiectum cognitum, vt habet *eſſe* in ipſo intellectu, id eſt, quòd intellectio ipſius exiſtens ſubiectiuè in intellectu poteſt cauſare volitionem illius obiecti in voluntate, & tamen talis intellectio non diſtinguitur ſubiecto à ſua voluntate, & tamen non ſequitur quòd idem moueat ſe, quia intellectio, quæ eſt alterius rationis à voluntate moueat voluntatem cauſando volitionem obiecti in illa.

b *Sed ego dico*, &c. Hìc dicit Doctor abſolutè, quòd vnum, & idem ſimpliciter poteſt mouere ſe: & quomodo hoc ſit verum dictum eſt in primo, di. 3. quæſt. 7.

Cùm dicis, &c. Gotfredus probat per hanc propoſitionem, quòd idem non poſſit mouere ſe, vt puta, ſi dicis, quòd voluntas mouet ſe cauſando volitionem in ſeipſa. Contrà, quia qualis eſt voluntas in actu, vt actiua talis debet eſſe in potentia vt paſſiua. Si ergo idem moueret ſe, idem ſimpliciter eſſet actu tale, & non in actu tale, cætera patent in litera.

c *Si dicas, quòd agens virtualiter*, &c. Hìc arguit per exempla, quòd exiſtens virtualiter tale nunquam poteſt eſſe formaliter tale. Patet, quia Sol eſt virtualiter calidus, cum habeat in virtute ſua producere caliditatem, & tamen non poteſt eſſe formaliter calidus.

d *Ad illud de relationibus*, &c. Idem habetur in d. 2. & 3. & credo 26. Expono tamen literam. Nam cum dicit, *quòd relationes cauſæ, & cauſati ſunt oppoſitæ, & inter illa eſt dependentia eſſentialis*, non ſic debet intelligi, quòd vna relatio eſſentialiter dependeat ab alia; ſed ſic, quòd tales relationes de neceſſitate ſunt in talibus fundamentis, inter quæ fundamenta poteſt eſſe dependentia eſſentialis, quia res cauſata dependet eſſentialiter à re cauſante, & res cauſata dicit ſimpliciter aliam naturam, & aliam eſſentiam à re cauſante, vt ſatis patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. Modò relatio cauſati de neceſſitate fundatur in alia natura, & terminatur ad aliam naturam cauſantem, & ſic ſi in eadem natura eſſet relatio cauſæ, & cauſati, ita quòd ſecundùm vnam diceretur cauſata, & ſecundùm aliam cauſa, ſequeretur quòd idem eſſentialiter dependeret à ſeipſo, quod eſt impoſſibile. Similiter cùm dicit de relationibus originis ſicut paternitas, & filiatio in diuinis inter quas eſt tantum ordo originis principiati ad principians, & nullo modo cauſati ad cauſam. Nam filiatio in diuinis de neceſſitate eſt alicuius ſuppoſiti, quod principiatur à patre, & ſi tales relationes puta paternitas, & filiatio in diuinis poſſent fundari in eadem perſona reſpectu eiuſdem, tunc eadem perſona eſſet principians, & principiata, quod non eſt intelligibile; tamen iſtæ duæ relationes fundantur immediatè in eadem natura ſimpliciſſima, quia eſſentia diuina, quæ eſt ſimpliciter in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & quòd ipſa fundare poſſit huiuſmodi relationes, ſoli eſſentiæ competit, propter infinitam perfectionem ſuam, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 28. vbi hanc 2.

Quomodo eſſentia diuina ſit in tribus perſonis.

hanc materiam pertractat. In creaturis verò eſt impoſſibile,quòd vna, & eadem natura numero poſſit eſſe tota in duobus ſuppoſitis.

3. Deinde dicit Doctor quòd *ſunt alia relationes, qua habent dependentiam accidentalem mutuò,qua in ſunt propter aliquod tertium cauſatum.* Exemplum: Voluntas vt cauſat volitionem in ſeipſa habet relationem mouentis ad ſeipſam motam, vt recipit ipſam volitionem à voluntate mouente,vel ipſam cauſante dicitur moueri. Et vt intelligatur repeto vnum ſimile,quod habetur à Doctore in hoc ſecundo. Nam primò inter voluntatem cauſantem volitionem,& ipſam volitionem cauſatam eſt relatio realis cauſantis ad cauſatum, & ècontra. Secundò, vt ipſa eadem voluntas comparatur ad volitionem, quam recipit vt perfectionem, inter ipſam, & volitionem eſt relatio realis voluntatis perfectibilis ad volitionem perficientem, & ècontra. Tertiò, inter voluntatem producentem volitionem in ſeipſa vt mouentem, & inter voluntatem recipientem ipſam volitionem ab ipſa voluntate mouente eſt relatio realis puta voluntatis motæ ad ſe ipſam mouentem. Ex hoc poteſt ſatis patere vna difficultas tacta à Doctor *in primo, diſt.* 26. quia ibi dictum fuit, quòd relatio realis ſemper eſt inter extrema realia,& realiter diſtincta: hoc non eſt ſimpliciter verum de omni relatione, vt eſt in propoſito,& ipſe etiam dicit, quòd inter voluntatem mouentem,& motam eſt relatio realis. Si tamen volumus dicere,quòd omnis relatio realis eſt inter extrema realia realiter diſtincta, poſſumus ſic dicere vel quòd illa extrema ſint realiter diſtincta adinuicem vt extrema relationis cauſantis ad cauſatum,& originantis ad originatum;ſed quando inter aliqua extrema ſola ratione diſtincta,vt voluntas mouens,& mota ſufficit hoc, quòd licèt inter ſe non diſtinguantur realiter, tamen iſtæ relationes reales mouentis, & moti, & ècontra non poſſunt ſibi ineſſe, niſi per aliquòd realiter diſtinctum, & ſic relationes voluntatis mouentis, & voluntatis motæ in ſunt voluntati propter volitionem realiter diſtinctam, & ab eadem voluntate cauſatam, & receptam.

Exemplum. *Nota.* *Speculare hanc propoſitionem.*

4. e *Cùm arguitur,* &c. quia ſi voluntas eſt cauſa totalis volitionis puta quâ vult Ioannem tamen non poteſt cauſare illam, niſi priùs Ioannes præſentetur in *eſſe* cognito, quod requiritur vt cauſa ſine qua non. Arguût ipſi,quòd ſic poſſumus dicere quòd quodlibet agat in ſeipſum,& ſic lignũ calefacit ſeipſum licèt hoc non poſſit niſi igne præſente vt cauſa ſine qua non. Dicerent ergo, quòd non eſt ſimile; patet,quia ſi ignis applicatur alteri combuſtibili à ligno,ita comburit aliud combuſtibile ſicut & lignum; igitur ſignum eſt, quòd iſta combuſtio eſt ab ipſo igne,& non à ligno, quia ignis agit merè naturaliter. Non eſt ſic de voluntate, quia poſito alio volibili non ſequitur volitio de facto illius vt experimur; ergo ſignum eſt quòd ipſa voluntas habet in poteſtate ſua ipſum velle cùm modò vult vnum modò aliud.

f *Sed hoc non ſufficit,* &c. Hîc Doctor adhuc reſpondet pro aduerſario,& ſic in tota iſta litera non ſoluit quin ſi voluntas poteſt producere ipſum *velle*,vt cauſa totalis præſente tamen obiecto vt cauſa ſine qua non, quòd ſimiliter lignum non poſſit ſe comburere vt cauſa totalis, præſente tamen igne vt cauſa ſine qua non: ſed pòſt infra ibi: *Dicò tertio ad inſtantiam*, ſoluit quòd eſt ſimile de ligno, & voluntate, & hoc idem in primo diſt. 5. quæſt. 2.

g *Dico igitur.* Hîc Doctor vult habere intentum ſuum, etiam ex dictis huius opinionis quòd ſcilicet requiritur obiectum vt cauſa ſine qua non,& expono pro nunc, quid intelligat per *cauſam ſine qua non.* Dicitur enim *cauſa ſine qua non* reſpectu alicuius effectus, quæ nullo modo eſt productiua illius, ſed tamen ſine ipſa non eſt cauſa productiua illius, quia non poteſt illum effectum producere, niſi priùs præexigat aliquid aliud,vt patet; quia voluntas non poteſt cauſare *velle* alicuius obiecti, niſi priùs ſit cognitum,& ſic præexigitur cognitio illius, vt cauſa ſine qua non,& dat exemplum de Sole illuminante.

Quomodo dicatur cauſa ſine qua non. Dubium.

Sed occurrit difficultas,quia ſi Doctor vult ſuſtinere quòd voluntas ſit cauſa totalis volitionis, videtur quòd tunc argumentum, quod facit *di.* 3. *q.* 7. *primi* probando quòd intellectus non ſit cauſa totalis intellectionis, non concludat, quia dicerent, vt dictum eſt ibi, quòd obiectum requiritur vt cauſa ſine qua non. 5.

Dico, quòd argumentum ibi concludit, hîc autem non, & ratio eſt propter ordinem potentiarum: nam intellectus vt intellectus eſt, non præſupponit de neceſsitate actionem alterius potentiæ circa obiectum, quod habet intelligere; voluntas verò quæ eſt poſterior ipſo intellectu, de neceſsitate naturæ præſupponit ipſum intellectum vt prius operatiuum, vt patet à Doctore *in* 1. *diſtin.* 2. non poteſt ergo voluntas exire in actum ſuum, niſi priùs intellectus exierit cognoſcendo illud obiectum, quod voluntas vult: requiritur ergo primò cognitio illius obiecti vt cauſa ſine qua non, reſpectu volitionis, & hoc ſolùm propter ordinem potentiarum. Sicut etiam ſi voluntas eſſet prior intellectu, priùs nata eſſet operari quàm intellectus intelligere, vt patet à Doctore in primo. Argumentum ergo Doctoris probat,reſpectu autem voluntatis non eſt ad propoſitum. *Reſponſio.*

h *Secundò, ad auctoritatem.* Hîc Doctor reſpondet ad argumentum Gotfredi quo probabat quòd ſi voluntas, &c. Reſpondet Doctor quòd non eſt ſimile de ſenſu,& voluntate,quia ſentire; puta videre,in ordine potentiarum, puta potentiæ viſiuæ ſenſus communis,intellectus,& voluntatis eſt ſimpliciter primus effectus, ſicut etiam audire,& hic effectus non præſupponit alium, ſiue aliam operationem, vt patet; ſi igitur ſenſus aliquis,puta viſus, eſſet actiuus viſionis vt cauſa totalis,ſemper videret,*velle* verò eſt effectus poſterior intellectione, & hoc de neceſſitate naturæ, & ideò non ſequitur quòd ſi voluntas eſt actiua volitionis, quòd ſemper poſſit velle obiectum, quia requiritur intellectio illius obiecti tanquam effectus ſimpliciter prior.

6. i *Dico tertiò ad inſtantiam de ligno calefactiuo ſui.* Hîc Doctor ſoluit inſtantiam de ligno, quòd non calefaciat ſe, & reſponſio ſtat in hoc, quia aliud eſt loqui de perfectione actiua potentiæ,& de actione corruptiua,nam rationabile eſt, quòd potentia perfecta, & nobilis habeat in poteſtate ſua actiua actionem perfectiuam ipſius, cuiuſmodi perfectio eſt intellectio, & volitio, nam ad talem perfectionem eſt naturalis inclinatio, ſed non eſt rationabile, quòd aliquod ens habeat actionem ſui corruptiuam, cùm nullo modo inclinetur ad corruptionem ſui; ſi igitur lignum *An lignum calefaciat ſe.*

lignum poſſet calefacere ſe, & ſic comburere, tunc ageret ad corruptionem ſui, quod videtur omnino irrationabile.

Si dicatur. Nonne viuentia habent in poteſtate ſua actiua actionem quâ ſe corrumpunt, &c. Dico, quòd nihil agit ad corruptionem ſui, & ſi viuentibus accidat talis corruptio, non eſt quòd vna pars agat in ſeipſam corrumpendo, ſed quia vna pars agit in aliam, reddendo illam improportionabilem ad animationem, vt ſatis patet à Doctore ſuprà in hoc 2. diſtinctione 15. & 19.

k *Si etiam inſtes*, &c. Quia dictum eſt ſuprà, quòd volitio non poteſt cauſari à voluntate circa aliquod obiectum, niſi illud obiectum prius ſit cognitum. Sed arguit Doctor hîc, quòd non neceſſariò prærequiritur tale obiectum ſic cognitum, quia effectus quantùm ad ſuum *fieri* non dependet niſi à materia, & efficiente tanquam à cauſis prioribus. Hoc de ſe patet, quia ſi ignis ab alio igne producatur, quando fit ignis, dependet tantum ab igne producente, & à materia, in quam agit ignis. Forma autem partis in eodem inſtanti, quo fit in materia, ſtatim effectus habet totum ſuum *eſſe*, quia poſita forma in materia, in eodem inſtanti reſultat *eſſe* totius vt patet à Doctore *in 4. diſt. 1. q. 1.* Si dicatur, Nonne etiam dependet à fine tanquam à cauſa priori.

7. Dico, quòd licet finis ſit prima cauſa mouens efficiens in ratione amati, & deſiderati, vt ſatis probatum eſt à Doctore *in 1. di. 2.* tamen ipſe finis nihil cauſat de effectu in re, & per talem motionem nihil cauſatur: ſolum enim mouet Metaphoricè, & non realiter, vt patet à Doctore *in q. vltima prologi.* Loquitur ergo hîc, quòd effectus quantùm ad ſuum fieri reale tantum dependet à materia, & efficiente tanquam à cauſis prioribus realiter cauſantibus; cùm ergo talis volitio dependeat ab obiecto tanquam à cauſa materiali, patet, quia ipſa volitio eſt forma ſimplex, & non compoſita ex materia; patet enim quòd volitio, quâ volo Franciſcum iam cognitum non pertinet ad *eſſe* ipſius voliti vt materia illius, nec vt ſubiectum materiale, quia volitio tantum recipitur in voluntate, & per ſe non dependet ab obiecto vt à cauſa efficiente; ergo nullo modo talis volitio dependet ab obiecto cognito, & ſi ſic, poteſt eſſe volitio abſque tali obiecto, & per conſequens obiectum in *eſſe* cognito non præſupponitur vt cauſa ſine qua non.

Quomodo finis moueatur primo de geri cons. 55.

Duplex dependentia.

l *Patet ſatis.* Hîc notatur duplex dependentia. Vna eſt eſſentialis, quâ vnum eſſentialiter dependet ab alio, vt cauſati ad cauſam efficientem, & cauſati materialis ad cauſam materialem, & formalem, & etiam accidentis ad ſubiectum. Alia eſt dependentia quæ tantùm dicit præſuppoſitionem vnius ad alterium; ſed poſterius non dependet ab illo præſuppoſito in aliquo genere cauſæ, ſed quia potentia poſterior non poteſt producere ſuum effectum, niſi potentia prior priùs producat, vt ſuprà declaratum eſt.

Quomodo voluntas poſſit eſſe cauſa ſui actus.

m *Si dicas etiam, quòd habens actum primum*, &c. quia dictum eſt ſuprà, quòd voluntas poteſt eſſe cauſa totalis ſui actus. Reſpondent, quòd verum eſt de cauſa totaliter producente effectum in materiam extrinſecam, non autem de cauſa totali producente effectum in ſeipſa, quia benè concedunt, quòd talis cauſa producens effectum in materiam extrinſecam, præſupponit illam materiam circa quam agit, & ſic tali materia præſente ſemper poteſt agere. Si ergo voluntas poteſt producere volitionem in ſe tanquam in ſubiecto, vt cauſa totalis, cùm ſemper ſit ſibi præſens in ratione receptiui, reſpectu cuiuſcunque volitionis ſequitur quòd ſemper poteſt producere volitionem cuiuſcunque obiecti abſque præſentia talis obiecti, ſed hoc eſt falſum: ergo ſequitur quod nõ poteſt eſſe cauſa totalis volitionis in ſe.

n *Contrà.* Hîc intendit Doctor probare quòd ipſa voluntas, quæ eſt potentia actiua, & non factiua ex ſeipſa exit in actum, quem recipit, & ponit ſimile de potentia factiua; nam ex quo ars, & ædificator pertinent ad genus cauſæ, *5. Meta.* quia vtrunque ad genus cauſæ efficientis pertinet, licèt diuerſimodè, quia ars ſe habet in ratione *quo*, ædificator autem in ratione *quod*: nam ars ædificandi eſt ratio formalis ædificandi, quâ mediante ædificator ædificat, ſicut ſæpè dictum eſt, quòd in cauſis effectiuis ponitur *quo*, quod eſt ratio formalis efficiendi, & *quod*, quod eſt illud, quod agit per illam rationem formalem. Dicit ergo Doctor, ſi ponatur aliqua potentia verè factiua: quia reducit ipſam ad actum, certum eſt quod ex ſeipſa reducitur, nam præſente materia, quæ eſt receptiua factionis, ſtatim ex ſeipſa reducitur ad actum circa talem materiam. Si modò eſt talis potentia, quòd ſolum dicatur actiua, cuius actio dicatur operatio & per conſequens talis operatio eſt immanens, quia recipitur in illa potentia, manifeſtum eſt quòd talis potentia actiua ex ſeipſa reducitur ad talem operationem, quam recipit. Et nota ibi in principio cum dicit, *potentia prima actiua*, ſi intelligat potentiam primam calefactiuam pro primo principio formali producendi calorem, poſſumus dicere quòd forma ſubſtantialis ignis eſt primò potentia calefactiua, & verè actiua, quâ ignis producit calorem in ſeipſo, vt patet à Doctore in quarto in materia de Euchariſtia, & ſic talis potentia eſt verè actiua, cùm eius actio recipiatur in agente. Si verò accipiatur pro calore puta exiſtente in igne, non erit potentia actiua propria, quia tunc ſequeretur quòd eſſet ratio formalis producendi calorem in igne, quod eſt falſum. 8.

o *Ad aliud cùm dicitur*, &c. In iſta reſponſione Doctor præſupponit vnum, ſcilicet, quòd loquamur de compoſito per ſe, quod eſt compoſitum ex materia, & forma, quod primò, & per ſe producitur, eſt ipſum compoſitum, vt patet 7. *Metaph.* Similiter compoſitum per accidens quod eſt compoſitum ex ſubſtantia & accidente, ſiue ex rebus diuerſorum Prædicamentorum, vt patet 5. *Metaph.* quod per accidens primò producitur eſt ipſum compoſitum per accidens, & ex quo eſt ens per accidens, ideò dicitur productum per accidens. Item declaratum eſt ſuprà *d.* 17. quòd in generato per ſe, quod eſt compoſitum, terminus formalis generationis eſt forma partis. Sicut ergo in generatione per ſe, terminus formalis generationis per ſe eſt forma partis compoſiti per ſe, ſic in generatione compoſiti per accidens, terminus formalis compoſiti per accidens eſt forma partis. Nam album eſt compoſitum per accidens, terminus formalis iſtius compoſiti generati per accidens eſt ipſa albedo. Similiter de voluntate. Sed quia fortè poſſet quas dicere, quòd cauſa æquiuoca, ex quo producit effectum, ſiue compoſitum, quòd ſicut compoſitum eſt verè productum per ſe, aut tunc illud compoſitum eſt æqualis perfectionis & tunc ſequitur quòd non eſt effectus æquiuocus, aut maioris 9. *Tex.* 23. & 26.

maioris perfectionis,& tunc non poteſt produci à cauſa perfectiore,aut minoris,& tunc habetur intentum, ſcilicet quòd cauſa æquiuoca eſt nobilior effectu totali. Dico ergo vt Doctor clariùs intelligatur,quòd cauſa æquiuoca poteſt comparari ad effectum diuerſimodè. Si enim cauſa æquiuoca producit effectum, quantùm ad ſuum *eſſe*,certum eſt quòd eſt nobilior abſolutè. Et ſic Doctor probat *in* 1.*d*.2. eminentiam primi efficientis, ex hoc, quòd eſt cauſa totalis omnium effectuum. Si verò comparetur cauſa æquiuoca ad effectum,qui non dependet ab illa,quantũ ad totum ſuum *eſſe*, ſed quia tantum habet ab illa terminum formalem, qui eſt forma partis talis, cauſa æquiuoca non eſt ſimpliciter nobilior toto effectu,ſed tantum nobilior termino formali.

Cauſa æquiuoca eſt nobilior effectu.

10. *Difficultas.*

Sed oritur difficultas, quia dicit Doctor quòd voluntas formaliter volens eſt nobilior voluntate abſolutè ſumpta, quia primo modo includit voluntatem,& ipſum *velle*,ſecundo modo tãtum voluntatem. Deinde dicit quòd ipſa voluntas abſolutè virtualiter continet ipſam volitionem:ex hoc videtur, quòd contradicat ſibi quia expreſsè *in* 1.*d*.2. *q*.1. dicit quòd maioris perfectionis eſt continere aliquid virtualiter,quàm eſſe illud formaliter; & ideò ibi probat quòd maioris perfectionis eſt in prima cauſa continere cauſalitatem ſecundatum cauſarum,quam formaliter,& tamẽ hîc dicit,quòd voluntas habens volitionem formaliter eſt nobilior ſeipſa abſolutè ſumpta, quæ vt ſic, continet volitionem virtualiter. Reſpondeo,& dico,quòd eſſe virtualiter, & abſolute ſi comparetur ad eſſe tale formaliter, maioris perfectionis eſt eſſe tale virtualiter.Pono exemplum. Lignum eſt calidũ formaliter à Sole calefaciente,Sol continet virtualiter illam caliditatem,certum eſt quòd maioris perfectionis eſt habere in virtute ſua poſſe producere talem caliditatem, quàm quòd lignum formaliter habeat illam,quia in primo dicit rationem actiuitatis, in ſecundo autem dicit rationem receptiuitatis: in primo etiam dicit rationem dantis perfectionem effectiuè,in ſecundo dicit rationem perfectibilis. Et hoc eſt quòd Doctor in primo dicit,quod maioris perfectionis in prima cauſa continere virtualiter potentiam calefactiuam, quàm formaliter; nam ignis habet in ſe calorem formaliter, quo calefacit, Deus autem habet in virtute ſua perfectam cauſalitatem cuiuſcunque calefactionis. Modò,quòd ignis habeat in ſe calorem formalẽ, hoc eſt magis imperfectionis cùm ſit perfectibilis à tali calore;abſolutè igitur loquendo, continentia virtualis eſt nobilior continentia formali, & in Deo nullius poteſt eſſe continentia virtualis,& formalis,quia quicquid in Deo eſt,eſt idẽ, quod Deus realiter,& eſſentialiter:contẽtum autem virtualiter ſemper diſtinguitur eſſentialiter à continente, loquendo de propria continentia virtuali, & ideò contentum virtualiter non poteſt eſſe contentum formaliter in Deo, & ſi aliquando in creaturis idem contineat virtualiter, & formaliter vt voluntas,patet ſupra,adhuc dico quòd ipſa voluntas abſolutè ſumpta, vt virtualiter continet volitionem,eſt nobilior abſolutè ſeipſa, vt continet ipſam volitionem formaliter: patet, quia prima contentia eſt tantum cum perfectione, & nullo modo ex parte ſua includit aliquam imperfectionem. Secunda autem continentia ſemper includit imperfectionem in continente,quia includit potentialitatem ad ſic,vel ſic perfici, licèt ergo ipſa volitio ſit aliqualis perfectio in continente ipſam formaliter, tamen in ipſa voluntate continente neceſſariò includitur imperfectio. Et ſi habere illam volitionem ſit aliqualis perfectio,illa perfectio eſt ſupplens imperfectionẽ, quia ſi voluntas eſſet de ſe perfecta non poſſet recipere volitionem realiter à ſe diſtinctam,ſed eſſet ſimpliciter eadem, ſicut patet de voluntate diuina, & eius volitione *in* 1.*d*.2. Voluntas verò vt continens virtualiter,& vt ſic, nullam imperfectionem includit. Nam continẽtia virtualis ponitur formaliter in Deo. Illud verò quod formaliter includit imperfectionem non poteſt formaliter eſſe in Deo,cuiuſmodi eſt continentia formalis.

Continentia virtualis eſt nobilior continentia formali.

Reſponſio.

Poſſet fortè oriri alia difficultas, quia ſi continere virtualiter,vel eſſe virtualiter tale,eſt maioris perfectionis abſolutè, quàm eſſe formaliter tale, videtur quòd maioris perfectionis eſſet in eſſentia diuina, quòd ſit virtualiter bona, quàm formaliter bona.Nam ſi bonitas eſſet virtualiter diſtincta ab eſſentia diuina, vere virtualiter contineretur in illa,vt patet à Doctore *in q.de ſubiecto Theologiæ*.Dico,quòd omne cõtentum virtualiter in aliquo neceſſariò includit imperfectionẽ, quia dependentiã eſſentialem;& ſic bonitas virtualiter ſi contineretur in Deo, in illa eſſet imperfectio,ſi verè eſſet ſeparabilis virtualiter contineretur;ſed caſus eſt impoſſibilis. Eſt ergo maximè perfectionis in eſſentia diuina,quòd ab ipſa pullulent huiuſmodi perfectiones formaliter infinitæ.

11. *Alia difficultas.*

SCHOLIVM.

Soluit argumenta poſita n.5.pro opinione Henrici,quæ tribuitur D.Thomæ, & oſtendit quomodo cauſa per ſe ſit aliquando prior & aliquando poſterior origine,cauſâ per accidens.

Non reijcit vt improbabile intellectionẽ concurrere ad volitionem.

AD illud de balneo ſi ſuſtineatur quòd obiectum mouet potentiam obiectiuè, licèt non ſit cauſa totalis poteſt tunc ſuſtineri quòd balneum intra mouet vt efficiens,& extrà vt finis. Suſtinendo tamen quòd ſit tantùm cauſa ſine qua non, & nullo modo mouens effectiuè,tunc oportet gloſſare, quòd non mouet effectiuè per ſe,ſed per accidens. 21.

Dices cauſa per ſe eſt prior cauſa per accidens: ſed obiectum prius eſt natura & origine volitione voluntatis,vel voluntate volente:ergo,&c.

Cauſa per ſe aliquando prior

Dico quòd cauſa per ſe eſt prior cauſa per accidẽs:vel natura vel perfectione:non autem ſemper origine, vel natura: ſicut amotio vel fractio trabis eſt cauſa per accidens;defcenſus grauis eſt prior natura cauſa per ſe ipſius motus grauis. Cauſa etiam

per

aliquando eſt origine poſterior cauſa per accidens. tex.1.d.2. q.1.

per accidens reducitur ad cauſam per ſe priorem, vel ad ſeipſam, vt eſt cauſa per ſe, reſpectu alterius effectus: ſicut fodiens, foditione eſt cauſa per accidens inuentionis theſauri,& eſt cauſa inuentionis aquæ per ſe: & vt per accidens reducitur ad ſeipſam vt per ſe, vel reducitur ad aliam per ſe priorem perfectione, vt dictum eſt.

Ad aliud de appetitu ſenſitiuo, qui mouetur ab appetibili, Dico quòd eſt ad oppoſitum: quia ex hoc mouetur appetitus ſenſitiuus ſic, quia non eſt liber, ſed alius eſt liber. Vnde Damaſcenus lib.2.c.22. & 23. dicit quòd *Senſitiuus ducitur, & non ducit, ſed intellectiuus ducit, & non ducitur.*

COMMENTARIVS.

12. *Ad opinionẽ Henrici quodlib.11.q.5.*

p *Ad aliud de balneo*, &c. Doctor dicit hîc duas reſponſiones. Prima, quòd ſi ſuſtineatur quòd obiectum cognitum eſt cauſa ipſius volitionis, debet exponi de cauſa tantum partiali, ſicut etiam dictum eſt ſuprà de obiecto reſpectu intellectionis, vt patet *in* 1.*d*.3.*q*.7. Secunda reſponſio eſt, quod ſi teneatur, quòd non ſit cauſa effectiua, ſed tantum cauſa ſine qua non, Doctor dicit, quòd obiectum eſt cauſa per accidens, & hoc magis placet: ſicut etiam dicimus, quòd quãdo ſunt duo effectus ordinati ab eadem cauſa, prior dicitur cauſa ſine qua non, reſpectu poſterioris; & ſic poteſt dici cauſa per accidens reſpectu poſterioris: non quòd producat ipſum quantũ ad *eſſe*, nec quòd aliquid faciat ad productionem illius, quia ſi, per poſſibile, ille effectus prior non eſſet, illa cauſa produceret ſecundũ. Dicitur ergo cauſa per accidens, quia accidit ſibi quòd priùs habeat *eſſe*, quàm effectus poſterior, & quòd præexigatur. Sic dico de obiecto cognito, quod dicitur cauſa per accidens reſpectu volitionis, modo præexpoſito. Et iſta ſecunda reſponſio, iudicio meo, eſt tutior, & magis ad mentem Doctoris qui ponit voluntatem creatã, eſſentialiter liberam ex hoc, quòd habet in poteſtate ſua actum ſuum, vt patet *in* 1.*d*.1.2.*&* 17. & vbique quærit iſtam libertatem voluntatis ſaluare: quòd ſi obiectum cognitum eſſet cauſa partialis illius, non poſſet ita ſaluari ſua libertas.

13. q *Dices cauſa per ſe*, &c. Hic Doctor arguit probãdo quòd non ſit cauſa per accidens, quia tu dicis, quòd voluntas eſt cauſa per ſe volitionis, & obiectũ eſt cauſa per accidens. Cauſa autem per accidens ſemper eſt poſterior per ſe; ſi ergo obiectum concurrit vt cauſa per accidens, erit poſterius voluntate, vt cauſa per ſe: cauſa autem per ſe vt prior, & diſpoſita producit effectum: ergo ipſa voluntas poteſt producere volitionem abſque hoc, quòd præexigatur obiectum cognitum.

Quomodo cauſa per ſe ſit prior cauſa per accidens.

r *Dico quòd cauſa per ſe*, &c. Hæc reſponſio eſt valde notanda: Nam dicit Doctor quòd cauſa per ſe dicitur prior cauſa per accidens prioritate perfectionis, non autem prioritate naturæ, imò aliqua poſterioritate naturæ eſt poſterior, vt patet: quia ſi aliquod graue cadat à caſu ſuper trabem, fractio trabis eſt cauſa per accidens reſpectu motus naturalis ad centrum ipſius grauis. Hic tamen poſſet obiici, quia Doctor *in* 1. *diſt*.2. *q*.1. volens probare quòd Deus ſit intelligens, & volens, dicit ibi, quòd *omni cauſa per accidens aliqua eſt prior per ſe*, & ibi loquitur non tantum de prioritate perfectionis: ſed de prioritate naturæ, & fortè durationis. Dico, quòd facilis eſt ſolutio, quia ibi vult abſolutè, quòd detur aliqua per ſe cauſa effectiua, quæ ſit prior omni per accidens: non enim dicit ibi quòd omnis cauſa per ſe ſit prior quacunque per accidens, ſed quòd aliqua de neceſſitate, hic autem dicit quòd non omnis cauſa per ſe eſt prior omni cauſa per accidens.

SCHOLIVM.

Reſoluit doctor nihil aliud à voluntate eſſe cauſam totalem volitionis, & præter allata addit quòd aliàs nihil eueniret contingenter, de quo habet ſubtiliſſimum diſcurſum directè deſtruentem prædeterminationem phyſicam voluntatis.

22. Dico ergo ad quæſtionem quòd nihil aliud à voluntate eſt cauſa totalis volitionis in voluntate. Vna ratio præter prædictas eſt iſta: aliquid euenit in rebus contingenter: & voco contingenter euenire, euitabiliter euenire: aliter ſi omnia ineuitabiliter euenirent, non oporteret conſiliari, neque negociari, vt dicit Ariſtoteles *primo Periherm.* Quæro ergo illud, quod contingenter euenit, vnde, vel à qua cauſa eueniat? Non à cauſa determinata, quia pro iſto inſtanti, pro quo eſt ſic determinata, effectus non poteſt euenire contingenter: ergo à cauſa indeterminata ad alterutrum oppoſitorum: aut ergo illa cauſa poteſt ſeipſam determinare contingenter, ad vnum illorum, cùm non poſſit in vtrumque ſimul, ſicut dicit Ariſtoteles 9. *Metaph.* de potentia rationali: vel non poteſt ſeipſam determinare, ſed aliud determinat ipſam ad vnum illorum. Si poteſt ſeipſam determinare ad vnum illorum contingenter, vel non ineuitabiliter, habetur propoſitum. Si ab alio determinatur ad vnum illorum: vel ergo neceſſariò, vel contingenter? Si neceſſariò, effectus euenit ineuitabiliter: ſi determinans, contingenter, & euitabiliter ad vnum illorum determinat, ita quòd poſſit determinare ad aliud tale determinans, non poteſt eſſe niſi voluntas, quia omnis cauſa naturalis actiua, eſt determinata ad vnum effectum: vel ſi cauſa naturalis eſt indeterminata, non poteſt ſeipſam, nec aliam determinare.

c.vlt.

Tex.10. Non eſt libertas in eo qui nõ poteſt ſe determinare ad actum.

Dices,

Dices, iſta indeterminatio eſt ex parte intellectus, ſic repræſentantis ipſum obiectum voluntati, vt fore, vel non fore. Contrà [b] intellectus non poteſt determinare voluntatem indifferenter ad alterum contradictoriorum, puta hoc fore, vel non fore, niſi de vno demonſtrando, & de altero paralogizando, ſiue ſophiſticè ſyllogizando, ita quòd in concludendo decipiatur: ergo ſi illa contingentia, qua hoc poteſt fore, vel non fore, ſit ab intellectu dictante, ſic propter concluſiones oppoſitas: ſecundum hoc à voluntate Dei, vel à Deo, nihil contingenter eueniret, quia ipſe non paralogizat, nec decipitur: ſed hoc eſt falſum, & improbatum *diſt. 8. primi libri q. vltim.* *Intellectus non poteſt determinare voluntatem ad alteram partem.*

Item, intellectus agit modo maximè naturali, per Auguſtinum, *tertio de Trin.* & in multis aliis locis, ideò intellectum ponit principium appropriatum reſpectu productionis filij in diuinis, qui maximè naturaliter producitur: ergo intellectus minimè eſt cauſa indeterminata reſpectu alicuius effectus: ſed determinata.

23. Dices, Philoſophus diuidit naturam contra intellectum, & contra agens à propoſito: non igitur intelligit, quòd intellectus ſit cauſa per modum naturæ. Dico [c], quòd intellectus poteſt accipi, vel per ſe, ſecundùm quòd eſt quædam potentia operatiua tali operatione diſtincta, contra operationem voluntatis, & ſic quantùm eſt de ſe naturaliter agit: vel ſecundùm quòd eſt potentia practica reſpectu agibilis extrà: & ſic pro eodem Philoſophus habet artem, intellectum, propoſitum, electionem, & appetitum. Et iſto modo accipiendo intellectum diſtinguit agens per intellectum, contra agens per naturam, & illo ſecundo modo frequenter loquitur de intellectu ferè per totum librum Ethicorum, & 9. Metaph. & 3. de Anima & 2. Phyſ. de potentia rationali: ſed primo modo parum loquitur Philoſophus de intellectu. *2. Phyſ. t. com. 49. Ariſt. ſumit intellectum, vt opponitur, nunc naturæ, nunc voluntati, ſed raro primo modo. Tex. 10. per totum. T. com. 49.*

Item, ſine omni contradictione poſſet intelligi appetitus intellectiuus non potens ſe determinare, ſi appeteret per modum naturæ: ſic fingit Anſelmus *de caſu diaboli. cap. 12.* quòd eſſet vnus Angelus, qui haberet intellectum, & appetitum tantum reſpectu affectionis commodi, & non data eſſet ei affectio iuſti, iſte Angelus, non poſſet appetere, niſi tantùm intelligibilia, & hoc per modum naturæ: ſicut appetitus ſenſitiuus appetit conuenientia ſecundùm ſenſum: ſed ſi libertas in appetitu intellectiuo eſſet cauſata naturaliter ab intellectu, non poſſet eſſe aliquo modo appetitus intellectiuus, & non liber, nec etiam intelligi.

24. Ad primum principale [d] qui diceret, quòd obiectum mouet voluntatem effectiuè, non tamen vt totalis cauſa, ſed vt aliquid ibi faciens: tunc non eſſet gloſſanda auctoritas, quòd mouet, ſcilicet metaphoricè: & tunc auctoritas eſſet pro me, vel ſuſtinendo, & dicendo, quòd appetibile mouet appetitum tantùm metaphoricè; tunc debet intelligi, quòd ſicut appetibile, mouet appetitum metaphoricè: ita appetitus ſic motus mouet effectiuè membra ad exequendum, vt acquiratur illud appetibile. Et cùm dicitur, æquiuocaret de *mouente*; hoc nihil valet, quia non oportet quòd omnia ordinata ſecundùm rationem cauſandi, ſint ordinata in vno genere cauſæ. Cauſa enim efficiens ordinatur ad finalem, quæ eſt cauſa alterius generis, quæ mouet metaphoricè. Vnde poteſt dici, quòd Ariſtoteles aſſignat ibi ordinem cauſarum qualitercunque mouentium. Et non eſt mirandum ſi gloſſatur auctoritas Ariſtotelis ſic, quando auctoritas vna dignior, & ſuperior, ſcilicet ſcripturæ, gloſſatur mirabiliùs, vt pote, quòd vna pars illius auctoritatis refertur ad quemlibet Sanctum, & altera ſolùm ad Chriſtum: quæ tamen videtur apparentiùs loqui de vno, & eodem ſicut iſta, Eccl. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*: qui potuit tranſgredi ad quemlibet Sanctum refertur, & non eſt tranſgreſſus: ad ſolum Chriſtum. *Ad arg. 1.* *Quia etiã B. virgo in Adamo tranſgreſſa eſt, nunquã tamen actu infecta. de quo 3. d. 3. q. 1.*

Ad aliud concedo, quòd voluntas eſt potentia actiua. Et cùm dicitur, quòd potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud, inquantùm aliud; dicitur, quod ibi datur definitio potentiæ factiuæ: & concedo quòd idem non poteſt facere ſeipſum. *Ad arg. 2. Vide Magiſtrum in 3. d. 12. c. pen. & diſ. 16. q. 2. ad fi Medicus vt ſanabilis, aliud à ſeipſo vt ſanans.*

Sed dico aliter [e], quòd Ariſtoteles in quinto, & nono Metaph. vbi hoc dicit, ponit exemplum de medico, qui ſanat ſeipſum, qui tamen non eſt aliud à ſeipſo: ſed inquantùm medicus eſt ſanans, eſt aliud à ſeipſo inquantùm ſanatur: ſanatur enim inquantùm infirmus, non inquantùm medicus. Sic dico in propoſito, quòd voluntas inquantùm potentia actiua, quæ poteſt elicere ſuam volitionem, eſt alia formalis ratio à potentia, vel ratione recipiendi ſuam volitionem ipſam perficientem. Vnde ly *inquantùm aliud*, reduplicat formalem rationem aliam, ſolùm, quando mouens, & motum ſunt indiſtincta ſubiecto, ſed quando ſunt diſtincta ſubiecto, reduplicat rem aliam, & rationem aliam.

25. Ad aliud dico [f], quòd accidẽs per accidens, nõ niſi à principiis intrinſecis alicuius

Ad 3. entis oritur: cùm enim cauſare tale accidens per accidens; puta volitionem, nullam perfectionem tollat à cauſante, vel imperfectionem ponat in recipiente, quia potiùs ipſum perficit; concedendum eſt quòd talis forma perfecta, puta voluntas, poſsit cauſare in ſe volitionem, quæ ſcilicet eſt tale accidens per accidens. Item oportet ponere quòd tale accidens per accidens, cuiuſmodi eſt volitio, ab aliquo procedat; nec poteſt poni (vt probatum eſt ſuprà) quod procedat niſi ab illo, quod contingenter ſe habet ad illud: ideò illud non valet.

Accidens per accidens procedit ſæpe ab eo in quo eſt.

Ad 4. Ad aliud de potentia contradictionis, quod eſt in potentia contradictionis ad aliqua, non ſe determinat ad vnum illorum; Dico, quòd aliqua eſt forma in potentia contradictionis, vt ſcientia, quæ eſt contrariorum: & iſta non poteſt ſe determinare, quia eſt diminuta, & imperfecta quantùm ad hoc, & reſpicit vtrumque contrariorum. Vnde Ariſtoteles *tex. 3. & 10.* vult, quòd ſi ex ſe, ſine alio determinante, procederet ad actum; ſimul produceret contraria. Alia eſt forma in potentia indeterminata, perfecta tamen, & non diminuta obiecto ſibi præſentato, cuiuſmodi eſt voluntas: & iſta poteſt ſe determinare, & etiam alia. Vnde Ariſtoteles *nono Metaph.* quia dixerat, quòd ſcientia eſt contrariorum: & tamen ad nullum illorum poteſt ſe determinare: ideò ſubdit determinatiuum: *Hoc autem dico appetitum, vel probæreſim.* Potentia igitur rationalis perfecta, cuiuſmodi eſt voluntas, quamuis ſit * contradictoriorum, poterit determinare ſe obiecto præſente, ad vnum illorum.

Quia ſcilicet eſt indeterminatum liberũ potens eſt ſe determinare vel ceſſare. al. contrariorum.

COMMENTARIVS.

1. *Quomodo voluntas ſit cauſa volitionis.*

a *Dico ergo ad quæſtionem.* Hîc Doctor vult expreſsè quòd nihil aliud à voluntate ſit cauſa totalis ipſius volitionis, ſed non negat expreſsè quin aliquid aliud poſſit eſſe cauſa partialis: & probat quòd voluntas eſt cauſa volitionis ſaltem partialis. Vbi aliqua ſunt declaranda, quia quando dicit de cauſa determinata ad vnum effectum, accipit cauſam determinatam ad vnum effectum contradictoriè, ſicut calor eſt ſic cauſa determinata ad calefaciendum, quòd præſente calefactibili non poteſt non calefacere: & quando dicit de cauſa indeterminata, debet accipi *indeterminata* contradictoriè, ita quòd talis cauſa ſtante etiam optima diſpoſitione obiecti, poteſt agere in illud, & non agere; & hæc eſt ſola voluntas, quia præſente obiecto poteſt velle illud, & non velle, quòd eſt ſuũ contradictoriũ; ideò dicit Doctor ſi eſt indeterminata ad oppoſita cõtradictoria aut poteſt ſe determinare ad vnũ illorum cõtingẽter, ita quòd ſi in facultate ſua poſſe illud vel poſſe aliud, ad vtrunque enim ſimul non poteſt ſe determinare, quòd enim aliqua voluntas in eo inſtanti, ſimul velit Franciſcum eſſe quo non vult Franciſcum eſſe eſt impoſſibile, vt probat Doctor *in primo, diſt. 39.* Si dicas, quòd non poteſt ſe determinare ad vnam illorum, ſed aliud determinat ipſam, ergo vel neceſſariò, vel contingenter. *Dices, iſta indeterminatio,* id eſt, quòd ſi intellectus repræſentat voluntati hominem riſibilem eſſe diligibilem, quòd talis intellectio eſt cauſa dilectionis illius. Si verò repræſentat hominem riſibilem non eſſe diligibilem, quòd talis intellectio eſt cauſa alterius oppoſitæ, puta non dilectionis, vel odij, ita quòd talis determinatio eſt ex alia, & alia intellectione obiecti.

b *Contra.* Dicit Doctor quòd, & ſi intellectus per verum ſyllogiſmum oſtendit, vel concludit hominem riſibilem eſſe diligibilem, & poſito quòd cognitio illius concluſionis ſit cauſa talis volitionis, intellectus tamen oppoſitum illius, quod eſt hominem riſibilem eſſe diligibilem, non poteſt concludere niſi per ſyllogiſmum falſigraphum, & hoc non poteſt eſſe niſi talis intellectus decipiatur; ſed non eſt credibile quòd intellectus, maximè nudus vt animæ ſeparatæ, vel Angeli, ſic decipiatur, & poſito quòd omnis intellectus creatus deciperetur, intellectus tamen diuinus non decipitur.

2. *An intellectus agat per modum naturæ.*

c *Dico, quod intellectus,* &c. Hîc Doctor exponit dictum Philoſophi, ſed diffuſiùs in primo *diſt. 2. parte 2.* Dicit ergo hîc, quòd ſi accipiatur intellectus per ſe vt eſt quædam potentia operatiua diſtincta à voluntate, quòd benè tunc agit per modum naturæ, quia præſente obiecto non poteſt non cauſare intellectionem illius; ſi verò accipiatur ſecundùm quòd eſt potentia practica reſpectu agibilis extrà. Dicit quòd propriè non agit per modum naturæ: quod ſic expono, nam *in d. 24. huius ſecundi* expoſitum eſt, quòd cognitio propriè practica eſt cognitio medij ordinati ad finem, quem voluntas vult aſſequi, ita quòd eſt cognitio medij concluſi per ſyllogiſmum practicum, cuius præmiſſæ ſumũtur à fine; quia ergo voluntas appetit talem finẽ, ideò imperat cognitionem medij neceſſarij; & ſic talis cognitio producta ab intellectu per imperiũ voluntatis poteſt dici liberè producta, participatiuè tamen. Hoc modo intellectus vt eſt potentia ſic practica, poteſt dici agere non per modum naturæ. Si etiam loquamur de intellectu perfectiſſimè practico, qui non tantum cognitionem includit alicuius medij, ſed etiã volitionem, vt expoſui loco præallegato, patet tunc quòd includit voluntatẽ agere merè liberè. Si ergo intelligatur ſic, quòd intellectus per ſuã intellectionẽ dicatur cauſa partialis volitionis, & ipſa voluntas alia cauſa partialis, tũc ratione voluntatis concurrentis poteſt dici agens à propoſito. Vel ſi quartò dicatur quia Ariſtoteles parum agit de voluntate, quòd quando diuidit naturam contra intellectum, accipit *intellectũ* pro voluntate, vt eſt pars ſuo modo animæ intellectiuæ. Vel ſi quintò accipitur ſic, quia ſic voluntas vtitur habitu, quẽ habet, & tota operatio procedens à voluntate & habitu dicitur contingenter producta, licèt habitus concurrat de neceſſitate, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 17.* ſic voluntas

vtitur

vtitur intellectu, vel ſpecie intelligibili circa aliud, & aliud obiectum, vt patet à Doctore *in hoc ſecundo, diſt.9.* & ſic accipitur intellectus vt diſtinguitur contra naturam inquantùm eſt in poteſtate voluntatis potentis ipſum intellectum firmare in cognitione obiecti cogniti, vel auertere ab illo, & firmare ipſum in alia cognitione, vt clariùs patet à Doctore infrà, *d.* 42. Vel vltimò poteſt dici, quòd ex hoc diſtinguit naturam contrà intellectum, ſiue contra agens à propoſito; nam agens à propoſito duo includit, ſcilicet cognitionem agendorum, & actionem illorum, & licèt actio principaliter ſit à voluntate, quæ imperat potentiis ſenſitiuis,& organicis, tamen quia non poſſet rectè imperare ipſis, niſi præcederet recta cognitio, quæ dirigit voluntatem ad rectè volendum,& imperandum, ideò Ariſtoteles nominat ipſum intellectum, cuius principaliter eſt dirigere, tamen includit ſemper voluntatem. Quilibet iſtorum modorum eſt ſufficiens ad mentem Ariſtotelis.

2. *Quomodo Ariſt. nominet intellectum.*

Nunc Doctor reſpondet ad argumenta principalia. Et primò arguit. Dicit enim Ariſtoteles quòd appetibile eſt mouens non motum,appetitus mouens vt motum, & tertiò motum non mouens. Exemplum: Sanitas corporalis eſt appetibilis à voluntate. Dicit Ariſtoteles quòd appetibile mouet voluntatem, & non mouetur à voluntate, ideò mouens non motum; voluntas enim nihil cauſat in appetibili,voluntas verò eſt mouens mota; mota eſt enim ab appetibili, & mouet potentias organicas ad ſe, quando appetit illud appetibile, puta ſanitatem: potentiæ verò organicæ ſunt tantùm motæ à voluntate per imperium voluntatis ad proſequendum ipſum appetibile per media ordinata, & ſic patet quòd Ariſtoteles vult quòd appetibile moueat voluntatem, quod non contingit, niſi cauſando aliquid in voluntate, & nihil cauſat, niſi volitionem illius appetibilis.

An appetibile moueat voluntatem.

d *Ad primum principale.* Nunc Doctor reſpondet ad argumentum, primò dicit ſuſtinendo quòd obiectum cognitum ſit cauſa partialis volitionis, quòd autoritas Ariſtotelis ſic debet intelligi,quòd appetibile extrà tantum mouet partialiter, id eſt,eſt cauſa partialis volitionis, quod eſt rationabilius. Expono Ariſtotelem, quia appetibile mouet tantùm vt finis, & ſic mouet Metaphoricè, nam ſanitas cognita ab intellectu mouet voluntatem tantùm Metaphoricè, quia inquantùm amata, & deſiderata, & ſic voluntas amans illam, & deſiderans tanquam mouet potentias organicas ad proſecutionem illius per media debita.

e *Sed dico aliter,*&c. Hic Doctor dat aliam reſponſionem de potentia actiua, quia cùm dicit, quod potentia actiua dicit aliud inquantùm aliud, ſi ly *inquantùm aliud* reduplicat aliam, & aliam rationem formalem, idem poteſt agere in ſemetipſo,quia eſt alia forma, vel ratio voluntatis vt agit,& alia inquantùm patitur:nam vt agit eſt in actu virtuali; vt verò patitur eſt in potentia formali, aut reduplicat aliam, & aliam rem ſub alia,& alia ratione, & tunc idem non poteſt agere in ſeipſum. Licèt hæc reſponſio ſatis ſit bona, tamen prima magis placet. Doctor enim *in primo,d.2.par.2.q.3.* expreſsè exponit Ariſtotelem de potentia actiua, quòd reſpiciat aliud in natura. Ibi igitur loquitur de potentia propriiſſimè ſumpta,quæ eſt idem, quòd potentia factiua propriiſſimè ſumpta. Hic verò loquitur de potentia actiuà,ſiue factiua largè.

f *Ad aliud dico,quòd accidens per accidens,* &c. Hæc litera ponderanda eſt, quia ſi Doctor intelligit quòd *accidens per accidens* vniuerſaliter de omni accidente receptibili ab aliquo ſubiecto,quòd egrediatur à principiis illius ſubiecti, à principiis dico, quæ ſunt rationes formales recipiendi; ſic verum eſt,quòd omne per accidens receptum in aliquo ſubiecto præſupponit aliquid in illo ſubiecto, quod eſt ratio formalis recipiendi illud. Si verò intelligatur, quòd egrediatur à principiis ſubiecti effectiuè, hoc non eſt verum de quolibet accidente: nam multa ſunt accidentia, quæ cauſantur ab extrinſeco, & multa ſunt quæ effectiuè producuntur à tali ſubiecto, vt patet de quantitate quæ effectiuè cauſatur à ſubſtantia cuius eſt, vel calore in igne,qui effectiuè cauſatur ab igne, & de intellectione cauſata effectiuè ab intellectu. Dico tamen quòd aliquod accidens egredi à principiis ſubiecti poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd egrediatur à principiis ſpeciei, ſiue ſpecificis; & ſic accidens per accidens non egreditur ab illis propriè, ſed benè propriè paſſiones quæ inſunt ſubiecto per ſe ſecundo modo;& tales paſſiones non dicuntur accidentia per accidens. Alio modo, vt egreditur à principiis indiuidui, & ſic multa accidentia, poſſunt egredi à principiis effectiuè, puta volitio,intellectio, calor in igne, &c. Si dicatur calor in igne, nonne effectiuè cauſatur à ſubſtantia ignis, ita quòd ſubſtantia illa eſt ratio formalis cauſandi, & vt eſt talis ratio cauſandi præſcindit à ſingularitate? Similiter illa ſubſtantia eſt ratio formalis producendi propriam paſſionem. Dico, quòd propria paſſio ſic oritur à principiis ſpeciei in communi, etiam abſtractis ab omni ſingularitate,quia talis cauſatio eſt tantùm Metaphorica,vt expoſui in alio opere meo. Calor autem benè egreditur à ſubſtantia ignis tanquam à ratione formali, vt etiam poteſt patere à Doctore in quarto, in materia de Euchariſtia; ſed illa ſubſtantia ignis, vt præſcindit à ſingularitate, & ab exiſtentia, eſt tantùm cauſa in potentia remota, ſed vt ſingularis eſt, & actu exiſtens poteſt eſſe cauſa in potentia propinqua.

4. *Nota.*

Aliquod accidens egredi à principiis ſubiecti poteſt intelligi dupliciter.

DISTINCTIO XXVI.

De libero arbitrio comparato ad auxilium gratiæ?

A

Aug. ad Valentinũ in cap. 17. in tom.7. Quæ ſit gratia operãs & quæ cooperans. Aug.ſuper illud Rom. Non eſt volentis neque currentis. Rom.9.c. Prou. 16. & Pſ.36.d. Aug. de perfectione iuſtitiæ. para.17. circa finem libri.

HAec eſt gratia operans & cooperans. Operans enim gratia præparat hominis voluntatem, vt velit bonum. Gratia cooperans, adiuuat ne fruſtrà velit. Vnde Auguſtinus *in libro de gratia & libero arbitrio*, Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit: quia ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens, vt ergo velimus ſine nobis operatur. Cùm autem volumus, & ſic volumus vt perficiamus: nobis cooperatur: & tamen ſine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus ad bona pietatis opera, nihil valemus. Ecce his verbis ſatis aperitur quæ ſit operans gratia, & quæ cooperans. Operans enim gratia eſt, quæ præuenit voluntatem bonam: ea enim liberatur & præparatur hominis voluntas, vt ſi bona, bonúmque efficaciter velit. Cooperans verò gratia voluntatem iam bonam ſequitur adiuuando. Vnde Auguſtinus contra Iulianum hæreticum, qui bonam voluntatem ex libero arbitrio tantùm eſſe dicebat atque hominem per liberum arbitrium poſſe bonum velle & operari ſine gratia aſſerebat, ait, [Apertam de commendatione gratiæ Apoſtolus ſententiam protulit, cùm ait, *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.* Hæc ſi attenderes Iuliane, non extenderes contra gratiam merita voluntatis humanæ. Non enim ideò miſeretur Deus alicuius, quia voluit & cucurrit: ſed ideo voluit & cucurrit, quia miſertus eſt Deus. Paratur enim voluntas hominis à Deo, & à Domino greſſus hominis diriguntur. Ideóque congruè ait: [*Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Non quia hoc ſine voluntate noſtra agatur, ſed quia voluntas noſtra nihil boni agit, niſi diuinitùs adiuuetur.] Vnde alibi Apoſtolus ait, [*Non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Non ideò dicit, quia nihil boni agebat: ſed quia nihil boni ageret, ſi illa non adiuuaret.] His teſtimoniis apertè inſinuatur, quia voluntas hominis gratia Dei præuenitur atque præparatur vt fiat bona, non vt fiat voluntas: quia & ante gratiam voluntas erat, ſed non erat bona & recta voluntas.

1. Cor.15.b. Idem in epiſt. ad Bonifaciũ quæ eſt 106. in ep.circa finem.

Quid ſit voluntas.

B

Aug.c.10. in tom.6. Rom.9.c. Aug. in Ench.c.32. Aug.li. ad Simplicianum primo circa medium q.2. in tom.4. Ench. loco prius citato

VOluntatem ipſam Auguſtinus *in libro de duabus animabus* ita definit, [Voluntas eſt animi motus, cogente nullo, ad aliquid non amittendum, vel adipiſcendum.] Hæc autem vt non amittat malum, & adipiſcatur bonum, præuenitur & præparatur Dei gratia. Vnde Apoſtolus gratiam præuenientem & ſubſequentem commendans, id eſt, operantem & cooperantem, vigilanter dixit, *Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis*: & non èconuerſo, non eſt miſerentis Dei, ſed volentis & currentis. [Nam ſi (vt quibuſdam placuit) quod dictum eſt ita accipiatur, *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*: tanquam diceretur,

diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei: contrà dicitur, non ſufficit etiam miſericordia Dei, ſi non ſit etiam voluntas hominis. Ac per hoc ſi rectè dictum eſt illud, quia id voluntas hominis ſola non implet: cur non etiam à contrario rectè dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, cùm id miſericordia Dei ſola non impleat? Homo enim credere, vel ſperare non poterit, niſi velit: nec peruenire ad palmam, niſi voluntate currat. Reſtat ergo vt ideò ita rectè dictum intelligatur, vt totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam præuenit & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam: nolentem præuenit vt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtrà velit.] Ecce his verbis & aliis præmiſſis euidenter traditur, quia voluntas hominis præparatur & præuenitur gratia Dei vt velit bonum, & adiuuatur ne fruſtrà velit.

Quòd bona voluntas comitatur gratiam.

C ITaque bona voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem. Vnde Auguſtinus ad Bonifacium Papam ſcribens contra Pelagianos, inquit, Cùm fides impetrat iuſtificationem, ſicut vnicuique Deus partitus eſt menſuram fidei: non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, voluntate comitante, non ducente, pediſſequa, non præuia. Ecce hic apertè habes, quod gratia præuenit bonæ voluntatis meritum: & ipſa bona voluntas pediſſequa eſt gratiæ, non præuia.

In tom. 2. Epiſt. 106. In gloſſ. ſuper illud Rom. 5. Iuſtificati igitur.

Quæ ſit gratia voluntatem præueniens, ſcilicet fides cum dilectione.

D ET ſi diligenter intendas, nihilominùs tibi monſtratur quæ ſit ipſa gratia voluntatem præueniens & præparans, ſcilicet fides cum dilectione. Ideóque Auguſtinus *in eodem* tractans [quomodo iuſtificati ſumus ex fide, & tamen gratis (vtrumque enim dicit Apoſtolus, qui dicit, *iuſtificati ex fide*, alibi ait, *Iuſtificati gratis per gratiam*) Hoc enim ideò dixit, nè fides ipſa ſuperba ſit, ne dicat ſibi, ſi ex fide iuſtificati, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potiùs redditur quàm donatur. Non dicat homo iſta fidelis, quia cùm dixerit habeo fidem vt merear iuſtificationem, reſpondetur ei, *Quid habes, quod non accepiſti?* Fides enim quâ iuſtificatus es, gratis tibi data eſt. Hîc apertè oſtenditur quòd fides eſt cauſa iuſtificationis, & ipſa eſt gratia, & beneficium quo hominis præuenitur voluntas & præparatur. Vnde Auguſtinus *in primo libro Retract.* [Voluntas eſt, qua & peccatur, & rectè viuitur. Voluntas verò ipſa niſi Dei gratia liberetur à ſeruitute, qua peccati ſerua facta eſt, & vt vitia ſuperet adiuuetur, rectè piéque viui à mortalibus non poteſt: & hoc beneficium, quo liberatur, niſi eam præueniret, iam meritis daretur, & non eſſet gratia, quæ vtique gratis datur. [Præuenitur ergo bona hominis voluntas illo gratiæ beneficio, quo liberatur, & præparatur. Et illud beneficium fides Chriſti rectè intelligitur: ſicut Auguſtinus *in Ench.* euidenter oſtendit dicens: Ipſum arbitrium liberandum eſt poſt illam ruinam à ſeruitute peccati. Nec omnino per ſeipſum, ſed per ſolam Dei gratiam, quæ in fide Chriſti poſita eſt, liberatur, vt voluntas ipſa præparetur. Ecce apertè

Aug. Epiſt. ead. Rom. 5. a. Rom. 3. d. 1. Cor. 4. b.

Cap. 9. in medio capitis.

Rom 11. a. De beneficio quo voluntas liberatur. Cap. 106.

dicit gratiam, per quam liberatur arbitrium & præparatur voluntas, ſitam
Cap.117. eſſe in fide Chriſti. Fides enim Chriſti (vt in eodem ait) impetrat quod lex imperat.

Quòd voluntas bona quæ præuenitur gratia, quædam Dei dona præuenit.

E
Aug.c.32. IPſa tamen eadem voluntas quædam gratiæ dona præuenit. Vnde Auguſtinus *in Ench.* [Præcedit bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia: quæ autem non præcedit, ipſa in eis eſt, & ipſa iuuat, nam
Pſalm.58. *Pſal.22.* *Matt.5.f.* *Luc 11.b.* vtrumque legitur in ſanctis eloquiis. *Et miſericordia eius præueniet me, & miſericordia Dei ſubſequetur me*, nolentem quippe præuenit vt velit, volentem ſubſequitur ne fruſtrà velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis noſtris nolentibus pièviuere, niſi vt Deus in eis operetur & velle? Itemque cur admonemur petere vt accipiamus, niſi vt ab illo fiat quod volumus, à
Rom.9.c. quo factum eſt vt velimus? Vnde Apoſtolus ait, *non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.*] Ex his apparet, quòd bona hominis voluntas quædam dona Dei præuenit, quia eam comitatur gratia adiuuans, & quibuſdam præuenitur, quia eam præuenit gratia operans, ſcilicet fides cum charitate.

Quæ prædictis videantur aduerſari, ſcilicet quòd videtur dici fidem eſſe ex voluntate.

F
Rom.10. *Aug. trac. 26. in principio to. 9.* *Gen.24.f.* *Reſponſio cum determinatione.* *Ephe.2.b.* *In tom.8. in fine enarrationis ad illum. Pſalm.* *Proximo paragrapho.* NOn eſt tamen ignorandum, quod alibi Auguſtinus ſignificare videtur, quòd ex voluntate ſit fides, de illo verbo Apoſtoli, *Corde creditur ad iuſtitiam*: ita ſuper Ioannem tractans. [Ideò non ſimpliciter Apoſtolus ait *creditur*, ſed *corde creditur*, quia cætera poteſt homo nolens, credere non niſi volens: intrare Eccleſiam, & accedere ad altare poteſt nolens, ſed non credere.] Item ſuper Geneſ. vbi Laban & Batuel dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem*, dicit expoſitor in gloſſa interlineari, [quia fides eſt voluntatis, non neceſſitatis.] Ad quod reſpondentes dicimus, non hæc ita accipienda fore, vt ex voluntate hominis fides intelligatur prouenire, cùm ipſa ſit proprie Dei donum, vt ait Apoſtolus, & ex ea bona hominis merita incipiant. Per hanc enim, vt ait Auguſt. ſuper Pſal.66. [Iuſtificatur impius, id eſt, fit de impio pius, vt deinde ipſa fides incipiat per dilectionem operari: vnde omnia bona merita incipiunt. Sed potiùs hæc ideo ita dicta ſunt, quia non eſt fides niſi in eo qui vult credere: cuius bonam voluntatem fides præuenit] non tempore, ſed cauſa & natura. Vnde Auguſtinus ſuprà congruenter dixit, [quod bona voluntas in eis donis eſt, quæ non præcedit: & ipſa iuuat.] qui ea iuuat quibus præuenitur, dum eis conſentit ad effectum boni: & in eis eſt, quia tempore ab eis non præceditur.

Quædam adhuc addit quæ grauiorem faciunt quæſtionem, ſcilicet quòd cogitatio boni præcedit fidem.

G
Aug c.2. tom.7. CÆterùm hanc quæſtionem magis acuunt & vrgent verba Auguſtini
2.Cor 3.b. quibus in libro de prædeſtinatione Sanctorũ primò vtitur, pertractas illud

illud verbum Apoſtoli. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid quaſi ex nobis.*[Attendant, inquit, hîc & verba iſta perpendant, qui putant ex nobis eſſe fidei cœptum, & ex Deo eſſe fidei ſupplementum. Commendans enim iſtam gratiam, quæ non datur ſecundùm aliqua merita, ſed efficit omnia bona merita, inquit: Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid boni, ſcilicet ex nobis. Quis autem non videat prius eſſe cogitare quàm credere? Nullus quippe credidit aliquid, niſi priùs cogitauerit eſſe credendum. Si ergo cogitare bonum, non eſt ex nobis, vt hic Apoſtolus tradit, nec credere: quanquã & ipſũ *credere* nihil eſt aliud, quã cũ aſſenſione mẽtis cogitare.] Hîc videtur inſinuare, ꝙ cogitatio bona præcedat fidẽ: & ita bona voluntas præueniat fidẽ, non præueniatur, quod prædictis aduerſari videtur: Ad hoc autem dicimus, quod aliquando cogitatio bona ſiue voluntas præuenit fidem: ſed non eſt illa bona voluntas, vel cogitatio, quâ rectè viuitur. Illa enim ſine fide & charitate non eſt. Nam vt ait Auguſt. ad Anaſtaſium, ſine ſpiritu non eſt voluntas hominis libera, cùm cupiditatibus vincatur, non eſt libera ad bonum, niſi liberata fuerit. Non autem liberatur niſi per Spiritum ſanctum diffundatur charitas in cordibus.][Non eſt libera voluntas, niſi eam liberet gratia per legem fidei, id eſt, non eſt libera, ſine fide operante per dilectionem: & illa ſufficienter & verè bona eſt.][Non eſt enim fructus bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.][Si verò adſit fides operans per dilectionem, fit delectatio boni.]

Quid ſit credere. Determinatio. Epiſt. 144. in tom 2. 2.Cor.3.d. Rom. 5. a. & ad Gal. 5.a. Galat.5.b Greg. hom. 27.circa illud Ioa.15. hoc eſt præceptũ meum: & Aug.lib.de ſpiritu, & lit.cap. 14.

De illa cogitatione boni, quæ præcedit fidem, plenè diſſeritur.

H Illa autem cogitatio, ſiue voluntas quæ fidem & charitatem aliáſque iuſtificationes præcedit, non ſufficit ad ſalutem, nec rectè ea viuitur. Hac voluntate concupiſcitur illa bona voluntas, quæ eſt magnũ bonum, iſta verò non. Alia eſt ergo illa voluntas, ſiue cogitatio, alia iſta. Et ſicut illa iſtã præcedit, ita illam præuenit intellectus. Vnde Auguſtinus iſta diſtinguens ſuper illum locum Pſalm. 118. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes*, ait:[*Concupiuit deſiderare*, inquit, non *deſideraui*. Videmus enim ratione nonnunquam quàm vtiles ſunt iuſtificationes Dei: ſed infirmitate præditi aliquando non deſideramus. Præuolat ergo intellectu, ſequitur tardus, aut nullus affectus. Scimus bonum, nec delectat agere. & cupimus, vt delectet. Sic iſte olim deſiderare concupiſcebat, quæ bo[illegible] eſſe cernebat, cupiens eorum habere delectationem, quorum potuit videre rationem. Oſtendit itaque quibus quaſi gradibus ad eas perueniatur. Prius enim eſt vt videantur, quàm ſint vtiles & honeſtæ: deinde vt earum deſiderium concupiſcatur: poſtremò, vt perficiente gratia delectet earum operatio, quarum ſola ratio delectabat.] Attende hunc ordinem gratiarum, quem hîc diſtinctè aſſignat Auguſtinus, qualiter ſcilicet intellectus bonorum præcedit concupiſcentiam eorumdem, & ipſa concupiſcentia, delectationem, quæ fit per fidem & charitatem: quâ habitâ verè bona eſt voluntas, quâ rectè viuitur. Ipſáque fidei comes eſt, non præuia. Qui verba Auguſtini præmiſſa ſecundùm hanc diſtinctionem conſiderat, nullam ibi repugnantiam fore animaduertit: non ignorans etiam ante gratiam præuenientem & operantem, qua voluntas bona præparatur in homine, præcedere quædam bona ex Dei gratia & libero arbitrio; quædam etiam ex ſolo libero arbitrio, quibus tamen vitam non meretur, nec gratiam quâ iuſtifica-

Quod intellectus & cognitio boni & mali voluntatem præcedit. In fine enarratio nis aa Pſal. illum in concio. 8. tom. 8.

Secundum verba Aug. gratiarum ordinem exponit.

tur.[Illius enim gratiæ percipiendæ, quæ voluntatem hominis ſanat, vt ſanata legem impleat,nulla merita præcedunt.][Ipſa eſt enim quâ iuſtificatus impius fit iuſtus,qui priùs erat impius:meritis autem impij,non gratia,ſed pœna debetur: nec iſta eſſet gratia,ſi non daretur gratuita. Datur autem gratuita:quia nihil antè boni feceramus,vnde hoc mereremur.]Nõ negamus tamen multa ante hanc gratiam, & præter hanc gratiam ab homine fieri bona per liberum arbitrium, vt tradit Auguſtinus in reſponſionibus contra Pelagianos: vbi dicit homines per liberum arbitrium agros colere,domos ædificare, & alia plura bona facere ſine gratia cooperante.

Aug. ad Sixtum Epiſt.105. Reſponſ.3. ſine lib.3.

Vtrùm vna eadémque ſit gratia, quæ dicitur operans & cooperans.

1 HIc conſiderandum eſt, cùm prædictum ſit per gratiam operantem & præuenientem, voluntatem hominis liberari ac præparari vt bonum velit:& per gratiã cooperantem & ſubſequentẽ adiuuari, ne fruſtrà velit, vtrùm vna & eadẽ ſit gratia,id eſt,vnũ munus gratis datũ, quod operetur & cooperetur:an diuerſa,alterũ operans,& alterũ cooperans? Quibuſdam non irrationabiliter videtur, quòd vna & eadem ſit gratia,idẽ donum,eadẽ virtus,quæ operatur & cooperatur: ſed propter diuerſos eius effectus,& dicitur operans,& cooperans.Operans enim dicitur,inquantùm liberat, & præparat voluntatem hominis vt bonum velit. Cooperans, inquantùm eandem adiuuat ne fruſtrà velit,ſcilicet vt opus faciat bonum. Ipſa enim gratia non eſt ocioſa,ſed meretur augeri,vt aucta mereatur perfici.

Hîc dicit quòd vna ſit,ſed propter diuerſos effectus diuerſa ſortitur nomina.

Quidſit ipſa gratia, & quomodo meretur augeri quæritur.

K SI verò quæritur quomodo ipſa gratia præueniens mereatur augeri & perfici,cùm nullum meritum ſit abſque libero arbitrio, & quid ſit ipſa gratia an virtus an non:& ſi virtus,an actus vel non.Vt hoc apertè inſinuari valeat, præmittendum eſt tria eſſe genera bonorum. Alia namque ſunt magna,alia minima,alia media,vt Auguſtinus ait *in primo libro Retract.*[Virtutes,inquit, quibus rectè viuitur, magna bona ſunt. Species autem quorumlibet corporum,ſine quibus rectè viui poteſt, minima bona ſunt. Potentiæ verò animi, ſine quibus rectè viui non poteſt, media bona ſunt. Item,virtutibus nemo malè vtitur. Cæteris autem bonis, id eſt, mediis & minimis,nõ ſolùm benè,ſed etiam malè quiſque vti poteſt:& ideò virtute nemo malè vtitur,quia opus virtutis,eſt bonus vſus iſtorum,quibus etiam non benè vti poſſumus. Nemo autem benè vtendo, malè vtitur. Non ſolùm autem magna,ſed etiam media,& minima bona eſſe præſtitit bonitas Dei.]Ecce habes tria genera bonorum diſtincta.

Antequã ſolnit præmittit de tribus generibus bonorum. Aug. c.9. in medio capitis. Et li.2.de libero arb. c.19.to.1.

In quibus bonis ſit liberum arbitrium.

L QVæritur autem in quibus bonis contineatur liberum arbitrium. De hoc Auguſtinus *in primo lib.* Retract. ita ait. [In mediis quidem bonis inuenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & malè illo vti poſſumus: ſed tamen tale eſt, vt ſine illo rectè viuere nequeamus. Bonus autem vſus eius, iam virtus eſt: quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè

Aug.c.9. in fine.

vti

vti nullus poteſt. Et quia bona, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt, ſequitur vt ex Deo ſit etiam bonus vſus liberæ voluntatis qui virtus eſt, & in magnis numeratur bonis.] Attende diligenter quæ dicta ſunt, & confer in vnum; ſic enim aperietur quod ſuprà quærebatur. Dixit equidem opus virtutis eſſe bonum vſum illorum bonorum, quibus etiam non benè vti poſſumus, id eſt, mediorum, in quibus poſuit liberum arbitrium, cuius quoque bonum vſum dixit eſſe virtutem. Quod ſi eſt, non eſt ergo opus virtutis, quod ſuprà dixit, quia aliud eſt virtus, aliud opus eius.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm gratia ſit in eſſentia animæ, vel in potentia?

Alenſis 3.p.q.69.memb.2.& q.70.m.1.ſi. D. Thom. 1.2. qu.110. art.4.& de vent. quæſt.27. art.6. D. Bonau. hic art.1. quæſt.5. Richar. art.2.quæſt.4. Dur. q.2. Gabr. quæſt.1. Henr. quodl.13 quæſt.12. Vaſq. 1. 2. d. 198. cap. 3.

1. CIrca diſtinctionem vigeſimamſextam, in qua Magiſter agit de adiutoriis gratuitis, quæ habuerunt primi parentes ad reſiſtendum malo Angelo; quæritur vnum, Vtrùm gratia ſit in eſſentia animæ, vel in potentia? Quòd in eſſentia, probo, quia eſſentia priùs exit à Deo, quàm potentia: igitur priùs reducitur in Deum. Conſequentia probatur, tum per Dionyſium, quia res reducuntur in Deum eo modo, quo exeunt à Deo: tum, quia ſicut quælibet creatura habet Deum pro primo efficiente: ita & pro vltimo fine. *Arg. 1.* *De cæl. hierar.*

Prætereà, eſſentia eſt indeterminatior, quàm potentia: igitur magis indiget determinari quàm potentia: ſed gratia ponitur tanquam formaliter determinans animam indeterminatam: ergo, &c. *Arg. 2.*

Prætereà, gratia ſemper eſt in actu ſuo, potentia non: ergo non eſt in potentia. Prima propoſitio probatur: quia actus gratiæ eſt gratificare: ſed gratia ſemper gratificat. Conſequentia probatur, quia habitus, non poteſt ſemper eſſe in ſuo actu, niſi illud cuius eſt, ſit in actu. *Arg. 3.*

2. Item, acceptatio eſſentiæ ſufficit ad acceptationem potentiæ, & non è conuerſo: ergo gratia, quæ eſt principium acceptandi, debet poni per ſe in eſſentia. Probatio antecedentis. Gen. 4. *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* *Arg. 4.*

Prætereà, cùm eſſentia ſit prior eſſentialiter in eſſe, ipſa potentia: igitur ſimiliter in acceptatione. *Arg. 5.*

Prætereà, forma determinans ad agendum, magis debet poni in principali agente, quàm in inſtrumento: eſſentia eſt principale agens, & potentia, ſicut inſtrumentale ſecundùm Anſelmum de Concor. c. 19. ergo, &c. *Arg. 6.*

Prætereà, correſpondentia debet eſſe imaginis recreatæ, ad imaginem creatam: imago creata requirit vnitatem eſſentiæ, & trinitatem potentiarum: ergo & illud, quod recreatur, requirit vnitatem gratiæ perficientem eſſentiam, & trinitatem virtualiter perficientem potentiam. *Arg. 7.*

Oppoſitum, gratia eſt aliqua forma in anima ſecundùm quòd probatur *diſt. 17. primi lib.* ſed non eſt paſſio, vel potentia: ergo habitus, ſecundùm illam diuiſionem Philoſophi 2. *Ethic. c. 5.* omnis autem habitus eſt in potentia voluntatis: igitur, &c. *Ratio ad opp.*

Item, eadem eſt gratia operans, & cooperans: ſed cooperans eſt in potentia voluntatis: igitur, &c.

SCHOLIVM.

Sententia D. Thomæ & aliorum, gratiam eſſe in eſſentia animæ non in potentia, & probatur dupliciter.

3. HIc dicitur [a] quòd gratia eſt primò in eſſentia: quod probatur per Auguſtinum de laude charitatis, quia ipſa *eſt radix, & vita omnium bonorum.* Ibidem etiam, *chari* *D. Tho in præſenti*

diſt. art. 3. idem habet 1.2.q.110. art.4. quære D. Bon. hic.

charitas eſt vita morientium: vita autem & mors pertinent ad eſſentiam: ergo, &c.

Confirmatur [b], quia ſi ibi ponatur, dat *eſſe* ſupernaturale, & primum: igitur pari ratione poterit dare *agere*: ſupernaturale: non autem daret *eſſe* per ſe ſupernaturale, ſi tantùm eſſet in potentia: cùm tamen neceſſe ſit omne agere præcedere *eſſe*, & *eſſe* naturale præcedere agere naturale: & *eſſe* ſupernaturale *agere* ſupernaturale. Vel aliter arguitur ſic: *agere* præſupponit *eſſe*: igitur quod dat *agere* naturale, vel ſupernaturale, dat *eſſe* tale: ſed gratia dat agere animæ: igitur dat *eſſe*: ſed *eſſe* eſt ipſius eſſentiæ: igitur, &c.

COMMENTARIVS.

1. *Quomodo gratia ſit radix omnium bonorum.*

a *Hic dicitur.* Thomas in præſenti diſt. dicit quòd ſit in eſſentia, & probat per Auguſtinum, quia ipſa eſt radix omnium bonorum. Arguit ergo à ſimili, ſicut enim natura eſt radix omnium potentiarum, & radix omnium operationum, ſic cùm gratia ſit radix omnium bonorum, videtur quòd immediatè ſit in eſſentia animæ. Sed hæc ratio parum valet, quia dicitur gratia radix omnium bonorum ex hoc, quod ipſa eſt principium, vel effectiuum partiale omnis actus meritorij, vel inclinat potentiam operatiuam ad actus meritorios, ſiue elicitos, ſiue imperatos, vt patet *in primo, diſt.* 17. & quia ipſa voluntas eſt immediatum principium actus meritorij, ſequitur quòd ipſa gratia debet poni immediatè in voluntate, cùm voluntas tali habitu vtatur ad meritoriè agendum, vt patet *vbi ſuprà*, & ſic debet exponi autoritas Auguſtini. Sequitur ibi: *Ibidem etiam*, &c. Dicit Thomas quòd vita, & mors corporalis pertinent ad eſſentiam animæ, nam per vnionem animæ ad corpus ſequitur vita, & per ſeparationem eiuſdem ſequitur mors. Si ergo ipſa gratia dicitur vita, quia per ipſam anima viuit ſpiritualiter, & per ſeparationem eius dicitur anima mori, ſequitur quòd debet immediatè poni in eſſentia animæ. Dico, quòd non eſt ſimile de vita ſpirituali, & corporali. Nam ex hoc homo ſpiritualiter viuit, quia habet in ſe principium vt poſſit mereri vitam æternam, & illud eſt gratia, quia per ipſam omnia opera elicita, aut imperata à voluntate, concurrente ipſa gratia, dicuntur viua in acceptatione diuina, vt patet *in 4. diſt.* 22. & omnia opera ipſa gratia ſeparata ſimpliciter dicuntur mortua.

b *Confirmatur.* Cum dicit Thomas quòd ipſa gratia ſi eſſet in potentia animæ non daret *eſſe* ſupernaturale: hæc eſt falſa. Cùm dicit etiam, quòd agere ſupernaturale eſt ab *eſſe* ſupernaturali; hæc non eſt vera, quia dictum eſt in primo, quòd licèt gratia habeat *eſſe* ſupernaturale, non tamen dat *eſſe* ſupernaturale, imò agit merè naturaliter ſic agere, vt ſi potentia viſiua ſupernaturaliter crearetur à Deo, tamen naturaliter videret.

SCHOLIVM.

Refutat dictam ſententiam probans gratiam ſubiectari in potentia. Primò, quia eſt idem cum gloria, vel diſpoſitio ad eam. Secundò, omnis ſatiatio eſt per actus. Tertiò, aliàs anima in via, eſſet beata. Quartò, (eſt ſecundùm apud Scotum) non perficit animam vt indeterminata eſt ad omnes actus, ſed vt determinata ad vnius potentiæ, ſcilicet voluntatis, aliàs poſſet in actum meritorium ante omnem voluntatis actum, reſoluit hanc partem eſſe tenendam, addens alias duas rationes.

De hoc vide in 4. diſt. 49.

CONtra iſtam [c] poſitionem arguitur dupliciter. Primò, quia cùm gratia ſit idem realiter cum gloria, vel per ſe ſit diſpoſitio ad eam; ſequitur quod per ſe ſit in eodem ſubiecto, in quo eſt beatitudo: beatitudo autem non eſt per ſe in eſſentia, ſed in potentia: ergo, &c. 4.

Hen. quold. 13.q.12.

Reſpondetur [d], quòd beatitudo principaliter eſt in eſſentia: & redundat mediante illa in potentias, ſecundùm quòd ſunt capaces eius, ſecundùm magis, & minùs, priùs & poſteriùs. Primo modo anima eſt deiformis, ſicut carbo ignitus ex ſpeciali illapſu Dei.

Ex Henr. eſſet beatitudo ſine omni actu.

Contrà, ergo circumſcriptis potentiis, poſſet anima eſſe beata per ſe: & ita eſſet beatitudo, non in aliquo actu ſecundo, neque etiam in attingendo obiectum vltimum: nam non attingitur obiectum (vt obiectum) niſi per actum ſecundum, qui conuenit animæ, vt eſt potentia.

Satiatio eſt per actus. 12. Met. t.c.51.

Item, beatitudo non eſt, niſi quia ſatiat, & quietat beatum: hæc quietatio non poteſt eſſe niſi per coniunctionem ad obiectum beatificum: coniunctio autem non eſt niſi per actum aliquem, qui tantùm eſt potentiæ: & hæc eſt ſententia Philoſophi ponentis, quòd beatitudo eſt in actu.

Præterea, ſi beatitudo poneretur in eſſentia, cùm eiuſdem rationis ſit gratia in eſſentia in via, & in patria: ergo nunc anima eſſet beata, licèt minùs quàm in patria: conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Conſequentia probatur, quia nunc habet

bet actum primum eiuſdem rationis (per te) cum iſto , in quo eſt eſſentialiter beatitudo.

5 Reſpondetur , quòd ita poſſet argui de actu , ſicut de gratia , ſi eſſet in potentia, quia eiuſdem rationis eſt actus nunc , & tunc. Nec valet inſtare de actu videndi,& lumine gloriæ : quia iſta per ſe non pertinent ad gloriam : ergo , &c.

Dico, quòd argumentum de actu primo , concludit quòd nunc eſſet anima beata, licèt minùs quàm tunc ; non autem ſi ponatur beatitudo in actu ſecundo , etiam diligendi : quia ille non eſt eiuſdem rationis in via, & in patria. Si enim intellectio ſit per ſe cauſa partialis reſpectu volitionis , ſicut dicit tertia : opinio *in quæſt. præcedente* : ſequitur quòd viſio, & cognitio ænigmatica (quæ ſunt intellectiones alterius rationis) poſſint concurrere ad volitionem ſimpliciter alterius rationis : & hæc fuit vna ratio facta ſuperiùs pro tertia opinione quia idem obiectum diuerſimodè cognitum, poteſt diligi diuerſis actibus, etiam ſecundùm ſpeciem.

ADDITIO. *Amor viæ & patriæ, an diſtinguantur ſpecie.*

Si autem ſuſtineatur quòd voluntas ſit tota cauſa volitionis, & fruitionis, tunc difficilius eſt ſaluare, quòd beatitudo principalis conſiſtat in fruitione : illud enim, quo diſtinguitur formaliter perfectum ab imperfecto, ſecundùm quod imperfectum, dicitur eſſe perfectius in illo : ſed ſi fruitio in patria, & in via ſunt eiuſdem ſpeciei : quod videtur , ſi ſola voluntas ſit cauſa fruitionis, & obiectum eſt idem, & habitus idem, tunc beatus, ſecundùm quod beatus diſtinguitur à non beato per viſionem, & non per fruitionem, quæ eſt vnius rationis in vtroque: ergo viſio eſſet nobilior fruitione. Suſtinendo tamen, quod voluntas ſit tota cauſa actus ſui poteſt dici, quod cauſa actiua, quæ eſt illimitata ad diuerſos effectus, concurrentibus illis , quæ requiruntur, eo modo, quo requiruntur, cauſat diuerſa : ſicut Sol conſtringit lutum, & diſſoluit glaciem propter diuerſam diſpoſitionem in paſſo : voluntas autem eſt cauſa illimitata habens diuerſas volitiones ſpecie in virtute ſua : ideò concurrentibus viſione, & cognitione ænigmatica , quæ ſunt diuerſa ſpecie, & per ſe requiſita ad actum voluntatis, poteſt voluntas cauſare diuerſos actus ſpecie: & ſic fruitio ſpecie poteſt diſtingui in via, & in patria.

6. Præterea ſecundò, quando aliqua forma eſt indeterminata ſecundùm virtutem actiuam ad plura , illud, quod præcisè reſpicit vnam actionem determinatam, non perficit eam inquantùm eſt indeterminata, ſed inquantùm eſt potentia determinata, reſpectu illius actionis. Exemplum , ſi anima eſt indeterminata ad plures actus conuenientes ſibi, ſecundùm plures potentias : ſapientia, vel quicunque habitus intellectualis, alius non perficit animam inquantùm indeterminata, ſed præcisè inquantùm intellectus. Et ratio propoſitionis eſt iſta , quia ſi perficeret eam inquantùm indeterminata, ſecundùm virtutem actiuam , ergo æquè poſſet eam perficere in ordine ad quemcunque actum ſuum : ſimiliter ſi perficeret eam præcisè in ordine ad determinatum actum: ita perficeret eam, ſi tantùm eſſet potẽtia actiua determinata ad iſtũ actum : & non indeterminata ad plures, ſed gratia tantùm perficit animam in ordine ad determinatum actum id eſt , meritorium , qui ſcilicet eſt ſolius voluntatis , ſecundùm Anſelmum de Conc. Virgi. cap. 4. & alibi frequenter : ergo perficit præcisè inquantùm eſt illa potentia, cuius eſt talis actus : hæc eſt voluntas : ergo , &c.

Gratia non perficit animam adæquate ſed tantum ſecundum vnam potentiam, alias daretur meritũ ante actum voluntatis.

Confirmatur iſta ratio : quia ſi poſſet perficere , vel perficeret eſſentiam animæ, vt eſſentia poſſet redundare in actum prioris potentiæ, ſcilicet intellectus, & ſic actus intellectus, vt præcedit actum voluntatis, poſſet eſſe gratificabilis, & meritorius : imò ſi ſolus intellectus eſſet, ſine voluntate, in eſſentia illa poſſet eſſe gratia, & meritum.

Concedi poteſt concluſio iſtarum rationum , quia iſte habitus qui probatus eſt eſſe ſupernaturalis diſt. 17. primi, perficit potentiam animæ, & determinatam , ſcilicet voluntatem, quia in ordine ad obiectum determinatum talis potentiæ , & etiam actum : non autem perficit eſſentiam, quia ipſa, vt ſic nullum reſpicit obiectum, nec aliquem etiam actum.

Reſolutio doct. q. 2. ann. 37.

Confirmatur per Anſelmum de Conc. Virgin. c. 3. *Omnis iuſtitia, & iniuſtitia eſt formaliter in voluntate.* gratia eſt quædam iuſtitia, & rectitudo : ergo , &c.

Item, oppoſita ſunt circa idem : gratia, & peccatum ſunt oppoſita : ſed peccatum eſt in voluntate, ſecundùm Anſelmum vbi priùs : igitur & gratia.

COMMENTARIVS.

Contrà iſtam poſitionem. Hic Doctor improbat opinionem Thomæ & ſupponit vnũ vt multi tenent, quòd gratia maximè conſummata , & gloria ſunt vna res : & cum gloria formaliter ſit in voluntate, ſequitur quòd etiam gratia; vel ſi non eſt idem realiter, ſaltem eſt diſpoſitio ad gloriam, & ſemper diſpoſitio ad aliquam formam eſt in eodem ſubiecto in quo, & forma; cum

De hoc vide in 4 ſent. diſtin. 4.

cum ergo gloria ſit in voluntate, ergo & gratia, quæ eſt diſpoſitio ad illam. *Reſpondetur.* Iſti dicerent, quòd beatitudo eſt immediatè in eſſentia animæ, ſed hæc materia differatur vſque ad 49. quarti.

Contra ergo. Supponit Doct. vnum, quòd diffuſe probat, vbi ſupra, quòd beatitudo formaliter exiſtit in operatione.

Præterea ſi beatitudo. Hoc argumentum eſt commune, quia illi qui dicunt gratiam eſſe eiuſdem rationis cum beatitudine, & ponerent ipſam gratiam in voluntate, dicerent ipſam voluntatem beatam in ſtatu iſto, licèt minùs perfectè, ſicut & illi, qui immediatè ponerent in eſſentia animæ.

3. e *Præterea ſecundò.* Hoc argumentum eſt valde bonum, & Doctor primò præmittit, quòd eſſentia animæ eſt indeterminata ad omnem operationem animæ, puta ad intelligendum, volendum, & huiuſmodi, & ex ſe non poteſt exire magis in vnam, quàm in aliam, ſed determinatur per potentiam, quia per intellectum intelligit, & per voluntatem vult. Quintò præmittit, quod ille habitus qui præcisè reſpicit vnã actionem determinatam, non perficit ipſam animam immediatè, inquantùm eſt indeterminata ad plures actiones, & probat infrà, *& ratio propoſitionis*, quia ſi forma perficeret ipſam animam inquantùm eſt indeterminata, ſecundùm virtutem actiuam, æquè perficeret eam in ordine ad omnem actum ſuum, ad quem eſt indeterminata. Cùm igitur gratia tantum perficiat animam in ordine ad determinatum actum, ſcilicet meritorium, ſequitur quòd perficiat ipſam animam inquantùm volitiuam, quia actus meritorius primò, & principaliter eſt in voluntate, vt ſatis probatum eſt in primo *diſtin.* 17.

f *Confirmatur iſta ratio.* Doctor deducit ad hoc inconueniens, quòd tunc primus actus meritorius eſſet intellectio, vt etiam præcedit omnem actum voluntatis, quod nullus diceret; patet, quia ſi gratia immediatè eſt in anima, & anima nata eſt priùs operari per intellectum, ſequitur quòd ſi anima exit in operationem intellectus per ipſam gratiam inclinantem, vel diſponentem, vel determinantem, primus actus qui ſic præcedit eſt meritorius, quòd eſt falſum. *Actus meritorius eſt in voluntate.*

SCHOLIVM.

Doctor omiſit ſoluere primum & vltimum argument. ad primum ergo dico, quòd cùm potentia ſit ipſa eſſentia, ex d. 16. in re ſimul exeunt à Deo, & redeunt in Deum, vel ſicut exeunt omnia à Deo efficiente propter ſe vt propter finem, ſimiliter ordinantur in ipſum vt in finem. Vide Scotum 1. d. 2. q. 1. ad vlt. Non eſt dabilis virtus perficiens eſſentiam, & non potentias, nec requiritur correſpondentia imaginis recreatæ ad creatam, ſupponunt gratiam diſtingui à charitate, quod falſum eſſe, ex dicendis d. ſeq. patebit.

Ad arg. 2. AD argumenta in oppoſitum g dico, quòd gratia determinat ad operationem gratuitam, ſicut pertinet ad habitum determinare: & hoc modo potentia eſt indeterminata indeterminatione proxima, & non eſſentia. 7.

Ad 2. Gratificare non eſt agere. Ad aliud dico, quòd etſi gratificare, id eſt, gratum reddere, ſignificetur actiuè; non tamen eſt agere: ſicut nec albedinem facere parietem album, eſt agere, ſed informare parietem.

Ad 3. Ad tertium dico quòd acceptatio potentiæ ſufficit ad acceptationem eſſentiæ: & non è conuerſo, ſicut enim ſi homo poſſet videre actum alterius diligendi, propter illum actum acceptaret totum ſuppoſitum: ita Deus primò acceptat actum liberè elicitum à potentia, non quidem acceptatione generali, quâ acceptat omnem creaturam, quia ſic primò eſſentia acceptatur, ſed acceptatione ſpeciali, qua ordinat acceptum ad beatitudinem: acceptat autem ſic primo, & principaliter potentiam, quæ eſt primò beatificabilis, & per illam ipſam eſſentiam.

Ad 4. & 5. Et cùm obiicitur de Abel, & muneribus eius: dico, quod actus exterior non acceptatur, niſi quia interior, nec interior, niſi quia potentia illa, cuius eſt actus, vel elicitus, vel imperatus acceptatur: ſed non eſt vlterius reſoluere illam acceptationem iſtius potentiæ in acceptationem alicuius prioris acceptati: quia nihil eſt prius acceptabile acceptatione ſpeciali, niſi mediante illa potentia.

Ad 6. Vide D. Bona. hic & Hug. de Caſtro nouo. Ad aliud de inſtrumento, poſſet concedi maior, de inſtrumento extrinſeco: non autem de intrinſeco, quod eſt idem operanti: ſic ipſemet operans dicitur inſtrumentum, inquantùm habet rationem determinatam operatiuam, quia illo modo accipiendo inſtrumentum: forma determinans actionem, debet poni in inſtrumento: non autem in principali agente, vt diſtinguitur ab inſtrumento debet poni, niſi forma recipiens actionem.

1. *Libro de Eccl. Hierarch.*

g AD *argumenta in oppoſitum.* Ad primum Doctor non reſpondet. Dico ſuſtinendo viam Doctoris *in hoc* 2. *diſt.*16. quòd eſſentia animæ, & potentiæ ſunt ſimpliciter eadem res, & ſic creatio non plus terminatur ad vnum, quàm ad reliquum. Secundò dico, quòd eo modo, quo res exeunt à Deo, eodem modo reducuntur: ſed omnes res mundi exeunt à Deo, vt cauſa efficiente, amante ſeipſam, vt cauſam finalem, & ſic reducuntur ad Deum tanquam ad cauſam finalem omnium, quia ſicut Deus efficit omnem rem propter ſeipſum, vt cauſam finalem amatam, & deſideratam, ita ordinat omnem rem ad ſeipſum, vt ad cauſam finalem omnium, vt patet à Doctore *in primo, diſt.*2.*qu.*1. & ſic intelligitur illa auctoritas. Non ergo loquitur de reductione ſpirituali, quæ fit per gratiam. Poſito etiam quòd de illa loqueretur, adhuc non concludit quòd gratia ſit in eſſentia animæ, quia ipſe Deus eſt finis creaturæ rationalis attingibilis per operationem, vt patet à Doctore *in quæſt.* 1. *prologi.* nullo tamen modo attingit, niſi per operationem, vt patet hîc, & *in* 4. *diſt.* 49. Dico ergo, quòd ſuppoſito quòd anima priùs exierit à Deo, vt à cauſa efficiente, eo etiam modo reducitur ad Deum per operationem conuenientem ipſi animæ, quæ eſt ſola operatio meritoria, & quia illa non poteſt haberi niſi mediante gratia, ideò etiam ipſa debet poni in voluntate quæ eſt principium merendi.

Quomodo Deus ſit finis creaturæ.

2. Ad ſecundum dicit quòd ipſa voluntas ad multas operationes etiam contrarias, eſt indeterminata, vt patet ſuprà *diſtin.*25. ſed non poteſt habere aliquam operationem meritoriam niſi determinetur à gratia, & niſi ipſa voluntas vtatur gratia, vel tanquam principio formali productiuo, & partiali operationis, vel vt principio inclinatiuo ad talem operationem, vt patet *in primo, diſt.*17.

Gratificare poteſt accipi dupliciter.

h Ad tertium nota, quòd *gratificare* poteſt accipi dupliciter. Vno modo vt comparatur ad actum, & ſic effectiuè gratificat, quia ipſa gratia eſt principium partiale producendi actum meritorium. Nam dicit Scotus *in primo, diſt.* 17. quòd Deus principaliter habet actum gratum, quia eſt à gratia, accipiendo tamen *effectiuè* pro eo, quod producit diſpoſitionem ad talem gratificationem; quia ipſa producit partialiter actum, ad quem conſequitur gratificatio, & iſta materia diffusè eſt expoſita in hoc ſecundo, credo diſtinct. 7. Alio modo *gratificare* comparatur ad potentiam, & ſic gratia formaliter tantum gratificat, ſicut albedo in pariete formaliter albificat, ſic anima per gratiam eſt formaliter grata.

3. *Dubium. Reſponſio.*

Ad quartum in ordine. Hic oritur difficultas, quia in primo diſtinctio. 17. dicit Doctor, quòd ipſa gratia eſt quædam forma, ſiue quidam decor in anima, per quem eſt accepta Deo. Si enim homo moreretur cum gratia, nullis operibus præcedentibus, ſaluus fieret, & ſic videtur quòd magis ſit in ipſa anima, cùm ſit ipſius decor. Dico, quòd gratia duo facit, ſcilicet animam gratificat, & eſt principium actus meritorij. Doctor enim dicit *in hoc* 2. *diſtinct.* 30. 31. & 32. quòd Deus dans gratiam voluntate conſequente, dat etiam omnia opera virtualiter contenta in gratia voluntate antecedente, & darentur etiam illa voluntate conſequente, ſi voluntas ipſa habens gratiam cooperaretur voluntati diuinæ. Hoc idem dicit *diſtinct.* 37. *huius*, & *in primo, diſtinct.* 17. & *in* 3. *diſtin.* 27. quòd ipſa gratia datur principaliter per actum meritorium, & hoc idem poſſet elici ex 29. huius, & 32. quarti, cùm ergo talis operatio meritoria ſit ab ipſa voluntate, oportet gratiam ponere in ipſa.

Gratia duo facit.

4. i Ad aliud de inſtrumento. Reſpondet Doctor quòd forma determinans ad agendum, puta ars fabrilis, magis debet poni in perſona fabricante, quàm in inſtrumento extrinſeco, puta in ſerra, vt ſatis patet *in* 4. *diſt.* 1. *q.* ſed non intelligitur de inſtrumento intrinſeco, quod eſt idem operanti; potentiæ animæ dicuntur inſtrumenta ipſius animæ, quia per ipſas anima exit in operationes, imò ipſæ potentiæ ſunt principia immediata productiua operationum, & receptiua earum; & ſic patet, quòd forma puta habitus debet magis poni in potentia quàm in eſſentia animæ.

Quare potentiæ animæ dicantur inſtrumenta animæ.

Ad vltimum Doctor non reſpondet. Dico ad illud, quòd dicit, quòd illud, quòd recreatur requirit, &c. Nam iſti ponunt charitatem eſſe habitum alium à gratia, & volunt, quòd iſti tres habitus ſcilicet charitas, fides, ſpes perficiant potentiam, & gratia immediatè iſtam animam. Sed de gratia improbatum, & quod ipſa non differat realiter à charitate, patebit diſt. ſequenti.

*

DISTINCTIO XXVII.

De comparatione gratiæ ad virtutem.

A

Hic videndum eſt quid ſit virtus, & quid ſit actus, vel opus eius. [Virtus eſt, vt ait Auguſtinus bona qualitas mentis, quâ rectè viuitur, & quâ nullus malè vtitur, quam Deus ſolus in homine operatur.] Ideóque opus Dei tantùm eſt, ſicut de virtute iuſtitiæ Auguſtinus docet ſuper illum locum Pſalmi, *Feci iudicium & iuſtitiam*, ita dicens: [Iuſtitia magna virtus animi eſt, quam non facit in homine niſi Deus. Ideóque cùm ait Propheta ex perſona Eccleſiæ, *Feci iuſtitiam*: non ipſam virtutem, quam non facit homo, ſed opus eius intelligi voluit.] Ecce apertè inſinuatur hîc, quòd iuſtitia in homine non eſt opus hominis, ſed Dei: quod & de aliis virtutibus itidem intelligendum eſt.

Aug. li. 2. de libero arb. c. 18. Pſal. 118. In tom. 8. cõcione 26. iuſd. Pſa.

De fide itidem dicit, quòd non eſt ex homine, ſed ex Deo tantùm.

B

NAm de gratia fidei Epheſiis ſcribens Apoſtolus, ſimiliter fidem non ex homine, ſed ex Deo tantùm eſſe aſſerit, inquiens, *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Quod à Sanctis ita exponitur. Hæc, ſcilicet fides, non eſt ex vi naturæ noſtræ, quia donum Dei purè eſt. Ecce & hîc apertè traditur, quod fides non eſt ex libertate arbitrij, ſiue ex arbitrio voluntatis: quod ſuperioribus conſonat, vbi dictum eſt, gratiam præuenientem, vel operantem eſſe virtutem; quæ voluntatem hominis liberat & ſanat. Vnde Auguſtinus *in libro de ſpiritu & litera* ait. [Iuſtificati ſumus non per liberam voluntatem, ſed per gratiam Chriſti: non quòd ſine voluntate noſtra fiat, ſed voluntas noſtra oſtenditur infirma per legem, vt ſanet gratia voluntatem, & ſana voluntas impleat legem.]

Eph. 2. b.

Aug. c. 9. tom. 3.

De gratia quæ liberat voluntatem: quæ ſi virtus eſt, non eſt ex libero arbitrio, & ſic non motus mentis.

C

SI igitur gratia quæ ſanat & liberat voluntatem hominis, virtus eſt, vel vna, vel plures: cùm ipſa gratia non ſit ex arbitrio voluntatis; ſed eam potiùs ſanet ac præparet, vt bona ſit: conſequitur vt virtus non ſit ex libero arbitrio: & ita non ſit motus vel effectus mentis, cùm omnis motus, vel affectus mentis ſit ex libero arbitrio: ſed bonus ex gratia eſt & libero arbitrio, malus verò ex libero arbitrio tantùm. Vt enim ait Auguſtinus *in lib. Retract.* Homo ſponte & libero arbitrio cadere potuit, non etiam reſurgere. Idem in lib. de duabus animabus. Animæ ſi libero ad faciendum & non faciendum motu animi careant, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, earum peccatum tenere non poſſumus.

Aug. lib. 1. c. 9. & 15. & tom. 6. li. de bono perſeuerãtiæ a. c. 11.

Hic

Hic apertè oſtenditur, quòd motus animi ſiue ad bonum, ſiue ad malum, ex libero arbitrio eſt. Ideóque ſi gratia, vel virtus motus mentis eſt, ex libero arbitrio eſt. Si verò ex libero arbitrio, vel ex parte eſt, iam non ſolus Deus ſine homine eam facit. Propterea quidam non inerudité tradunt, virtutem eſſe bonam mentis qualitatem, ſiue formam, quæ animam informat: & ipſa non eſt motus, vel affectus animi, ſed ea liberum arbitrium iuuatur, vt ad bonum moueatur & erigatur, & ita ex virtute & libero arbitrio naſcitur bonus motus, vel affectus animi, & exinde bonum opus procedit exteriùs ſicut pluuiâ rigatur terra, vt germinet & fructum faciat: nec pluuia eſt terra, nec germen, nec fructus, nec terra germen, vel fructus, nec germen fructus: ita gratis terræ mentis noſtræ, id eſt, libero arbitrio voluntatis, infunditur pluuia diuinæ benedictionis, id eſt, inſpiratur gratia, quod ſolus Deus facit, non homo cum eo: qua rigatur voluntas hominis, vt germinet & fructificet, id eſt, ſanatur & præparatur vt bonum velit, ſecundùm quod dicitur operans, & iuuatur vt bonum faciat, ſecundùm quod dicitur cooperans. Et illa gratia *virtus* non incongruè nominatur, quia voluntatem hominis infirmam ſanat & adiuuat.

Co.12.to.6. Hic aperit ad quid prædicta tendant vt innoteſceret, an virtus ſit motus mentis vel non. Per ſimile oſtendit, & eſt comparatio inter tria & tria. Pſ.142. & Ezech.36.

Ex quo ſenſu dicuntur ex gratia incipere bona merita, & de qua gratia hoc intelligatur.

D CVm ergo ex gratia dicuntur eſſe bona merita & incipere, aut intelligitur gratia gratis dans, id eſt, Deus, vel potiùs gratia gratis data, quæ voluntatem hominis præuenit. Non enim eſſet magnum ſi hæc à Deo dicerentur eſſe, à quo ſunt omnia, ſed potiùs eius gratia, gratis data intelligitur, ex qua incipiunt bona merita: quæ cùm ex ſola gratia eſſe dicantur, non excluditur liberum arbitrium: quia nullum meritum eſt in homine, quod non ſit per liberum arbitrium. Sed in bonis merendis cauſæ principalitas gratiæ attribuitur: quia principalis cauſa bonorum meritorum eſt ipſa gratia, qua excitatur liberum arbitrium & ſanatur, atque iuuatur voluntas hominis vt ſit bona.

Qualiter intelligatur, cum ex ſola gratia eſſe dicuntur.

Quòd bona voluntas gratiæ principaliter eſt, & etiam gratia eſt: ſicut & omne bonum meritum.

E QVæ ipſa etiam donum Dei eſt, & hominis meritum, imò gratiæ, quia ex gratia principaliter eſt, & gratia eſt. Vnde Auguſtinus ad Sixtum presbyterum. [Quid eſt meritum hominis ante gratiam, cùm omne bonum noſtrum meritum non in nobis facit niſi gratia?] Ex gratia enim (vt dictum eſt) quæ præuenit, & ſanat arbitrium hominis, & ex ipſo arbitrio procreatur in anima hominis bonus affectus, ſiue bonus motus mentis, & hoc eſt primum bonum hominis meritum. Sicut, verbi gratiâ, ex fidei virtute & hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus & remunerabilis, ſcilicet ipſum *credere*: ita ex charitate & libero arbitrio alius quidam motus bonus prouenit, ſcilicet *diligere*, bonus valde, ſic de cæteris virtutibus intelligendum eſt. Et iſti boni motus, vel affectus merita ſunt & dona Dei, quibus meremur & ipſorum augmentationem, & alia quæ conſequenter hîc & in futuro nobis apponuntur.

Aug. epiſt. 105. ante med. tom. 2. Qualiter bonum meritum in homine cõſtituitur, & quid ſit primum bonum meritum.

Ex qua ratione dicitur fides mereri iuſtificationem, & alia.

F CVm ergo dicitur fides mereri iuſtificationem & vitam æternam, ex ea ratione dictum accipitur, quia per actum fidei meretur illa. Similiter de charitate & iuſtitia & de aliis accipitur. Si enim fides ipſa virtus præueniens, diceretur eſſe mentis actus, qui eſt meritum: iam ipſa ex libero arbitrio originem haberet, quod quia non eſt, ſic dicitur eſſe meritum, quia actus eius eſt meritum, ſi tamen adſit charitas: ſine qua nec credere, nec ſperare meritum eſt vitæ. Vnde apparet verè, quia charitas eſt Spiritus ſanctus, quæ animæ qualitates informat & ſanctificat, vt eis anima informetur & ſanctificetur: ſine qua animæ qualitas non dicitur virtus, quia non valet ſanare animam.

De muneribus virtutum, & de gratia quæ non eſt, ſed facit meritum.

G EX muneribus itaque virtutum boni ſumus & iuſtè viuimus, & ex gratia, quæ non eſt meritum, ſed facit, non tamen ſine libero arbitrio proueniunt merita noſtra, ſcilicet boni affectus eorúmque progreſſus atque bona opera, quæ Deus remunerat in nobis: & hæc ipſa ſunt Dei dona. Vnde Auguſtinus ad Sixtum presbyterum. [Cùm coronat Deus merita noſtra, nihil aliud coronat quàm munera ſua. Vnde vita æterna, quæ in fine à Deo meritis præcedentibus redditur, quia & eadem merita, quibus redditur, non à nobis ſunt, ſed in nobis facta ſunt, per gratiam: rectè & ipſa vita, gratia nuncupatur, quia gratis datur. Nec ideò gratis, quia non meritis datur, ſed quia data ſunt per gratiam & ipſa merita, quibus datur.]

Aug. epiſ. 105. ante medium, vbi ſuprà, & tom. 6. enarratione ad Pſa. 98. circa medium & enarratione ad Pſa. 102. non longè à principio.

Epilogat vt alia addat.

H EX præmiſſis iam innoteſcere nobis aliquatenus poteſt, qualiter gratia præueniens meretur augeri, & alia, & quid ipſa ſit, an virtus, an aliud, & ſi virtus, an ſit actus vel non: oſtenſum enim eſt ſuprà ex parte quorundam, quòd ipſa eſt virtus, quia virtus non eſt actus, ſed eius cauſa, non tamen ſine libero arbitrio. Vnde quod ſuprà Auguſtinus dixit, bonum vſum liberi arbitrij eſſe virtutem, ita accipi poteſt, id eſt, actum virtutis, alioquin ſibi contradicere videretur, qui etiam opus virtutis ſuprà dixit eſſe bonum vſum eorum, quibus non benè vti poſſimus, in quibus poſuit liberum arbitrium. Si verò bonus vſus liberi arbitrij, opus virtutis eſt, iam virtus non eſt. Cùm ergo bonum vſum eius virtutem eſſe dixit, nomine virtutis ipſius vſum ſignificauit.

Diſt. 26. li. 1. lit. K eiuſd. diſt.

Quòd idem vſus eſt virtutis, & liberi arbitrij, ſed virtutis principaliter.

I IDem nempe vſus bonus ex virtute eſt, & ex libero arbitrio, ſed ex virtute principaliter. Et bonus ille vſus in magnis bonis annumerandus eſt. Illa autem gratia præueniens, quæ & virtus eſt, & non vſus liberi arbitrij eſt, ſed ex ea potius eſt bonus vſus liberi arbitrij, quæ nobis eſt à Deo: non à nobis. Vſus verò bonus arbitrij, & ex Deo eſt, & ex nobis: & ideò bonum

Quod gratia præueniens quæ virtus intelligitur nõ eſt liber. arb. vſus, ſed ex ea omnia bona merita.

bonum meritum eſt. Ibi enim ſolus Deus operatur: hic, Deus & homo. Hoc meritum ex illa puriſſima gratia prouenit, quod Apoſtolus notauit dicens: Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit. Super quē locum Auguſtinus ita ait. [Rectè gratiam nominat: primum enim ſolam gratiam dat Deus, & non niſi gratiam, cùm non præcedant niſi mala merita, ſed pòſt per gratiam incipiunt bona merita. Et vt oſtenderet etiam eſſe liberum arbitrium, addit, & gratia eius in me vacua non fuit. Et ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur aliquid boni poſſe, ſubdit, Non autem ego ſolus ſcilicet ſine gratia, ſed gratia Dei mecum, id eſt, cum libero arbitrio. Planè cùm data fuerit gratia, incipiunt eſſe noſtra merita bona, per illam tamen: quia ſi illa defuerit, cadit homo.]

1. Cor. 15. b. De gratia & lib. arb. c. 5. & 6. ſparſim in to. 7. & de correp. & grat. c. 13.

Aliorum ſententia hic oſtenditur, qui dicunt virtutes eſſe bonos vſus liberi arbitrij, id eſt, actus mentis.

K ALij verò dicunt virtutes eſſe bonos vſus naturalium potentiarum, non tamen omnes, ſed tantummodo interiores qui in mente ſunt: exteriores verò, qui per corpus geruntur, non virtutes eſſe dicunt, ſed opera virtutum. Et ideò quod Auguſtinus dicit opus virtutis eſſe bonum vſum naturalium potentiarum, de vſu exteriori accipiūt: quod verò dicit bonum vſum liberi arbitrij virtutem eſſe, & in magnis numerari bonis, de vſu interiori intelligunt. Et virtutes nihil aliud eſſe, quàm bonos affectus, vel motus mentis aſſerunt, quos Deus in homine facit non homo: quia licèt illi motus ſint liberi arbitrij, non tamen eſſe queunt, niſi Deus ipſum liberet & adiuuet gratia ſua operante & cooperante: quam Dei gratuitam voluntatem accipiunt, quia Deus eſt, qui & operatur in nobis velle & operari bonum.

Diſt. 26. K & L. Qualiter prædicta verba Aug. huic ſententiæ conueniunt. Ad Phil. 2. b.

Quibus auctoritatibus muniunt, quòd virtutes ſint motus mentis.

L QVòd autem virtutes ſint motus mētis, teſtimoniis Sanctorū aſtruunt. Dicit autem Auguſtinus ſuper Ioannem, [Quid eſt fides? Credere quod non vides.] Credere autē motus mentis eſt. Idem *in lib. 3. de doct. Chriſt.* [Charitatem autem voco motum animi.] Si verò charitas & fides motus animi ſunt, virtutes ergo motus animi ſunt. Quibus alij reſpondentes, præmiſſa verba Auguſtini ita intelligēda fore inquiunt. Fides eſt credere quod non vides, id eſt, fides eſt virtus, qua creditur, quod non videtur. Item charitas eſt motus animi, id eſt, gratia, qua mouetur animus ad diligendum. Et quod hæc & his ſimilia ita accipienda ſint, ex his coniicitur, quæ alibi Auguſtinus ait. Nam in ſecundo libro quæſtionum Euangelij, inquit, Eſt fides qua creduntur ea quæ non videntur, quæ propriè dicitur fides. Item *in* 13. *lib. de Trinit.* Alia ſunt ea quæ creduntur, aliud eſt fides qua creduntur. Ex quibus verbis ſic argumentando procedunt, Aliud eſt credere, aliud illud quo creditur. Prædictum autem eſt fidem id eſſe quo creditur. Sic ergo credere non eſt fides: quia credere non eſt id quo creditur. Addunt quoque, Virtus opus Dei tantùm eſt, quam ipſe ſolus facit in nobis. Ipſa ergo non eſt vſus, vel actus liberi arbitrij, ſed credere eſt actus liberi arbitrij: non eſt itaque virtus. Præmiſſis aliiſque rationibus ac teſtimoniis innituntur vtrique. Horum autem iudicium diligentis Lectoris relinquo examini, ad alia properans.

Aug. tract. 40. Cap. 10. tom. 3. Quomodo alij his reſpondeant, prædicta determinantes. Aug. in 2. li. q. Euangelicarum, cap. 39. tom. 4. Cap. 2.

Qvæstio Vnica.

Vtrùm gratia ſit virtus?

Alenſis 3.*p.*69.*m.*2.*art.*6. D.Bonau. *hîc art.*1.*q.*2. Richar. *art.*1.*q.*1.*&* 3. D. Thom. 1.2.*q.*110.*art.* 3. Hen. *quodl.*4.*q.*10. *&quodl.*9. *qu.*13. Vega. 7.*ſuper Concil. c.*25. Bellar. *l.* 1. *de lib. arb. c.*6. *&* 7. Vaſq. 1.2.*d.*198. Durand. *hîc q.*1. Altiſid. 2.*tr.*2.*q.*2.

VÆRO circa diſtinctionem 27. in qua Magiſter agit de virtute, inquirendo de ipſa, Vtrùm gratia ſit virtus? Quòd non, quia ſic ſe habet lumen ſupernaturale reſpectu virtutum gratuitarum, ſicut lumen naturale reſpectu virtutum naturalium: ſed lumen naturale non eſt virtus naturalis: ergo nec gratia, quæ eſt lumen ſupernaturale, eſt virtus ſupernaturalis. 1.

Contrà, gratia eſt habitus ex præcedenti quæſtione, & non vitium: ergo eſt habitus, qui eſt virtus.

SCHOLIVM.

Opinio Henrici & D. Thomæ gratiam ita ſe habere ad tres virtutes Theologicas, ſicut lumen naturale ad acquiſitas, vel ſicut anima ad ſuas potentias, quibus eſt idem: refutatur, primò, quia ſic non daretur fides informis, ſecundò, ex Henrico manerent illæ tres virtutes in patria.

*Henric. quodl.*9.*q.* 13. *vide eũ quodl.*4.*q.* 10. *D. Tho.* 1. 2.*q.*110. *art.*3. *contra quem videtur agere Henr.*

OPinio fuit hîc [a] aliquando, quòd gratia eſt quoddam lumen ſupernaturale, ſe habens ad virtutes Theologicas, ſicut lumen naturale ad virtutes acquiſitas; ſicut anima ponitur idem ſuis potentiis, vel ergo gratia eſſet radix earum, vel illæ tres perficerent in ordine ad lumen ſupernaturale, quod eſt gratia, ſicut virtutes acquiſitæ perficiunt in ordine ad lumen naturale.

Sed ex hoc ſequeretur [b] quòd fides non poſſet manere informis, quia non poſſet perficere non manente illo lumine in ordine, ad quod perficit: ſicut nec virtus acquiſita poteſt manere virtus, non manente habitudine eius naturali ad illud, quod reſpicit, vt ad lumen, quod eſt prudentia.

Et ſi dicatur, quòd eſt aſſignare gradus in gratia, & ſecundùm gradum inferiorem, eſt fides & ſpes: & ſecundùm gradum ſuperiorem meretur nomen charitatis: & ita inferior poteſt manere, ſine ſuperiori, & hoc modo fides, & ſpes manent ſine charitate; contra hoc, eadem eſſentia non poteſt ita diuerſimodè perficere potentias animæ. Secundò etiam videtur quòd iſtæ tres virtutes Theologicæ eſſent in patria: manebit enim tunc perfecta gratia, & ita omnes virtutes ſecundùm illam opinionem.

COMMENTARIVS.

1. a *Opinio fuit.* Dicit iſta opinio quòd ſicut prudentia ſe habet ad virtutes acquiſitas, ſic gratia ad Theologicas. Nam prudentia eſt quoddam lumen in intellectu, ad quod omnes virtutes morales naturaliter acquiſitæ habent reſpectum, & in hoc verum dicit, vt ſatis etiam poteſt patere à Doctore *in prologo quæſt. vltima, & diſt.* 17. *primi & 7. diſtin. ſecundi &* 40. *diſt.* 14. *quarti & 36. tertij & q.* 1 4. *quolib.* Nam omnis virtus moralis ex hoc dicitur virtus, quia conformiter elicitur dictamini recto, quod dictamen pertinet ad prudentiam, ex plurib⁹ enim dictaminibus cauſatur habitus prudentiæ in intellectu, vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.*17. Sic dicunt, quòd omnes virtutes Theologicæ habent neceſſarium reſpectum ad ipſam gratiam tanquam ad lumen, ita quòd iſtæ tres virtutes Theologicæ non poſſent dici virtutes, niſi per reſpectum ad gratiam, & ſic iſtæ tres virtutes perficiunt potentiam animæ in ordine ad gratiam.

b *Sed ex hoc ſequeretur.* Doctor ſupponit vnum, ſcilicet, quòd duplex eſt fides, ſcilicet informis, quæ eſt anima ſine gratia; & formata, quæ ſemper eſt cum gratia. Si ergo fides habet neceſſarium reſpectum ad ipſam gratiam, tunc ſeparata gratia ab ipſa anima, non eſſet ibi fides informis, virtus aliqua, imò, nec ſimpliciter eſſet, quia fides in quocunque ponitur, ſemper ponitur, quòd fides. *Duplex ex fides.*

SCHO

SCHOLIVM.

Gratiam & charitatem eſſe vnum eundémque habitum, quia eoſdem habent effectus, nec multiplicanda ſunt entia ſine neceſſitate: & explicatur. Magiſter in eo quòd videtur 1. d. 17. negare habitum charitatis, quia fortè negauit, diſtinctum à gratia, per quam Spiritus ſanctus inhabitat animam: ita tenent Alenſ. 3. p. q. 3. m. 2. art. 4. Alb. 2. d. 26. art. 3. Maior q. 1. Gabr. ibi. Hen. quodl. 4. q. 10. Baſſol. 2. d. 28. Pitigian. 3. d. 27. art. 11. Vaſqu. Bellar. Richard. Vega citat 1. Rada. 2. to. controuer. 14. art. 1.

3. IDeò alia eſt opinio, quæ dicit, quòd gratia formaliter eſt virtus, quæ eſt charitas; & quæcunque excellentiæ attribuuntur gratiæ, & charitati: & è conuerſo: vtraque enim formaliter æqualiter diuidit inter filios regni, & perditionis, 15. *de Ciuit. cap.* 18. vtraque eſt etiam forma virtutis & neutra poteſt eſſe informis: vtraque etiam coniungit vltimo fini perfecta coniunctione, qualis poteſt eſſe in via: & ſi poneretur diſtincta, altera ſuperflueret, quia reliqua ſufficeret. Et ſecundùm hoc poteſt teneri opinio Magiſtri, ſicut tenebatur *diſt.* 17. primi, quod Spiritus ſanctus non per alium habitum diſtinctum à charitate, mouet voluntatem ad diligendum Deum meritorie, & diſtinctum ab illo habitu, quo animam inhabitat, qui eſt gratia, & ipſa eſt charitas: & eodem habitu, quo Spiritus ſanctus inhabitat animam, inclinatur voluntas in ſuum actum meritorium: non ſic autem eodem habitu, quo Spiritus ſanctus inhabitat, credit omnia, & ſperat: ſed aliis habitibus imperfectis, quia actus iſtorum habituum requirunt imperfectionem.

Effectus gratiæ & charitatis iidem.

q. 2. à. n. 39. Explicatur Mag. in eo quod viſus eſt negare habitum charitatis.

Sed ex hoc videtur ſequi diſtinctio inter gratiam, & charitatem: quia charitas eſt perfectio ſimpliciter, alias enim non formaliter competeret Deo, qui ſecundùm Ioannem eſt charitas: gratia autem non eſt perfectio ſimpliciter: nec formaliter ponitur in Deo: ergo, &c.

1. Ioan. c. 4.

4. Reſpondeo, charitas dicitur, qua habens eam habet Deum eorum; ita quòd reſpicit Deum non in ratione diligentis, ſed in ratione diligibilis, gratia eſt, qua Deus habet aliquem gratum, ita quòd ipſa reſpicit Deum acceptantem ſiue diligentem, non autem dilectum: non autem dicitur gratia quodcunque, propter quod Deus diligit, quia tunc eſſentia diuina in Filio poſſet dici gratia, quia propter eam diligit Filium: ſed illud, propter quod Deus acceptat habens, vt dignum beatitudine, dignitate, quæ eſt in correſpondentia meriti ad præmium, illud dicitur gratia: & ita aliquam imperfectionem includit illud, quod eſt gratia, quia talis dignitas aliquam imperfectionem ponit in digno, quia non eſt per ſe beatus.

Diſtinctio gratiæ & charitatis.

Id dicitur gratia propter quod habens acceptatur ad gloriã.

Sic ergo poſſumus concedere, quòd licèt idem abſolutum ſit in anima, per quod anima diligit Deum vt obiectum, & per quod acceptatur ſpeciali acceptatione à Deo, & ordinatur ad beatitudinem, tamen alia, & alia ratio eſt in iſto abſoluto, inquantùm ſic, & ſic reſpicit Deum: & vna ratio prima, ſcilicet principalis, competit ſibi inquantùm eſt perfectio ſimpliciter: alia competit ſibi vt eſt perfectio limitata: & ita appropriate ſecundùm primam eſt charitas: quoad ſecundam dicitur gratia: & vt ſic omnis gratia eſt charitas, licèt non è conuerſo.

Omnis gratia eſt charitas non è contra.

Sed nec tamen iſta diſtinctio rationum, vel non conuertibilitas concludit, quod vbi concurrunt in eadem anima, gratia, & charitas quod ſint diſtincta ſecundùm formam. Sicut licèt ſapientia ſit perfectio ſimpliciter, & ſapientia talis ſit perfectio limitata, vbi tamen concurrunt, non ſequitur quod hæc ab illa ſit forma diſtincta, vel quod ſint diſtincta ſecundùm formam: & tamen ſunt diſtincta ab inuicem formaliter: idem enim eſt, quod eſt in intellectu meo ſcientia, & quod eſt acquiſitum per doctrinam: & tamen in Deo eſt ſapientia, & non aliquis talis habitus limitatus.

Differunt etiam in ratione connotati: quia illud abſolutum poteſt conſiderari vt eſt habenti principium operandi, & ſic non dicit imperfectionem, & poteſt eſſe in Deo, & dicitur charitas. Poteſt etiam conſiderari vt obiectum Dei eſt in me, prout Deus habet me gratũ: & ſic determinat obiectũ, & dicitur gratia: eſt tamen idem re.

Charitas & gratia differunt ratione connotati.

Ad argumentum, dicendum, quòd virtutes acquiſitæ morales perficiunt in ordine ad quoddam lumen, quod poteſt dici prudentia, quæ non perficit in ordine ad aliud lumen, niſi intellectus agentis: prudentia tamen eſt virtus: ſic in propoſito virtutes ſupernaturales perficiunt in ordine ad virtutem, quæ eſt charitas: & illa vltetiùs in ordine ad finem ſupernaturalem.

COMMENTARIVS.

1. c *Sicut licèt ſapientia ſit perfectio ſimpliciter*, &c. Quòd dicit Doctor de ſapientia, quæ eſt perfectio ſimpliciter, & ſapientia limitata, quòd vbi concurrunt in eodem, non differunt ſecundùm formas, licèt differant formaliter: ſic debet intelligi, quòd ſapientia vt eſt perfectio ſimpliciter, accipitur tranſcendenter, & eſt quoddam ſuperius ad ſapientiam creatam, & increatam. Vt verò prædicatur de ſapientia creata, tunc ſapientia in me limitata, & ſapientia quæ eſt ſuperius non differunt ſicut duæ formæ: patet, licèt differant formaliter, non tamen propriè accipiendo *formaliter*, quia ſuperior prædicatur quiditatiuè de limitata, & vniuocè vt poteſt elici à Doctor *in primo*, *diſt.* 3. ſed differunt ſicut ſuperius, & inferius: ſimpliciter enim eſt alia ratio ſapientiæ limitate, & ſapientiæ tranſcendenter ſumptæ ſicut & animalis, & hominis, quia non conuertibiliter idem, & ſic Doctor intulit: Sic dico etiam quando in eodem concurrunt gratia, & charitas, nam idem abſolutum, quod dicitur gratia, & charitas ſecundùm vnum reſpectum poteſt dici charitas, & ſic perfectio ſimpliciter; licèt tamen limitata in nobis; & ſecundùm alium reſpectum dicitur gratia, quæ gratia ſemper dicit imperfectionem, & ſic nullo modo poteſt dici perfectio ſimpliciter, nec limitata, nec illimitata, & vt ſic concurrentes in eodem, iſta eſt vera abſolutè, quòd *omnis gratia eſt charitas*, & etiam è contra, loquendo ſemper de charitate creata. Si verò abſolutè loquamur, quia illud abſolutum, quod eſt gratia, ſemper includit iſtum duplicem reſpectum, ſcilicet vt ad Deum amatum, & ad Deum amantem, ſiue acceptantem, dicimus abſolutè, quòd omnia gratia eſt charitas, quia omne abſolutum, quod eſt gratia, eſt etiam charitas, non autem è contra, quia hæc eſt falſa, *omnis charitas eſt gratia*; non enim omne abſolutum, quod eſt charitas, eſt gratia, quia abſolutum, quod eſt in Deo, quod dicitur charitas, formaliter non poteſt dici gratia.

Duplex ſapientia.

d *Differunt etiam in ratione connotati*, &c. Illud enim abſolutum, quod eſt *charitas* poteſt dupliciter conſiderari, quia vel eſt ipſi habenti principium operandi, & vt ſic, nullam includit imperfectionem, imò eſt perfectio ſimpliciter, quia illud, quod eſt ratio formalis agendi alicui ex ſua ratione formali nullam imperfectionem includit. Secundò, poteſt conſiderari vt obiectum Dei eſt in me, prout Deus habet me gratum, id eſt, quòd ſi conſideretur illud abſolutum, vt eſt illud, quo mediãte Deus me habet gratum, vel vt reſpicitur à Deo tanquã obiectum, quo me acceptat, vel me habet gratum, ſic dicitur gratia.

3. *Abſolutum quod eſt charitas poteſt dupliciter conſiderari.*

DISTINCTIO XXVIII.

De poteſtate liberi arbitrij hominis lapſi, gratiâ circunſcriptâ.

A

Aug. c. 9. Quæ ſit hæreſis Pelagianorũ. Aug. li. de hæreſibus Vnico in articulo hæreſum 88. tom. 6.

ID verò inconcuſſè & incunctanter teneamus, liberum arbitrium ſine gratia præueniente & adiuuante, non ſufficere ad ſalutem & iuſtitiam obtinendam: nec meritis præcedentibus gratiam Dei aduocari, ſicut Pelagiana hæreſis tradidit. Nam vt ait Auguſtinus 1. *lib. Retract.* [Noui hæretici Pelagiani liberum ſic aſſerunt voluntatis arbitrium, vt gratiæ Dei non relinquant locum, quam ſecundùm merita noſtra dari aſſerunt.] [Pelagianorum hæreſis omnium recentiſſima à Pelagio Monacho exorta eſt. Hi Dei gratiæ, qua prædeſtinati ſumus, & qua eruimur de poteſtate tenebrarum, in tantum inimici ſunt, vt ſine hac credant hominem poſſe facere omnia diuina mandata. Denique Pelagius à fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda: non eam libero arbitrio præponebat, ſed infideli calliditate ſupponebat, dicens, Ad hoc etiam dari hominibus, vt quæ facere per liberum arbitrium iubentur, faciliùs poſſint implere per gratiam. Dicendo vtique, *Facilius poſſint*, voluit credi, etſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſine gratia facere iuſſa diuina. Illam verò gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio: quod nullis

ſuis

ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ipſo ad hoc tantùm iuuante nos, per ſuam legem atque doctrinam, vt diſcamus quæ facere & quæ ſperare debeamus. Non autem ad hoc per donum Spiritus ſancti, vt quæ didicerimus eſſe facienda faciamus. Ac per hoc diuinitus nobis dari ſcientiam confitentur, qua ignorantia pellitur, charitatem autem negant diuinitùs dari, quâ piè viuitur: vt ſcilicet ſit donum Dei ſcientia, quæ ſine charitate inflat: & non ſit donum Dei ipſa charitas, quæ vt ſcientia non inflet, ædificat. Deſtruunt etiam orationes quas facit Eccleſia, ſiue pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, vt conuertantur ad Deum: ſiue pro fidelibus, vt augeatur eis fides, & perſeuerent in ea. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſeipſis homines habere contendunt: gratiam Dei qua liberamur ab impietate, dicentes ſecundùm merita noſtrà dari. Paruulos etiam ſine vllo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci. 1. Cor. 8. a.

Hîc ponit ea quibus ſuum confirmant errorem, verbis Auguſtini contra ipſum vtentes.

B QVòd verò dicunt ſine gratia hominem per liberum arbitrium omnia iuſſa implere, huiuſmodi inductionibus muniunt. Si inquiunt, non poteſt ea facere homo quæ iubentur, non eſt ei imputandum ad mortem, ſicut tu ipſe Auguſtine in libro de libero arbitrio aſſeris. [Quis, inquis, peccat in eo, quod nullo modo caueri poteſt? Peccatur autem. Caueri ergo poteſt.] Hoc teſtimonio Auguſtini Pelagius vſus eſt, diſputans aduerſus eum, imò aduerſus gratiam, ſicut Auguſtinus *in libro Retract.* illud, & alia huiuſmodi retractans commemorat, inquiens. [In his atque huiuſmodi verbis meis: quia gratia Dei commemorata non eſt, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani ſuam nos tenuiſſe ſententiam: ſed fruſtrà hoc putant. Voluntas quippe eſt, quâ peccatur, & rectè viuitur, quod his verbis egimus: ſed ipſa niſi Dei gratia liberetur, & vt vitia ſuperet, adiuuetur, rectè à mortalibus viui non poteſt.] Ecce apertè determinat, ex quo ſenſu illa dixerit, inimicos gratiæ refellens. *Aug. lib. 3. c. 18. in to. 1. & lib de nat. & g. a tia ca. 67. tom. 7. Li. 1. c. 9.*

Aliud teſtimonium Auguſtini ponit, quo Pelagius pro ſe vtebatur.

C SImiliter & innitebatur Pelagius verbis Auguſtini contra gratiam, qui *in libro de duabus animabus dicit.* [Peccati, inquit, reum tenere quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt.] [His auditis exiliit Pelagius, dicens, Cur ergo paruuli & illi qui non habent gratiam, ſine qua non poſſunt facere mandata diuina, rei tenentur?] Hoc autem qua occaſione dixerit, in libr. Retract. Pelagio reſpondens aperit. Id enim contra Manichæos dixit, qui in homine duas naturas eſſe contendunt, vnam bonam ex Deo, alteram malam ex gente tenebrarum, quæ nunquam bona fuit, nec bonum velle poteſt, quod ſi eſſet, non videretur ei imputandum eſſe, ſi bonum non faceret. *Aug. c. 12. & Retract. 1. cap. 15. Quæſtio Pelagij. Li. 1. c. 15. Determinatio Aug.*

Aliud quod videtur contradicere gratiæ Dei addit.

D ALibi etiam Auguſtinus dicit, quòd huic gratiæ contradicere videtur qua iuſtificamur. Ait enim in lib. contra Adimantum Manichæi diſcipulum, [Niſi quiſque voluntatem ſuam mutauerit, bonum operari non poteſt: *Aug. c. 26. in tom. 6.*

poteſt: quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum Dominus docet, vbi ait, Aut facite arborem bonam, aut fructus eius bonos, &c.] Quod Auguſtinus *in Retract.* non eſſe contra gratiam Dei quam prædicamus, oſtendit, [In poteſtate quippe hominis eſt, mutare in melius voluntatem: ſed eâ poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, de quo dictum eſt, *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus facimus, nihil tamen in poteſtate quàm ipſa voluntas eſt: ſed præparatur à Domino voluntas: eo ergo modo dat poteſtatem.]

Mat.12.c. Determinatio Aug. in li. Retr. 1.cap.22. Ioan.1.b.

Aliud teſtimonium eiuſdem, quod videtur aduerſum.

E

SIc etiam intelligendum eſt, quòd in eodem ait, ſcilicet, [in noſtra poteſtate eſſe, vt vel inſeri bonitate Dei, vel excidi eius ſeueritate mereamur: quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem: quæ cum præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod impoſſibile & difficile fuit.]

Aug. in li. cõtra Adimantum Manichæi diſcipulum cap. 27. in tom. 6. & lib. Retr. 1. c. 22.

Aliud teſtimonium.

F

IN expoſitione quoque quarundam propoſitionum epiſtolæ ad Rõmanos quædam Auguſtinus interſerit, quæ videntur huic doctrinæ gratiæ aduerſari. Ait enim, [Quod credimus, noſtrum eſt: quod autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus dat Spiritum ſanctum: & paulò pòſt, Noſtrum eſt credere & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum ſanctum.] Quæ qualiter intelligi debeant, Auguſtinus *in lib. Retract.* aperit, dicens [Verum eſt quidem à Deo eſſe, quod operamur bonum: ſed eadem regula vtriuſque eſt, & volendi ſcilicet & faciendi: & vtrunque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem: & vtrunque noſtrum eſt, quia non fit niſi volentibus nobis. Illa itaque profectò non dixiſſem, ſi iam ſcirem etiam ipſam fidem inter Spiritus ſancti munera reperiri.]

Auguſt. in lib. expoſitionis quarundam propoſitionum epiſt. ad Rom. ar. 60. & 61. tom. 4. Li. 1. c. 23.

Adhuc addit aliud quod videtur contrarium.

G

ILlud etiam diligenter eſt inſpiciendum, quod Auguſtinus in lib. de Prædeſtinatione ſanctorum ait, ſcilicet, [quod poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum, habere autem fidem, ſicut habere charitatem, gratiæ eſt fidelium.] Quod non ita dictum eſt, tanquam ex libero arbitrio valeat haberi fides vel charitas: ſed quia aptitudinem naturalem habet mens hominis ad credendum vel diligendum, quæ Dei gratia præuenta credit & diligit: quod ſine gratia non valet.

Aug. c. 5. in to. 7. & in lib. de vera innoc. art. 315. Determinatio.

Teſtimonium Hieronymi aſtruit, quid tenendum ſit de gratia & libero arbitrio, vbi triplex hæreſis inducitur, ſcilicet Iouiniani, Manichæi, & Pelagij.

H

ID ergo de gratia & libero arbitrio indubitanter teneamus quod Hieronymus in explanatione fidei catholicæ ad Damaſum Papam, Iouiniani, & Manichæi, & Pelagij errores colliděs docet, [Liberum, inquit, ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos ſemper indigere Dei auxilio: & ita illos errare,

Hieron. Cuius initium credimus in Deũ patrẽ, & c. to. 4.

errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quam illos qui cum Iouiniano asserunt hominem non posse peccare. Vterque tollit arbitrij libertatem. Nos verò dicimus hominem semper & peccare & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij. Hæc est fides quam in catholica Ecclesia didicimus, & quam semper tenuimus.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm liberum arbitrium hominis sine gratia, posset cauere peccatum mortale?

D. Thom. 1. 2. *q.* 109. *art.* 3. 4. *&* 8. *& hîc q.* 2. *art.* 1. D. Bonau. *hîc art.* 1. *q.* 2. *&* 3. Marsil. Capr. *hîc* Henr. *quodl.* 6. *q.* 11. Richar. *hîc art.* 1. *q.* 1. *&* 3. Vega *q.* 13. *de iustificat.* Soto *l.* 1. *de nat. c.* 22. Taperius *art.* 7. Bellar. 5. *de gratia & lib. arb. c.* 5. *&* 7. Aluar. *de auxil. disp.* 54. Suares 3. *de auxil. c.* 2. *&* 1. *p. tr.* 2. *de prædest. l.* 2. *c.* 9. *vsque ad* 18. *vbi optimè disputat contra* Vasq. 1. 2. *d.* 198. *&* 199. Greg. Arim. *hîc qu.* 1. *art.* 1. Gabr. *qu.* 1. Durand. *q.* 3.

1. VÆRO circà distinctionem vigesimamoctauam, in qua Magister agit de insufficientia liberi arbitrij, sine gratia, & de errore Pelagij; Vtrùm liberum arbitrium hominis sine gratia, posset cauere omne peccatum mortale? Quòd sic, Apostolus ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem,* &c. vbi videtur Apostolus increpare Iudæos in hoc, quòd gentes sine lege data seruabant legem: ergo cauebant ab omni peccato: & tamen (vt videtur) non habuerunt gratiam. *Arg.* 1.

Præterea Augustinus 3. de libero arbitr. *Nullus peccat in eo quod vitare non potest,* aut igitur aliquis potest vitare peccatum sine gratia, aut non? si non, igitur non peccat: si sic, habeo propositum: ergo nullum peccatum est, quod non possit vitari. *Arg.* 2.

Item Anselmus de libero arbit. *Liberum arbitrium est potestas seruandi rectitudinem propter se*: ergo manente libero arbitrio manet potestas eius. *Arg.* 3. *Cap.* 3.

Contrà, in hoc videtur esse hæresis Pelagiana, quòd liberum arbitrium sufficiat sine gratia. *Ratio opp.*

Item, hæc hæresis videtur potissimè increpata ab Augustino de Rectitudine iustitiæ. Quære.

Item, Gregorius in Homil. *Peccatum quod pœnitentia non deletur mox suo pondere ad aliud trahit,* & idem in Moralibus lib. 25. cap. 10. super Iob. 34. *Conteret multos,* &c.

SCHOLIVM.

Sententia communis, etsi variè explicata à variis, liberum arbitrium posse cauere ab omni peccato disiunctiuè, non tamen copulatiuè. Contra hanc disputat Doctor, sed eius rationes solùm lædunt asserentes requiri ad præcepta implenda, iustitiam vel inclinationem charitatis: infert enim vt absurdum quod peccatores facientes opera præcepta, secundùm substantiam, peccarent mortaliter, supponens & arguens hominem in culpa manentem posse elicere aliqua opera bona moraliter, quod est commune DD. placitum vt statim dicam.

2. HIc dicitur * quòd propter verba Augustini, quæ adducit contra Pelagianos, non potest caueri ab omni peccato sine gratia. Sed hoc diuersimodè ponitur. Vno modo, quòd liberum arbitrium possit vitare singula peccata mortalia: non tamen omnia. *Hē. quodl.* 6. *q.* 11.

Exemplum ponitur de existente in vase perforato, quod licèt possit quodlibet singulorum foraminum obstruere, non tamen omnia: dum enim vnum obstruit relinquitur aliud patens.

Alio modo dicitur, quòd liberum arbitrium potest considerari tripliciter. Vno modo ante deliberationem, & tempus deliberationis. Secundo modo post vtrunque, scilicet deliberationem & ipsum tempus deliberationis. Vel tertio modo, post tempus *Quære D. Tho.* 1. 2. *q.* 109. *art.* 8. *& Henr.*

quodl.5.q.20.à quib. non multũ deuiat Doct.hic.

pus deliberationis elapſum, non autem poſt deliberationem habitam. Primo modo ponitur non poſſe peccare mortaliter, ſed venialiter. Secundo modo ponitur poſſe vitare omne peccatum mortale poſt deliberationem habitam. Tertio modo dicitur non poſſe cauere, ſi ſit in peccato mortali, propter defectum intellectus, ante tempus deliberandi, propter quod non rectè deliberabit, licet tranſeat tempus in quo haberi potuit deliberatio: & ita tenebitur: quia quando tranſit conueniens tempus deliberationi, ſi non tunc deliberet, eſt conſenſus interpretatiuus.

al. Aug. contra Fauſtum li.22.& habetur d.35.

Contra hoc arguitur [b], & primò contra concluſionem, quia peccatum mortale, non eſt niſi in tranſgrediendo præceptum Dei: ſed ſecundùm * Hieronymum *qui dicit Deum præcepiſſe impoßibilia, anathema ſit.* 3.

Reſpondetur [c], quòd exiſtenti in peccato mortali poſſibile eſt ſeruare præceptum, non autem vt manet in peccato: ſed poſſibile eſt ipſum præparare, & diſponere ſe ad gratiam, qua data poteſt ſeruare præceptum: & ita ſi non præpararet ſe illa impræparatio imputaretur ſibi in peccatum, ſicut exemplificat Anſelmus de proiiciente ſe in puteum.

D. Bonau. d.præſenti art.1.q.3.

Alia reſponſio [d], quòd licèt manens in peccato mortali poſſet ſeruare præceptum, quantùm ad eius explicationem: non tamen quantùm ad intentionem mandantis: quia intentio ſua eſt vt conſequeretur finem per ipſum: non autem per illorum obſeruationem conſequitur aliquis finem, niſi obſeruet illa ex charitate.

Præcepta non neceſſario implenda ex charitate contra Greg.hic alias peccator faciẽdo præcepta peccaret mortaliter.

Contra [e] ſi Deus præcipiens intendebat quemlibet obligare ad ſeruandum præceptum ex charitate, ergo quicunque faciens opus præcepti, & non ex charitate, peccat mortaliter: & hoc tam de præcepto negatiuo (ad quod tenetur ſemper, & pro ſemper, & ſi teneatur ad illud ſeruandum ex charitate, quando illud ſeruat, non ex charitate, peccat mortaliter) quàm de præcepto affirmatiuo, ad quod tenetur pro aliquando, ſi pro tunc non ſeruat ex charitate, peccat mortaliter: & ita quicunque commiſit peccatum mortale, ſi poſtea non occidit, quia Deus præcepit non occidere, ſi etiam non furetur, quia Deus præcepit non furari, peccat mortaliter: ſimiliter ſi ſeruat Sabbatum etiam, quia Deus hoc præcepit, peccat mortaliter.

Peruertere videturqui putat peccatorẽ nullum opus bonũ facere ad quod nõ tenetur.

Hoc dicere non videtur aliud, quàm peruertere omnes, qui ſemel commiſerunt peccatum mortale, vt nullum bonum opus ex genere poſtea faciant, ad quod tamen aliàs ſunt aſtricti, cùm tamen ſuadendi ſint, & mouendi ad oppoſitum, vt ſcilicet faciant bona opera ex genere, quia illa diſponunt eos ad gratiam citius, & faciliùs obtinendam. Similiter exiſtens in charitate poteſt facere aliquod opus præcepti, non tunc motus ex charitate, ſed ex pietate, & manſuetudine naturali, vel ex aliquo alio, non referendo tunc actualiter ad finem vltimum, ita quòd iſta impletio operis præcepti, non eſſet ſibi meritoria, quòd ſi teneretur ſeruare præceptum, ſecundùm intentionem mandantis, vt ſcilicet per ipſum poſſit finem pertingere, tenetur tunc ad meritum: & tunc peccaret mortaliter faciendo tale opus, quod eſt bonum ex genere, & ex præcepto; quod eſt abſurdum. 4.

Iuſtus poteſt facere aliqua opera bona nõ motus ex charitate.

Durũ eſſet quod nõ ſe diſponens ad gratiã faciendo opera præcepta, peccaret.

Per idem arguitur [f] contra primam reſponſionem: quia ponamus, quòd non diſponat ſe aliquis ad gratiam, ſi tunc ſtat in culpa, non poteſt ſe ſeruare à culpa: ergo pro tunc eſt ſibi impoſſibile ſeruare ſe à culpa; quod eſt falſum: quia omnis culpa eſt voluntaria, ſi autem pro tunc poteſt ſe ſeruare à culpa, quod ſaltem videtur manifeſtum, quantùm ad genus operis præcepti, redit argumentum priùs factum: quia hoc ſufficit ad excuſandum eum à peccato mortali.

COMMENTARIVS.

1. a *Hîc dicitur.* Hîc Doctor recitat duas opiniones de modo ponendi. Quarum prima eſt Henrici *quolib. 6. q. 11.* qui dicit, quòd liberum arbitrium poteſt vitare ſimul ſingula peccata ſine gratia, non tamen poteſt vitare omnia, id eſt, quod aſſignato quocunque peccato ſingulari, poteſt vitare illud, non tamen ſimul vitare omnia peccata mortalia.

D.Bona.di. præſenti q.3. art.3. Liberum arbitriũ poteſt conſiderari dupliciter.

Secunda opinio eſt D. Bonauenturæ. Quæ vt ſatis intelligatur pono tale exemplum, quòd ſit præſens voluntati aliquid delectabile ſub ratione turpi, ſi intellectus vt præcedit omnem actum voluntatis ſtat in tali conſideratione, non peccat. Si verò voluntas confirmat intellectum in tali conſideratione, vel poteſt auertere, & non auertit, quia auertendo ipſum ex deliberatione ſua cauet peccatum; habet ergo tempus voluntas, quo tenetur auertere intellectum à tali turpi cogitatione, & conuertere ad aliquod bonum, vt illud tempus ſit ſpacium vnius *pater noſter*, & dicatur B, ita quòd ſi in tali tempore deliberat, & auertit intellectum à tali conſideratione vitat peccatum.

Dicit ergo S. Bonauentura quòd ſi conſideretur

retur peccatum ante deliberationem, & tempus deliberationis, ſupple quo tenetur deliberare, ſic voluntas non peccat mortaliter, licèt fortè venialiter, puta in ſubita ſurreptione. Impoſſibile enim eſt per Auguſtinum quin viſis tangamur. Si verò conſideretur poſt deliberationem, & tempus deliberationis, ita quòd habuit tempus ad deliberandum vt reſiſtat peccato, & in tali tempore deliberauit, hoc modo vitat omne peccatum, quia in tempore deliberationis deliberat non peccare. Si tertiò conſideretur poſt tempus deliberationis elapſum, & non poſt deliberationem, puta totum tempus, in quo debebat deliberare non peccare, elapſum eſt, tunc peccat, quia habuit tempus deliberandi, & peccato reſiſtendi, & noluit deliberare, & ſic videtur conſentire peccato, ſaltem conſenſu interpretato. Dicit ergo S. Bonauentura quòd liberum arbitrium poſt tempus deliberationis, & ante deliberationem non poteſt vitare peccatum mortale.

2. *Quomodo liberum arbitrium poſſit vitare peccatum.*

b *Contrà hoc arguitur.* Hîc Doctor intendit probare contra iſtos, quòd liberum arbitrium exiſtens in puris naturalibus poſſit cauere omne peccatum mortale: patet, quia poteſt obſeruare omnia præcepta Dei, quia Deus non præcepit impoſſibilia obſeruare ſecundùm Hieronymum: ſed peccatum mortale non committitur niſi tranſgrediendo præceptum Dei.

c *Reſpondetur.* Hîc Doctor recitat reſponſionem opinionis primæ. Dicunt enim quòd exiſtens in peccato mortali, etſi non poteſt obſeruare præceptum Dei, poteſt tamen ſe diſponere ad gratiam, qua data poteſt ſeruare præceptum, & ſi non diſponat ſe ad illam, imputabitur ſibi ad peccatum.

d *Alia reſponſio.* Hæc eſt reſponſio D. Bonauenturæ *præſentis diſt. art. 1. quæſtio.* 3. qui dicit, quòd manens in peccato mortali, poteſt ſeruare præceptum quantùm ad eius explicationem, id eſt, quòd ad literam poteſt obſeruare illud, quod præcepit Deus, puta non occidere, ſed non poteſt obſeruare quantùm ad intentionem mandantis, quia intentio ſua eſt vt conſequatur finem per ipſum, & ſic intentio mandantis eſt vt ſeruetur præceptum in charitate, ſine qua finis conſequi non poteſt.

3. *Scotus contra D. Bonau.*

e *Contrà.* Hîc arguit contra reſponſionem, D. Bonauenturæ, adducens multa inconuenientia, quia ſi quis tenetur ſeruare præceptum ex charitate, ita quòd Deus alligauerit hominem obſeruare præceptum in charitate, & per conſequens ſi non ſeruet in charitate, peccabit mortaliter, & ſic exiſtens in peccato mortali, mortaliter peccabit obſeruando præceptum Dei, tam affirmatiuum, quàm negatiuum. Et hîc intendit Doctor de bonis operibus non præcisè ex genere, quia ſi quis daret eleemoſynam pauperi cauſa libidinis, eſſet bonum opus ex genere, & tamen peccaret mortaliter. Accipit ergo bonum opus ex genere, vt non tantùm tranſit ſuper obiectum debitum ſecundùm rationem, de quo ſuprà patet *diſt.* 7. ſed quòd etiam includat alias circunſtantias morales, vel ſaltem non includat oppoſitam circunſtantiam vt repugnantem circunſtantiæ debitæ, de quibus prolixè dictum eſt *diſt.* 7. Addit etiam Doctor quòd aliquis poteſt eſſe in charitate, & poteſt facere aliquod opus præcepti, puta dare eleemoſynam ex naturali manſuetudine, & non motus ex charitate, & tamen per tale opus non attingeret vltimum finem, cùm non ſit meritorium: opus enim meritorium non tantùm eſt à ſuppoſito habente charitatem, ſed requiritur quòd ſit productum charitate mouente ad hoc, vt patet à Doctore *in 4. diſt.* 17. & ſic tunc peccaret mortaliter faciendo tale opus: patet, quia non fit ſecundùm intentionem mandantis.

f *Per idem arguitur contra primam reſponſionem,* ſcilicet, quia ponamus, quòd non diſponat ſe ad gratiam, ſi tunc ſtat in culpa, non poteſt ſe ſeruare à culpa; patet, quia, per te, vt exiſtens in peccato non poteſt ſeruare præceptum, quod tamen tenetur ſeruare, & non obſeruando peccat mortaliter, &, per te, vt exiſtens in peccato mortali non poteſt ſeruare præceptum: ergo vt ſic, eſt ſibi impoſſibile ſeruare ſe, quin committat aliud peccatum mortale, quod eſt falſum, quia omnis culpa eſt voluntaria. Si autem pro tunc poteſt ſe ſeruare à culpa, quod ſaltem videtur manifeſtum quantùm ad genus operis præcepti, id eſt, quòd obſeruando præceptum, etiam in peccato mortali pro tunc non peccat, & ſi ſic, tunc argumentum priùs factum redit, quia hoc ſufficit ad excuſandum eum à peccato mortali. Si enim obſeruando præceptum non peccat, & poteſt ſine gratia illud obſeruare, ergo vt ſic, poteſt euitare peccatum mortale. 4.

SCHOLIVM.

Contra modum dicendi Henrici, oſtendit, ſi poteſt quis ſuis viribus pro hoc nunc *cauere peccata, idem eſſe de alio & alio* nunc, *& ſic collectiuè: & argumentum procedit de potentia Phyſica, quæ dicit tantùm proportionem virtutis intrinſecè ad effectum, non tamen de potentia morali: quæ vltra Phyſicam, includit amotionem impedimentorum, & præſentiam requiſitorum facilitantium. Refutat etiam modum D. Bonauenturæ quoad id quod ait de tempore deliberationis tranſacto, quia ſi eo tranſacto, poteſt quis benè deliberare, poteſt non peccare, ſi non poteſt benè deliberare, erit ſine vſu rationis, vel excæcatus, & vtrumque eſt graue inconueniens.*

5. CONtra iſtas duas vias arguitur g, in ſpeciali, primò contra primam Si in hoc tempore poteſt cauere ab hoc peccato mortali, & illo, & dum cauet hoc, cauet omne: & ſimiliter de tempore conſequente, & ſic de ſemper: ergo ſi poteſt ſemper cauere hoc, & illud, ſimul poteſt cauere omnia. Aſſumptum, quod ſi poteſt cauere hoc peccatum mortale pro tunc, quòd poteſt etiam cauere illud aliud, & ita omne pro tunc, patet; quia voluntas non poteſt habere ſimul diſtinctos conſenſus, qui requiruntur ad peccatum mortale, & ad reſiſtendum peccato mortali: & ita dum diſtinctè habet actum reſiſtendi huic peccato mortali, nullum aliud velle habet tunc, per

quod aliud velle, pro tunc peccet mortaliter, maximè cùm præſeruando ſe ab vno peccato mortali, ſit fortior ad reſiſtendum aliis: ergo ſi nunc poteſt hoc peccatum cauere de quo tentatur, multò magis illud poteſt alias cauere, & ſic de aliis.

Contra modum D. Bonau.

Contra ſecundam viam arguo ſic [h], tempore illo, quo poteſt haberi deliberatio de hoc peccato *A*, aut poteſt deliberare de *A*, & ſequitur quòd dum deliberat, non peccat mortaliter: completa etiam deliberatione cauere poteſt per te, vt non peccet actualiter ipſo peccato, nec aliquo alio actu: aut non poteſt deliberare de *A* in illo tempore deliberationis, & ita non habebit vſum rationis.

Quòd ſi dicas [i] non poſſe deliberare rectè propter excæcationem intellectus, hoc videtur abſurdum: quia vnum peccatum mortale non facit aliquem intemperatum generali intemperantia, quia vna hirundo non facit ver, nec vnus actus virtuoſus, vel vitioſus facit hominem virtuoſum, vel vitioſum generaliter, nec per conſequens excæcatũ generaliter circa omnia principia operabiliũ: ergo poteſt habere rectam deliberat: onẽ de multis, de quibus tentatur, non obſtante quòd ſit in vno peccato mortali. 6.

Vitia non ſunt connexa, nec vnũ peccatum expellit habitum virtutis moralis.

Similiter vitia non ſunt connexa, in tantum, quòd vnum peccatum excæcet circa omnia principia operabilium ad benè agendum: quia nec etiam vnum peccatum depraũat appetitum per ſe inclinando ad aliud: imò cum vno peccato poteſt ſtare virtus acquiſita, contraria illi peccato: quia vnum peccatum mortale non corrumpit totum habitum virtutis: igitur per iſtos habitus, tam acquiſitos circa idem agibile, quàm acquiſitos circa alia agibilia, poteſt iſte rectè iudicare, & deliberare, ſiue dẽ eodem peccato, ſiue de alio: & ſi poſſet rectè deliberare, nec peccet conſenſu interpretatiuo, poteſt per te cauere omne peccatum: ergo ſimpliciter poteſt.

COMMENTARIVS.

1. *Contra Henricum.*

g *Contra iſtas duas vias.* Hìc Doctor arguit contra opinionem Henrici, probando ex dictis Henrici quòd poſſet vitare omnia peccata ſimul, ſi poteſt vitare ſingula. Et ratio ſtat in hoc, quia voluntas, puta pro inſtanti, *A*, non poteſt habere duplicem conſenſum, ſiue duplicem deliberationem, ita quòd vno conſenſu reſiſtat peccato, & alio conſentiat, & per conſequens ſi in iſto inſtanti, reſiſtat peccato, pro hoc inſtanti, vitat omne peccatum, & per conſequens dum cauet hoc, cauet omne. Hoc idem arguo de tempore ſequenti, quia per te poteſt cauere hoc peccatum, vel illud: ergo dum actu cauet vnum peccatum, actu cauet omne peccatum.

An voluntas poſsit habere duplicẽ conſenſum.

Aduerte tamen, quòd Doctor non negat quin voluntas ſimul, & ſemel poſſit habere duos conſenſus: poteſt enim in eodem tempore velle Deũ propter ſe, & velle proximum propter Deum, vel ſimul aſſentire bono propter ſe vt fini vltimo, & aſſentire bono propter aliud, volendo bonum ad finem: & iſti ſunt duo conſenſus ab inuicem diſtincti, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 1. *q.* 3. Sed intelligit hìc, quòd non ſimul poteſt habere duos conſenſus, quorum vnus repugnet alteri, & ſi non ex natura actus ſaltem ex ordinatione alicuius regulæ ſuperioris. Dum enim quis obſeruat præceptum Dei, etiam ſine charitate conuertitur aliquo modo ad Deum, & ſi non meritoriè, nam obſeruat aliquid, quod eſt neceſſarium ad vltimum finem ex determinatione diuina. Si ergo in eodem inſtanti haberet alium conſenſum circa peccatũ, puta tranſgrediẽdo aliud præceptũ, ſequeretur quòd in eodem inſtãti, auerteretur ab vltimo fine virtualiter, vt infrà patebit, diſt. 35.

2. *Scotus improbat opinionem S. Bonau.*

h *Contra ſecundam viam arguo ſic.* Hìc Doctor improbat opinionem D. Bonauenturæ, & intendit probare contra ipſum, quòd liberum arbitrium poſt tempus deliberationis elapſum, & ante deliberationem poſſit cauere omne peccatum. Supponendo primò, quòd voluntas poſt tempus deliberationis elapſum, & ante deliberationem quâ debuit reſiſtere peccato ſit in peccato mortali per conſenſum interpretatum. Et quia D. Bonauenturæ videtur dicere quòd poſt tale tempus elapſum, poſt quod commiſit peccatum per conſenſum interpretatum in tempore immediatè ſequenti, non poteſt voluntas rectè deliberare vt reſiſtat peccato, imò in tempore ſequenti non poteſt vitare peccatum. Hoc expoſito ſecundùm opinionem D. Bonauenturæ, arguit Doctor contra ipſum, & expono literam illius rationis. Cùm dicit: *Tempore illo*, ſupple ſequenti tempus elapſum deliberandi, *quo poteſt haberi deliberatio de hoc peccato* A, puta de libidine, ſupple quo tẽpore poteſt deliberare non cõmittere tale peccatũ, *aut poteſt deliberare de* A, ſupple vt non cõſentiat tali peccato, ergo dum deliberat non peccat mortaliter: patet, quia deliberat non peccare. Sequitur: *Completa etiam deliberatione cauere poteſt per te, vt non peccet actualiter ipſo peccato*, quia D. Bonauentura dicit quòd poſt tẽpus elapſum, in quo peccauit ſecundùm conſenſum interpretatum, ſi poteſt habere deliberationem de reſiſtendo peccato, puta de reſiſtendo libidini, habita illa deliberatione, tunc non peccat illo peccato, *nec etiã alio* peccato peccat, quia tunc haberet duos conſenſus, eo modo quo argutum eſt contra Henricum. Sequitur: *Aut non poteſt deliberare de* A *in illo tempore deliberationis, & tunc vel non habebit vſum rationis*, vt poſſit rectè deliberare, aut ſi habebit, & pro tunc non poſſet deliberare, puta non velle committere tale peccatum, ergo tunc erit ei impoſſibile non peccare. Sed nemo peccat in eo, quod euitare non poteſt.

Expoſitio literæ.

i *Quòd ſi dicas non poſſe deliberare*, &c. quaſi velit dicere, quia poſt tempus elapſum, in quo peccauerit per conſenſum interpretatum per tale peccatum intellectus excæcatus fuit, & ſic in tempore immediatè ſequenti non poterit rectè regulare intellectum, vt reſiſtat peccato, & per conſequens ipſum non poſſet deliberare. Doctor dicit, quòd hoc videtur abſurdum.

SCHO

SCHOLIVM.

Etſi non poſſit homo reſurgere à peccato ſine gratia, poteſt tamen cauere ab omni peccato ſine ea: in hoc conuenit Doctor cum communi ferè omnium: quia vel non loquitur de omni peccato coniunctim, ſed diuiſim, vel ſi ſic: intelligit de potentia Phyſica, non morali, quo ſenſu iuſtus poteſt vitare omnia venialia: ita DD. ferè omnes, exceptis paucis, vt Greg. & Vaſq. quem optimè refutat Suar. ſupra tacito nomine eius. Docet peccatum & gratiam non opponi immediatè, de quo agit 4. d. 1. q. 1. & 6. & d. 16. q. 2. quod verò ſine gratia aliqua bona opera fieri poſſint, & aliqua peccata vitari, docent PP. Chryſ. hom. 67. ad pop. Greg. 5. Mor. 1. & Aug. (quem alij pro oppoſito adducunt) ſæpiſſimè, de ſpir. & lit. 28. ſic explicans id Rom. 2. Gentes quæ legem, &c. *ſicut Chryſ. Theodor. Theophyl. explicant, & Hieron. ep. ad Algaſiam q. 8. Item Aug. 5. Ciuit. 1. dicens, in Romanis fuiſſe bona opera, & lib. de perfect. iuſt. & l. de ſpir. & lit. 29. exponit id*, Sine me nihil poteſt s, *de operibus iuſtitiæ, & de gratia & lib. arb. 8. de operibus, quibus æterna vita redditur, & cap. 4. iubet cauendum ne propter liberum arb. negetur ad opera, quibus debetur vita æterna, auxilium gratiæ eſſe neceſſarium, & cùm alibi ſæpè neget extra fidem & gratiam, eſſe bona opera, loquitur de operibus vitæ. Vide eum l. 1. de gratia Chriſti c. 26. præterea Arauſ. 2. can. 6. & 25. & Trid. ſſ. 6. can. 3. agendo de operibus ad quæ requiritur gratia, addunt, vt fiant ſicut oportet ad ſalutem, inſinuando per hoc, ad alia opera bona non requiri.*

7. AD quæſtionem poteſt dici, [k] quòd peccatum vno modo poteſt accipi pro ipſo actu elicito deformi, loquendo de peccato commiſſionis. Alio modo pro macula, quæ remanet poſt actum elicitum, ſiue pro reatu permanente, quouſque peccatum fuerit deletum per pœnitentiam. Secundo modo dico, quòd liberum arbitrium non poteſt ex ſe cauere omne peccatum mortale pro ſtatu iſto: quia anima, ſine gratia, aliquo peccato maculatur, vel originali, vel actuali; à quo non liberatur, niſi per gratiam.

Hominem ſine gratia vitare poſſe peccatũ, ſed non reſurgere à peccato.

Sed ſi quæratur [l] vtrùm hoc ſit propter immediatam oppoſitionem culpæ, & gratiæ? Dico, quòd non: quia iſta non eſſent immediatè oppoſita, pro ſtatu innocentiæ: tunc enim potuit aliquis eſſe in puris naturalibus, tam ſine gratia, quàm culpa: ergo nullo modo ſunt immediatè oppoſita: nec etiam per comparationem ad potentiam facientis: quia qualem potuit Deus facere voluntatem, talem poteſt eam reparare poſtquam peccauerit: ſed hoc tantùm eſt ex lege illa vniuerſali, qua nullo modo remittitur inimicitia niſi fiat, non tantùm non inimicus, ſed etiam amicus ſibi acceptus per gratiam gratificantem.

De hoc 4. d. 1. q. 1. & 6. & d. 16. q. 2.

Si obiiciatur quomodo Deus poſſet remittere culpam, non dando gratiam; videretur enim eſſe mutatio in Deo, ſi non ponatur in ipſo iuſtificato. De hoc in quarto, diſtinctione decimaſexta.

COMMENTARIVS.

3. *Peccatum duobus modis poteſt accipi.*

k *AD quæſtionem poteſt dici.* Hîc Doctor diſtinguit de peccato, aut enim accipitur peccatum pro deformitate, ſiue actuali carentia rectitudinis, quæ deberet ineſſe actui, de qua infrà *diſtin.* 35. Aut poteſt accipi peccatum pro reatu, ſiue pro obligatione ad pœnam æternam, quæ manet in anima poſt actum peccati, de qua *in quarto, diſtin.* 14. *quæſt.* 1. Dicit ergo Doctor duo. Vnum non ita expreſsè, ſed magis ad mentem ipſius, vt elici poteſt, quòd in ſtatu innocentiæ liberum arbitrium potuit vitare omne peccatum ſine gratia. Aliud, quòd poſt lapſum liberum arbitrium non poteſt vitare omne peccatum ſine gratia, quia anima de facto maculatur aliquo peccato actuali, vel originali. Si verò accipiatur peccatum pro obligatione ad pœnam. Dico quòd ſine gratia non poteſt releuari à tali obligatione, & hoc de potentia Dei ordinata, ſecus de abſoluta; poſſet enim Deus potentia ſua abſoluta remittere omnem obligationem ſine gratiæ infuſione, vt patere poteſt ex his quæ dicit Doctor in quarto, diſt. 1. quæſt. 6.

4.

l *Sed ſi quæratur.* Vult dicere, poſito quòd quis non poſſit cauere peccatum ſine gratia, ſequiturne hæc propter oppoſitionem immediatam culpæ ad gratiam, videlicet, ſi non habet gratiam, ergo eſt in culpa, quia ſubiectum oppoſitorum immediatorum neceſſariò eſt ſub altero illorum; ergo ſi non eſt in gratia erit in culpa, & ſic non poteſt cauere culpam ſine gratia? Dicit Doctor, quòd hoc non eſt propter immediatam oppoſitionem culpæ ad gratiam cùm illa nullo modo oppoſitionis formaliter opponantur, vt patet hîc à Doctore, & infrà *diſt.* 3. *huius*, & expreſsiùs in 4. *diſt.* 1. *q.* 1. & *q.* 6. & *diſt.* 16. *q.* 2. vide ibi. Hîc tamen adducit vnam rationem, probando quòd non ſint oppoſita immediata, quia in ſtatu innocentiæ potuit aliquis fuiſſe in puris naturalibus, ita quòd nec in gratia

Culpa & gratia an ſint opp ſita immediata.

nec in peccato. Sequitur. *Nec etiam per comparationem ad potentiam facientis*, videlicet, quòd poſtquam aliquis peccauit, & perdidit innocentiam naturalem, quòd Deus non poſſet reparare illam ad priſtinam innocentiam ſine gratia; poſſet enim illam reparare, & facere eandem voluntatem eſſe in puris naturalibus ſine infuſione cuiuſcunque gratiæ; patet, *quia qualem potuit Deus facere voluntatem, talem poteſt eam reparare poſtquam peccauit*, id eſt, quòd ſicut Deus creauit, vel potuit creare aliquam creaturam ſine culpa, & ſine gratia, quòd eandem naturam poſſet reparare in priori innocentia: ſed hæc ratio magis patebit *in quarto, diſt. 1. quæſt. 6.* Sequitur: *Sed hoc tantùm eſt ex lege vniuerſali*, &c. Vult dicere quòd loquendo de potentia Dei ordinata, nullus poteſt euitare aliquod peccatum mortale ſine gratia, quia Deus ordinauit hominem vel eſſe actu amicum, vel actu inimicum, ita quòd de potentia Dei ordinata non poteſt dari aliquis innocens, quin non ſit amicus, vel inimicus, & non eſt amicus, niſi per gratiam gratificantem; nec inimicus niſi per peccatum mortale. Si ergo actu non eſt amicus per gratiam, actu erit inimicus per peccatum, & ſi actu erit amicus per gratiam, actu non erit inimicus per peccatum; & ſic patet quòd de potentia Dei ordinata liberum arbitrium non poteſt euitare omne peccatum ſine gratia. Hoc idem etiam dicit, ſcilicet ſi de potentia Dei ordinata quilibet vel eſt actu inimicus per peccatum, vel actu amicus per gratiam in quarto, diſt. 1. q. 6. & diſt. 15. q. 1. & 16. q. 2.

SCHOLIVM.

Ponit liberum arbitrium ſufficere ad implendum præceptum naturale amandi Deum, quod probat 3. d. 27. art. 3. & euidens videtur, ſi poſſum amare creaturam, ſuper omnia poſſe me iiſdem viribus amare ſic creatorem, cùm ſit infinities diligibilior. Tamen non poteſt liberum arbitrium implere præceptum amoris ſupernaturalis Dei ſine gratia, ſicut nec præceptum fidei, vel ſpei: nam ſi adimplet hoc præceptum, diſponit ſe de congruo ad iuſtificationem, & hoc eſt peculiare huic præcepto, quòd modus tendendi in Deum, vt in vltimum finem ſupernaturalem, ſit ei intrinſecus, & ſic nunquam impletur niſi à iuſto in facto eſſe, vel in fieri, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 10. vbi Ban. Lorca, & alij, & ſic intelligendum puto Doctorem hîc.

Henric. quodl. 5. q. 21. in ſolutione. Vide 1. diſt. 4. q. 6. & diſt. 14. q. 1. Conuenit Doctor cũ Hemico in opin. iſta. Expreſsè docet non poſſe ſeruari totam legem naturæ, ſine gratia.

ET poteſt illa opinio [m] confirmari per hoc, quòd illud præceptum, *Diliges dominum Deum*, &c. eſt primum, à quo tota lex pendet, & Prophetæ, in Matth. 22. ad actum igitur huius præcepti aliquando eliciendum, tenetur voluntas, ita quòd non poteſt eſſe ſemper omiſſio actus huius præcepti, ſine peccato mortali: quandocunque autem voluntas actum huius præcepti exequitur, licèt informis, & diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem, ſibi oblatam, vel reſiſtet, & peccabit mortaliter: vel conſentiet, & iuſtificabitur. Hæc igitur opinio non ponit partem negatiuam, quaſi propter impotentiam liberi arbitrij abſolutè: ſed inquantùm ipſum comparatur ad Deum, liberaliter gratiam offerentem libero arbitrio, aliqualiter tamen diſpoſito. 8.

Ad argumenta [n]. Ad illud ad Rom. dici poteſt, quod ſi non erant obligati ad legem Moyſi niſi filij Iſraël, alij gentiles potuerunt iuſtè viuere ſeruando legem naturæ: & tunc ipſi facti ſunt ſibiipſis lex, id eſt, per legem naturæ ſcriptam in cordibus eorum interiùs direxerunt ſe rectè viuendo, ſicut Iudæi per legem ſcriptam: ſed iſti non benè vixerunt ſine omni gratia: quia gratia potuit eſſe in eis ſuppoſita hypotheſi, abſque obſeruatione legis Moſaïcæ.

Ad aliud, concedi poteſt iſta propoſitio Auguſtini abſolutè ſecundùm iſtam opinionem. Et ad minorem poteſt dici, quòd iſte, cui offertur gratia, poteſt cauere ne reſiſtat gratiæ: ſed non poteſt cauere à peccato: ſi enim non reſiſtat gratiæ, iuſtificabitur: ſolùm igitur poteſt hoc caueri: ſed non poteſt caueri ſtando in peccato priùs commiſſo. Ad tertium reſpondat Anſelmus quòd quantùm eſt ex parte liberi arbitrij, poteſt ſeruari iuſtitia: licèt quando iuſtitia non habetur, iuſtitia ſeruari non poſſit.

COMMENTARIVS.

5. m ET *poteſt illa opinio confirmari*, &c. Hîc dicit quòd etiam loquendo de peccato actuali non poteſt liberum arbitrium noſtrum præcauere omne peccatum mortale ſine gratia, ſed hoc non eſt ex libero arbitrio abſolutè, ſed in aliquo caſu ſpeciali, ſcilicet poſito quòd voluntas teneatur aliquando diligere Deum ſuper omnia, & quòd talis dilectio ſit diſpoſitio ad gratiam ex determinatione diuinæ voluntatis, & quòd obligauerit voluntatem ſic diſpoſitam acceptare gratiam ſibi oblatam; ſtante iſto caſu, quòd aliqua voluntas diligat Deum ſuper omnia ex puris naturalibus, quod eſt ei præceptum, tunc Deus offert ſibi gratiam, ſi non acceptat, peccat mortaliter, quia tenetur eam acceptare; non acceptat autem eam quando ponit obicem. Si verò acceptat, illud peccatum vitat, quod eſſet non acceptando. Non poſſet ergo vitare hoc peccatum quod eſſet non acceptare gratiam, niſi illam acceptet, ergo hoc peccatum actuale non poteſt vitare ſine gratia gratum faciente.

n Ad

n *Ad argumenta principalia.* Ad primum reſpondet Doctor, quòd gentiles per legem naturalem direxerunt ſe rectè viuendo, ſicut Iudæi per legem ſcriptam: ſed iſti non benè vixerunt ſine omni gratia: quia gratia potuit eis ineſſe ſtantibus in puris naturalibus, poſito quod non fuerint obligati ad legem Moyſi, niſi filij Iſraël. Tenendo enim quòd de potentia Dei ordinata quilibet aut eſt amicus, aut inimicus, vt ſuprà dixi, & tenetur eſſe amicus, & eſſe non poteſt ſine gratia: ergo non poteſt vitare omne peccatum ſine gratia. Separando etiam alium caſum de dilectione Dei, patet quòd non potuerunt vitare omne peccatum ſine gratia.

o Ad ſecundum dicit quòd ſecundùm iſtam opinionem poteſt abſolutè concedi propoſitio Auguſtini, videlicet tenendo opinionem vltimam. Et dico quòd iſte cui offertur gratia poteſt cauere, ne reſiſtat gratiæ, ſed non poteſt cauere à peccato, videlicet priùs commiſſo ſine gratia: ſi enim non reſiſtat gratiæ, iuſtificabitur. Solum igitur hoc poteſt caueri, ne ſcilicet reſiſtat gratiæ: non poteſt tamen caueri ſtando in peccato priùs commiſſo. Ad vltimum patet reſponſio.

DISTINCTIO XXIX.

De poteſtate liberi arbitrij primi hominis.

A POST hæc conſiderandum eſt, vtrùm homo ante peccatum eguerit gratia operante, & cooperante. Ad quod breuiter dicimus, quia non cooperante tantum, ſed etiam operante gratia indigebat: non quidem ſecundùm omnem operandi modum operantis gratiæ. Operatur enim liberando & præparando voluntatem hominis ad bonum. Egebat itaque homo ea, non vt liberaret voluntatem ſuam, quæ peccati ſerua non fuerat: ſed vt præpararet ad volendum efficaciter bonum, quod per ſe non poterat. Non enim poterat bonum mereri ſine gratia, vt Auguſtinus in Enchiridio euidenter tradit, Illam, inquit, immortalitatem, in qua poterat non mori natura humana, perdidit per liberum arbitrium. Hanc verò in qua non poterit mori, acceptura eſt per gratiam, quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum: quamuis ſine gratia nec tunc vllum meritum eſſe potuiſſet: quia etſi peccatum in ſolo erat arbitrio conſtitutum, non tamen iuſtitiæ habendæ vel retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi diuinum præberetur adiutorium. Ecce his verbis ſatis oſtenditur, quod ante peccatum homo indigebat gratia operante & cooperante. Non enim habebat quo pedem mouere poſſet ſine gratiæ operantis & cooperantis auxilio: habuit tamen quo poterat ſtare. *Aug. c. 106. to. 3.*

Quòd homo ante lapſum virtutes habuerit.

B PRæterea quæri ſolet, Vtrùm homo ante lapſum virtutem habuerit. Quibuſdam videtur quòd non habuerit, id ita probare conantibus: Iuſtitiam, inquiunt, non habuit, quia præceptum Dei contempſit: nec prudentiam, quia ſibi non prouidit: nec temperantiam, quia aliena appetiit: nec fortitudinem, quia prauæ ſuggeſtioni ceſſit. Quibus reſpondentes, dicimus eum quidem non tunc habuiſſe has virtutes quando peccauit, ſed antè, & tunc amiſiſſe. Quod multis

Sanctorum teſtimoniis affirmat hominem primũ habuiſſe virtutes.

Sanctorum teſtimoniis comprobatur. Ait enim Auguſtinus in quadam homilia, Adam perdita charitate, malus inuentus eſt. Item, Princeps vitiorum, dum vicit Adam, de limo terræ adimaginem Dei factum, pudicitia armatum, temperantia compoſitum, charitate ſplendidum, primos parentes illis donis ac tantis bonis expoliauit, paritérque peremit. De hoc eodem Ambroſius ad Sabinum ait, [Quando Adam ſolus erat, non eſt præuaricatus: quia eius mens Deo adhærebat,] Super Pſal. quoque dicit, [Quod homo ante peccatum beatiſſimus, auram carpebat ætheream.] Sed quomodo ſine virtute beatiſſimus erat? Auguſtinus quoque *ſuper Geneſ.* dicit Adam ante peccatum ſpirituali mente prædituſ fuiſſe. Non eſt ergo dubitandum hominem ante peccatum virtutibus fulſiſſe, ſed illis per peccatum expoliatum fuiſſe.

Ambr. in tom. 3. ep. 41. ſuper Pſal. 118. ſerm. 4. Lib. 11. c. 24. in finem lib. & lib. 6. cap. 27. & 28. Gen. 3. d. Aug. li. 11. de Geneſ. cap. 40.

De eiectione hominis de paradiſo.

C IN illius quoque peccati pœnam eiectus eſt de paradiſo in iſtum miſeriarum locum, ſicut in Geneſi legitur. Nunc ergo, ne fortè mittat manum ſuam,& ſumat de ligno vitæ,& comedat,& viuat in æternum, emiſit eum Deus de Paradiſo voluptatis. His verbis inſinuari videtur, quod nunquam moreretur, ſi poſtea de illo ligno ſumpſiſſet.

Quomodo intelligendum ſit illud, Ne ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum?

D SEd quia per peccatum iam mortuum corpus habebat, illa verba ex tali intellectu accipi poſſunt: Deus inodo irati loquens, de homine ſuperbo ait: *Videte, ne fortè mittat manum ſuam*, &c. id eſt, cauete vos Angeli, ne comedat de ligno vitæ, quo indignus eſt: de quo, ſi perſtitiſſet, comederet, & viueret in æternum, ſed modò propter inobedientiam indignus eſt comedere. Et ſicut verbo dixit, ita opere exhibuit, [Emiſit enim eum Deus de paradiſo voluptatis in locum ſibi congruum: ſicut plerunque malus cum inter bonos viuere cœperit ſi in melius mutari noluerit, de bonorum congregatione pellitur, pondere prauæ conſuetudinis preſſus.]

Rom. 8. b.

Aug. lib. 2. de Gen. cõtra Manich. c. 22.

De flammeo gladio ante paradiſum poſito.

E NE verò ad illud poſſet accedere, [collocauit Deus ante Paradiſum Cherubin,& flammeum gladium atque verſatilem,ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.] Quod iuxta literam poteſt hoc modo accipi, quia per miniſterium Angelorum ignea cuſtodia ibi conſtituta fuit. [Hoc enim per cœleſtes poteſtates in Paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt, vt per Angelicum miniſterium ibi eſſet quædam ignea cuſtodia:non tamen fruſtra,ſed quia aliquid ſignificat de Paradiſo ſpirituali.] [Cherubin enim interpretatur plenitudo ſcientiæ:hæc eſt charitas,quia plenitudo legis eſt dilectio. Gladius autem flammeus pœnæ temporales ſunt, quæ verſatiles ſunt, quia tempora volubilia ſunt. Illa ergo ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, ideò poſita ſunt ante Paradiſum, quia ad vitam non reditur,niſi per Cherubim, ſcilicet, plenitudinem ſcientiæ, id eſt, charitatem: & per gladium verſatilem,id eſt,tolerantiam paſſionum temporalium.]

Aug. ſuper Gen. lib. 11. c. 40. Ibid.

Rom. 13. c. Aug. l. 2. de Gen contra Manich. cap. 23. 1. Ioan. 3. & Act. 14.

An

An homo ante peccatum comederit de ligno vitæ?

F POteſt autem quæri, Vtrùm de ligno vitæ ante peccatum comederit homo? De hoc Auguſtinus in lib. de Baptiſmo paruul. ſic ait, Rectè profectò intelliguntur primi homines ante malignam diaboli perſuaſionem abſtinuiſſe à cibo vetito, atque vſi fuiſſe conceſſis. His verbis oſtenditur, quod de ligno vitæ ante peccatum ſumpſerint, quibus præceptum erat, vt de omni ligno paradiſi comederent, niſi de ligno ſcientiæ boni & mali. *Secundo, qui alias dicitur de peccatorũ meritis, & remiſſione contra Pelag. in cap. 21. in tom. 7.*

Quare non ſunt facti immortales, ſi comederunt de ligno vitæ?

G QVare ergo perpetua ſoliditate, & beata immortalitate veſtiti non ſunt, vt nulla infirmitate, vel ætate in deterius mutarentur? Hanc enim virtutem naturaliter illud lignum habuiſſe dicitur. Sed fortè hoc non conferebat, niſi ſæpè de illo ſumeretur. Potuit ergo fieri, vt de illo ſumeret ſemel, & non ſæpiùs, qui per aliquam moram in paradiſo fuiſſe intelligitur, cum Scriptura dicat eum ibi ſoporatum fuiſſe, quando coſta de latere eius aſſumpta eſt, & inde formata mulier, & animalia ante eum ducta, quibus nomina impoſuit.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm iuſtitiam originalem in Adam, neceſſe ſit ponere aliquod donum eſſe ſũper naturale?

Alenſ. 2. *p. q.* 97. *m.* 1. *&* 2. *per tot.* D. Bonauent. *hîc a.* 2. *q.* 2. *&* 3. D. Thom 1. 2. *q.* 85. *a.* 1. *Vbi* Conrad. Caiet. Henr. *quodl.* 6. *q.* 11. Durand. 2. *d.* 21. *q.* 5. Richard. *d.* 30. *a.* 3. *q.* 2. Vega 3. *in Trid. c.* 21. Bellar. *l.* 1. *de gratia primi hom. c.* 1. 5. 6. Vaſqu. 1. 2. *d.* 137. Molin. 1. *p. d.* 27. Scot. *infr. d.* 37. §. Iſtæ quæſt. *& in Reportat.* 35. *q.* 1.

1. IRca [a] diſtinctionem vigeſimamnonam, in qua Magiſter agit de gratia, quam primi parentes in ſtatu innocentiæ habuerunt, quæro, Vtrùm iuſtitiam originalem in Adam, neceſſe ſit ponere aliquod donum eſſe ſupernaturale? Quòd non, quia ſi ponitur, ponitur propter rectitudinem excludentem omnem rebellionem potentiarum, & propter immortalitatem pro ſtatu illo habitam, vtrumque iſtorum poteſt ſaluari ex puris naturalibus: quia vtrumque iſtorum eſt pœna: pœna autem non eſt ſine culpa. Quòd mors ſit pœna, patet. De rebellione etiam probatur, quia pugna potentiarum inferiorum ad ſuperiores, pœna eſt. *Arg.* 1.

Præterea, voluntas in puris naturalibus ſuis, eſt recta: quia non fuit facta à Deo curua, & ita rectitudo eſt ab origine: ergo originaliter conuenit homini, & per conſequens iuſtitia, quia rectitudo voluntatis eſt iuſtitia: ergo voluntas in puris naturalibus habet iuſtitiam originalem. *Arg.* 2.

Præterea, ſi tantùm eſſet donum ſupernaturale: ergo peccatum originale tantùm eſſet carentia iſtius doni ſupernaturalis: ergo aliquis factus in puris naturalibus, actu eſſet æqualis illi qui per peccatum amiſiſſet iuſtitiam originalem, & ita eſſent æqualiter puniendi, quod videtur inconueniens. *Arg.* 3.

Contrà, naturalia manent integra in peccatore ſecundùm Dionyſium: iuſtitia originalis non manet, patet per effectus ſibi aſſignatos: ergo, &c. *4. de Diuinom.*

SVPPLEMENTVM R. P. PONCII.

1. a *Circa distinctionem* 29. &c. Hanc leuiter vt solet explicat Tartaretus, nullo modo verò Lychetus; cur autem eam omiserit, cùm sit de scripto Oxoniensi absque controuersia, & contineat difficultatem satis magni momenti, non satis video. Vtrunque non erit inutile aliqua breuiter addere, vel vt hæc sola non sit absque commento. Summa verò huius quæstionis est. Primò proponit tria argumenta pro parte negatiua, & vnum pro affirmatiua. Secundò proponit sententiam Henrici, eámque quatuor rationibus claris impugnat. Tertiò resoluit probabiliter ponendum esse in Adamo aliquem habitum ex parte voluntatis, quo reddatur ipsi bonum rationis appetibilius & delectabilius, quàm bonum sensus; & præterea alium habitum ex parte appetitus sensitiui, quo facilitaretur ad recipiendum bonum sibi delectabile, & ad prosequendum sine difficultate bonum indelectabile aut minùs delectabile quando ordinaretur à recta ratione. Quartò comparat hoc donum cum gratia sanctificante; & denique respondet ad argumenta principalia.

Summa quæstionis.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici præter dona infusa ponendam in voluntate rectitudinem quandam naturalem, quæ sit vt qualitas eius, cuius loco per peccatum posita est curuitas: iustitia ergo originalis illam rectitudinem, præter infusa dona, includit, hanc refutat Doctor, quinque rationibus, & clarè.

Henr. quodl. 6. q. 11. circa medium.

HIc dicitur b quòd præter istam rectitudinem infusam, si qua fuerit; oportet ponere in voluntate rectitudinem, quæ est sicut qualitas in quantitate, cui opponitur curuitas naturalis inflicta ipsi voluntati, quam ipsa incurrit peccando, & ex ista curuitate sequitur inobedientia virium inferiorum: quia licèt voluntas recta possit eis dominari, non tamen voluntas sic incuruata. Exemplum ponitur de virga recta, & postea incuruata, cuius rectitudo est naturalis: non tamen ita quòd sit de essentia eius. Declaratur istud, quia aliàs non videtur quòd possit saluari, quòd peccatum vulneret in naturalibus: si enim corrumperet tantùm aliquod donum gratuitum, spoliaret tantùm in gratuitis: ergo ad hoc, quòd vulneratio ponatur in naturalibus, oportet ponere aliquam rectitudinem, quæ priuetur per peccatum. Si ergo ponatur aliquod donum supernaturale præter illam rectitudinem, oportet dicere, quod iustitia originalis includat vtrumque: quia si tantùm attenditur secundùm illud donum, æquales essent iste qui est in puris naturalibus, & peccator, & sicut deduxit quoddam argumentum, in opponendo, sequeretur, quòd essent æqualiter puniendi. 2.

Contra istud obiicitur, c quia secundùm istam positionem non videtur possibile voluntatem peccare, nisi habeat rectitudinem naturalem, quæ posset corrumpi per peccatum: fiat igitur sine isto addito in sola essentia sua, ipsa non poterit peccare, quod videtur absurdum: quia ipsa potest iustitiam tenere, hoc est velle concorditer dictamini legis naturalis, & non est necesse ita velle, quia libera est: ergo potest peccare: ergo non oportet ponere talem qualitatem, vt eius opposita curuitas inducatur per peccatum. 3.

Voluntas immediatè & non per aliquã qualitatem dominatur inferioribus potentiis.

Præterea, non tantùm propter illam curuitatem videtur esse rebellio potentiarum, quia voluntas ex libertate sua naturali videtur melius, & magis dominari virtutibus inferioribus, quàm ex illa qualitate accidentali: quia ipsa secundùm essentiam suam est suprema potentia: igitur non erit ista qualitas tota ratio dominandi, ita quod si ipsa non insit, non denominetur voluntas.

Præterea tunc posset cognosci per rationem naturalem, hunc statum non esse naturalem: quia manifestum est nunc esse rebellionem in potentiis inferioribus, & per te non potest esse, nisi corrumpatur rectitudo voluntatis. Consequens est inconueniens, quia præclarissimi Philosophi ad hoc pertingere non potuerunt.

Præterea, ista rectitudo corrupta est totaliter per primum peccatum mortale: igitur cùm secundum peccatum ita formaliter sit peccatum sicut primum, oportet quòd ita corrumpat ipsam secundum sicut primum, sed secundum non potest illam rectitudinem corrumpere, quia iam non manet: ergo nec primum est peccatum ex hoc quod corrumpit istam.

Præterea,

Præterea, illa rebellio videtur eſſe in homine exiſtente in puris naturalibus: igitur non eſt propter aliquam curuitatem, quam incurrit voluntas per peccatum Probatio antecedentis, naturale eſt vnicuique appetitui ferri in ſuum appetibile, & ſi eſt appetitus non liber, naturale eſt ei ſummè ferri quantum poteſt: quia ſicut talis appetitus, ſecundùm Damaſcenum 24. ducitur, & non eſt in poteſtate ſua eius actus, ita non eſt in poteſtate eius intenſio actus, quin agat quantum poteſt: igitur cùm appetitus ſenſitiuus exiſtens in puris naturalibus habeat proprium appetibile, & delectabile ſummè haberet tendere in illud, quantum eſt ex ſe, & illud tendere impediret actum rationis, quia adhuc eſſent iſtæ potentiæ in eadem eſſentia ſicut modò: propter quam vnitatem impediunt ſe mutuò in actibus ſuis intenſis, ſecundùm Auicennam 6. Naturalium: ergo deberet conari ratio ad impediendum iſtam delectationem ſummam partis ſenſitiuæ, & non poſſet inferior potentia cohiberi ſine aliqua triſtitia, & difficultate in ipſa exiſtente: quia ſicut ipſa ſummè inclinatur ad hoc, ita ex parte ſui ſummè renititur ad oppoſitum: igitur ibi eſſet rebellio, quia inclinatio potentiæ inferioris ad delectandum contra iudicium rationis, & difficultas in refrænando illum appetitum.

In puris naturalibus an foret rebellio partis inferioris contra rationem. 1. Ethic.

COMMENTARIVS.

2. *Iuſtitia originalis dicit quandam naturalem qualitatem ſecundùm Henricum.*

b *Hic dicitur quòd præter iſtam*, &c. Proponit hîc ſententiam Henrici *quodl. 6. q. 11.* quæ conſiſtit in hoc quòd iuſtitia originalis, quam habuere primi parentes, mediante qua voluntas facilè ſibi ſubdere poterat potentias inferiores, quarum rebellio iam nobis pro hoc miſero peccati ſtatu ſatis moleſtum faceſſit negotium, præter habitus quoſcunque infuſos & virtutes acquiſitas includebat quandam qualitatem naturalem, quâ rectificabatur voluntas, & cui opponitur alia qualitas, quâ poſt peccatum affecta eſt, & redditur curua, ac conſequenter impotens dominari potentiis inferioribus, quas vt poterat voluntas recta, hoc eſt, affecta illa bona qualitate, ita non poteſt curua, hoc eſt, affecta qualitate oppoſita, ſibi integrè ſubiicere. Fundamentum huius ſententiæ potiſsimum videtur, quòd peccatum communiter, præſertim originale, dicatur non ſolùm ſpoliare gratuitis, ſed vulnerare in naturalibus; ſed niſi tolleret aliquam qualitatem naturalem ab homine non videtur quomodo id poſſet eſſe verum: ergo tollit aliquam talem: ſed nullam potiùs quàm illam qualitatem rectificantem, cui opponitur qualitas curuificans: ergo in iuſtitia originali includebatur talis qualitas. Confirmatur, quia oportet ponere aliquam differentiam in homine pro ſtatu naturæ puræ, & pro ſtatu naturæ lapſæ; ſed ſi in ſtatu naturæ lapſæ homo non eſſet priuatus, niſi donis gratuitis, quandoquidem homo pro ſtatu naturæ puræ non afficeretur vllis donis gratuitis; aliàs enim non eſſet in ſtatu naturæ puræ, ſequitur non eſſe aliam differentiam inter hominem conſtitutum in ſtatu naturæ puræ, & in ſtatu naturæ lapſæ.

Huius fundamentum.

3. *Impugnatio 1. Doctoris.*

c *Contra iſtud obiicitur*, &c. Impugnat Doctor hanc ſententiam pluribus rationibus. Primò quidem, quia ſi eſt neceſſarium quòd per peccatum tollatur aliqua qualitas naturalis rectificans, vt ſupponitur in diſcurſa Henrici, nimirùm ad hoc vt ſit differentia inter hominem peccatorem, & hominem conſtitutum in puris naturalibus; ſi, inquam, hoc eſt neceſſarium, ſequeretur quòd voluntas non poſſet peccare niſi haberet illam qualitatem rectificantem; ſed hoc eſt abſurdum; tum, quia voluntas ex ſe eſt libera ad conformandum ſe rectæ rationi, & ad non conformandum; tum, quia de facto peccat in ſtatu peccati conſtituta ſine illa rectitudine: ergo non eſt neceſſarium vt tollatur per peccatum talis qualitas rectificans. Confirmatur quia ſi crearetur homo abſque qualitate illa vel rectificante, vel curuificante, vt benè poſſet, quandoquidem ſecundùm Henricum ſint diſtinctæ realiter ab homine, nec eſt vlla ratio cur alterutram neceſſariò debeat habere, aut cur non poſſet carere vtraque. In tali caſu poſſet dubio ſine homo ſuperiori iubenti aliquid non obedire, & conſequenter peccare: ſi enim potuit non obedire affectus illa qualitate rectificante, & aliis donis naturalibus, & ſupernaturalibus, multò magis poſſet non obedire cùm eſſet priuatus illis; nec enim illa compellebant ad non obediendum, ſed potiùs iuuabant ad obediendum: ſed in tali caſu non eſſet priuatus per peccatum rectitudine illa naturali; & tamen eſſet in ſtatu peccati, & in ſtatu diſtincto hominis conſtituti in puris naturalibus: ergo vt ſaluetur diſtinctio inter ſtatum hominis in puris naturalibus conſtituti, & hominis exiſtentis in ſtatu peccati, non eſt neceſſe vt tollatur ab homine per peccatum aliqua qualitas rectificans.

Voluntas poteſt peccare ſine qualitate rectificante.

4. *Impugnatio 2.*

Impugnat ſecundò Doctor prædictam ſententiam, quatenus videtur ſupponere quòd voluntas non poſſit dominari abſque qualitate illa rectificante; quia cùm ipſa voluntas ſit ſuperior potentia, naturaliter loquendo, ad potentias inferiores, habeátque illas aliquo modo ſubordinatas ex natura ſua, videtur quòd ex ſe æquè poſſet dominari illis ac per vllam qualitatem naturalem ſuperadditam: ergo fruſtrà afferitur illa qualitas ſuperaddita in ordine ad dominandum inferioribus potentiis. Confirmatur hoc efficaciter, quia quæcunque vis tribuitur qualitati cuicunque naturali ſuperadditæ potentiæ volitiuæ, quæ qualitas non ſit habitus acquiſibilis per actus, illa eadem virtus poteſt attribui ipſi voluntati ſine vlla inconuenientia: ergo fruſtrà & inutiliter fingitur illa qualitas rectificans ſuperaddita voluntati, quæ per peccatum tolleretur, & non eſſet habitus aut actus aliquis.

Quidquid poſſet voluntas per qualitatem rectificantem Henrici, poſſet ſeipſa.

Impugnatio 3.

Impugnat tertiò, quia poſſet cognoſci naturaliter hunc ſtatum, in quo ſentimus rebellionem potentiarum inferiorum, non eſſe nobis naturalem: ſed hoc eſt falſum quandoquidem doctiſſimi

Philoſophi

Status præſentis non eſt per rationem cognoſci eſſe in pœnam peccati.

Philoſophi tantum ſtudij ponentes in indagatione conditionis humanæ, nunquam peruenerunt ad hanc cognitionem, vt exiſtimarent hunc ſtatum non eſse homini naturalem: ergo falſa eſt illa ſententia Henrici, ex quo id ſequeretur. Probatur ſequela, quia ſi rebellio eſt propter ablationem qualitatis rectificantis, vt ait Henricus: ergo quandoquidem ſentiamus rebellionem, poſſumus colligere ablatam nobis eſſe qualitatem illam rectificantem, & conſequenter hanc rebellionem non eſſe naturæ noſtræ ex ſe connaturalem. Confirmatur hæc probatio ſeu impugnatio; quia non eſt vlla authoritas, quæ ſuadeat hanc rebellionem eſſe ex ablatione qualitatis rectificantis naturaliter pertinentis ad naturam humanam: ergo ſola ratione poteſt cognoſci quòd ita ſit; ſed qua ratione poteſt cognoſci quòd rebellio fiat per ablationem qualitatis naturalis, poterit ſine dubio cognoſci quòd ſtatus, in quo ſentitur rebellio, non ſit ſtatus connaturalis hominis, vt manifeſtũ eſt.

Impugnatio 4.

Impugnat quartò, ſeu potiùs confirmat primam impugnationem, quia ſi neceſſariò deberet qualitas rectificans tolli per primum peccatum, etiam deberet tolli per ſecundum peccatum: ſed hoc eſt falſum, quia non poteſt tolli per ſecundum, quod non exiſtit tollendum, vt patet: ergo non debet neceſſariò tolli per primum. Confirmatur, quia quemadmodum poteſt committi ſecundum peccatum, quia tollatur aliqua qualitas rectificans; & quemadmodum poteſt eſſe differentiam in ſtatu hominis qui commiſit duo peccata, à ſtatu hominis qui commiſit vnicum tantùm peccatum; ita poſſit committi primum peccatum, & eſſe differentia in ſtatu illud committentis, à ſtatu non committentis vllum peccatum, quamuis nulla qualitas rectificans tolleretur: ergo nec ad commiſſionem peccati, nec ad ponendam differentiam inter peccatorem, & non peccatorem, neceſſarium eſt ponere ablationem qualitatis rectificantis.

Poſſet eſſe differentia inter hominem peccantem & non peccantem abſque ablatione vllius qualitatis.

Impugnatio 5.

Impugnat denique quintò, quia rebellio talis, qualem ſentimus iam, haberetur in ſtatu naturæ puræ, vbi nullum ſupponeretur commiſſum eſſe peccatum: ergo non oritur ex aliqua qualitate inducta per peccatum. Conſequentia eſt extra controuerſiam. Probat Antecedens, oſtendendo in quonam conſiſtat iſta rebellio, quæ in hoc præciſè ſita videtur, quòd potentia ſenſitiua feratur ex ſe quantum poteſt, cùm ſit potentia naturaliter agens in obiectum ſuum delectabile; & ſi quando impeditur à ratione, vel à voluntate ſequente rationis ductum, præſcribentis non eſſe proſequendum hîc & nunc iſtud obiectum delectabile, aut eſſe proſequendum obiectum triſtabile, à quo ex natura ſua refugit ſenſus; hinc fit vt afficiatur triſtitia, dolore, aut ægritudine potentia ſenſitiua. In hac ergo difficultate, quam ob hoc habet appetitus ſenſitiuus in reliquendo bono ſuo delectabili, aut amplectendo obiecto triſtabili, conſiſtere videtur rebellio partis ſenſitiuæ: ſed in ſtatu naturæ puræ omnino appetitus ſenſitiuus haberet talem naturam, qualem iam habet: ergo haberet talem difficultatem in relinquendo obiecto delectabili, & amplectendo triſtabili; & conſequenter in illo ſtatu haberetur rebellio partis ſenſitiuæ contra voluntatem & rationem. Confirmatur hoc, quia vel eſſet rebellio in ſtatu naturæ puræ, vel non eſſet; ſi eſſet, ergo rebellio non habetur à qualitate ſuperaddita naturæ, & inducta per peccatum, vt aſſerit Henricus: ſi non eſſet; ergo poſſet voluntas dominari facilè potentiis inferioribus, & conſequenter falſum eſt quod aſſerit Henricus, iuſtitiam originalem includere qualitatem aliquam ſuperadditam voluntati, per quam poſſet denominari facilè potentiis inferioribus, quandoquidem poſſet ſic dominari abſque tali qualitate, vt faceret in ſtatu naturæ puræ. Fundamentum Henrici inferiùs ſoluetur ad vltimum ſcholium.

Impugnatio 5.

Daretur rebellio in ſtatu naturæ puræ. In quo conſiſtit rebellio.

SCHOLIVM.

Ad effectum tranquillitatis inter potentias animæ, qui tribuitur iuſtitiæ originis, oportet ponere donum aliquod in voluntate, quo faciliter ſe retraheret à delectabilibus appetitus: item alia dona in appetitibus inferioribus, quibus delectabiliter mouerentur à voluntate iuxta rectam rationem, etiam quando ſua delectabilia deſererent.

Quare voluntas non poteſt retrahere appetitum à ſuo delectabili ſine difficultate.

POteſt dici ergo [d] quòd ſi originalis iuſtitia habuit illum effectum, facere ſcilicet perfectam tranquillitatem in anima, quantùm ad omnes potentias; ita quòd natura inferior non inclinaretur contra iudicium ſuperioris: aut ſi inclinaretur quantùm eſt ex ſe, poſſet tamen à ſuperiori regulari, & ordinari ſine difficultate ſuperioris, & ſine triſtitia inferioris: cum hoc non habu erit potentia facta in puris naturalibus, neceſſe eſt ipſam po nere donum ſupernaturale, quo ſit iſta tranquilitas perfecta in anima. 4.

Reſolutio quæſtionis.

Ex hoc poteſt formari ſecunda ratio. Voluntas enim coniuncta appetitui ſenſitiuo, nata eſt condelectari ſibi: ſicut intellectus coniunctus ſenſui, natus eſt intelligere ſenſibilia: & ſi talis voluntas multis appetitibus ſenſitiuis coniungitur, nata eſt condelectari illis omnibus: & ita non tantùm illum appetitum non poteſt retrahere ſuo delectabili, ſine aliqua contraria inclinatione ex parte iſtius appetitus, & difficultate. Sed nec etiam ſeipſum videtur poſſe retrahere ſine difficultate, à condelectando illi appetitui: ad hoc igitur vt ſe delectabiliter retrahat, oportet eam in aliud ferri ſibi delectabilius, quàm ſit illud delectabile appetitus inferioris, cui condelectaretur. Si hoc non eſſet, igitur ad hoc quòd voluntas poſſit ſe retrahere delectabiliter ab omni delectatione inordinata, cum aliqua vi inferiori, oportuit aliquid ex ſe ipſi voluntati

luntati eſſe delectabilius, quàm aliquod delectabile alicuius vis inferioris: & cùm nihil ſit tale ex parte ipſius voluntaris, oportet aliquid fuiſſe in voluntate ſupernaturale, quo fieret ſibi finis delectabilior, quàm aliquod delectabile alicuius appetitus ſenſitiui, propter quàm rationem, delectabilius ſe retraheret à condelectando appetitui ſenſitiuo quàm recedendo ab illo delectabili, ſcilicet fine. Si igitur in primo homine fuit ille effectus, ſcilicet perfecta tranquillitas, & erit effectus originalis iuſtitiæ; illa iuſtitia fuit donum ſupernaturale: quia fecit Deum delectabiliorem voluntari, quàm aliquod appetibile ſenſibile: quod non potuit eſſe ex aliquo dono naturali ipſius voluntatis.

Iuſtitia originalis fuit donũ ſupernaturale.

Sed nunquid ex hoc [e] tollitur omnis rebellio, vt potentia inferior delectabiliter ſe retrahat à ſuo delectabili proprio? Reſpondeo, ſi voluntas abſtinet delectabiliter, à condelectando potentiæ inferiori, totus homo delectabiliter abſtinet à delectabili appetitus ſenſitiui inferioris: non autem totus homo cum triſtitia abſtinet, ſi vis illa inferior abſtinet cum triſtitia: hoc enim conuenit homini ſimpliciter, quod ei conuenit ſecundùm potentiam ſuperiorem: nec propter hoc ab eo negatur, etſi non conueniat ei ſecundùm potentiam inferiorem.

5. Quòd ſi dicatur, quòd ipſa potentia inferior ex parte ſui delectabiliter obediat rationi, tunc videtur quòd oporteat aliquid ponere in potentia inferiori, quo ſic delectabiliter feratur in delectabile voluntatis. Non enim videtur quòd ex natura illius potentiæ eſſet, delectabiliter auelli à ſuo delectabili: nec etiam erat ex natura ſua, inquantùm eſt inferior voluntate, delectabiliter, auelli à ſuo delectabili, ab ipſa voluntate, quia iſte ordo eſſentialis manet nunc: & tamen nunc non eſt talis delectatio: oporteret enim ponere in ſingulis potentiis appetitiuis inferioribus, ſingula dona, ita quòd quælibet per ſuum donum delectabiliter moueretur à voluntate, & ipſa voluntas per donum ſuum delectabiliter moueret ſe ad potentias inferiores, & ſi eſſent talia plura dona, potiſſimùm tamen fuit iuſtitia originalis, quæ fuit in voluntate.

In potentiis inferioribus in ſtatu innocentiæ ſua dona ineſſent, vt perfectè & ſine dolore obedirent voluntati.

Per illud enim donum, voluntas quaſdam delectationes appetitus ſenſitiui præueniſſet, nec vnquam illæ ineſſent, puta adulterandi cum puella aliena, quaſdam imperaſſet, & benè eis fuiſſet vſus homo, puta cognoſcendi ſuam, obediendo præcepto diuino, illi ſcilicet, *Creſcite, & multiplicamini*, &c. ita quòd iſtas delectationes licitas, quandoque habendas pro tunc, quando infuiſſent: non habuiſſet voluntas pro fine, ſed ad finem debitum retuliſſet. A quibuſdam etiam delectabilibus licitis, quandoque habendis, quandoque auertiſſet: ſicut ab illa delectatione, quæ non erat habenda, niſi pro tempore, & quodcunque iſtorum, ſiue præuenire, ſiue benè vti habitis, ſiue auertere ab habendis delectabilibus, voluntas delectabiliter faceret, per donum illud ſupernaturale, quo delectabilius fuit ſibi fini vltimo inhærere, & omnibus ordinatis ad illum, quàm ab illo ſeparari inhærendo alicui delectabili, non ordinato ad iſtum finem.

Gen. 1.

Iſta omnia ex puris naturalibus ſuis non potuit habere, & ſi ex ſe haberet aliquod donum cui hæc omnia conuenirent, nec propter hoc eſſet delectata: licèt totus homo delectaretur, cuius iſta erat principalis potentia delectandi. Nec fortè neceſſe eſt ponere, quòd nullus ſenſitiuus appetitus potuit tunc triſtari: potuit enim viſus tunc videre turpe viſibile, & auditus audire turpe audibile, & vtrumque potuit offendere appetitum ſenſitiuum, ſicut & conueniens ſenſibile delectare. Sed voluntas tunc benè vſa fuiſſet iſtis triſtitiis, & delectabiliter, appetituum inferiorum, ita quòd non contriſtata fuiſſet immoderatè ab appetitibus inferioribus: ſicut benè vſa fuiſſet delectabilibus eorum, non immoderatè delectando.

In innocentia appetitus inferior fortè triſtaretur quandoque.

De alio effectu, [f] qui attribuitur originali iuſtitiæ, ſcilicet immortalitatè, non oportet arguere, quia iſta immortalitas, vt dictum fuit *dist.* 19. non fuit impoſſibilitas moriendi etiam ſtante iſto ſtatu: ſed poſſibilitas non moriendi, quæ poſſibilitas conſeruata fuiſſet in actu non moriendi per multa adiutoria, quæ dicta ſunt ibi: puta per eſum ligni vitæ per cuſtodiam Angelorum, per protectionem diuinam, & bonum regimen intrinſecum, & cætera ibi dicta.

Qualis fuit immortalitas primi ſtatus.

6. Ad primum argumentum dico, [g] quòd neutrum iſtorum ex puris naturalibus poteſt haberi. Cùm probatur, quia oppoſita iſtorum ſunt pœnæ. Dico quòd non; ſed conditiones naturales: ſicut non eſt pœna boui mori, ſed naturale, & quòd appetitus eius feratur in ſuum delectabile. Ex quo enim homo compoſitus eſt multis partibus organicis, & ita ſunt in eo multi appetitus, naturale eſt quemlibet ferri in ſuum delectabile,

Ad arg. 1. Rebellio potentiarũ & mortalitas eſſet in puris naturalibus.

delectabile,& etiam ipſum corpus conſumi poteſt, niſi ſint remedia, quæ ſuppleant abundanter ne conſumptio iſta vinçat.

Contra iſtud,quia iſta fuiſſent paſſiones inuoluntariæ, ergo & pœnæ. Reſpondeo & dico, quòd licèt inuoluntariæ voluntate naturali, non tamen pœnæ, nam contra inclinationem naturalem bouis eſt mori, & tamen illa non eſt ſibi pœna. Si autem dicas inuoluntarium, quia contra actum voluntatis: Dico, quòd non fuiſſet pœna inuoluntaria voluntati exiſtenti in puris naturalibus, ſi enim ipſa voluiſſet naturam ſuam habuiſſe conditionem ſupernaturalem,peccaſſet.

Ad 2. Ad ſecundum dico,quòd iſta rectitudo naturalis,eſt libertas innata ipſi voluntati, in qua neceſſarium eſt voluntatem fieri à Deo, nec illa per peccatum corrumpitur. Et ita iuſtitia originalis ſi ponatur rectitudo naturalisvoluntatis,erit ipſa libertas eius, ſed iſta non habet illos effectus qui attribuuntur iuſtitiæ originali: quòd ſi iſti effectus attribuantur vni qualitati mediæ inter naturam,& virtutem infuſam, illam qualitatem mediam non eſt neceſſe ponere, quia quæcunque apparent inconuenientia de voluntate,ſaluabuntur ſine ea.

Ad 3. Sunt iſti ſicut nudus natus, & nudus ſpoliatus. Ad tertium dico, quòd exiſtens in puris naturalibus,non eſt æqualis ei,qui peccauit exiſtens in iuſtitia, non quia iſte habeat aliquam curuitatem, quam ille non habet:ſed quia iſte debitor eſt iuſtitiæ originalis, quam accepit, ille non: ideò iſte eſt reus,& ille non. Et ſi neutri conferatur viſio Dei,vni tamen eſt carentia viſionis,pœna, alij non eſt. Reus enim priuatur ea propter reatum peccati: alter verò priuatur ex conditione naturæ.

COMMENTARIVS.

6. b POteſt dici ergo,&c. Refutatâ Henrici ſententiâ, proponit ſuam, non tam aſſertiuè, quàm probabiliter, & cum aliqua incertitudine, vt patet ex verbis illis *Poteſt dici*, quibus ſolet vti, quando non habet reſolutionem pro certo. Vt autem intelligatur mens eius melius, aduertendum eſt plures eſſe ſententias de iuſtitia originali. Prima eſt Soti *lib. 1. de natura & gratia cap. 5.* Valent.& Zumel *1. par. q.95.* qui exiſtimant iuſtitiam originalem eſſe ipſammet gratiam ſanctificantem, cum maiori tamen virtute quàm nunc habet. Ad hanc ſuam ſententiam trahunt S.Thomam *ibid.& q.97.*

Plures ſententiæ de Iuſtitia originali.

Secnnda ſententia eſt Durandi *2.d.20 quæſt.5.* D.Bonauenturæ *d. 29. art.2. q.2.* Alenſis *2. par. q.90.*& Caietani *1. par. q. 95.* conformiter explicantis S.Thomam;qui putant iuſtitiam originalem eſſe quid diſtinctum à charitate.

Tertia ſententia eſt Auerſæ *q. 75.* & aliorum, qui tenent iuſtitiam originalem non eſſe nec charitatem, nec quid vnum diſtinctum à charitate,ſed aggregatum ex charitate & aliis perfectionibus collatis primo homini.

Iuſtitia originalis non eſt gratia ſanctificans. Ego exiſtimo hanc controuerſiam eſſe de nomine, & totaliter dependere ab eo quod authores intelligunt per iuſtitiam originalem. Prima tamen ſententia cæteris videtur improbabilior, quia nemo dicit homines vllos pro hoc ſtatu peccati conſequi iuſtitiam originalem, & tamen plurimi conſequuntur gratiam ſanctificantem:ergo gratia ſanctificans non poteſt ſe ſola vocari iuſtitia originalis; poteſt quidem vocari iuſtitia, qua fideles iuſti formaliter redduntur, ſed aliud eſt vocari iuſtitiam, aliud vocari iuſtitiam originalem.

Nec valet dicere cum aduerſariis quòd gratia ſanctificans non ſit iuſtitia originalis, quomodocunque conſiderata, ſed quatenus habet maiorem virtutem & vigorem quàm nunc habet.

Quæro enim à quo habet illam maiorem virtutem?vel à ſe enim habet illam, & ſua intenſione, vel ab aliquo alio ſuperaddito: ſi primum dicatur, Contra eſt quòd multi ſine dubio habuere gratiam ſanctificantem pro hoc ſtatu in maiori intenſione, quàm fortè Adamus habuit pro ſtatu innocentiæ, aut ſaltem quam haberent plurimi alij ex illis, qui eſſent in ſtatu innocentiæ,ſi perſeueraret: ergo non poteſt dici quòd gratia ſanctificans ſit iuſtitia originalis,quatenus maiorem haberet virtutem, quàm modò habet. Si verò dicatur quòd gratia ſanctificans habeat maiorem illam virtutem ab extrinſeco, nimirum ex conſortio aliorum donorum,aut perfectorum; hoc eſt quod intendunt authores tertiæ ſententiæ,nimirùm quòd gratia ſanctificans requiratur quidem,ſed non ſufficiat ad iuſtitiam originalem.

Gratia ſanctificans multorum pro hoc ſtatu eſt intenſior quam aliquorum pro ſtatu innocentiæ.

7. Inter alias duas ſententias eſt mera quæſtio de nomine; nam qui dicunt iuſtitiam originalem eſſe diſtinctam à charitate, intelligunt per illam iuſtitiam,eam perfectionem, qua totaliter rebellio partis inferioris cum ſuperiore, fitque vt homo facilè poſſit proſequi bonum rationis ſine difficultate magna & renitentia partis ſenſitiuæ: & huiuſmodi donum admittit Auerſa diſtinctum à charitate. Qui verò dicunt iuſtitiam originalem includere charitatem & alia dona, intelligunt per iuſtitiam originalem omnes perfectiones collatas primo homini, quibus præſertim iuuabatur ad benè operandum. Inter has autem perfectiones nemo dubitat charitatem & gratiam ſanctificantem eſſe præcipuam:ergo à principio ad finem non poteſt eſſe hîc aliud quàm quæſtio de nomine, in qua quis, quam voluerit partem,facilè poterit defendere.

2. & 3. ſententia contenduns de nomine.

Vnde in hoc nõ conſiſtit difficultas quæſtionis propoſitæ,ſed in alio:An ſcilicet primi parentes, quibus conceſſa eſt iuſtitia originalis, habuerint in ſe aliquam qualitatem diſtinctam à virtutibus per ſe,& per accidens infuſis, quibus tolleretur rebellio partis ſenſitiuæ quam modò ſentimus. Supponitur autem in hac difficulate quòd primi parentes catuerint illa rebellione,idque colligitur primò

Punctũ difficultatis.

Primi homines caruerũt rebellione.

ex illo Eccleſiaſt. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Secundò ex Apoſtolo ad Romanos 7. aſcribente repugnantiam carnis contra ſpiritum, & concupiſcentiæ contra rationem, peccato, tanquam cauſæ. Tertiò à poſteriori, quia Adam & Eua ante peccatum erant nudi, & non erubeſcebant, ſed poſt peccatum cognoſcebant ſe nudos, & ſtatim ſe cooperiebant, propter motus ſcilicet inordinatos, quos tum ſentiebant, à quibus antè erant immunes. Quartò, authoritate Auguſtini, & aliorum Patrum, qui vbique concupiſcentiam ponunt tanquam effectum peccati originalis. Quæ doctrina eſt etiam multorum Conciliorum, & ſpeciatim Conc. Tridentini *Seſſ. 5.* in decreto de peccato originali: vbi dicit concupiſcentiam vocari quidem peccatum, non quia verè & propriè peccatum ſit, *ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.*

8. Hoc ergo ſuppoſito, difficultas principalis, & propria huius quæſtionis eſt, An iuſtitia originalis, quantùm ad hunc effectum, comprimendo hanc rebellionem, conſiſtat in gratia ſanctificante, aliiſque connexis virtutibus, quæ collatæ ſunt primis parentibus? An in alia aliqua qualitate intrinſeca ſuperaddita illis? An verò in externa Dei protectione ac fauore, non permittentis tales motus inſurgere. Vnde quando Scotus, aut alij authores examinantes hanc difficultatem dicunt iuſtitiam originalem conſiſtere in aliquo diſtincto à gratia ſanctificante, loquuntur ſine dubio de iuſtitia originali, non ſecundùm totum ſuum effectum, ſed ſecundùm hunc particularem effectum tollendi rebellionem carnis & fomitem. Et ſic conciliari poſſunt duæ prædictæ ſententiæ, ita ſcilicet, vt illa, quæ ſtatuit iuſtitiam originalem in aggregato ex omnibus perfectionibus primo parenti collatis, intelligatur de iuſtitia originali quoad effectum ſuum adæquatum: altera verò ſententia ponens iuſtitiam in aliquo diſtincto à gratia ſanctificante intelligatur de iuſtitia originali quoad prædictum effectum particularem eius: quo ſenſu, ſi intelligantur, nullo modo diſcõueniunt, aut cõtrariãtur ſibi inuicẽ, vt patet.

Diuerſa ſententia de modo quo comprimetur rebellio in ſtatu innocentiæ.

Quantùm autem ad difficultatem ipſam in ſe, Suarez lib. 3. de homine, putat illam ſedationem rebellionis & ſubiectionem partis ſenſitiuæ ad rationem, ortam fuiſſe ex manutenentia & protectione externa Dei, & virtutibus moralibus ac ſupernaturalibus. Durandus verò & alij in hac diſtinctione, quos ſequitur Molina *diſp. 27. de opere ſex dierum*, Auerſa *quæſt. 75. ſect. 4.* & alij putant ortam fuiſſe ex qualitate aliqua intrinſeca diſtincta à virtutibus. Quæ etiam ſententia videtur eſſe Scoti *hîc.* Qui quidem imprimis conſiderat optimè duo potiſſimùm reperiri in hac ſubiectione, ſeu ex ea potiùs duo oriri, vnum quòd potentia ſuperior rationalis, nempe voluntas, ſine difficultate poſſit ſequi rationẽ, reſpuendo obiecta delectabilia potentiis inferioribus; alterum, quòd potentia etiam inferior ſine difficultate conformetur imperio potentiæ ſuperioris, ita ſcilicet vt quando voluntas imperat appetitui non moueri ad tale obiectum ſibi delectabile, appetitus ſine difficultate, aut triſtitia acquieſcat. Hi autem duo effectus prouenientes ex prædicta ſubiectione ſatis apparent eſſe diſtincti, quia benè poſſet contingere quòd voluntas delectabiliter proſequeretur ductum rationis, reiecta delectatione ſenſus, quamuis ipſe ſenſus doleret ſe priuari ſuo delectabili.

Duo oriũtur ex ſubiectione partis inferioris ad ſuperiorem.

9. Hoc prænotato, Doctor docet ſubiectione partis ſenſitiuæ ad rationem, neceſſariò aſcribendam eſſe dono Dei ſupernaturali, quia non eſſet in puris naturalibus. Quòd autem non eſſet talis ſubiecto, in puris naturalibus, & ſimul etiam quòd iſta ſubiectio ſit aſcribenda particulari dono Dei probat; quia voluntas coniuncta appetitui ſenſitiuo cõnaturaliter nata eſt, & condolere eius doloribus, & etiam condelectari eius delectationibus, vnde ex ſe non videtur poſſe retrahere illum appetitum à ſuo obiecto delectabili abſque propria difficultate ipſiuſmet voluntatis, cui non poteſt non eſſe difficile priuare ſe illa delectatione, quam ſentit, dum condelectatur appetitui ſenſitiuo: ex quo patet duas hîc occurrere difficultates, vnam ex parte appetitus, alteram ex parte voluntatis, ſicut dum proponitur obiectum delectabile appetitui, interueniunt duæ delectationes, vna ex parte appetitus, altera ex parte voluntatis condelectantis appetitui: ergo, niſi conferretur aliquod donum particulare, maneret naturaliter loquendo iſta rebellio ob naturam ipſarummet potentiarum.

Rebellio tollitur ſupernaturaliter tantùm. Eſſet in ſtatu naturæ pura.

Donũ tollens rebellionem eſt quo redditur Deus delectabilior voluntati quã vllum obiectum delectabile.

Vlteriùs deſcendit ad naturã iſtius doni particulariùs declarandã, & dicit eſſe tale donũ, quo aliquod aliud obiectum redderetur delectabilius multò voluntati, quàm eſſet ipſi delectabile obiectum appetitus ſenſitiui; & quia nihil aliud videtur eſſe poſſe cuius delectabilitas maior traheret voluntatem ad recedẽdum delectabiliter ab omni obiecto delectabili appetitus ſenſitiui, niſi vltimus finis, hoc eſt ipſemet Deus, concludit illud donum, quod reddebat voluntatem facilem & promptam ad non proſequenda bona ſenſuum inferiorum, niſi prout recta ratio dictat illa proſequenda, eſſe donum aliquod quod reddebat Deum delectabiliorem voluntati, quàm vlla bona alia ſenſitiua.

10. Hæc autem doctrina quamuis pulchra, nõ caret tamen ſua difficultate, vt vel in hoc etiã verum ſit illud vulgare: *Difficilia quæ pulchra.* Potiſſima autem difficultas eſt, quòd hinc videatur ſequi illud donum, quod conferebat hunc effectum voluntati, non eſſe diſtinctum à charitate & ſpe; nam hæ virtutes cum ſuis actibus ſunt illæ, quæ natæ ſunt reddere Deum delectabilem voluntati; ab iis autem virtutibus, quibus redditur obiectum aliquod delectabile ſecundùm ſuam ſpeciem, idem redditur delectabilius, ſi augeantur & remoueantur impedimenta: ergo nullum aliud donum diſtinctum ab his virtutibus confert prædictum effectum iuſtitiæ originalis voluntati. Sed hæc omnino videtur eſſe cõtra principia ipſiuſmet Doctoris in hac ipſa quæſtione inferiùs *n.* 7. vbi clariſſimè videtur diſtinguere charitatẽ, ſeu gratiam ab hoc dono. Poſſet ad hoc tamen dici quòd Doctor *in illõ n.* 7. nõ diſtinguat hoc donum à charitate ſupernaturali, ſed à gratia, quæ, ſecundùm Thomiſtas diſtinguitur realiter à charitate; & licèt ſecundùm Scotum gratia & charitas non diſtinguantur realiter; ita vt ſint duæ formæ poſitiuæ, quarum vna ſit gratia, & altera charitas, tamen ſine dubio gratia formaliter conſiderata, vt habet denominationem gratiæ, diſtinguitur realiter à charitate, quia vt ſic formaliter dicit acceptationem diuinam in ipſius ſententia: poteſt ergo ſic intelligi, vt velit donum illud ſupernaturale, quo facilitatur

Explicatur quo ſenſu Doctor dicat Iuſtitiam originalẽ diſtingui à gratia.

voluntas ad comprimendos & impediendos motus quoſcunque inordinatos potentiarum inferiorum, ſit quidem diſtinctum quid, etiam realiter, à gratia formaliter, vt habet *eſſe* gratiæ, conſiderata, cum quo ſtat quòd non diſtinguatur realiter à charitate. Poſſet etiam intelligi quòd ſolùm velit illud donum diſtingui formaliter à gratia, ita ſcilicet vt eadem forma, quatenus conſideratur ſub ratione gratiæ, habet eſſe principium conſtitutiuum filij adoptiui & fundamentum meriti; quatenus verò conſideratur vt principium ſedandæ rebellionis, habet rationem iuſtitiæ originalis, non quidem ſecundùm omnem effectum iuſtitiæ originali attributum, ſed præcisè ſecundùm quòd facilitat voluntatem ad cohibendos & impediendos motus potentiarum inferiorum, & ad proſequendum vltimum finem delectabiliter, ſeu bonum rationis & virtutis.

11. *Donum tollens rebellionem quantùm eſt ex parte voluntatis eſt aggregatum ex virtutibus intellectualibus.*

Quantùm ad rem ipſam attinet, exiſtimo donum illud quod adæquatè facilitabat voluntatem ad proſequendum faciliter bonum honeſtum rationis, & moderandos affectus concupiſcentiæ, conſiſtere in aggregato ex omnibus virtutibus moralibus pertinentibus ad voluntatem & intellectum, nec fuiſſe aliquòd vnum donum, quod tribuit hunc effectum voluntati, eo enim dato fruſtraneæ prorſus eſſent aliæ virtutes. Nec etiam improbabile eſt, quòd iſta facilitas partium oriebatur ex bona complexione hominum (quamuis hæc etiam eſſet ex gratia Dei) & partim etiam ex aſſiſtentia extrinſeca Dei; quamuis ipſamet collectio virtutum omnium in gradu perfecto videatur ſufficere: quia ſi de facto aliqui pro hoc ſtatu acquirunt temperantiam in tali gradu, vt valde ſedatos habeant ſuos motus, idémque ſit de aliis virtutibus plurimis; omnino videtur quòd collectio omnium virtutum cum illa perfecta cognitione, quæ haberetur de virtutibus & vitiis pro illo ſtatu, ſufficere deberet ad omnes inordinatos affectus voluntatis penitus compeſcendos. Quod verò nullum aliud donum ſuperaddendum ſit naturæ ad hunc effectum, imprimis conforme valde videtur doctrinæ Scoti *in* 3. *diſt.* 36. vbi negat alias virtutes præter acquiſitas, & tres Theologicas. Et deinde valde difficile eſt concipere quomodo vllum donum poſſit iuuare voluntatem in ordine ad hunc effectum, niſi quod natum eſſet eſſe principium habituale alicuius actus, ſed tale principium non poteſt ſufficienter diſtingui à cæteris virtutibus: ergo non eſt aſſerendum aliquod tale donum. Hinc autem ſequitur quòd ſuprà indeciſum reliquimus, *diſt.* 20. *quæſt.* 3. *ad finem*, paruulis in ſtatu innocentiæ naſcituris infundendos fuiſſe habitus virtutum moralium, omnes præſertim quotquot erant neceſſarij ad comprimendum rebellionem, quæ, cùm effectus peccati ſit, non eſſet futura in illo ſtatu, vt patet.

Præter habitus nullo alio dono intrinſeco indigebat voluntas.

Paruulis infunderentur habitus virtutum pro ſtatu innocentiæ.

12. *Sine vllo dono ex parte ſenſitiuæ partis homo operari poſſet facile.*

c *Sed nunquid ex hoc tollitur*, &c. Vt reſoluat Doctor an præter hoc donum quodcunque ſit, poſitum ex parte voluntatis, detur aliud donum ex parte appetitus ſenſitiui, notat primò, quamuis nullum aliud donum huiuſmodi poneretur, quod tamen poſſet dici ſimpliciter & abſque addito quòd totus homo delectabiliter operaretur, quia licèt à donis poſitis ex parte voluntatis præcisè non haberet ita operari delectabiliter, quin difficultatem in operando ſentirent potentiæ ſenſitiuæ; tamen ab illis donis haberetur talis facilitas operandi ex parte voluntatis, vt illa in nullo ſuo actu ſentiret difficultatem aut repugnantiam, & propterea totus homo ſimpliciter poſſet dici delectabiliter operari, denominatione deſumpta à delectabili modo operandi partis principalis ipſius, nimirum voluntatis. Vnde inferri poteſt, quòd ex auctoritatibus, quibus diceretur quòd homo non haberet difficultatem benè operandi in ſtatu innocentiæ, nec repugnantiam ad rationem, non poſſet colligi quin haberet difficultatem operandi ex parte potentiarum inferiorum, ſine tamen difficultate vlla voluntatis: & quia non poteſt aliunde quàm ex auctoritatibus cognoſci quomodo ſe res habuerit de facto, propterea Doctor nihil circa hoc reſoluit; ſed potiùs dubitare videtur.

13. *Infundebatur donum particulare parti ſenſitiuæ.*

Supponendo tamen quòd potentia, etiam inferior, delectabiliter operabatur ad præſcriptum rationis, ita vt ſine difficultate, aut triſtitia, & relinqueret obiectum ſibi valde gratum iubente ratione, & proſequeretur obiectum aliàs ſibiipſi ingratum, dicit veriſimile eſſe quòd non poterat ad hoc ſufficienter determinari, nec ex donis collatis voluntati, nec ex naturali ſubordinatione ſua ad voluntatem: vnde infert neceſſariò ponenda eſſe aliqua dona ex parte ipſarum potentiarum inferiorum, tot quidem ad minus, quot ſunt tales inferiores potentiæ.

In hac etiam conuenit cum Doctore Auerſâ *ſuprà*, ſed res mihi videtur eſſe valde difficilis; nam ſi loquamur de potentiis externis ſenſitiuis, non video quòd donum in ipſis intrinſecè poneretur, per quod determinari poſſent, cùm non ſint capaces habituum ſecundùm omnes, præter tale, vel tale temperamentum; nam ex diuerſa diſpoſitione temperamenti poſſet contingere, vt obiectum aliàs ingratum eſſet gratum, ſicut ex particulari infirmorum diſpoſitione, oritur quòd cibus dulcis appareat infirmo amarus: verum imprimis difficile eſt quòd idem temperamentum poſſit ſufficere, vt omnia obiecta potentiis illis occurrentia eodem modo placerent, aut diſplicerent; & ex alia parte, non videtur conueniens vt pro varietate obiectorum deberet ſemper complexio mutari. Quòd ſi diceretur Deum habiturum fuiſſe ſpecialem curam ne obiecta diſplicentia occurrerent; tum donum illis collatum extrinſecum eſſet, non intrinſecum.

Si verò loquamur de potentia ſenſitiua interna, ego non video alia dona intrinſeca in illa eſſe ponenda præter diſpoſitionem bonam corporis, & habitus virtutum moralium, quorum capacem eſſe potentiam illam, noſtra ſchola aſſerit cum Doctore 3. *diſt.* 33.

Sed quidquid ſit de hoc, de quo alterius mallem audire ſententiam, quàm meam proponere, admiſſo quòd darentur huiuſmodi plura dona in parte ſenſitiua, benè dicit Doctor illud donum, quod ſpectat ad voluntatem, principaliùs pertinere ad iuſtitiam originalem, quod certum eſt. Et addit per illud donum, ſiue vnum ſit, ſiue plura, voluntatem impedituram aliquas delectationes, ne vllo modo excitarentur in parte ſenſitiua, vt quæ ſunt de ſe malæ, alias non impedituram, ſed directuram in bonum finem, vt illas, quæ conſequuntur ad actus honeſtos, quos deberet homo exercere; alias denique reiecturam, quas quandoque poſſet habere licitè, ſi vellet, continentiæ & temperantiæ cauſa. Quamuis autem

autem iſta ſe gereret, hoc dono mediante, voluntas tamen iterum repetit non ſecuturum propterea, vt potentia ſenſitiua delectabiliter ſemper operaretur; quamuis poſſet dici quòd totus homo ſimpliciter dicendus eſſet delectabiliter ſemper operari. Deinde confirmat dubium à me ſuprà *n.* 12. propoſitum, dicens, fortè non eſſe neceſſe quin homo pro illo ſtatu pateretur difficultatem & triſtitiam in aliquibus operationibus potentiæ ſenſitiuæ, licèt ea difficultate & triſtitia voluntas benè vteretur.

Fortaſſis homo pro ſtatu innocentiæ aliquam diſplicentiam pateretur in parte ſenſitiua.

13. *In quo conſiſtit immortalitas ſtatus innocentiæ.*

f *De alio effectu qui tribuitur*, &c. Quia, vt dixi, Doctor non agit in præſenti quæſtione de iuſtitia originali ſecundùm omnes effectus ſuos, ſed præcisè quoad duos, nimirùm quoad tollendam rebellionem ſenſus, & quoad immortalitatem: & quia hactenus agebat de priori effectu, nunc breuiter ait iuxta ſuam reſolutionem ſuprà *diſt.* 19. immortalitatem ſtatus innocentiæ non fuiſſe impotentiam ad moriendum, ſed potiùs potentiam ad non moriendum, quam haberet homo, ſic vt nunquam actu moreretur; non ratione vllius vnius doni, ſed ratione multorum partim intrinſecorum, partim extrinſecorum. Cuius probatio ad eundem locum referenda eſt.

Vnde proueniret proximè?

14. *Primum argumentum principale.*

g *Ad primum argumentum*, &c. Reſpondet ad argumenta principalia. Primum argumentum erat ad probandum quòd non erat ponendum aliquod donum ſupernaturale ad conferendum effectus iuſtitiæ originalis, de quibus hîc agitur: quia oppoſiti effectus iſtis effectibus ſunt pœnæ peccati, nimirùm mortalitas & rebellio partis ſenſitiuæ ad rationem: ergo ſi poneretur natura in puris naturalibus abſque dono aliquo ſupernaturali & abſque peccato, non eſſent iſti effectus mortalitatis & rebellionis, & conſequenter haberetur immortalitas, & concordia partis ſenſitiuæ ad rationem: ergo propter illam immortalitatem & concordiam non eſt ponendum aliquod donum ſupernaturale, & conſequenter iuſtitia originalis, vt confert hos effectus immortalitatis & rebellionis, non dicit aliquod donum ſupernaturale.

Soluitur. Mori & pati rebellionem non eſſet pœna in ſtatu puræ naturæ.

Reſpondeo cum Doctore diſtinguendo antecedens, ſunt pœnæ de facto ſuppoſita collectione doni per quod excluderentur, quo dono priuabatur homo propter peccatum, concedo antecedens: abſolutè & ſimpliciter, aut conſiderata ipſa natura ſecundùm ſe præcisè abſque donis gratuitè ſuperadditis, nego Antecedens: vt ſic enim conſiderata natura eſſet conditio naturalis ipſius mori & pati illam rebellionem, non minùs quàm eſt conditio naturalis bouis mori, aut lapidis deſcendere deorſum.

15. Contra hoc vltimum inſtat Doctor pro aduerſariis: iſti effectus mortalitatis & rebellionis eſſent inuoluntarij in ſtatu puræ naturæ: ergo eſſent pœnæ. Reſpondet ſupponendo *inuoluntarium* poſſe capi dupliciter. Vno modo, quatenus tale dicitur quod eſt contra inclinationem naturalem, ſeu quod eſt violentum. Alio modo, quatenus tale dicitur, quod eſt contra inclinationem elicitam voluntatis, hoc eſt, contra nolitionem illius aut volitionem. Si in argumento accipiatur *inuoluntarium* primo modo, concedit Antecedens, & negat conſequentiam, & dat optimum exemplum de boue: & exemplificari poteſt etiam vlteriùs in lapide detento ſurſum, cui inuoluntarium eſt in hoc ſenſu eſſe ſurſum, cùm tamen id ſibi non ſit pœna, propriè loquendo, qualis non eſt capax lapis, ſicut nec culpæ, ad quam dicit ordinem pœna.

Inuoluntarium omne non eſt pœna.

Si verò in argumento capiatur *inuoluntarium* ſecundo modo, negat Antecedens, quia eo ipſo, quo nollet homo in puris naturalibus conſtitutus habere mortalitatem, aut rebellionem, quæ ſunt conditiones naturales ſuæ naturæ, peccaret, & conſequenter non eſſet in ſtatu puræ naturæ, hoc eſt, in ſtatu medio inter gratiam & peccatum: quod quidem eſt euidens loquendo de nolitione efficaci. Quòd ſi etiam ſupponeretur poſſe hominem in pura natura conſtitutum nolle efficaciter etiam mortalitatem, aut rebellionem abſque peccato, tum concedendum eſſet Antecedens, & neganda conſequentia: nec enim eſt neceſſarium vt ſit pœna formaliter alicui omne illud quod efficaciter nollet ſibi accidere.

16. *Secundum argumentum principale.*

Secundum argumentum eſt: Voluntas in puris naturalibus eſt recta, non enim videtur aliqua curuitas pertinere ad naturam eius, quia talis refunderetur in Deum qui eſt author eius: ergo ſi abſque aliquo ſupernaturali produceretur, haberet rectitudinem originalem, & conſequenter iuſtitiam originalem: ergo iuſtitia originalis non inuoluit aliquid ſupernaturale.

Soluitur.

Reſpondet Doctor in voluntate, ſeu homine, poſſe conſiderari duplicem rectitudinem & iuſtitiam originalem. Vnam, quæ nihil aliud ſit quàm facultas liberi arbitrij ad benè operandum abſque aliqua deordinatione peccati actualis, aut habitualis. Aliam, quæ ſit aliquod donum inferens ſecum effectus concordiæ potentiæ inferioris ſenſitiuæ ad ſuperiorem rationalem, & & immortalitatis, quam ab origine ſupponitur habuiſſe primos parentes de facto, & habituros eorum ſucceſſores, niſi peccarent. De priori rectitudine procedit argumentum, non de poſteriori; vnde conceſſo toto nihil facit ad rem. Sed claritatis cauſa reſpondeo in forma diſtinguendo Antecedens, rectitudine excludente peccatum quodcunque, concedo Antecedens; rectitudine excludente rebellionem & mortalitatem, nego Antecedens. Similiter diſtinguo conſequens, rectitudinem originalem & iuſtitiam excludentem curuitatem peccati, concedo conſequentiam, excludentem rebellionem & mortalitatem peccati, nego conſequentiam. Diſtinguo etiam vltimum conſequens: ergo iuſtitia originalis; hoc eſt, rectitudo naturæ excludens peccatum, concedo conſequentiam; hoc eſt, illa, quæ tollit rebellionem & mortalitatem, nego conſequentiam.

Quam rectitudinem haberet homo in ſtatu merè puræ?

Addit ad hæc Doctor, quòd ſi ponatur, quod rebellio & mortalitas tollatur per qualitatẽ aliquam mediam inter naturam & virtutem infuſam, non ſit neceſſe illam qualitatem ponere. Hoc autem dupliciter poteſt intelligi; vel ita quòd non ſit neceſſe illam ponere pro ſtatu naturæ puræ, & ſic facit ad obiectionem præſentem, & eſt certiſſimum; cur enim eſſet neceſſe illam ponere? Alio modo poſſet intelligi ſic, vt vellet Doctor quòd non eſſet illa qualitas media vllo modo ponenda, etiam pro ſtatu innocentiæ: & ſic intellecta hæc verba confirmarent quod ſuprà diximus nullum eſſe ponendum donum intrinſecum ex parte voluntatis, quod tribueret effectus concordiæ præter habitus acquiſitos & infuſos virtutum. Credo tamen verba illa intelligen

ligenda eſſe priori modo, quia ſic faciunt vt dixi, ad propoſitum obiectionis, & ſic etiam habet locum probatio Doctoris; nimirùm quòd quæcunque inconuenientia apparent de voluntate, poſſint ſaluari ſine illa qualitate media, hoc eſt, quòd nullum oſtendi poſſit inconueniens ſequi ex eo quòd voluntas ſine illa qualitate media crearetur à Deo, quin poſſit facilè oſtendi, vel quòd non ſequeretur, vel quòd non eſſet inconueniens,

27. *Tertium argumentum principale.* Tertiùm argumentum eſt: Si iuſtitia originalis eſſet donum ſupernaturale: ergo peccatum originale eſſet tantùm carentia iſtius doni ſupernaturalis, quia eſt tantùm carentia iuſtitiæ originalis; ſed hoc eſt abſurdum: quia ſic qui conſtitutus eſſet in puris naturalibus eſſet æqualis conditionis cum habente peccatum originale, quandoquidem vterque careret omni dono ſupernaturali; ſed abſurdum eſt quòd eſſent æqualis conditionis, quia ſic, vterque eſſet æqualiter puniendus. *Soluitur.* Reſpondet Doctor, quidquid ſit de conſequentia prima, negando ſubſumptum cum ſua probatione, quia licèt vterque eſſet æqualis quantùm ad omnes perfectiones poſitiuas naturales, & quantùm ad carentiam omnis doni ſupernaturalis, tamen eſſent differentes in hoc, quòd qui haberet peccatum originale, haberet debitum morale fundatum in pacto diuino inito cum primo homine, habendæ iuſtitiæ originalis; conſtitutus autem in puris naturalibus non haberet tale debitum: vnde in illo carentia doni ſupernaturalis, in quo conſiſteret iuſtitia originalis eſſet priuatio; in hoc autem non eſſet priuatio, ſed ſimplex carentia alicuius formæ, quam non teneretur habere. Et quamuis neutris auferretur viſio beatifica, & propterea vterque careret illa viſione, illa tamen carentia reſpectu peccatoris eſſet pœna, quia haberet eam, niſi careret iuſtitia originali, quam debebat habere; reſpectu verò conſtituti in puris naturalibus iſta carentia non eſſet pœna, quia non propter culpam ſuam careret ipſa, ſed propterea quod non debebatur ipſi ex conditione ſuæ naturæ, nec Deus vellet liberaliter eam ipſi conferre.

Differentia hominis peccatoris & hominis in puris naturalibus cõſtituti.

SCHOLIVM.

Quod tangit Henricus, ſcilicet vltra illam qualitatem naturalem, ponendum eſſe donum ſupernaturale. Reſpondet Doctor ac ſi hoc eſſet quartum argumentum, explicandorem magis donum illud non eſſe gratiam gratificantem, ſed hanc excedere, quatenus firmiùs iungit fini, & ab ea excedi quatenus non eſt principium meriti, tamen diſſociari nequeunt, & ille ſtatus vtrumq ue donum complectabatur.

Ad 4. poſitum pro Henr. Vide ſupr. d. 21. q. 1. Iuſtitiam originalem diſtingui à gratia. Alenſ. D. Bonau. Henr. Ric. Rub. Baſſol. Maior Gab. Voril. hic.

AD quartum dico, [h] quòd ſi fuerit aliquod donum ſupernaturale, non tamen oportet quòd ſit principium merendi: ſe enim habet ad gratiam, quæ eſt principium meriti, ſicut excedens, & exceſſum. Excedens quidem, quia finitimo coniunxit firmiùs voluntatem, quàm gratia. Ita enim coniunxit ſecundùm aliquos, quòd non patiebatur ſecum aliquod peccatum veniale: charitas autem compatitur, vel ſecundùm prædicta, ſaltem ita coniunxit, quod facilius, & delectabilius erat ei pari ab aliqua triſtitia inferiori, quàm alicui delectationi inferiori acquieſcere, recedendo à delectatione finis. Iſtam facilitatem non facit gratia, cum qua ſtat pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Sed excedit gratia in hoc, quia ipſa coniungit finem, vt bono ſupernaturali, & vt ſupernaturaliter per meritum attingendo tale bonum: non ſic iſtud donum, ſed tantùm coniungebat illi bono, vt conuenienti, & delectabili. 7.

Ad aliud, [i] quod tangit in poſitione de virga, non eſt ſimile: non enim quantitas corporalis poteſt fieri in aliquo, vt videtur, ſine aliqua determinata qualitate quartæ ſpeciei: ſed eſſentia, & potentia ſpiritualis, poſſunt fieri ſine habitu.

Ad aliud, [k] quod tangit de vulnerationibus in naturalibus dicetur infrà *diſt.* 35.

quando dicetur quòd peccatum eſt corruptio boni, & cuius boni, vtrùm ipſius naturæ in qua eſt, vel alterius: de hoc etiam in fine illius quæſtiouis.

COMMENTARIVS.

28. *Aliud argumentum in fauorem Henrici non poſitum ſupra.*

h AD *quartum dico*, &c. Solutis argumentis principalibus, nunc ſoluit fundamentum Henrici poſitum *num.* 2. ſed priùs ſoluit aliud argumentum quod poterat fieri pro Henrico, & de quo non fit mentio, nec in illo *num.* 2. nec apud ipſummet Henricum. Argumentum auteſt eſt tale: nullum donum ſupernaturale potiùs habet ex ſe tollere rebellionem, quàm gratia ſanctificans, quæ eſt perfectiſſima ex omnibus donis ſupernaturabilis viatori conceſſis: ſed gratia illa non habet tollere iſtam rebellionem: ergo neque aliquod aliud donum ſupernaturale. Reſpondet Doctor negando Maiorem: quia licèt charitas ſit ſimpliciter perfectior, quàm vllum aliud donum ſupernaturale huius ſtatus ordinatiè hominibus conceſſum, aut concedendum, etiam pro ſtatu innocentiæ; tamen non eſt neceſſe quòd poſſit tribuere hunc effectum ſedandæ rebellionis, quem poſſet conferre aliud donum aliquod ſupernaturale. Quòd ſi gratia conferatur particulariùs ad illud aliud donum, habebunt ſe inſtar excedentis ex exceſſi; quia ſi conſiderentur quatenus conducunt ad ſtabiliter adhærendum fini & excludenda peccata, illud aliud donum erit lõgè perfectius gratiâ; quia eo ipſo quo extinguit fomitem, & tollit rebellionem, ſine dubio magis adiuuat & facilitat ad non peccandum quam gratia: ſi verò conſiderentur ſecundùm modum, quo

Soluitur. Poſſet darì aliquod donum perfectiu charitate quoad ſedandam rebellionem.

quo attingunt finem, gratia eſt longè perfectior, quia eſt principium attingendi finem meritoriè de condigno.

Ex hoc diſcurſu notaui ſuperiùs videri poſſe quòd Scotus diſtinguat donum iuſtitiæ originalis conferens facilitatem benè operandi, & tollens rebellionem à gratia & charitate; ſed vt ibi etiam dixi, non eſt neceſſe vt id intelligatur de diſtinctione reali, multa enim, quæ non diſtinguuntur realiter conferuntur ad ſe inuicem, & ex iis vnum dicitur eſſe perfectius altero, vt patet in intellectu & voluntate in noſtra ſententia, & in gradibus metaphyſicis in omni ſententia.

19. *Exemplum Henrici de virga recta & curua.*

i *Ad aliud quod tangit*, &c. & Henricus vt probet rectitudinem iuſtitiæ originalis non includere aliquod donum ſupernaturale, vtitur exemplo virgæ, quæ debet eſſe vel curua, vel recta: ergo voluntas ſimiliter debet eſſe vel curua, vel recta, & conſequenter quandoquidem ſi conſtitueretur in puris naturalibus abſque dono ſupernaturali, aut peccato, non eſſet curua, deberet neceſſario eſſe recta, & conſequenter vlteriùs rectitudo originalis ipſius non includit aliquid ſupernaturale. Ad hoc reſponſum eſt ſuprà, ad ſecundum argumentum principale, quòd licèt hinc ſequeretur voluntatem abſque dono ſupernaturali habituram rectitudinem oppoſitam peccato, non tamen haberet neceſſariò rectitudinem tollentem rebellionem, de qua hîc agimus. Nec eſt verum quòd quemadmodum virga debet eſſe recta, vel curua, ita voluntas debeat eſſe recta rectitudine excludente rebellionem, aut curua curuitate peccati; hæc enim non habent ex natura ſua talem connexionem cum voluntate, vt alterutrum debeat neceſſariò ipſi inexiſtere, cùm non poſſit oſtendi ratio iſtius neceſſariæ connexionis, quandoquidem curuitas peccati non ſit negatio, aut priuatio iſtius rectitudinis, ſed rectitudinis moralis, quam deberet peccans habere in ſuis actibus, & cùm etiam. De facto iuſti nec curuitatem nec rectitudinem illam habeant.

Soluitur.

Voluntas non debet eſſe aut recta rectitudine excludente rebellionem aut curua curuitate peccati.

Quod confirmatur ex eo, quòd optimè poſſet de potentia abſoluta ſtare donum expellens rebellionem & conferens etiam immortalitatem cum peccato tam actuali quàm habituali quocunque, vt certum debet eſſe in omni ſententia, ſi donum conferens iſtos effectus non ſit gratia ſanctificans, nec ipſam includat, quod ſi etiam eſſet iſta gratia, aut includeret ipſam, adhuc in noſtra ſententia de potentia abſoluta poſſent ſimul ſtare gratia & peccatum, & conſequenter gratia & iſtud donum.

20. k *Ad aliud quod tangit de vulnerationibus*, &c. Ad confirmationem ſententiæ Henrici Scotus adducit, quòd ſi rectitudo iuſtitiæ originalis non diceret aliquid naturale, ſed ſolùm ſupernaturale, ſequeretur peccatum non ablaturum niſi aliquod donum ſupernaturale, & conſequenter non vulneraturum in naturalibus. Quod eſt contra gloſſam in illud Lucæ 10. *plagis impoſitis*, dicentem, *peccatum vulnerat in naturalibus.*

Scotus remittit ſolutionem ad diſtinctionem 35. in qua quæritur de bono, quod corrumpit peccatum: quam quæſtionem ſoluit diſt. 37. q. 1. Sed quod ſpectat ad propoſitum habetur n. 10. §. *Ad primum reſpondeo*: vbi dicit ad vulnerationem non requiri quòd vulneratus aliquam partem ſui amittat, ſed ſufficere diſcontinuationem ſuarum partium; quod quidem certum eſt. Et quia ex tali diſcontinuatione partes & membra eius redduntur inhabilia ad actiones ſuas, propterea quandoquidem propter peccatum ſit vt homo minùs aptas habeat facultates naturales, dicitur metaphoricè vulneratus per peccatum.

Quid ad vulnerationem per ſe requiritur.

Quantùm ad propoſitum noſtrum attinet, quamuis concederemus propter vulnerationem in naturalibus incurſam per peccatum, iuſtitiam originalem includere aliquid naturale, non tamen ſequitur quòd conſiſtat iuſtitia originalis in illo dono præcisè, neque quòd non diceret donum aliquod ſupernaturale ſuperadditum naturæ. Vnde illud fundamentum parum deſeruit Henrico, aut obeſt nobis.

Sed vt hæc vulneratio meliùs intelligatur, aduertendum expoſitores in prædictum locum Lucæ communiter aſſerere cum Beda, quòd homo non ſolùm fuit ſpoliatus gratuitis, ſed vulneratus in naturalibus; quod etiam inſinuatur ab Arauſicano & Tridentino Conciliis, dum aiunt totum hominem ſecundùm corpus & animam in deterius mutatum fuiſſe propter peccatum, id quod habet Tridentinum *ſeſſ. 5.* in decreto de peccato originali. Hæc autem ſpoliatio facta in gratuitis conſiſtit in priuatione donorum gratuitè conceſſorum primo homini, & concedendorum ſuis poſteris, ſi non interueniſſet peccatum, quorum donorum pars competebat animæ, pars corpori, vnde deterioratio hominis quoad animam & corpus etiam in hac ſpoliatione horum donorum optimè dici poteſt conſiſtere. Vulneratio verò in naturalibus poteſt dici nihil aliud, præter iſtam priuationem dicere, quàm defectus ſequentes ad illam priuationem, vt ignorantiam, motus inordinatos inducentes ad peccatum, malam complexionem, monſtruoſitatem & deformitatem corporum, & ſimilia, quæ non pateretur homo de facto, niſi peccaſſet. Itaque quamuis per peccatum nulla perfectio naturalis tolleretur ab homine præter dona gratuitè ipſi conceſſa, tamen quia ablatis illis perfectionibus, eo ipſo ſequerentur iſtæ aliæ imperfectiones naturales, propterea poſſet optimè dici quòd per peccatum non ſolùm ſpoliaretur homo gratuitis, ſed etiam vulneretur conſequenter in naturalibus. Per quod patet ad fundamentum Henrici, prout ſuprà à me propoſitum eſt in initio quæſtionis *num.* 2. cuius Minor eſt neganda. Ad confirmationem etiam patet ex dictis negandam eſſe Minorem, quia differentia eſſet, quòd homo in ſtatu naturæ puræ non pateretur vllos defectus per modum pœnæ, quia non haberet debitum aut culpam, propter quam puniri deberet; in ſtatu autem naturæ lapſæ ipſius deffectus ſunt pœnæ, quia ſunt inflicti ipſi propter peccatū:

In quo conſiſtit ſpoliatio gratuitorum facta per peccatum.

Quid vulneratio in naturalibus facta per peccatum?

Reſponſio ad fundamentū Henrici vt ſupra propoſitum eſt n. 2.

DISTINCTIO XXX.

Quid ſit originale peccatum?

A IN ſuperioribus inſinuatum eſt, licèt ex parte (non enim perfectè ſufficimus exponere) qualiter primus homo deliquerit, & quam pro peccato pœnam ſubierit: quibus adiiciendum eſt, peccatum ſimul ac pœnam per eum tranſiſſe in poſteros, ſicut Apoſtolus oſtendit inquiens, Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, ita in omnes homines mors pertranſiit.

Vtrùm illud peccatum fuerit originale, vel actuale?

B HIc primò videndum eſt, quod fuerit illud peccatum, originale ſcilicet an actuale: & ſi de originali intelligatur, conſequenter quid ſit originale peccatum, & quare dicatur originale: & quomodo pertranſierit vel pertranſeat in omnes, diligenter inueſtigandum eſt. Quibuſdam placuit de peccato actuali Adæ illud accipere, aſſerentibus hoc Apoſtolum ſenſiſſe cùm inferiùs ait, *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita*, &c. Euidenter, inquiunt, etiam ipſo nomine exprimit Apoſtolus peccatum, quod per vnum hominem intrauit in mundum, ſcilicet inobedientiam. Inobedientia verò peccatum actuale eſt.

Quidam illud accipiunt de actuali.

Quomodo intraſſe in mundum dicunt.

C HOc autem dicunt intraſſe in mundum, non traductione originis, ſed ſimilitudine præuaricationis: omnéſque in illo vno peccaſſe dicunt, quia omnibus ille vnus pecandi exemplum extitit. Hoc malè ſenſerunt quidam hæretici, qui dicti ſunt Pelagiani: de quibus Auguſtinus in libro de Baptiſmo paruulorum commemorat, dicens: [Sciendum eſt, inquit, hæreticos quoſdam, qui nominati ſunt Pelagiani, dixiſſe peccatum primæ tranſgreſſionis in alios homines non propagatione, ſed imitatione tranſiſſe. Vnde etiam in paruulis nolunt credere per Baptiſmum ſolui originale peccatum, quod in naſcentibus nullum eſſe omnino contendunt. Sed eis dicitur, quia ſi Apoſtolus peccatum imitationis non propagationis intelligi voluiſſet, eius principem non Adam, ſed diabolum diceret, de quo in libro Sapientiæ dicitur, *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Et quia non vult intelligi hoc factum eſſe propagatione, ſed imitatione, continuò ſubiunxit Scriptura, *Imitantur autem eum, qui ſunt ex parte ipſius.* Imitantur quidem Adam quot quot per inobedientiam tranſgrediuntur mandatum Dei: ſed aliud eſt quod exemplum eſt voluntate peccantibus, aliud quod origo eſt cum peccato naſcentibus. Non eſt igitur accipiendum

Recitat hæreſim. Aug. lib. 1. c. 9. tom. 7. & de verbis Apoſt. ſer. 14.

Sapientiæ 2.

dum peccatum Adæ tranſiſſe in omnes imitationis tantùm exemplo, ſed propagationis,& originis vitio.

Hîc aperit illud eſſe peccatum originale, quod tranſit in poſteros.

D ET illud eſt peccatum originale, vt apertè Auguſtinus teſtatur, quod per Adam tranſiuit in omnes, per eius carnem vitiatam concupiſcentialiter generatos. *Lib. 13. de Trinitate c.16. in fin.*

Quid ſit originale peccatum inquiritur?

E QVod diligenter inueſtigandum eſt, quid ſit: de hoc enim ſancti Doctores ſub obſcuritate locuti ſunt, atque ſcholaſtici Doctores varia ſenſerunt. Quidam enim putant originale peccatum eſſe reatum pœnæ, pro peccato primi hominis, id eſt, debitum, vel obnoxietatem, qua obnoxij, & addicti ſumus pœnæ temporali & æternæ pro primi hominis actuali peccato: quia pro illo (vt aiunt) omnibus debetur pœna æterna, niſi per gratiam liberentur. Iuxta horum ſententiam, oportet dici originale peccatum, nec culpam eſſe, nec pœnam. Culpam non eſſe ipſi fatentur: pœna quoque ſecundùm eos eſſe non poteſt, quia ſi debitum pœnæ, originale peccatum eſt, cùm debitum pœnæ non ſit pœna, nec originale peccatum eſt pœna. Quod etiam quidam eorum admittunt, dicentes in Scriptura originale peccatum ſæpè nominari reatum: & reatum ibi intelligunt, vt dictum eſt obnoxietatem pœnæ: & ea ratione aſſerunt peccatum originale dici eſſe in paruulis; quia paruuli pro illo primo peccato rei ſunt pœnæ, ſicut pro peccato iniqui parentis aliquando exulant filij ſecundùm iuſtitiam fori. *Quorundã de origina. li peccãti opinio.*

Quòd originale peccatum ſic culpa auctoritatibus probat.

F SEd quòd originale peccatum ſic culpa, pluribus Sanctorum teſtimoniis edocetur. Super Exod. vbi dicitur, *primogenitum aſini mutabis oue*, Gregorius ait (Omnes in peccatis nati ſumus, & ex carnis delectatione cõcepti, culpam originalem nobiſcum traximus. Vnde & voluntate noſtra peccatis implicamur.) Ecce culpam originalem dixit nos trahere: vnde conſtat originale peccatum culpam eſſe. Auguſtinus quoque in libro de natura & gratia, de hoc eodem ſic ait, Omnes (vt ait Apoſtolus) peccauerunt, vtique vel in ſeipſis, vel in Adam, quia ſine peccato non ſunt, vel quod originaliter contraxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Peccatum enim primi hominis, non ſolùm ipſum, ſed omne negauit genus humanum: quia ex eo damnationem: ſimul & culpam ſuſcepimus. Idem ſuper Pſalm. 50. [Quod de corpore mortuo ſeminatur, cum vinculo peccati originalis naſcitur & mortis. Ideò igitur ſe in iniquitatibus conceptum dicit Dauid, quia in omnibus trahitur iniquitas ex Adam, & vinculum mortis. Nemo enim naſcitur, niſi trahens pœnam, & meritum pœnæ.] Meritum autem pœnæ, peccatum eſt. Omnis ergo qui naſcitur per carnis concupiſcentiam, peccatum trahit: peccatum itaque originale culpa eſt, quam omnes concupiſcentialiter concepti trahunt. Vnde in Eccleſiaſt. dogmatibus ſcriptum eſt. [Firmiſſimè tene, & nulla tenus dubitos, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum

Exod. 13. habentur hæc verba in gloſſa ſuper hunc locum c. 2. to. 7. Rom. 3. d. 2. hypognoſticõ, circa finem in tom. 8. ad illum verſum Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, *c. 22. tom. 3. apud Aug. & in forma libro de fide ad Pet. c. 26. & allegatur de conſec. diſt. 4. c.* firmiſſimè.

cum originali peccato naſci, impietati ſubditum, mortíque ſubiectum, & ob hoc natura iræ naſci filium: à qua nullus liberatur, niſi per fidem mediatoris Dei & hominum.] His & aliis auctoritatibus euidenter oſtenditur peccatum originale culpam eſſe, & in omnibus concupiſcentialiter genitis trahi à parentibus.

Quid ſit quod dicitur peccatum originale, ſcilicet fomes peccati, id eſt, concupiſcentia.

G *Auguſtinus ſer. 12. qui intitulatur De verbis. Pſal. 118.*

NVnc ſupereſt videre, quid ſit ipſum originale peccatum quod cùm non ſit actuale, non eſt actus, ſiue motus animæ, vel corporis. Si enim actus eſt animæ, vel corporis, actuale vtique peccatum eſt: ſed actuale non eſt; non eſt ergo actus vel motus. Quid ergo originale peccatum dicitur? fomes peccati, ſcilicet concupiſcentia, vel concupiſcibilitas: quæ dicitur lex membrorum, ſiue languor naturæ, ſiue tyrannus, qui eſt in membris noſtris, ſiue lex carnis. vnde Auguſtinus in libro de verbis Apoſtoli, eſt in nobis concupiſcentia, quæ non eſt permittenda regnare. Sunt & eius deſideria, quæ ſunt actuales concupiſcentiæ, quæ ſunt arma Diaboli: quæ veniunt ex languore naturæ, languor autem iſte, tyrannus eſt, qui mouet mala deſideria. Si ergo vis eſſe victor tyranni, atque inermem inimicum inuenire, non obedias concupiſcentiæ malæ. His verbis ſatis oſtenditur, fomitem peccati eſſe concupiſcentiam.

Quòd nomine concupiſcentiæ *intelligitur vitium, quod dicitur fomes peccati.*

H *Auguſt. ſer. 45. de tẽpore, qui eſt 2. ſerm. Dominicæ 3. poſt octa. Epiphan. lib. 6. cõtra Iulia. c. 7.*

NOmine autem *concupiſcentiæ*, non actum concupiſcendi, ſed vitium primum ſignificauit, cùm eam dixit *legem carnis*. Vnde idem in tractatu de verbis Apoſtoli ait. [Semper pugna eſt in corpore mortis huius, quia ipſa concupiſcentia cum qua nati ſumus, finiri non poteſt quamdiu viuimus: quotidie minui poteſt, finiri non poteſt.] Quæ autem eſt concupiſcentia, cum qua nati ſumus? Vitium vtique eſt, quod paruulum habilem concupiſcere facit, adultum etiam concupiſcentem reddit,] Sicut enim in oculo cæci, in nocte vitium cæcitatis eſt, ſed non apparet, nec diſcernitur inter videntem & cæcum, niſi luce veniente: ſic in puero vitium eſſe non apparet, donec ætatis prouectioris tempus occurat. Ex his datur intelligi quid ſit originale peccatum, ſcilicet vitium concupiſcentiæ: quod in omnes concupiſcentialiter natos per Adam intrauit, eóſque vitiauit. vnde Auguſtinus in libro de Baptiſmo paruulorum [Adam præter imitationis exemplum, occulta etiam tabe carnalis concupiſcentiæ ſuæ tabificauit, in ſe omnes, de ſua ſtirpe venturos. Vnde Apoſtolus rectè ait, *in quo omnes peccauerunt*, Circumſpectè & ſine ambiguitate dicit hoc Apoſtolus: ſiue enim intelligatur in quo homine, ſiue in quo peccato, ſanum eſt: in Adam enim omnes peccauerunt, vt in materia non ſolùm eius exemplo, vt dicunt Pelagiani. Omnes enim illi vnus homo, fuerant,] id eſt, in eo materialiter erant, [Manifeſtum eſt itaque omnes in Adam peccaſſe quaſi in maſſa. Ipſe enim per peccatum corruptus, quos genuit omnes, nati ſunt ſub peccato. Ex eo igitur ſicut cuncti conſtituti ſunt peccatores, ita & in illo vno peccato, quod intrauit in mundum, rectè

Lib. 1. c. 9. & 10. 10. 7. ibid. c. 10. & 11.

omnes

omnes dicuntur peccasse: quia sicut ab illo vno homine, sic ab eodem vno peccato immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi Baptismum absoluantur. Alia ergo sunt propria peccata, in quibus tantùm peccant, quorum peccata sunt. Aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, id est, ex quo omnes peccatores constituti sunt.]

Quid sit peccatum, in quo omnes peccauerunt, scilicet originale, quod ex inobedientia processit?

I HOc est originale peccatum, quo peccatores nascuntur omnes concupiscentialiter geniti: quod ex Adam, siue ex eius inobedientia emanauit, & in posteros demigrauit. Vnde Apostolus consequenter per inobedientiam vnius hominis, multos dicit constitutos esse peccatores: quæ est actuale peccatum. Cùm autem dixerit per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & in eo omnes peccasse, de originali dictum esse oportet accipi.

Rom.5.d.

Ex quo sensu dictum est, per inobedientiam vnius, multi sunt constituti peccatores.

K QVod ergo ait, *per inobedientiam vnius, multi constituti sunt peccatores*, eo sensu dictum esse intelligendum est, quia ex inobedientia Adæ, scilicet ex peccato actuali Adæ, processit originale peccatum, quo omnes peccatores nascuntur: vt & in illo esset, & in omnes transiret.

Quòd peccatum originale in Adam fuit, & in nobis est.

L VNde Augustinus Iuliano hæretico nullum peccatum in paruulis esse contendenti respondens apertè asserit, (peccatum originale ex voluntate Adæ processisse, ac per eius inobedientiam in mundū intrasse: quærit enim Iulianus per quid peccatum inuenitur in paruulo, ita inquiens, Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit, per quas igitur rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum? Et respondet sancta pagina, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, per vnius inobedientiam, ait Apost. quid quæris amplius, quid quæris apertiùs? Item inquit Iulianus, si per hominem peccatum intrauit in mundum, peccatum vel ex voluntate est, vel ex natura est. Si ex voluntate est, mala voluntas est, quæ peccatum facit; si autem ex natura est, mala est natura. Cui respondeo, ex voluntate peccatum est. Quærit fortè, vtrùm originale peccatum ex voluntate sit? Respondeo, prorsus & originale peccatum ex voluntate primi hominis esse: quia hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, vt in illo esset, & in omnes transiret.

Augustinus in lib. 2. ad Valeriū de nuptiis & cōcupiscentia c. 28. to. 7. quæstio Iulia. ibidem. Responsio Aug. Rom. 5. rursum quærit Iulianus. Responsio Augusti.

Obiectio quorundam contra id quod suprà dictum est, omnes in Adam fuisse homines.

M AD hoc autem quod diximus, in Adam fuisse omnes homines, quidam verborum sectatores sic obiiciunt, dicentes, non omnis caro quæ ab Adam traducta est, in eo simul existere potuit: quia multò maioris quantitatis est, quàm fuerit corpus Adæ, in quo nec tot etiam atomi fuerunt, quot

quot ab eo homines deſcenderunt: quocirca verum non eſſe aſſerunt, ſubſtantiam vniuſcuiuſque in primo fuiſſe parente.

Reſponſio, vbi aperitur qualiter fuerunt in Adam ſecundùm rationem ſeminalem, & quomodo ex eo deſcenderunt, ſcilicet lege propagationis.

N *Iſtud non recipitur quamuis veteres quidam hoc dicere videantur.*

QVibus reſponderi poteſt, quòd materialiter atque cauſaliter, non formaliter dicitur fuiſſe in primo homine, omne quod in humanis corporibus naturaliter eſt, deſcendítque à primo parente lege propagationis, & in ſe auctum & multiplicatum eſt, nulla exteriori ſubſtantia in id tranſeunte, & ipſum in futuro reſurget. Fomentum quidem habet à cibis, ſed non conuertuntur cibi in humanam ſubſtantiam, quæ ſcilicet per propagationem deſcendit ab Adam. Tráſmiſit enim Adam modicum quid de ſubſtantia ſua in corpora filiorum, quando eos procreauit, id eſt, aliquid modicum de maſſa ſubſtantiæ eius diuiſum eſt, & inde formatum corpus filij, ſuíque multiplicatione ſine rei extrinſecæ adiectione, auctum eſt, & de illo ita augmentato aliquid inde ſeparatur, vnde formantur poſterorum corpora: & ita progreditur procreationis ordo lege propagationis, vſque ad finem humani generis. Itaque diligenter ac perſpicuè intelligentibus patet, omnes ſecundùm corpora in Adam fuiſſe per ſeminalem rationem, & ex eo deſcendiſſe propagationis lege.

Auctoritate & ratione probatur, nihil extrinſecum conuerti in humanam ſubſtantiam, quæ ab Adam eſt.

O *Magiſter hîc non approbatur Matt. 15.*

QVod verò nihil extrinſecum in humani corporis naturam tranſeat, veritas in Euangelio ſignificat dicens, *Omne quod intrat in os in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Quod etiam ratione oſtendi poteſt hoc modo: puer qui ſtatim poſt ortum moritur, in illa ſtatura reſurget, quam habiturus erat, ſi viueret vſque ad ætatem triginta annorum, nullo vitio corporis impeditus. Vnde ergo illa ſubſtantia, quæ adeò parua fuit in ortu, in reſurrectione tunc magna erit, niſi ſui in ſe multiplicatione: vnde apparet quòd etiam ſi viueret, non aliunde, ſed in ſe augmentaretur illa ſubſtantia: ſicut coſta, de qua facta eſt mulier, & ſicut panes Euangelici. Non inficiamur tamen, quin cibi & humores in carnem & ſanguinem tranſeant: ſed non in veritate naturæ humanæ, quæ à primis deſcendit parentibus: quæ ſola in reſurrectione erit: reliqua verò caro, in quam cibi tranſeunt, tanquam ſuperflua in reſurrectione deponetur: quæ tamen ciborum, aliarúmque rerum fomentis coaleſcit.

QVÆSTIO I.

Vtrùm quilibet ſecundùm legem communem propagatus ab Adam contrahat peccatum originale?

Alenſis 2.*p.q.*122.*m.*1.*& per totum.* D.Thom. 1.2.*q.*81.*art.*1.*&* 3. D.Bon. *hîc art.*1.*q.*2. Richard. *art.*1.*q.*1.*& Sententiarij omnes hîc.* Armach. *de quæſtionibus.* Armen. Catharin. *opuſc. de peccato originali.* Driedo. *to.*2.*l.*2.*de grat.& lib.arb.tract.*3. *Vega. l.*12.*in Triden. c.*11.12. *Soto. l.*1. *de nat. c.*10.11.12. Bellar. *l.*4. *de ſtatu peccati à c.*3. *uſque ad* 8. *& per totum.*

1. IRCA diſtinctionem trigeſimam, in qua Magiſter agit de transfuſione peccati originalis in poſteros, quæro duo. Primo, vtrùm quilibet ſecundùm legem communem propagatus ab Adam, contrahat peccatum originale? Quòd non. Aug. de vera religione, *Peccatum adeò voluntarium eſt, vt ſi non eſt voluntarium, peccatum non dicitur:* ſed nihil eſt voluntarium in paruulis, qui non habent vſum rationis: ergo, &c. *Arg.* 1.

Item, nullus peccat in eo, quod vitare non poteſt 3. *de lib. arb.* paruulus quod ſibi à conceptione conuenit, vitare non poteſt; igitur defectus naturalis, qui intrat ab origine, non eſt defectus culpabilis, ſed pœnalis. *Arg.* 2.

Item, per argumentum, quod ponitur in litera, *Non peccat qui creat: non peccat qui generat, per quas igitur rimas inter tot præſidia innocentiæ intrat peccatum.* *Arg.* 3. *Aug.* 2.

Item 3. Ethic. *Cæco nato nullus improperabit, ſed magis miſerebitur:* igitur defectus naturalis non eſt culpabilis, ſed magis pœnalis. *contra Iulian. c.*28.

Item, Adam non fuit nobilior tota natura humana: ergo ſe inficiendo, non potuit totam naturam humanam inficere. Antecedens patet, quia natura humana habuit aliquod individuum ita nobile, ſicut ipſe, vel habere potuit. Probatio conſequentiæ, quia corruptio minoris boni non includit corruptionem maioris. *Arg.* 4. *cap.*8. *Arg.* 5.

SCHOLIVM.

Contrahi originale à poſteriori Adæ per propagationem probat ex Apoſtolo Rom. 5. *idem habet* 2. *Corin.* 15. ſicut in Adam omnes moriuntur & c. *ad Galat.*3. Scriptura concluſit omnia ſub peccato. *Idem ex vet. Teſt. Iob.* 14. Quis poteſt facere mundum & c. *Pſ.*50. Ecce in iniquitatibus. *Ita Concilia Mileuit.*1. 11. *Arauſ.can.*1. *Paleſtinum, Triden. ſeſſ.*5.*c.*4.*& Patres Græci, & Latini, quos citant Coccius, tom.*2.*l.*2.*art.*2. Bellar. *l.*4. *de ſtatu peccati c.*5. *Remittit Doctor diſputationem quæſtionis in diſtinctionem* 32. *Vide ibi à num.*8. *& ſoluuntur argumenta hîc poſita ibi num.* 14.

Contrà ad Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, in quo omnes peccauerunt*; & ibidem. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius hominis obedientiam iuſti conſtituimur multi.* Item, *Aug. de fide ad pet. firmiſſimè tene & c. & ponitur in litera.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm iſtud peccatum ſit carentia originalis iuſtitiæ?

Alenſis 2.*p.q.*122.*m.*2.*&* 3. *per totum.* D.Thom. 1.2.*q.*82.*art.*3. D.Bon. *hîc art.*2.*q.*1. Richar. *art.* 4.*q.*1. Dur. *q.*3. Occham. 2.*q.vlt.* Gabr. *hîc q.*2. Vaſq. 1.2.*diſp.*132.*c.*8.9.

Væro ſecundò, vtrùm iſtud peccatum ſit carentia originalis iuſtitiæ? Quòd non, quia Angelus caret ea, & tamen non habet aliquod peccatum. *Arg.* 1.

Prætereà Adam caruit: ea amiſit enim iuſtitiam originalem peccando, & tamen non habuit peccatum originale, ſed actuale. *Arg.* 2.

Prætereà, Baptizatus paruulus caret iuſtitia originali: & tamen non habet peccatum originale. *Arg.* 3.

Si

Si dicatur quòd aliquo modo per gratiam eſt dimiſſum: ideò aliquo modo non habet illud. Contrà, Baptizatus relapſus non habet gratiam: ergo non habet vnde remittatur ſibi illud peccatum: & non habet iuſtitiam originalem: ergo peccatum originale redit in eo,

Preterea, tunc ipſa carentia eſſet in voluntate, ſicut & iuſtitia, cuius eſt priuatio, ſecundùm Anſelmum de conceptu Virginali: conſequens eſt falſum: quia voluntas eſt vis immaterialiſſima, & per conſequens màximè à carne ſeparata: ergo non poteſt infici à carne, ex quo à carne ſeparatur.

SCHOLIVM.

Originale eſſe priuationem iuſtitiæ originalis in voluntate, & non eſſe concupiſcentiam, nec in concupiſcentia, nec ignorantiam: de quo d. 32. vide n. 7. & ſoluuntur argumenta n. 16.

Ratio ad oppoſ originale non eſſe concupiſcentiam nec ignorantiam, ſed priuationem iuſtitiæ.

CONtrà, peccatum originale non poteſt eſſe aliùd quàm iſta priuatio, non enim eſt concupiſcentia: tum, quia illa eſt naturalis ex diſt. 29. tum, quia ipſa eſt in parte ſenſitiua vbi non eſt peccatum ſecundùm Anſelm. tum, quia non eſt actualis, quia tunc illa concupiſcentia eſſet actualis: non habitualis, quia habitus derelictus in anima ex peccato mortali, non eſt peccatum mortale, manet enim talis habitus dimiſſo peccato per pœnitentiam: nec etiam ignorantia eſt, quia paruulus baptizatus ita ignorat ſicut non baptizatus.

Præterea deordinat totam animam: ergo ſi eſt aliqua vna culpa, in illa potentia, eſt ad cuius deordinationem tota anima deordinatur: illa ſola eſt voluntas, quia ſicut ipſa ordinata ordinat alias, ita deordinata deordinat: non eſt autem aliquid poſitiuum, ergo eſt priuatio iuſtitiæ oppoſitæ huic culpæ.

DISTINCTIO XXXI.

A

Quomodo peccatum origine à patribus tranſeat ad filios?

NVNC ſupereſt inueſtigare, qualiter illud peccatum à patribus traducatur in filios, ſcilicet an ſecundùm ſolam animam, an ſecundùm carnem, ſiue ſecundùm vtrumque? Putauerunt quidam ſecundùm animam trahi peccatum originale, non ſolùm ſecundùm carnem: quia non ſolùm carnem, ſed & animam ex traduce eſſe arbitrati ſunt. Sicut enim in generatione prolis de carne paterna ſubſtantialiter trahitur caro, ita etiam de gignentis anima animam geniti eſſentialiter deduci ab his exiſtimabatur. Ideóque ſicut de corrupta carne, caro corrupta ſeminatur, ita etiam de anima peccatrice, anima peccatrix corruptione originali infecta, ab illis trahi dicitur.

Prædictam

Prædictam opinionem damnat, & quòd per carnem traducatur peccatum dicit, & quomodo oſtendit.

B HOc autem fides Catholica reſpuit, & tanquam veritati aduerſum damnat: quæ non animas, ſed carnem ſolam, ſicut ſuperiùs diximus, & traduce eſſe admittit: non ergo ſecundùm animam, ſed ſecundùm carnem ſolam, peccatum originale trahitur à parentibus. Eſt enim peccatum originale, (vt ſuprà diximus) concupiſcentia, non quidem actus, ſed vitium. Vnde Auguſtinus, ipſa concupiſcentia eſt lex membrorum, vel carnis, quæ eſt morbidus quidam affectus, vel languor, qui commouet illicitum deſiderium, id eſt, carnalem concupiſcentiam: lex autem peccati dicitur manere in carne, non quin in anima ſit, ſed quia per corruptionem carnis in anima fit.

Diſt. 18. litera H Diſt. præcedenti lit. H. Aug. in lib. de nuptiis & concup. ſparſim.

Cauſam corruptionis carnis oſtendit, ex qua in anima peccatum fit.

C CAro enim propter peccatum corrupta fuit in Adam, adeò vt cùm ante peccatum, vir & mulier ſine incentiuo libidinis, & concupiſcentiæ feruore poſſent conuenire, eſſetque thorus immaculatus. Iam poſt peccatum non valet fieri carnalis copula, abſque libidinoſa concupiſcentia, quæ ſemper vitium eſt, & etiam culpa, niſi excuſetur per bona coniugij: in cõcupiſcentia ergo & libidine cõcipitur caro formanda in corpus prolis. Vnde caro ipſa quæ concipitur, in vitioſa concupiſcentia polluitur: & corrumpitur: ex cuius contactu anima cùm infunditur, maculã trahit, qua polluitur & fit rea, id eſt, vitium concupiſcentiæ, quod eſt originale peccatum.

Quòd propter corruptionem carnis, quæ eſt cauſa peccati, dicitur peccatum eſſe in carne.

D IDeóque ipſum peccatum dicitur manere in carne: caro ergo quæ in concupiſcentia libidinis ſeminatur, nec culpam habet, nec actum culpæ, ſed cauſam. In eo ergo quod ſeminatur, corruptio eſt: in eo autẽ quod naſcitur, concupiſcentiæ vitium eſt. Vnde Ambroſius, de verbis Apoſtoli ſic ait. [Quomodo habitat peccatum in carne, cùm non ſit ſubſtantia, ſed priuatio boni? Ecce primi hominis corpus corruptum eſt per peccatum, ipſáque corruptio per conditionem offenſionis manet in corpore, robur tenens diuinæ ſententiæ datæ in Adam] [cuius conſortio anima maculatur peccato] per id ergo quod facti cauſa manet, inhabitare dicitur peccatum in carne: hæc eſt lex carnis.] Idem. [Non habitat peccatum in anima, ſed in carne, quia peccati cauſa ex carne eſt, non ex anima: quia caro eſt ex origine carnis peccati, & per traducẽ omnis caro fit cauſa peccati: in anima verò non traducitur, & ideò in ſe cauſam peccati non habet,] Auguſtinus quoque ex carne peccatum animam contrahere oſtendit, dicens. Vitium concupiſcentiæ eſt, quod anima non ex ſe, ſed ex carne contraxit, natura quippe humana non opere Dei cum vitio primitus eſt inſtituta, ſed ex voluntatis arbitrio priorum hominum venienti vitio, eſt fauciata, ita vt non ſit in carne bonum, ſed vitium quo inficitur anima.

Amb. commẽtario ad 7. cap. ad Rom. te. 4. Ibidẽ paulò inferiùs. Lib. 4. contra Iulian. cap. 4. & plenius c. 9.

De cauſa originalis peccati, quæ eſt in carne, vtrùm ſit culpa, an pœna.

E HIc quæri ſolet, vtrùm cauſa peccati originalis, quæ dicta eſt eſſe in carne, culpa ſit, vel pœna, ſiue aliquid aliud? Culpa eſſe non poteſt: quia culpa non eſt in re irrationali. Si enim culpa eſſet in carne ante infuſionem animæ, actualis eſſet, vel originalis: ſed actualis ibi non eſt, nec originalis culpa eſt: quia ipſa cauſa eſt originalis peccati. Si autem pœna eſt, quæ eſt illa? poſſibilitas & mortalitas, vel alia corruptio? hos enim defectus carni ineſſe conſtat.

Hic aperitur quid ſit fœditas tracta ex libidine coëuntium, quæ vitium, vel corruptio dici poteſt.

F AD quod dici poteſt, quòd multiplex defectus carnis & præcipuè pollutio quædam, quam ex feruore coitus parentum & concupiſcentia libidinoſa, contrahit caro dum concipitur, cauſa eſt originalis peccati: quæ rectè vitium, ſiue corruptio carnis appellari poteſt, quæ fœditas maior videtur eſſe in carne concupiſcentialiter traducta, quàm in ea vnde traducitur, & quòd vitium, vel corruptio ſit in carne ante coniunctionem animæ, effectu probatur cùm anima infunditur, quæ ex corruptione carnis maculatur. Sicut in vaſe dignoſcitur vitium eſſe, cùm vinum infuſum aceſſit.

Inductu ſimilium oſtendit non abſurdè dici filios trahere peccatum à parentibus, etiam mundis.

G NE autem miremur, & intellectu turbemur, audientes peccatum originale filios trahere à parentibus, iam per Baptiſmum ab illo peccato mundatis, diuerſarum ſimilitudinum inductione id poſſe fieri inſinuat Aug. in lib. de Baptiſmo paruulorum, inquiens. [Quomodo præputium per circunciſionem aufertur, manet tamen in eo, quem genuerunt circunciſi: Quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia ſeparatur, manet tamen in fructu, qui de purgato naſcitur tritico: ita peccatum quod in parentibus per Baptiſmum mundatur, manet in eis quos genuerunt. Ex hoc enim gignunt quod adhuc vetuſtum trahunt: non ex hoc, quòd lex in nouitate promouit eos inter filios Dei. Non enim generant parentes filios ſecundùm illam generationem, qua denuo nati ſunt: ſed potiùs ſecundùm illam, qua carnaliter & ipſi primùm ſunt generati.]

Aug. c. 8. l. 3.

Cap. 9. l. 2.

Lib. 2. cap. 27. & 28.

Quare dicatur originale, hic dicitur eum Epilogo.

H IAm oſtenſum eſt, quid ſit originale peccatũ, & qualiter à parentibus, in filios, & per carnẽ in animam tranſeat. Ex quibus etiam innoteſcit, quare dicatur originale peccatum: ideò ſcilicet, quia ex vitioſa lege originis noſtræ, in qua concipimur, ſcilicet carnis, libidinoſâ cõcupiſcẽtia traducitur, vt ſuprà dictum eſt. Non enim quia ex carne tracta ab Adam concepti ſumus, ideò peccatum traximus: quia & Chriſti corpus ex eadem carne formatum eſt, quæ ab Adam deſcendit: ſed eius conceptus celebratus non lege peccati, id eſt, concupiſcentia carnis, vnde & caro eius peccatrix, non fuit, imò operatione Spiritus ſancti. Noſter verò conceptus non fit ſine

Præſenti d. litera B Matt. 1. d. Pſal. 5.

Aug. c. 2. in medio to. 3.

ſine libidine, & ideò non eſt ſine peccato. Quod euidenter Auguſtinus oſtendit in libro de fide ad Petrum, dicens (Quia dum ſibi inuicem vir muliérque miſcentur, ſine libidine non eſt parentum concubitus, ob hoc filiorum ex eorum carne naſcentium non poteſt ſine peccato eſſe conceptus: vbi peccatum in paruulos non tranſmittit propagatio, ſed libido; nec fœcunditas humanæ naturæ facit homines cum peccato naſci, ſed fœditas libidinis quam homines habent ex illius primi iuſtiſſima condemnatione peccati. Ideo beatus Dauid, propter originale peccatum, quo naturaliter obſtricti ſunt filij iræ, dicit. *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ex hoc itaque apparet, ex lege conceptionis traduci originale peccatum: quia niſi conceptio ſic fieret in carne, anima ex carnis coniunctione concupiſcentiæ vitium non traheret. *Eph. 2. Pſal. 50.*

Obiectio quorumdam nitentium probare peccatum non traduci ex lege coitus.

1 SEd ad hoc opponitur hoc modo, in ipſo conceptu vbi dicitur tranſmitti peccatum, propagatur caro: nec tamen hunc infunditur anima ſecundùm Phyſicos, ſed iam effigiatis corporibus: quod etiam Moyſes in Exod. apertè ſignificat, vbi ait de percuſſura mulieris prægnantis. Si quis, inquit, percuſſerit mulierem prægnantem, & abortum fecerit, ſi adhuc informe fuerit puerperium, mulctabitur pecunia; ſi autem formatum fuerit, reddat animam pro anima. Formatum verò intelligitur, propria anima animatum: & informe quod nondũ habet animã. In ipſo ergo conceptu, cùm caro propagatur, nondum infunditur anima quomodo ergo ibi peccatũ tranſmittitur, cùm peccatũ non poſſit eſſe vbi anima eſt? Ad quòd dici poteſt, quia in illo conceptu dicitur peccatum tranſmitti, nõ quia peccatum originale ibi ſit, ſed quia caro ibi cõtrahit id ex quo peccatum fit in anima cùm infunditur. Et vtrumque vocatur conceptus, ſcilicet cùm caro propagatur, formámque corporis humani recipit, & cùm anima infundetur, quod aliquando etiam natiuitas. Vnde dicitur, *quod natum eſt in ea.* Propriè autem natiuitas dicitur in lucem editio. *Exod. 21.* *Reſponſio cum ſolutione.* *Matth. 1.*

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm anima contrahat peccatum originale à carne infecta concupiſcibiliter ſeminata.

Alenſis 2. *p. q.* 122. *m.* 4. D. Bon. *hîc ar.* 2. *q.* 1. D. Thom. 1. 2. *q.* 81. *a.* 1. *&* 2. *a.* 32. *q. vn.* Rich. *a.* 2. *q.* 1. Gab. *qu.* 1.

1. QVÆRO A. diſtinctionem trigeſimam primam, quærò vtrùm anima contrahat peccatum originale à carne infecta concupiſcibiliter ſeminata? Quòd non, quia materia non agit in formam: ergo nec caro in animam. *Arg.* 1.

Confirmatur, quia ſecundùm Auguſtinum 12. ſuper Gen. *Agens præſtantius eſt patiente*: & ſecundùm ipſum ibidem: *nullum corpus eſt præſtantius ſpiritu*, ex quibus concludit quòd nullum corpus agit in ſpiritum, ex quo habetur propoſitum. Et ſi dicatur, quòd maior Auguſtini vera eſt in bonis, non in malis: quia defectus poteſt eſſe peior cauſa. *Cap. 28.*

Contrà, cauſa naturalis mali culpæ nõ poteſt eſſe ſola pœna, quia pœna iuſta eſt: & ad iuſtum præcisè nõ ſequitur naturaliter culpa: illud autẽ quod eſt in carne, eſt purè pœna, & ſi eſt cauſa culpæ, non eſt niſi cauſa naturalis, quia non eſt libera: ergo, &c. *Arg.* 2.

Arg. 3. Prætereà, ſi à carne infecta contrahitur: ergo contrahetur à proximo parente, quia ab ipſo ſeminatur talis caro: conſequens eſt falſum, quia tunc peccatum originale poſſet augeri in parentibus intermediis: plura enim agentia eiuſdem rationis, poſſunt in effectum perfectiorem, & ita parens primus, cum parentibus intermediis poteſt intendere peccatum originale vltra illud quod eſſet in filio primo, immediate à parente genito.

SCHOLIVM.

Animam à carne (ſecundùm Magiſt.) infici, & ſic peccatum originale contrahi, quia non aliter contrahitur, quàm per rationes ſeminales: de quo. diſt. 32. n. 12.

Ratio ad oppoſ. 2. COntrà, Magiſter in litera adducit authoritatem Sanctorum, quòd anima à carne inficiatur: quia niſi eſſet ita, non videtur poſſe aſſignari aliqua cauſa, vnde iſtud peccatum cauſaretur in anima, non enim cauſatur à ſe actu ſuo, quia tunc eſſet peccatum actuale: nec à Deo, patet, nec ab ipſo Adam, quia ponamus quòd fuerit annihilatus, vel modò ſi eſt, ſaltem modò non habet aliquam culpam, quia ponitur beatus: ergo modò non eſt ſub ratione peccatoris, ſub qua ratione poni haberet cauſa huius peccati.

Prætereà, contraximus iſtud peccatum inquantùm fuimus in Adam, ſecundùm rationem ſeminalem, ſecundùm Auguſtinum 4. ſuper Gen. hoc autem fuit ſecundùm corpus, non ſecundùm animam: anima enim non eſt ex traduce, ſicut adducit Magiſter auctoritatem in litera.

DISTINCTIO XXXII.

Quomodo originale peccatum dimittatur in Baptiſmo.

A QVONIAM ſupradictum eſt originale peccatum eſſe vitium concupiſcentiæ, aſſignatúmque quomodo à parentibus trahatur, & originale dicatur, ſupereſt inueſtigare quomodo in Baptiſmo dimittatur, cùm etiam poſt Baptiſmum remaneat concupiſcentia, quæ antè fuerat. Vnde videtur, vel peccatum originale non eſſe concupiſcentiam, vel non remitti in Baptiſmo. (Manet quippe, vt ait Aug. in corpore mortis huius carnalis concupiſcentia, cuiusvitioſis deſideriis non obedire præcipimur, quæ tamen concupiſcentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus. Sed licèt remanet concupiſcentia poſt Baptiſmum, non tamen dominatur & regnat ſicut antè: imò per gratiam Baptiſmi mitigatur & minuitur, vt pòſt dominari non valeat, niſi quis reddat vires hoſti, eundo poſt concupiſcentias. Nec poſt Baptiſmum remanet ad reatum, quia non imputatur in peccatum, ſed tantùm pœna peccati eſt: ante Baptiſmum verò pœna eſt & culpa.

Aug. lib. de nuptiis & concupiſcẽtia 1. c. 25. & 27. & c. 23. ibid. Eccl. 18. d.

Quòd

Quòd originale peccatum duobus modis dimittitur, ſcilicet extenuatione ſui, & ſolutione reatus.

DVplici ergo ratione peccatum originale dicitur dimitti in Baptiſmo. quia per gratiam Baptiſmi vitium concupiſcentiæ debilitatur atque extenuatur, ita vt iam non regnet, niſi conſenſu reddantur ei vires, quia & reatus ipſius ſoluitur. Vnde Auguſtinus *in lib. de Baptiſmo paruulorum*, gratia per Baptiſmum id agitur, vt vetus homo crucifigatur, & corpus peccati deſtruatur: non ita vt in ipſa viuente carne concupiſcentia reſperſa & innata repente abſumatur, & non ſit, ſed ne abſit mortuo quæ inerat nato. Nam ſi poſt Baptiſmum homo vixerit in carne, habet concupiſcentiam cum qua pugnet, eamque adiuuante Deo ſuperet, ſi tamen non in vacuũ gratiã eius ſuſcepit: Non itaque hoc præſtatur in Baptiſmo, niſi fortè miraculo ineffabili Creatoris, vt lex peccati quæ eſt in membris, prorſus extinguatur, & non ſit in homine: ſed vt quidquid mali ab homine factum, dictum cogitatumque eſt, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit habeatur: ipſa verò cõcupiſcentia ſoluto reatus vinculo, quo per illã diabolus animã retinebat, & à ſuo creatore ſeparabat, maneat in certamine. (Ecce hîc apertè oſtendit, ea ratione dimitti in Baptiſmo, nõ quia non maneat poſt Baptiſmum, ſed quia reatus in Baptiſmo aboletur. Deinde idem ipſe oſtendit, eo modo etiam dimitti in Baptiſmo, quia Baptiſmi gratia concupiſcentia ipſa mitigatur & minuitur in eodem libro, ita dicens) Lex carnis, quam Apoſtolus appellat peccatum cùm ait: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore*: non ſic manet in membris eorum qui ex aqua & Spiritu ſancto renati ſunt, tanquam non ſit eius facta remiſſio, vbi omnino plena ſit remiſſio peccatorum: ſed manet in vetuſtate carnis tanquam ſuperatum & peremptum, niſi illicito conſenſu quodammodo reuiuiſcat, & in regnum proprium dominationémque reuocetur; hîc apertè inſinuatur in Baptiſmo concupiſcentiam debilitari, ex quo & dicitur dimitti, non ſolùm ideò quia reatus ibi ſoluitur: quem remiſſionis modum aliis etiam pluribus teſtimoniis Scriptura edocet.

Aug. c. 54. l. b. 1. Rom. 6. a. 2. Corint. 6. a.

Auctoritatis de altero lib. 2. ibid. c. 28. Rom. 6. b.

Ait enim Auguſtinus contra Iulianum, (lex quæ in membris eſt, vitium carnis eſt, quod ex pœna peccati, & ex traduce mortis prouenit.) Sed lex iſta quæ eſt in membris, remiſſa eſt regeneratione ſpirituali, & manet in carne mortali. Remiſſa eſt, quia reatus ſolutus eſt Sacramento, quo renaſcuntur fideles. Manet autem, quia operatur deſideria, contra quæ dimicant etiam fideles. Idem in ſermone quodam de concupiſcentia carnis, per gratiam Baptiſmatis & lauacrum regenerationis ſolutus eſt, & ipſe concupiſcentiæ reatus, cum quo erat natus, & quidquid anteà conſenſiſti malæ concupiſcentiæ, ſiue cogitatione, ſiue locutione, ſiue actione. Idem in lib. de nuptiis & concupiſcentia. Concupiſcentia carnis licèt in regeneratis iam non deputetur in peccatum, quęcunque tamen proles naſcitur obligata eſt originali peccato. Item, dimittitur concupiſcentia carnis in Baptiſmo: non vt non ſit, ſed vt non imputetur in peccatum, hoc eſt enim non habere peccatum, non eſſe peccati, quomodo ergo alia peccata prætereunt actu, & remanent reatu; vt homicidiũ & ſimilia; ita èconuerſo fieri poteſt vt cõcupiſcentia prætereat reatu, & remaneat actu.) Ex prædictis euidenter mõſtratur, quomodo peccatũ originale in Baptiſmo remittatur.

li. 2. in principio. Aug. lib. 1. cõtra duas epiſtolas Pelagian.

Cap. 13. quoad ſententiam lib. 1. de nuptiis & cõcupiſcen. c. 25. 26 & 27.

De fœditate quam caro ex libidine coitus contrahit, vtrùm in Baptiſmo diluatur.

C SOlet autem hîc quæri, vtrùm & ipſa caro in Baptiſmo ab illa fœditate purgetur, quam in conceptione ex concupiſcentia libidinoſa contraxit? Quibuſdam videtur quòd ſicut anima a reatu purificatur, ita & caro ab illa pollutione purgatur, & ſicut duobus cõpletur myſterium baptiſmi, ſcilicet aqua & ſpiritu, ita ibi duo purgentur, anima ſcilicet à reatu, & caro ab illa contagione: quod quidem probabile eſt. Alij verò putant tantùm animã ibi mundari, carnẽ verò non ab illa fœditate purgari. Si verò remanet illa fœditas vſque ad procreationẽ filiorum, quę fit in cõcupiſcentia carnis, videtur natura carnis magis ac magis corrũpi: & magis corrupta videtur caro prolis quàm parẽtis, quia de carne pollutionẽ quam habuit à conceptu retinente, trahitur polluta, & in concupiſcentia concipitur, vnde & polluitur: & ita ex duplici cauſa contaminatur. Vnde & maior videtur pollutio carnis in prole, quàm fuerit in parente. Ad quod illi dicunt, quia licèt caro prolis ex carne fœda ſeminetur, & in concupiſcentia concipiatur, non tamen maiorem fœditatem trahit, quàm caro vnde ſeminatur, habuit. Quamuis etiam ſi fœdior atque immundior ſit caro prolis, & ideò magis corrupta quàm caro parentis: non tamen inde, (vt aiunt) fit præiudicium veritati: quia nec abſurdum eſſe dicunt, ſi carnis natura magis in poſterioribus corrupta trahatur, neque ex ipſa magis corrupta anima ampliùs inficiatur.

Ex quo auctore ſit illa concupiſcentia, Deo ſcilicet vel alio?

D PRætereà quæri ſolet, vtrùm concupiſcentia, quæ poſt baptiſmum remanet, & tantùm pœnalitas eſt, ante baptiſmum verò pœna erat & culpa: ex Deo auctore ſit, vel ex alio? Ad quod breuiter reſpondentes dicimus, quia inquantùm pœna eſt, Deum habet auctorem, inquantùm verò culpa eſt, diabolum, ſiue hominem habet auctorem.

Qua iuſtitia anima munda ex creatione illud peccatum imputetur, cùm non poſsit vitare.

E SOlet etiam quæri, qua iuſtitia teneatur illo peccato anima innocens à Deo creata, cùm non ſit in poteſtate ſua illud vitare? Non enim per liberum arbitrium illud committitur: quia non priùs eſt anima, quàm illi peccato eſt obnoxia. Ad hoc quidam dicunt ideò animam ream eſſe illius peccati, licèt munda à Deo ſit creata, quia cùm infunditur corpori condelectatur carni, ex quo peccatum contrahit. Quod ſi eſſet iam non originale, ſed actuale diceretur. Potiùs ergo ideò rectè poteſt dici imputari animæ illud peccatũ, quod ex corruptione corporis ineuitabiliter trahit, quia vt ait Auguſtinus *in libro de ciuitate Dei.* Non fuit corruptio corporis quæ aggrauat animam, cauſa primi peccati, ſed pœna: nec caro corruptibilis animam peccatricem fecit, ſed peccatrix anima carnem corruptibilem fecit.

Reſponſio Aug. lib. 14 cap. 3. t. 15.

Vtrùm

Vtrùm illud peccatum ſit voluntarium vel neceſſarium?

F ILlud etiam non immeritò quæri poteſt, vtrùm peccatum originale debeat dici voluntarium vel neceſſarium. Et neceſſarium poteſt dici quia vitari non poteſt. Vnde & Propheta dicit, *De neceſſitatibus meis erue me.* Et voluntarium non incongruè appellatur, quia ex voluntate primi hominis proceſſit, vt Auguſtinus *primo libro Retract.* oſtendit dicens. Iſtud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non vtantur libero arbitrio voluntatis, non abſurdè vocatur voluntarium: quia ex prima hominis mala voluntate contractum factum eſt quodammodò hæreditarium. *Pſal.24. cap.15.*

Quare Deus animam corpori iungit, ſciens eam inde maculari, & ideò damnari?

G SI verò quæritur, cur Deus, qui fecit animam ipſam ſine macula, & ſcit eam ex corporis coniunctione maculam peccati contrahere, & aliquando ante baptiſmum ſeiungi ab ipſo corpore, & ſic damnari, eam corpori iungit? Reſpondemus ex altitudine iudiciorum Dei id prouenire, & nec iniuſtè id à Deo fieri. Ipſe enim non incongruè humanæ conditionis modum, quem à principio inſtituit, licèt peccata hominum interceſſerint, ſine immutatione continuè ſeruat: corpora de materia à principio ſine vitio facta fingens, animaſque de nihilo creans, eorumque coniunctione hominem perficiens. Cùm ergo vtraque hominis natura à Deo ſine vitio ſit inſtituta, licèt à ſe peccato ſit vitiata: non ideò immutabilis Deus humanæ conditionis primariam legem mutare debuit, ſiue ab hominum multiplicatione deſiſtere. *Rom.11.d.1.*

An anima ſit talis, qualis à Deo creatur?

H HIc à quibuſdam quæri ſolet, vtrùm anima talis ſit ante baptiſmum, qualis à Deo creatur? Quod non eſſe probare conantur hoc modo, anima in corpore creatur, in cuius cõiunctione peccato macu atur, quàm citò ergo eſt, peccatum habet: nec priùs fuit, quàm peccatum habuit, non ergo talis, qualis à Deo creatur. Creatur enim à Deo innocens, & ſine vitio: & nunquam talis eſt. Ad quod dici poteſt, quia non omnino talis eſt, qualem eam Deus fecit: Deus enim bonam eam fecit, & bonitatem ei ſine corruptione indidit. Et dicitur illa naturalis bonitas, quam in creatione à conditore ſuſcepit, quam bonitatem per peccatum penitus non amiſit, ſed vitiatam habuit: quam Deus tamen ſine vitio fecit. Si enim res bona non eſſet anima, in ea malum eſſe nequiret, cùm non poſſit malum eſſe niſi in bono, vt pòſt dicitur. Non ergo omnino talis eſt anima qualis à Deo creata. Sicut quis pollutas habens manus, non tale habuit pomum, quale ego dedi ei mundis manibus. Ego enim dedi mundum. *Solutio.*

An animæ ex creatione ſint æquales in donis naturalibus?

I ILlud quoque non incongruè quæri ſolet, vtrùm omnes animæ ex creatione æquales ſint, an aliæ aliis excellẽtiores. Pluribus nõ irrationabiliter videtur, quòd ex ipſa creatione aliæ aliis excellãt in donis naturalibus; vt in eſsẽtia alia aliis ſit ſubtilior; & ad intelligendũ, memorandũq; habilior, vt *Diſt. 34. lib. 6.*

pote acutiori ingenio, & perſpicatiori intellectu prædita. Quod non improbabiliter dicitur, cùm in Angelis ita fuiſſe conſtet. Et licèt naturalibus donis aliæ præ aliis polleant, tamen ante Baptiſmum à corpore diſcedentes, parem pœnam & poſt Baptiſmum ſtatim æqualem coronam ſortiuntur: quia ingenij acumen, vel tarditas, præmium, vel pœnam in futuro non collocat.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm in Baptiſmo remittatur peccatum originale?

Alenſis 2.p.q.122.m.2.& m.10. D.Thom. 1.2.q.81.a.1.2.& q.82.a.2. & 3.D.Bon.30. a.2.q.1. & 2. & hîc a.1.q.1. Rich.a.1.q.1. Hen. quodl.1.qu.11.& quodl.5.q.23. Vega 4.in Trident.c.2.& ſequent. Bellarm. 5. de ſtatu peccati per totum. Greg. d.31.a.2. Yaſq. 1.2.d.132. Aſſor.to.1.l.4.c.26. & 27. Heru.2. diſp.25.qu.3. Trid ſeſſ.5. can.5. Suar.3. tom.d.5. 26.ſ.1. non omnes tamen tractant de concluſtituli: ſed de ea vel de aliis quatractantur in hac quæſt. de originali peccato.

CIRCA diſtinctionem trigeſimam ſecundam, quæro, Vtrùm in Baptiſmo remittatur peccatum originale? Quòd non, quia culpa non remittitur niſi iuſtitia oppoſita reſtituatur: ſed iuſtitia originalis non reſtituitur in Baptiſmo: patet per effectus eius. 1.

Contrà eſt Magiſter in litera, & Eccleſia tenet oppoſitum.

In iſta materia de peccato originali, tenendo ipſum ineſſe ſicut ſonant authoritates, quæ ſunt primæ quæſtionis, duo ſunt modi dicendi circa hoc. Vnus Magiſtri, & aliorum ſequentium, & exponentium ipſum. Ad intellectum autem iſtius viæ quatuor ſunt videnda. Primò, qualiter ab anima contrahitur infectio in carne. Secundò, qualiter ſeminatur caro infecta. Tertiò, qualiter ab ipſa inficitur anima. Quartò, qualiter anima ab infectione illa liberatur per Baptiſmum.

SCHOLIVM.

Quoad quæſtiones harum trium diſtinctionum, ſententia Magiſtri, Henr. Gregor. & aliorum eſt, originale eſſe morbidam qualitatem. Iuxta Henr. ſunt quatuor dicta. Primum, voluntas peccans cauſauit illam qualitatem, quæ ſuo pondere excitat ad ſenſualia. Secundum, vel tota caro parentum eſt infecta illa qualitate, vel caro quæ ſeminatur ex libidine inficitur. Tertium, in primo inſtanti creationis anima à carne infecta, cui vnitur, inficitur, id eſt, fit pecatrix. Quartum, manet illa curuitas poſt Baptiſmum ſed non imputatur.

AD primum dicitur, [a] quòd voluntas peccans in carne cauſauit quandam qualitatem morbidam conſequentem curuitatem voluntatis. Hæc autem qualitas morbida dicitur fomes, lex membrorum, tyrannus; & eſt ſicut quoddam pondus in carne excitans motus ſenſuales, & inclinans animam ad condelectandum carni: & ita retardans, & reprimens à delectationibus ſuperioribus, ſiue ſupernaturalibus, iuxta illud Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauant animam.* Propter iſtam qualitatem morbidam in ipſa carne ſic aggrauantem, id eſt, inclinantem ad inferiora. Et ſecundùm quendam iſta qualitas nunquam minuitur in eſſentia ſua, licèt in effectu ſuo minuatur, hoc eſt, quòd licèt gratia tanta poſſit eſſe, quòd magis inclinet ad ſuperiora, quàm fomes ad inferiora: non tamen minuit fomitem, quantùm ad eſſentiam ſuam: quia non contrariatur fomiti, qui eſt in carne, & gratia eſt in anima: & ponitur exemplum de lapide appenſo, nec ligato ad alas auis, quantumcumque creſceret vis motiua in ala, nunquam decreſceret pondus lapidis; licèt quantum ad effectum minùs poſſet deprimere, quia virtus contraria vinceret in effectum. 2.

Hēr.quodl.5.q.23.quære eundem quodl.1.q.11.& antiquos, quære. D.Thom.1.2.q.81.& Henr. vbi infrà & D. Bon.

Henrr. vbi ſuprà.

De ſecundò dicitur, [c] quòd vel tota caro parentum fuit infecta hac qualitate morbida,

bida, & ita illa quæ ſeminatur: vel ſi non tota, aut ſi illa, quæ ſeminatur non fuit caro patris ſaltem ex feruore, & libidine in ſeminatione inficitur ipſa caro ſeminata, & huic ſecundo videtur conſentire Auguſtinus, qui infectionem illam attribuit, non propagationi, ſed libidini in propagatione, ſicut patet diſtinct. 30. huius ſecundi.

De tertio articulo [e] dicitur quòd in inſtanti creationis, & infuſionis animæ ipſa maculatur à carne infecta; ita quòd licèt infectio, vel maculatio carnis non fuerit culpa formaliter, ſed ſequela culpæ: eſt tamen occaſio culpæ in anima carni vnita: quia quando anima vnitur in carne, infectio eius talis eſt, qualis nata eſt eſſe in anima: talis eſt culpa. Exemplificatur de pomo dato mundo, & fœdato à manu recipientis. *Henr. quodl. 6. q. 32.*

De quarto, [f] vel ponitur quòd iſta curuitas, manet in voluntate, quam incurrit peccando: vel ſi non, ſaltem manet fomes in carne. Sed ſiue vtrunque, ſiue alterum manet, non imputatur animæ poſt Baptiſmum, ſicut antè, quia totaliter tollitur reatus: manet autem præcisè vt pœna peccati præcedentis, & materia exercendæ virtutis. *Idem ibid.*

Secundùm iſtam viam patet quid ſit dicendum ad quæſtiones motas; eſt enim culpa originalis in quolibet ſic propagato, & hoc quantùm ad primam quæſtionem: & quoad tertiam quæſtionem, dicendum eſt carnem infectam ſic ſeminari, & ab illa infecta animam infici culpabiliter: quæ culpa quoad ſecundam quæſtionem vel eſt curuitas oppoſita rectitudini naturali voluntatis, vel concupiſcentia, id eſt, pronitas ad concupiſcendum effrænatè delectabilia: & remittitur, quantùm ad quartam quæſtionem, non in ſe, ſed quantùm ad reatum. *Mons henrici quoad quatuor quæſtiones motas his tribus diſtinct.*

COMMENTARIVS.

1. [a] *AD primum dicitur*, &c. Hîc Doctor recitat opinionem Henrici, qui dicit quòd voluntas, puta Adæ, peccans fit curua ſic intelligendo, quia ex quo iſti ponunt in voluntate rectitudinem naturalem etiam à iuſtitia originali, & voluntas peccãdo corrumpit rectitudinem illam naturalem, ideò ſic peccando de recta fit curua & ipſa voluntas curua cauſat qualitatem quandam morbidam, per quam tota caro fit morbida & infecta; & hanc qualitatem morbidam dicunt eſſe fomitem, &c.

b *Secundùm quendam iſta qualitas nunquam minuitur.* Hîc Doctor ponit opinionẽ D. Thomę, qui vult quòd iſta qualitas nunquam minuitur ſecundùm ſuum *eſſe*, ſic quòd ſi fuit intenſæ malignitatis vt quatuor, & nunc eſt vt quatuor, tantum in effectu ſuo minuitur, ſic intelligendo quòd licèt gratia non corrumpit hanc qualitatem, ex quo non ſunt contraria, quia iſta qualitas ſubiectiuè eſt in carne, gratia autem in voluntate: modò contraria ſunt circa idem ſubiectum, tamen gratia poteſt eſſe tanta quòd magis inclinabit voluntatem ad habendum actum circa ſuperiora & æterna quàm iſta qualitas inclinet ad inferiora & terrena.

2. c *De ſecundo dicitur.* Hîc Doctor ad ſecundum articulum, ſcilicet qualiter ſeminetur caro infecta, recitat primò opinionem Magiſtri, quæ clara eſt in litera.

d *Vel ſi non tota*, &c. Hîc primò recitat aliam opinionem, quæ dicit quòd illa caro, quæ ſeminatur, non fuit caro patris, ſcilicet Adæ, ſed tantùm ex libidine & feruore patris ſeminantis, in ſeminatione inficitur ipſa caro ſeminata. Et huic opinioni videtur conſentire Auguſtinus, &c.

e *De tertio articulo*, &c. Hîc aduerte quòd illa infectio, quæ eſt in carne, non eſt culpa formaliter, ſed ſequela culpæ: quia culpa formaliter eſt in anima, tamen ponitur occaſio culpæ formaliter in anima, ita quòd non culpa eſt cauſa occaſionalis culpæ; & hoc eſt quod dicit in litera, quia quando anima vnitur corpori, infectio eius talis eſt, qualis nata eſt eſſe in anima: quia nulla alia infectio nata eſt eſſe niſi culpa: & ideò infectio carnis & animæ non ſunt eiuſdem rationis.

3. f *De quarto*, &c. Hîc Doctor ponit modum Magiſtri, & aliorum ſequentium, quomodo anima ab infectione illa per Baptiſmum liberatur. Pro cuius declaratione aduerte quòd peccatum originale, ſecundum iſtos, non eſt aliud quam curuitas illa, ſiue fomes cum reatu, ſiue obligatione ad pœnam æternam: & ideò dicunt iſti quòd curuitas illa, ſiue illa qualitas, quæ dicitur fomes, ſine reatu, ſiue obligatione ad pœnam æternam, manet poſt Baptiſmum, vel ſaltem alterum iſtorum: vel ſimul vtrumque manet ſine reatu, & ſic tollitur peccatum formaliter, quia ille reatus non manet materialiter, quia qualitas manet ſicut effectus primi peccati hominis, ſiue peccati originalis præcendentis & vt materia exercendæ virtutis, quia illis ſtantibus appetitus inclinatur ad malũ, & ex hoc voluntas habet occaſionẽ retrahendi ipſum, & ſic merendi, &c.

g *Secundùm iſtam viam*, &c. Hîc Doctor ſoluit quæſtiones motas ſecundùm viam Magiſtri & ſequentium ipſum in hac materia. Et quantùm ad primam dicitur quòd eſt culpa originalis in omni propagato ex ſeminibus, & quo ad tertiam quæſtionem, dicendum eſt quòd caro infecta ſeminatur, & à carne ſic infecta inficitur anima culpa, quæ culpa quantùm ad ſecundam quæſtionem, eſt curuitas oppoſita rectitudini naturali voluntatis: vel talis culpa eſt concupiſcentia, id eſt, pronitas ad concupiſcendum delectabilia.

h *Et Remittitur*, &c. Dicit Doctor ſecundùm hanc

hanc opinionem reſpondendo quartæ quæſtionis, quòd culpa, ſiue peccatum originale, remittitur non in ſe, ſed quantùm ad reatum, vel debitum: manet tamen illa curuitas poſt Baptiſmum, & illa morbida qualitas, ſed non reatus.

SCHOLIVM.

Refutat primum articulum aliorum de morbida qualitate, docens fomitem non ponendum in carne, ſed in appetitu, nec requiri ad rebellionem, quia hæc fuiſſet in puris naturalibus.

Non dari morbidam illã qualitatem, quæ ſit originale.

CONtra iſtam viam quãtùm ad ſingulos articulos ſunt aliqua dubia. Quantùm ad primum, dubium eſt quomodo voluntas habeat tantum dominium ſuper corpus, vt poſſit immediatè alterare totum corpus ad iſtam qualitatem morbidam, maximè cùm non habeat pro obiecto primo corpus: potuit enim peccare primo peccato appetendo excellentiam Dei, vel alio peccato ſpirituali, & in iſto non erat corpus obiectum voluntatis: quòd tamen ponitur alterari à voluntate, aut ſi ſaluetur, quomodo iſta alteratio potuit fieri; videtur difficile quomodo eadem cauſa etiam cum maiori adiutorio extrinſeco, non potuit corrumpere iſtam qualitatem. Voluntas enim quantumcunque adiuta gratia, non poteſt corrumpere fomitem, ſecundùm iſtos: & quæcumque cauſa talis alicuius effectus, illum effectum videtur poſſe corrumpere, maxime ſi augeatur eius virtus actiua. 4:

De fomite vide Scot. 3 d. 3. q. 1. C. 3. vide 5. Eth. & 8.

Secundum dubium eſt, ad quid ponitur ille fomes in carne? Si ponitur vt principium rebellionis, non oportet: non enim per ſe rebellat caro voluntati, ſed appetitus ſenſitiuus: quia ſecundùm Philoſophum *Primo Politic.* Voluntas dominatur corpori principatu deſpotico, ſed appetitui ſenſitiuo, principatu politico; ergo fomes deberet principaliter poni in appetitu ſenſitiuo: vel ſi in corpore, non niſi in illo, quod eſt organum appetitus ſenſitiui: etſi hoc, cùm nulla talis caro transfundatur: ergo non transfunditur caro infecta fomite.

Fuiſſet rebellio in puris naturalibus.

Tertium dubiũ eſt, quia in puris naturalibus eſſet rebellio, ſicut dictum eſt in diſt. 29. ergo propter eam, non oportet ponere aliquam qualitatem morbidam in carne.

Si dicatur quòd eſſet delectatio appetitus ſenſitiui propria, & in proprio delectabili, etiam in puris naturalibus, non tamen ipſa eſſet cura libidine, id eſt, non effrenata nec immoderata ſicut eſt modò, & huiuſmodi libidinoſæ delectationis principium, fomes eſt: contrà, ſicut in poteſtate appetitus ſenſitiui, non eſt delectari, quia non ducit, ſed ducitur, ita nec modus delectandi: ergo ſummè quantum poteſt delectatur in ſumma delectabili ſenſibili præſente. Quid addat ergo libido ſupra hoc, quod eſt ſummè delectari ſenſibili præſente non facilè videtur.

SCHOLIVM.

Refutat ſecundum articulum de infectione carnis, vel ſeminis & refutationes ſunt clarę.

Semen non informari anima.

CIrca ſecundum articulum, primum dubium videtur eſſe, quòd ſemen nunquam fuit animatum anima patris: eſt enim relictum aliquid, quod non eſt neceſſarium membro alendo. Illud autem quod aſſumitur à membro, cum quo erat eiuſdem diſpoſitionis, non erat animatum: ergo ſemen nunquam contraxit infectionem ab anima, qua nunquam perficiebatur. 5.

Confirmatur per Anſelmum *de concept. Virg. c. 6. & 7.* Vbi vult quòd non magis eſt ſemen infectum, quàm ſputum, vel ſanguis, & ſi de iſtis formaretur corpus organicum, non videretur qualiter ex eius infectione, anima inficeretur.

Secundùm dubium eſt, ſi ſemen fuit infectum cùm tranſmutatur per multas formas ſubſtantiales, antequam de ipſo fiat corpus organicum, & forma ſubſtantialis prior, quæ conſtituebat ſubiectum iſtius qualitatis morbidæ, non manet: ergo nec illa qualitas morbida.

Secundùm Henr. leo comedens hominem contraheret fomitem.

Diceretur quòd de infecto generatur infectum. Exẽplum, de ſemine patris leproſi generatur corpus filij leproſum. Contrà, ergo leo comedens cadauer hominis mortui contraheret, ſecundùm hoc, fomitẽ. Probatio conſequentiæ: illud enim cadauer infectum eſt fomite, & per te, de infecto generatur infectum: ergo. Probatio aſſumpti. Reſuſcitetur mortuus, ſicut fuit de Lazaro, anima reunita carni, inueniet carnẽ rebellem ſpiritui: ergo tunc erit fomes in corpore illo: à quo ergo? Non ab anima, quia ipſa fuit purgata à peccato originali: ponamus per Baptiſmum, vel per circunciſionem: nec oportet fingere quòd ex Deo: remanſit igitur fomes in cadauere mortuo.

Ad

Ad iſta dubia poſſet reſponderi per hoc, quòd virtus actiua ſeminis infecta, generat de infecto infectum, & etiam de non infecto infectum, & ideò ad primum de nutrimento non infecto generat virtus actiua patris infecta ſemen infectam, & culpam originalem transfundit. Ad ſecundum, virtus illa infecta de infecto ſemine, generat carnem infectam; & tunc non valet tertia inſtantia de leone; quia virtus eius actiua conuerſiua cadaueris in membrum leonis, non eſt infecta.

Miraculosè genitus ſine congreſſu non cõtraheret originale.

Tertium dubium circa iſtud videtur eſſe, quia homo miraculosè formatus de carne digiti mei, contraheret peccatum originale, quod eſt contra Anſelmum c. 19. Vbi vult, quòd duæ ſunt rationes, quare Chriſtus non contraxit peccatũ originale: & quarum vna per ſe ſufficeret ſine altera. Vna quia purgata fuit caro in eius beata Virgine. Secunda, quia non erat filius naturalis Adæ, & ideò non obligabatur in Adam.

SCHOLIVM.

Contra tertiam articulum, animam non potuiſſe inficì à carne, vel ſemine oſtenditur, & contra tres articulos, eſto, quia ſi Adam peccando infecit ſuam carnem, idem erit de alijs, & ſic quo remotior ab Adamo quis generatur, eo grauius erit originale. Impugnat etiam dictum quartum Henrici.

6. CIrca tertium articulum eſt dubium, qualiter ergo cauſet iſtam infectionem animæ? Si enim anima cauſauit illam infectionem in carne, & ex carne cauſatur in anima, vtraque cauſa eſt æquiuoca ſuo effectui: & videtur quòd totalis: & difficile videtur ſaluare circulationem in cauſis æquiuocis totalibus. Difficile etiam erit ſaluare illum modum, quo voluntas, quæ eſt potentia merè immaterialis, tranſmutetur immediatè à corruptibili: & cùm intellectus non ponatur immediatè poſſe tranſmutari à phantaſmate, niſi virtute intellectus agentis, ſequitur quòd intellectus ſit immaterialior, quàm voluntas. Videtur etiam ſequi quòd iſtud peccatum primò ſit in eſſentia, quia eſſentia primò perficit carnem: ſed conſequens eſt falſum, quia in eſſentia vt eſſentia, non videtur eſſe culpa formaliter.

Non dari circulationẽ in cauſis æquiuocis.

Contra omnes tres articulos, eſt vnum dubium commune, quare ſcilicet potuit primus homo actu ſuæ voluntatis inficere carnem ſuam, quin ſecundus & tertius poſt eum poſſit ſimiliter. Et ita cùm multi patres intermedij peccauerunt mortaliter ſemper caro ſeminata eſt magis, & magis infecta, quod videtur abſurdum: quia non omnis modò genitus pronior eſt ad inordinatè delectandum, quàm quicumque antiqui priùs geniti: tum etiam, quia videretur ſequi quòd peccatum originale intenderetur: quamuis enim ſi ponatur peccatum originale priuatio totalis, non recipiat magis & minùs tamen ſi ponatur curuitas, vel concupiſcentia, ſecundùm illam opinionem, illa poteſt eſſe maior, vel minor.

Si primus homo inficeret ſuam carnem, idẽ eſſet de aliis peccantibus.

Contra quartum articulum eſt dubium, quia peccatum non dimittitur formaliter, niſi illud, quod eſt formale in peccato deleatur, non illud, quod eſt materiale: debitum autem iuſtitiæ originalis non eſt formale in peccato originali: non enim fuit debitum in ſtatu innocentiæ, niſi quia habens eam, debuit eam: igitur non videtur formaliter remitti, niſi tollatur illa de formalitas, vel carentia, aut in ſe, aut ſaltem per habitum aliquem æqualentem habitui huius priuationis.

SCHOLIVM.

Originale eſſe priuationem iuſtitiæ originalis: ita communis cum Anſelmo, Alenſ. D. Thom. D. Bon. Richard. & recentioribus. non eſt tamen priuatio vllius doni habitualis, ſed rectitudinis debitæ ineſſe per modum termini ex actu ſecundo, in voluntate cauſata & generatione transfuſa: vnde non formaliter, ſed cauſabiliter priuat habitus: ita puto intelligendum Scotum. Et ſic docent Henr. ſuprà & Zumel. 12. qu. 82. a. 3. d. 1. ad 1. & d. 2. conc. 5. Et illi qui dicunt id in nobis originale, quod in Adamo fuit perſonale: hi ſunt Richardus, art. 2. Sot. 1. de nat. c. 9. Caiet. 1. 2. qu. 83. a. 1. & alij, & iuxta hunc modum explicari debet ratio peccati habitualis quod eſt ipſum actuale, per modum termini manens: nec oppoſitum voluit Scotus, vt dicam in 4. d. 14. q. 1. & d. 16. q. 2.

Circa

CIrca iſtam materiam eſt alia via, quæ videtur Anſelmi in toto primo libro de Concept. Virg. Vbi tractat de peccato originali, ad quam videndam etiam quatuor ſunt tangenda. Primò, quid ſit peccatum originale: & in hoc ſoluitur ſecunda quæſtio. Secundò, an tale peccatum inſit, quoad primam quæſtionem. Tertiò, qualiter contrahatur quoad tertiam quæſtionem. Quartò, qualiter remittatur per Baptiſmum, & hoc quoad quartam quæſtionem.

Quoad primum dicit Anſelmus in lib 1. de Concept. Virg. capite 27. *Per peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi factam per inobedientiam Adæ, iuſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes fil. j iræ.* Iſta ratio peccati originalis probatur ex hoc, quia peccatum formaliter eſt iniuſtitia: igitur & tale peccatum talis iniuſtitia: iuſtitia autem ſecundùm eum ibi cap. 5. & 16. de caſu diaboli, non eſt niſi carentia iuſtitiæ debitæ.

Dico igitur quòd peccatum originale, quod eſt carentiæ iuſtitiæ originalis, non eſt niſi carẽtia iuſtitiæ debitæ. Et ſi obiicitur, quòd aliqui Sãcti videntur dicere cõcupiſcentiam eſſe peccatum originale. Reſpondeo, concupiſcentia poteſt accipi, vel prout eſt actus, vel habitus, vel pronitas in appetitu ſenſitiuo: & nullum iſtorum eſt formaliter peccatum quia non eſt peccatum in parte ſenſitiua ſecundùm ipſum, cap. 3 & 4. ibi. Vel poteſt accipi prout eſt pronitas in appetitu rationali, id eſt, in voluntate ad concupiſcendum delectabilia immoderatè, quæ nata eſt condelectari appetitui ſenſitiuo, cui coniungitur: & hoc modo concupiſcentia eſt materiale peccati originalis: quia per carentiam iuſtitiæ originalis, quæ erat ſicut frænum cohibens ipſam ab immoderata delectatione ipſa, non poſitiuè, ſed per priuationem, fit prona ad cõcupiſcendum, immoderatè delectabilia: ſicut exemplificat *cap.* 5. de naui, fracto gubernaculo, & equo, fracto fræno, qui dimittitur ſibi: & ex hoc exequitur motum inordinatum, quem cohiberet illud frænum.

Soluitur 2. qu. diſt. 30.

Concupiſcentia pronitate inordinata in appetitu rationali, eſt materiale in originali.

Sic ad propoſitum, [a] per hoc ſoluitur ſecunda quæſtio, quâ quæritur quid ſit peccatum originale. Eſt enim formaliter carentia iuſtitiæ originalis debitæ, & non qualitercunque debitæ, quia acceptæ in primo parente, & in ipſo amiſſæ: cui correſpondet pœna damni dumtaxat ex præmiſſa criminis tranſgreſſione proueniens. Et ideò Adam non habuit peccatum originale, quia illud debitum non fuit ad ipſum traductum, per aliquem parentem, ſed ipſe in ſe accepit illam iuſtitiam, & actu ſuo amiſit

COMMENTARIVS.

[a] 1. *Sic ad propoſitum*, &c. Hìc primò nota ſingulas particulas huius definitionis, quia ſunt neceſſariæ ad talem definitionem. Secundò nota quod dicit Doctor, quòd peccatum originale eſt formaliter carentia iuſtitiæ originalis, in hoc videtur ſibi contradicere, quia vult *ſuprà diſt.* 28. quòd gratia & peccatum non opponuntur formaliter priuatiuè: hoc idem intelligit de peccato & iuſtitia originali: & ibi in reſponſione ad argumenta, vult ex intentione quòd exiſtens in puris naturalibus non haberet peccatum originale, & tamen eſſet carentia iuſtitiæ originalis. Hoc idem dicit *diſtinct.* 29. & vltra dicit *diſtinct.* 28. quòd qualem naturam Deus creauit, talem poteſt reparare. Hoc idem *diſtinct.* 1. *quæſtione* 6. *quarti* Vbi vult expreſsè quòd Deus poſſet remittere peccatum originale abſque infuſione iuſtitiæ originalis, vel æquiualentis, quod non eſſet ſi opponerentur priuatiuè formaliter: cæcitas enim per quamcunque potentiam non poteſt corrumpi, niſi per habitum viſionis: quod etiam non opponantur formaliter, patet in ſimili *diſtinctione* 33. hoc idem Doctor dicit *hìc diſtinct.* 30. quòd peccatum formaliter eſt iniuſtitia, & tale peccatum talis iniuſtitia, quæ non eſt niſi carentia iuſtitiæ debitæ, vt patet *in diſtinct.* 35. & talis deformitas nunquam poſſet corrumpi, niſi per iuſtitiam actualẽ oppoſitam illi, ſicut habitus priuationi. Patet à Doctore vbi ſuprà: cùm ergo peccatum originale ſit formaliter carentia iuſtitiæ originalis nunquam remitti poſſet, niſi per iuſtitiam originalem oppoſitam.

2. Dico primò, quòd aliqua dicuntur opponi priuatiuè merè ex natura rei, ita quòd intrinſecè repugnat corrumpi vnum, niſi per aliud, & neceſſe eſt ſemper alterum ineſſe, cùm ſint immediatè oppoſita circa idem: & quæ ſic opponuntur vnum non poteſt corrumpi, niſi per poſitionem alterius, Secundò, quædam dicuntur opponi priuatiuè, non tamen ex natura rei, ſed ex ſola ordinatione alterius voluntatis ſuperioris ſic ordinantis: & hoc modo peccatum originale opponitur priuatiuè iuſtitiæ originali, quia voluntas diuina ſic ordinauit, quòd carentia iuſtitiæ originalis, quam voluit eſſe debitam; dicatur formaliter peccatum originale, cum aliis tamen circunſtantiis, ſcilicet quòd ſit priùs accepta, &c. Ex quo ergo Deus ordinauit quòd quilibet natus ex Adam ſit debitor iuſtitiæ originalis, quam dedit Adæ pro ſe & tota poſteritate, & quia hic natus, illa quæ fuit accepta non

2.

eadem

eadem numero ſed ſpecie in Adam, & per peccatũ ipſius perdita, Dominus ordinauit quòd talis carẽtia formaliter dicatur peccatum originale: & ſi hoc non ordinaſſet non diceretur peccatum originale. Hoc idem dico de multis peccatis actualibus, quòd carentia iuſtitiæ actualis non dicitur formaliter tale peccatum ex natura rei, ſed ex ſola ordinatione diuinæ voluntatis: nam quia Deus ordinauit non eſſe furandum, ille qui furatur caret tali rectitudine, ſiue velle, quo vult furari, caret tali rectitudine, quæ deberet ineſſe, ideò talis carentia dicitur peccatum actuale.

3. Secundò nota, quòd aliud eſt loqui de carentia iuſtitiæ originalis, & aliud eſt dicere peccatum originale. Nam certum eſt quòd talis carentia & iuſtitia originalis opponuntur formaliter. Sed peccatum originale & iuſtitia originalis opponuntur tantùm ex determinatione diuinæ voluntatis, ſcilicet quòd talis carentia dicitur peccatum originale.

Tertiò nota, quòd ſi carentia iuſtitiæ originalis etiam ex ordinatione diuina, dicatur peccatum originale, cùm talis carentia formaliter opponatur iuſtitiæ originali, videtur quòd ſtante tali ordinatione, nullo modo poſſit remitti, niſi per infuſionem iuſtitiæ originalis, quòd tamen non eſt verum, quia remittitur per gratiam. Dico quòd concluderet ſi Dominus ordinaſſet talem carentiam ſic formaliter eſſe peccatum originale oppoſitum formaliter iuſtitiæ originali. Sed dico, quòd ſicut voluit talem carentiam eſſe peccatum originale, ita voluit illud remitti, vel per iuſtitiam originalem, vel per æquiualens; ſed quando remittitur per iuſtitiam originalem infuſam tollitur peccatum & carentia iuſtitiæ: ſed quando remittitur per gratiam, manet carentia iuſtitiæ originalis: ſed non poteſt dici ampliùs peccatum.

SCHOLIVM.

Soluit primam quæſtionem diſtinctio. 30. ſecundùm Anſelmum, ideò originale propagatione transfundi: quia in quolibet filio Adæ, via communi nato, eſt priuatio iuſtitiæ originalis, quam Adam pro ſe, & poſteris acceptis & perdidit, & in hac priuatione, modo explicato conſiſtit originale.

8. QVantùm ad ſecundum, ſoluitur prima quæſtio, tenendo ſecundùm auctoritates Sanctorum, quòd ſit hoc peccatum in omnibus communiter propagatis: hoc declaratur ex iſta ratione peccati originalis: habet enim quilibet ſic propagatus carentiam iuſtitiæ originalis: patet ex effectibus illius iuſtitiæ priùs dictis; *diſtinct. 29. iſtius ſecundi* eſt debitor iſtius iuſtitiæ, quia accepit eam in primo parente, per cuius parentis actum amiſit eam: ergo ſecundùm deſcriptionem quilibet ſic propagatus habet peccatum originale. Antecedens patet ibi per Anſelm. cap. 27. *Nam accuſat ſpontanea, quam fecit iuſtitiæ deſertio, nec perſonas excuſat recuperandi impotentiæ*, vt declarat cap. 2. *Quoniam ipſe ſibi impotentiam fecit deſerendo iuſtitiam in primis parentibus, in quibus tota natura erat, & ſemper debitrix eſt habere poteſtatem, quam ad obſeruandam ſemper iuſtitiam accepit.* *Soluitur 1. q. d. 30. quo modo originale propagatione transfunditur.*

Exiſtis dictis videtur concludi debitum in paruulis propter hoc quòd Adam accepit iuſtitiam pro ſe & pro tota natura, quæ tunc erat in eo: & ideò iuſtè Deus exigit à tota natura, in quocunque eſt, illam iuſtitiam, quam dedit naturæ, ita quòd ſecundum ipſum *cap.* 7. Adam peccato perſonali nudauit naturam iuſtitia debita, in quocunque facit naturam nudam, facit & talem debitricem. *Cap. 28.*

9. Contra hoc obiicitur: quia hæc natura numero, quæ eſt in propagato, non fuit in Adam, licèt ibi fuerit natura eiuſdem ſpeciei: ergo illa natura non accepit aliquam iuſtitiam: ergo non eſt debitrix. Et ſi dicas quòd iſta natura fuit in Adam cauſaliter, ita etiam hæc perſona fuit in Adam cauſaliter: ergo idem eſt loqui de perſonis propagatis: & de naturis propagatorum, quantùm eſt ad propoſitum: eodem enim modo oportet oſtendere, quòd perſona ſit debitrix, ſicut hæc natura pro eo, quod fuit in Adam cauſaliter, quando accepit iuſtitiam formaliter: qualiter igitur ſufficit modus accipiendi iuſtitiam ad debere iuſtitiam acceptam? Si enim non fuit in ipſo ſecundùm voluntatem, ſed tantum ſecundum carnem: & non poteſt eſſe debitor iuſtitiæ, niſi ſecundùm voluntatem, ſecundùm quam poteſt habere iuſtitiam, non igitur quia fuit in aliquo cauſaliter, vt in principio propagatiuo, ideò eſt debitor iuſtitiæ.

Reſpondeo [b] non faciendo mentionem de hac natura, & hac perſona, oſtendo

Filios Adæ eſſe debitores iuſtitiæ originalis.

quòd iſte debitor eſt iuſtitiæ: quia iuſtitiam accepit formaliter Adam, & ipſe in eo: & hoc probatur ſic: Omne donum eſt debitum, quod datur ab ipſo Deo dante, voluntate antecedente, id eſt, quantùm eſt ex parte Dei ſine ſpeciali gratia & meritò, licèt non voluntate conſequente: ſed Adam [c] accipiente iuſtitiam, filio eius data eſt iuſtitia, voluntate Dei antecedente, id eſt, quantùm erat ex parte Dei: quia ſine ſpeciali dono conferretur filio, niſi adeſſet impedimentum: ergo ex illa collatione facta patri filius eſt debitor iuſtitiæ ſic datæ.

Maior probatur, accipiens enim voluntatem, & gratiam, licèt ei non detur opus meritorium in ſe, ſiue voluntate conſequente, datur tamen ſibi in gratia, in qua eſt voluntate antecedente & virtualiter: & propter hoc accipiens gratiã debitor eſt bonorum operum, quæ virtualiter continentur in gratia illa, ita quòd amittens gratiam, & frequenter peccans, non tantùm punitur pro amiſſione gratiæ: quia tunc qui pluries, & qui pauciùs peccarent, æqualiter punirentur. Minor patet ex lege diuina quæ ſtatuit per patrem non ponentem obicem per peccatum, quaſi naturaliter iuſtitiam originalem dari propagatis: non quidem quia pater eam transfunderet, cùm ſic donum ſupernaturale: ſed quòd Deus ipſe cooperaretur regulariter dando iuſtitiam propagato, ſicut modò animam intellectiuam creat, corpore perfectè organizato. 10.

Inſtatur contra [d] probationem maioris, quia ſi opera perfecta accepta formaliter in gratia, ſint debita, hoc eſt, ab eadem voluntate, quæ accepit gratiam, quia in ipſa virtualiter continentur illa opera; ſed in propoſito iſta voluntas filij nunquam accepit iuſtitiam, nec videtur iſta iuſtitia poſſe virtualiter accipi in illa iuſtitia voluntatis alterius: ſicut opera accipiuntur virtualiter in ipſa gratia data.

Quomodo qui in ſe non receperunt iuſtitiam ſicut debitores eius. Hæc litera aliter locatur in aliis originalibus.

Confirmatur hoc, quia ſi Deus creaſſet omnes homines ſimul, & dediſſet Adæ iuſtitiam originalem, ſi tunc ſolus Adam peccaſſet, non videtur aliqua lex iuſtitia, quòd alij qui non acceperunt in ſe iuſtitiam, ſint debitores illius iuſtitiæ: ergo nec modò: quia non potuerunt plus modò obligari per Adam, quàm tunc, ſi Deus tunc ſtatuiſſet quòd Adam non peccante dediſſet omnibus iuſtitiam. Aſſumptum ſcilicet quòd ipſi non eſſent debitores, probatur per hoc, quia ſi Deus dediſſet eis iuſtitiam, & immediatè eos priuaſſe ea ſine actu ſuo: non reputarentur debitores iuſtitiæ, quia carerent: magis tamen poſſunt accipere rationem debiti à Deo dante, quàm ab hoc, quòd pater eorum accepit iuſtitiam formaliter & ſuo actu amiſit: & ita filius non erit debitor, ita quòd carentia imputetur ſibi ad culpam.

Ad rationem debiti in reciviẽte ſufficit voluntas antecedens in dante donũ de quo 1. d. 46.

Hanc inſtantiam [e] excludendo, confirmatur ratio ſic: Ratio debiti tam ex parte doni, quod debetur, quàm ex parte voluntatis, quæ debet, ipſa datio dantis, qui dat donum receptum, & dat voluntati recipienti: ergo datio eiuſdem rationis ſufficit ad hoc quòd voluntas ſit debitrix, qualis ſufficit ad hoc, quòd donum ſit debitum, ſufficit datio voluntate antecedente, ſiue virtualiter dare, licèt non in ſe formaliter: ergo ad hoc quòd voluntas ſit debitrix ſufficit ſimilis datio facta illi voluntati. Sed quando facta eſt datio voluntati Adæ, facta eſt tali modo, quòd quaſi eadem datione quantùm erat ex ſe dabatur ſimiliter omni voluntati cuiuſcunque filij, ſi non poneretur obex: ergo ex tali datione ſit voluntas cuiuſcunque filij debitrix. Licèt ergo non ſit omnino ſimile de operibus meritoriis datis virtualiter in gratia, & in propoſito; eſt tamen ſimile quantùm ad propoſitum, quia vtrobique eſt præcisè datio ex parte dantis, ſcilicet voluntate antecedente, & non conſequente, & ipſa eſt ita ratio voluntati vt ſit debitrix, ſicut dono vt ſit debitum. 11.

Iuſtitia poteſt eſſe dupliciter debita.

Propter ſolutionem argumentorum, eſt intelligendum quòd dupliciter poteſt eſſe iuſtitia debita. Vno modo, quia in ſe accepta, & actione accipientis amiſſa. Alio modo, quia accepta in alio & actione alterius amiſſa. Primo modo peccatum actuale eſt iniuſtitia & carentia iuſtitiæ: ſecundo modo originale. Vnde magis comparatur peccato: quaſi quieſcentis in anima, poſt actum tranſeuntem, quàm comparatur peccato actuali, quod elicitur ab ipſa voluntate peccante.

COMMENTARIVS.

1. b RESpondeo non faciendo mentionem, &c. Hîc nota de voluntate antecedente & conſequente: Nam dicit Doctor *in primo, diſt.* 46. quòd Deus voluntate antecedente vult omnes ſaluos fieri, *id* eſt, ex quo dedit bona naturalia, quibus poſſumus adipiſci vitam æternam per opera meritoria, dedit, dico, actualiter voluntate conſequente, ſiue efficaci, dat

dat etiam voluntate antecedente opera meritoria, id eſt, quantùm eſt ex parte ſua, vult cooperari omnibus hominibus ad opera meritoria: & ſemper actu cooperaretur, & voluntate conſequente, ſi ipſi homines non ponerent obicem, vt patet infra *diſtinct.* 37. Vocat ergo ibi voluntatem conſequentem, ſiue abſolutam, quæ quantùm eſt ex parte ſua, vult dare & ſemper daret actu, niſi poneretur obex: ſi ergo dat beatitudinem voluntate antecedente, quilibet tenetur ad illam habendam. Voluntas verò conſequens & efficax, ſiue beneplaciti. Dicit Doctor *in primo*, *diſtinct.* 46. quòd illa ſemper impletur: & tunc dicitur dari voluntate conſequente quando efficaciter dat. Dicit ergo Doctor hîc quòd quando aliquod bonum datur alicui voluntate antecedente, & ſemper daret voluntate conſequente, niſi poneret impedimentum ille cui ſic datur, certum eſt quòd eſt debitor talis doni. Et hæc propoſitio probatur à Doctore infrà de gratia & meritis, virtualiter contentis: quia quando Deus dat alicui voluntati gratiam voluntate conſequente, etiam illi voluntati dat omnia merita virtualiter contenta in tali gratia voluntate antecedente, id eſt, ſemper paratus eſt concurrere cum voluntate noſtra ad omnia opera meritoria: & ſi voluntas non poneret impedimentum, voluntate conſequente ſemper concurreret: Et ſic patet iſta maior.

2. *Opera meritoria ſunt multiplicia.* Nota tamen, quòd opera meritoria ſunt in multiplici differentia. Non enim credo quòd quodlibet opus meritorium virtualiter contentum in gratia, ſit ſimpliciter debitum, ita quòd carens illo ſit in peccato mortali. Hoc patet, quia homo exiſtens in gratia magis ac magis mereri poſſet, quod tamen non facit, ſed bene eſt aliquod meritum ſic obligatorium, quòd carens illo peccat mortaliter, vt puta diligere Deum ſuper omnia pro aliquando, ille actus procedens à gratia eſt ſic meritorius, quòd ſi tunc non eliceretur, eſſet peccatum mortale. Et ſimiliter habens gratiam, in qua virtualiter continentur opera meritoria, quæ ſunt in obſeruatione diuinorum mandatorum, ſi opera meritoria tunc non elicerentur, peccaret mortaliter; nam ſi gratia inclinat ad non furandum, & talis voluntas in gratia non furatur, tunc meretur: ſi verò furatur magis peccat quàm voluntas furans non habens gratiam: quia in habente gratiam erat magis debitum non furandi quàm in non habente gratiam, quia in ſecundo erat debitum non furandi ratione præcepti diuini; in primo autem erat magis debitum, quia ille actus meritorius virtualiter continebatur in tali gratia. Declarata maiore reſtat minor.

3. c *Sed Adam accipiente*, &c. Dicit Doctor quòd voluntas diuina dedit Adæ voluntati conſequente, iuſtitiam originalem, & ipſe erat debitor conſeruare illam, ſicut accipiendo gratiam actualiter eſt debitor conſeruare illam. Filio autem dedit iuſtitiam originalem, & non eandem numero, ſed ſimilem voluntate antecedente, id eſt, quòd quantùm eſt ex parte ſua, vult dare illam, & ſemper dediſſet voluntate conſequente, ſi Adam impedimentum non poſuiſſet. Dixit enim Deus, do tibi Adam, voluntate mea conſequente, hanc iuſtitiam originalem, & mea voluntate antecedente cuilibet nato ex te, do ſingulárem iuſtitiam: & ſi tu Adam conſeruaueris iuſtitiam, quam tibi do, in eodem inſtanti, quo filius tuus erit perfectè genitus voluntate mea conſequente dabo iuſtitiam originalem, nulla gratia, nulliſve meritis præcedentibus in illo: ideò volo vt quilibet natus ex te ſit debitor habendi illam: quòd ſi tu Adam, per peccatum tuum perdideris illam, volo vt ſi deperdita etiam in quolibet nato ex te, quia tibi dedi illam, non tantùm vt conſeruares pro te, ſed etiam pro tota tua poſteritate. Et quod dicitur in litera *naturaliter* ly *naturaliter* debet intelligi id eſt, vniuerſaliter: quia ſi Adam conſeruaſſet illam voluntate conſequente, vniuerſaliter toti poſteritate conſeruaſſet.

d *Inſtatur*, &c. Hic arguit Doctor quòd non eſt ſimile de debito reſpectu meriti virtualiter contenti in gratia & de debito iuſtitiæ originalis in filio Adæ, quia ſi opera meritoria debita ſunt illi voluntati, quæ actu accipit gratiam, in qua virtualiter continentur illa merita, & in filio Adæ non fuit actu iuſtitia originalis, nec etiam illa iuſtitia originalis fuit virtualiter contenta in iuſtitia voluntatis Adæ. 4.

e *Hanc inſtantiam*, &c. Doctor ſoluit hanc inſtantiam, & dicit quòd eſt ſimile quantùm ad vnum, licèt non quantùm ad aliud: eſt enim ſimile quantùm ad hoc, quòd ſicut voluntas diuina dando gratiam voluntate conſequentiæ, dat etiam merita voluntate antecedente virtualiter contenta in eo, ita quòd talis voluntas eſt debitrix talium operationum ex hoc quòd eſt debitrix talium operum, quia Deus dedit illa voluntate antecedente: ſic in propoſito voluntas diuina dedit Adæ voluntate conſequente iuſtitiam originalem, & voluntate antecedente dedit filiis Adæ. Vult ergo Doctor quòd datio voluntatis antecedentis hinc & inde dicatur eiuſdem rationis; quia talis datio abſolutè eſt debitum in recipiente, ita quòd cui datur aliquid voluntate antecedente eſt debitor illud habendi: & ſic quo ad hoc eſt ſimile de iuſtitia originali in filio data voluntate antecedente: ſed eſt diſſimile, quia tale meritum virtualiter continetur in gratia data voluntate conſequente. Iuſtitia verò originalis data filio Adæ voluntate antecedente, nec virtualiter continetur in iuſtitia data Adæ, quia iuſtitia Adæ non eſt principale productiuum iuſtitiæ in filio, ſed immediatè creatur à Deo.

SCHOLIVM.

Ad tertiam quæſtionem poſitam, d. 31. *explicat quomodo anima mediante carne contrahit originale ſiue illa qualitate, ſcilicet, quia organizato corpore, infunditur conſtituendo filium Adæ.*

Quomodo anima cõtrahit peccatum originale mediãte carne.

QVantùm ad tertium articulum,& tertiam quæſtionem, dicitur ſecundùm iſtam viam,quòd anima contrahit mediante carne,non ita quòd caro, quaſi per qualitatem quandam cauſatam in ea,cauſet iſtud peccatum originale: ſed ex hoc, quòd caro cõcupiſcibiliter ſeminatur,& ex ipſa formatur corpus organicum, cui infunditur anima conſtituens perſonam,quæ eſt filius Adæ. Iſta ergo perſona, quia naturalis filius Adæ, ideò debitrix eſt iuſtitiæ originalis datæ à Deo ipſi Adæ pro omnibus filiis:& caret ea:ergo habet peccatũ originale:cõtrahitur igitur illud peccatũ in carne, inquantùm eſt naturalis ratio,& ex hoc debet iuſtitiam,qua per peccatũ Adæ caret. 12.

SCHOLIVM.

Ad quartam quæſtionem, quæ eſt huius diſtinctionis, Reſpondet tolli originale per gratiam,qua poſita ceſſat habendi debitum iuſtitium originalem, ſicut tollitur priuatio temperantiæ,& fortitudinis per gratiam,ſine eo quòd iſtæ virtutes ponuntur: quia poſita gratia, non eſt amplius obligatio habendi illas rectitudines, & ſic non manent earum priuationes. Sic etiam priuatio phyſica tolli poteſt,ſine forma oppoſita mutatione ſubiecti,vt ſi catulus viginti dierum cæcus reduceretur ad ſtatum quinti diei.

QVantùm ad quartum articulum, & quartam quæſtionem, dicitur quòd illud, quod eſt formale in peccato deleri debet in ſe per oppoſitum formaliter, vel virtualiter, in remiſſione peccati: formale in peccato non eſt debitum iuſtitiæ;patet, quia in ſtatu innocentiæ fuit iuſtitia debita: ſed eſt carentia iuſtitiæ: iſta ergo debet deleri,vel per poſitiuum proprium oppoſitum, vel per aliud virtualiter continens illud oppoſitum: gratia autem licèt non ita perfectè coniungat fini vltimo, quantùm ad aliquam conditionem accidentalem,ſicut iuſtitia originalis perfectiùs tamen coniungit,ſicut dictum eſt *diſt.29*. Et hoc quantùm ad illud ſecundùm, quod diſiungit à fine vltimo,peccatum originale. Simpliciter enim perfectiùs,& eminentiùs coniungit gratia fini ſub ratione finis,quàm iuſtitia originalis:& ideò in Baptiſmo cùm redditur gratia ſimplicitur dimittitur illud peccatum eminentiùs, quàm remitteretur per proprium poſitiuum:& licèt remaneat carentia illius poſitiui,non tamen eſt culpa,quia illud poſitiuum non eſt debitum: ſoluitur enim debitum habendi iſtud donum,& commutatur in debitum habendi aliud donum. 13.

Gratia vt cõdiſtincta à iuſtitia originali perfectior & imperfectior eſt illa,diuerſo modo.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta poſita diſt.30.q.1. Ad primum explicat quæ ratio voluntarij requiritur ad originale. Ad ſecundum quomodo ſtat aliquem eſſe peccatorem,in eo quod vitare non poteſt.

AD argumenta quæſtionum per ordinem.

Ad primum dico quòd *voluntarium* poteſt accipi, vel pro eo quod eſt in voluntate:vel prout communiter ſumitur,& magis propriè,pro eo quod eſt in voluntatis poteſtate,vt eſt|actiua.Primo modo iſtud peccatum poſſet dici voluntarium:quia ipſum ſicut quodlibet peccatum, eſt in voluntate, vbi ſolùm nata eſt eſſe iniuſtitia, ſecundùm iuſtitiam ſibi oppoſitam,ſecundùm Anſelmum *c.4. & 5*. 14.

Ad rationẽ peccati non requiritur eſſe in poteſtate habentis. Ad 2.

Secundo modo dico, quòd peccatum non oportet eſſe voluntarium ipſi habenti, ſed ei vel alij,ſcilicet à quo contrahitur iſtud peccatum: & vtrumque ſufficit Auguſtino contra Manichæos,qui poſuerunt peccatum eſſe ab anima mala,& ita eſſe ſimpliciter neceſſarium,propter iſtam animam malam,& inuoluntarium cuicunque.

Ad illud de libero arbitrio,dico,quòd peccare poteſt eſſe, vel elicere actum peccandi vel habere peccatum. Primo modo poteſt concedi illa auctoritas,quia paruuli non eliciunt actum peccandi: quia illud peccatum non eſt eis actuale, ſed tantùm contractum à parentibus. Secundo modo propoſitio eſt falſa,niſi intelligatur in generali,ſic, in eo,quod nec in ſe ipſe vitare poteſt,nec in illo per quem contrahit peccatum; & ſecundum falſum eſt in propoſito: & iſta propoſitio ſic diſiunctiuè vera, ſufficit Auguſtino contra Manichæos,ſicut priùs.

Ad 3. Per Adã demerentẽ patrẽ propagantẽ,& Deum non iuſtificantem,intrat originale.

Ad tertium dico,quòd ad iſtud peccatum concurrũt duo,carentia iuſtitiæ ſcilicet vt formale,& debitũ habendi eam,vt materiale,ſicut in aliis priuationibus concurrit priuatio & aptitudo ad habitum. Debitum iſtud à Deo ſtatuente legem iſtam, do iuſtitiam tibi Adæ, & omnibus filiis tuis naturalibus, do eadem datione quantùm eſt ex 15.

eſt ex parte mea, & ideò ex hac datione tenentur omnes eam habere: & ex parte propagante, per cuius actionem iſte eſt filius naturalis Adæ: ergo hoc debitum per nullas rimas ignotas intrat, ſed per iſtas duas cauſas poſitiuas: Illa autem carentia [f] non habet cauſam, niſi negatiuè, ſcilicet non dantem iuſtitiam originalem. Cuius ſi quæratur vlteriùs cauſa, non eſt niſi de meritoria: quia ſcilicet Adam demeruit ne iuſtitia originalis daretur: negatiua non dans, Deus eſt; demeritoria quare non datur, Adam peccans.

Et ſi obiicitur, quòd quando effectus, actu efficitur, neceſſe eſt ponere tunc cauſas eius in actu, ſi autem Adam eſſet annihilatus, vel ſi modò de facto in voluntate Adæ nullum eſſet peccatum, vel demeritum: quomodo in iſto inſtanti contrahit iſte paruulus peccatum ab Adam?

Reſpondeo, ſicut meritum cùm tranſit in ſe, manet tamen in ſcientia, & acceptatione diuina: quia ita præmiat pro eo, ac ſi eſſet præſens: ita cùm demeritum tranſit quantùm ad actum, manet tamen in ſcientia diuina: quia ita punit pro eo, ac ſi iam eſſet præſens: ita ergo huius negationis non habere iuſtitiã originalem, erunt viæ per quas intrat, Deum non dare, & demeritũ Adæ, in ſcientia Dei, propter quod non dat. *Meritum & demeritum vbi manent tranſacto actu.*

Ad aliud de tertio Ethicorum, dico, quòd nullus eſt defectus contractus ab origine, increpabilis niſi iſte: & ideò licèt omnes defectus alij ſint pœnæ non increpabiles: non ita iſte. *Ad 4.*

Ad vltimum, dicitur quòd Adam non corrumpit naturam hanc numero, ſicut nec perſonam numero: ſed corrumpit ſe peccato perſonali, & in hoc demeritoriè totam poſteritatem ſuam. *Ad 5.*

COMMENTARIVS.

1. [f] *AD tertium dicitur*, &c. Pro ſolutione huius argumenti aduerte quòd in ratione peccati originalis duo ponuntur. Primum eſt carentia iuſtitiæ originalis. Secundum eſt debitum iuſtitiæ, & vtriuſque partis ponuntur duæ cauſæ: & primò aſſignat Doctor cauſas ſecundæ partis, ſcilicet debiti, quarum prima eſt, Deus ſtatuens illam legem: tibi Adæ do iuſtitiam originalem, & omnibus filiis tuis naturalibus de eadem datione quantùm eſt ex parte mea, ſic quòd niſi inueniam impedimentum, omnibus dabo, & ideò ex hac datione, quæ eſt à voluntate antecedente omnes tenentur illam habere. Alia cauſa eſt pater, per cuius actionem ille eſt filius naturalis Adæ, & ita eſt debitor; & ſic patet quomodo debitum habet rimas notas, id eſt, cauſas notas, per quas ingreditur ad filios.

[g] *Illa autem carentia*, &c. Doctor dicit quòd alia pars definitionis peccati originalis, ſcilicet carentia iuſtitiæ originalis, non habet cauſam poſitiuam, ſed tantùm negatiuam, ſcilicet Deum non dantem iuſtitiam: ideò enim paruulus non habet iuſtitiam originalem, quia Deus illi non dedit: ſed ſi vlteriùs quæras cauſam quare Deus non dedit iuſtitiam originalem voluntate conſequente, cùm etiã dederit voluntate antecedente, huius negationis nõ aſſignatur cauſa, niſi demeritoria, ſcilicet Adam peccans: quia enim Adã peccauit ideò huic paruulo non dat iuſtitiã originalẽ ratione peccati Adæ, qui peccãdo poſuit obicem. 2.

SCHOLIVM.

Soluuntur argumenta poſita ſuprà q. 2. d. 30. Ad primum, explicat qualis priuatio iuſtitiæ originalis requiritur ad peccatum originale: quia non omnis talis priuatio ſufficit. Ad tertium explicat quomodo hæc priuatio tollitur per Baptiſmum ſine poſitione propriæ formæ per mutationem ſubiecti, quia amplius non tenetur habere iuſtitiam originalem.

16. AD argumenta ſecundæ quæſtionis. Ad primum de Adam patet, quòd habuit carentiam huius iuſtitiæ actu proprio, & iuſtitiæ debitæ, quia in ſe acceptæ: talis carentia non eſt peccatum originale: ſed illa quæ habetur actu alieno, & iuſtitiæ debitæ, ex acceptatione alterius. *Carentia iuſtitiæ ex actu proprio non eſt originale.*

Et ad aliud de Angelo, patet quòd vel non eſt capax iuſtitiæ originalis, vel ſi ſic eſt, habet eam, ſi enim non reſpicit per ſe niſi voluntatem, & non appetitum ſenſitiuum, & ſi reſpiciat finem ſub ratione conuenientis, & delectabilis, non eſt inconueniens ponere, aliquod tale donum in Angelo. *Ad 2. An ſit iuſtitia originalis in Angelo.*

Ad tertiũ dico, quòd in Baptiſmo ſoluitur debitũ habendi illud donũ in ſe, & cõmutatur in debitum habendi donum æquiualens, ſcilicet gratiam: & iſtud debitum ſecundum ſemper ex tunc manet, nec primum redit: & qui caret ſecundo dono debito, grauiùs peccat quàm qui caret primo: nec tamen eſt peccator peccato originali, quia non redit debitum habendi illam iuſtitiam. *Ad 3. In Baptiſmo commutatur debitum iuſtitiæ originalis in debitum gratiæ.*

Ad quartum patet ex ſolutione quartæ quæſtionis. Ad quintum, concedo quòd non eſt niſi in voluntate. Et cùm dicis voluntatem eſſe immaterialem, & ideò non

poſſe pati immediatè à carne, dico quòd iſta iuſtitia non eſt ibi, quaſi in ſubiecto alterato àcarne alterante, ſed eſt ibi, quia iuſtitia non ineſt, quæ tamen debita eſt, quia iſta eſt voluntas filij Adæ.

Ad argumenta in oppoſitum, contra concupiſcentiam: patet quia non concludunt oppoſitum ſecundùm intentionem quæſtionis.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta poſita d. præced. q. vn. & alia ibi adiuta, ſuadentia animam infici à carne: ſoluit dubium ad originale requiritur propagatio libidinoſa, de quo D. Bon. ibi art. 2. q. 3. Richard. art. 2. q. 2. D. Tho. 1. 2. q. 81. art. 3. & 4.

AD argumenta tertiæ quæſtionis. Ad primum, dico quòd non eſt à carne in animam agente. Et per idem ad Auguſtinum ſuper Geneſim, tantùm eſt enim à carne illa relatio in producto, quia eſt filius naturalis Adæ: & hac conſequitur debitum ex lege diuina, & carentia eſt ibi ex negatione cauſæ. 17.

Ad 2. Cùm arguitur reducendo illud argumentum, quòd pœna non eſt cauſa culpæ, verum eſt principalis cauſa.

Quomodo pœna eſt cauſa culpæ vel ſemen cauſæ originalis. Si tamen non ponatur aliqua infectio in carne, quod non eſt neceſſarium ſecundùm iſtam viam: ipſa poteſt eſſe inſtrumentalis cauſa culpæ: aut ſi nulla ibi ſit infectio, adhuc caro poteſt eſſe cauſa inſtrumentalis, in quantùm in ipſo ſemine eſt vis actiua producendi filium Adæ, qui per hoc eſt debitor.

Ad 3. Suppoſito quod Cain pro ſe accepiſſet iuſtitiam. Ad aliud de proximo parente reſpondeo, quicunque accepiſſet iuſtitiam originalem in ſe formaliter, vel voluntate conſequente, fuiſſet debitor pro ſe, & pro tota ſua poſterioritate pro qua accepiſſet virtualiter: & ita ſi Adam non peccaſſet, ſed Cain: tamen filij Cain contraxiſſent peccatum originale, non ab Adam ſed à Cain: nunc autem nullus accepit formaliter, niſi Adam, & ideò omnes alij habuerunt eandem rationem debiti habendi iuſtitiam, & eandem rationem carentiæ ipſius, quia per actum alterius: & ideò modò à nullo parente proximo contrahitur, ita vt per ipſum poſſet intendi, ſicut nec per ipſum poſſet per ſe cauſari.

Ad rationẽ in oppo. Ad argumenta in oppoſitum patet, quia auctoritates, quæ dicunt quòd anima inficitur à carne, ſunt intelligendæ modo prædicto, inquantùm ſcilicet anima eſt forma carnis, ex quarum vnione reſultat filius Adæ; qui eſt debitor habendi iuſtitiam, qua caret. 18.

Quomodo anima inficitur à carne. Sed hîc facit dubium auctoritas Auguſtini de fide ad Petrum, quam adducit Magiſter *diſtinct. hac* quæ ſonat, quòd iſtam maculam non transfundit propagatio, ſed libido: ergo videtur quòd non ex hoc ſolo, quòd iſte eſt filius naturalis Adæ, eſt ſic tali peccato obnoxius: ſed ex hoc quòd eſt filius Adæ libidinosè propagatus, iſte contrahit peccatum originale.

An propagatio libidinoſa requiritur vt cõtrahatur originale. Reſpondeo ſi fuiſſet propagatio in ſtatu innocentiæ, non fuiſſet peccatum originale contractum: & tunc fuiſſet omnino ſine libidine, quia propagantes habuiſſent iuſtitiam originalem, nunc autem quæcunque propagatio communis, libidinoſa eſt ex illa; igitur quia maculoſa eſt, maculat prolem, non autem quia propagatio, quia propagatio non eſt medium inter parentem & filium, per quod filius maculetur, ſecundùm illam abſolutam rationem propagationis, quæ fuiſſet in ſtatu innocentiæ: ſed ex carentia iuſtitiæ originalis in propagantibus, quam carentiam conſequitur libido, ita quòd illa auctoritas debet exponi, vt *libido* accipiatur pro carentia iuſtitiæ originalis in propagantibus quæ eſt cauſa libidinis in actu propagandi.

SCHOLIVM.

Soluit argumentum poſitum in initio huius diſt. & dubium, ſcilicet quomodo gratia tollit priuationem iuſtitiæ originalis, cùm ipſa non ſit formaliter inſtitia originalis.

AD argumentum quæſtionis quartæ, patet quòd iuſtitia originalis reſtituitur, in dono æquiualenti: imò etiam præeminenti. Sed hîc dubitatur, cùm enim iuſtitia originalis non ſit formaliter gratia: igitur nec eius oppoſitum, ſcilicet priuatio formaliter eſt priuatio gratiæ: ergo iſta priuatio iuſtitiæ originalis poteſt ſtare cum 19.

gratia,

gratia, & ita licèt gratia detur, manet tamen peccatum originale, niſi dicatur quòd præcisè ſoluitur debitum habendi iuſtitiam originalem. Et hoc incidit cum alia reſponſione.

Reſpondetur, in ſtatu innocentiæ erant dona ordinata, ita quòd iuſtitia originalis potuit eſſe ſine gratia, non è conuerſo, & tunc priuatio prioris includebat virtualiter priuationem poſterioris: cuicunque igitur tunc reſtituta fuiſſe gratia, ſine iuſtitia originali, ſi hoc factum fuiſſet, non habuiſſet ipſe perfectum ſtatum innocentiæ, ſed pro ſtatu iſto non habent talem ordinem, ſed gratia poteſt ineſſe ſine tali iuſtitia: & ipſa ſimpliciter eſt donum excellentius quàm talis iuſtitia, ipſa igitur gratia inexiſtens ſimpliciter reſtituit hominem in ſtatu iſto ad perfectionem ſupernaturalem ſibi poſſibilem: ſed hoc ſine iuſtitia, licèt abſolutè non contradicant. Vnde non repugnant carentia iuſtitiæ originalis abſolutè loquendo, & gratia pro ſtatu iſto, repugnant tamen inquantùm illa carentia eſt culpa auertens à fine vltimo, quia conuerſio oppoſita illi pro ſtatu iſto nata eſt ineſſe filio Adæ per gratiam ſine iſto dono.

Priuatio iuſtitiæ originalis & gratia abſolutè non repugnant de facto ſic.

DISTINCTIO XXXIII.

A Rædictis adiiciendum videtur, an peccata præcedentium patrum ad paruulos tranſeant, ſicut illud primi hominis debitum in omnes carnaliter genitos dixiſſimus redundaſſe. Et ſi peccata parentum tranſeant in paruulos: Vtrùm omnium qui fuerunt ab Adam vſque ad ipſos: an aliquorum, & non omnium?

Quid ſuper hoc Auguſtinus in Enchiridio dicere videtur?

B De hoc Auguſtinus in Enchiridio ambiguè differit: videtur enim approbare peccata parentum præcedentium imputari paruulis, non omnium tamen, qui fuerunt ab Adam, ne importabili, & nimia ſarcina in pœna æterna grauarentur paruuli: ſed tantùm eorum parentum, qui eos à quarta generatione præceſſerunt. Quod confirmat illis verbis, quibus in Exod. Dominus ait: *Ego ſum Deus viſitans iniquitates patrum vſque in tertiam & quartam generationem*: quaſi peccata parentum proximorum, tantùm paruulis imputentur & non alia: quod eſt per moderationem diuinæ miſerationis.

Aug. c. 47. tom. 3.

Exo. 20. a.

Eorum ponit documenta, qui dicunt tranſire in paruulos parentum delicta.

C ET quòd non illud ſolum primi hominis delictum paruulos teneat, ſed etiam alia, illi, quibus ita videtur, ex eo cõfirmant quòd etiam paruuli, non modò maiores, dicuntur Baptizari *in remiſſionem peccatorum* per pluralem numerum, non per ſingularem *in remiſſionem peccati*. Et Dauid de legitimo matrimonio procreatus dicit, in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Non dicit, *in iniquitate*, vel *peccato*. Vnde putant non tantùm illud vnum peccatum originale, ſed etiam plura

Ibidem c. 44. & 46.

Pſal. 50.

quæ in peccato Adæ reperiri poſſunt, & alia parentum peccata paruulis imputari.

Quòd in illo vno primo peccato plura reperiuntur.

D *Aug. c.45.* QVòd verò in actuali peccato Adæ plura notari valeant peccata, Auguſtinus in Enchiridio inſinuat [Poſſunt, inquit, intelligi plura peccata in vna tranſgreſſione Adæ, ſi in ſua quaſi membra diuidatur. Nam *ibid. c.46.* & ſuperbia eſt illic, quia homo in ſua potiùs eſſe, quàm Dei poteſtate dilexit: & ſacrilegium, quia Deo non credidit; & homicidium: quia ſe in mortem præcipitauit: & fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpẽtina ſuaſione corrupta eſt: & furtum: quia cibus prohibitus vſurpatus eſt: & auaritia, quia pluſquam ſufficere illi debuit appetiuit: & ſi quid aliud in hoc vno peccato inueniri poteſt] [Deinde de parentum præcedentium peccatis, vtrùm paruulis imputentur, magis opinando, quàm aſſerendo diſceptat, ita inquiens, [Parentum peccatis paruulos obligari, non ſolùm *Exod. 20. a.* primorum hominum, ſed etiam ſuorum, de quibus ipſi nati ſunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe diuina ſententia, *Reddam peccata patrum in filios*, tenet eos ante regenerationem: vſque adeò, vt etiam de legiti- *Pſal. 50.* mo matrimonio procreatus dicat, *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea.* Non dixit *in iniquitate* vel *in peccato*, cũ & hoc rectè poſſet: ſed iniquitates ei peccata dicere maluit, quia & in illo vno, quod in omnes homines pertranſiit, atque tam magnum eſt vt in eo mutaretur in neceſſitatem mortis humana natura, reperiuntur, ſicut ſuprà diſſerui, plura peccata & alia parentum, quæ etſi non ita poſſunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, niſi gratia Dei ſubueniat.] [Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipſo Adam vſque ad patrem ſuum progeneratoribus ſuis quiſque ſuccedit, non immeritò diſceptari poteſt: Vtrùm omnium malis actibus & multiplicatis delictis originalibus, qui naſcitur *In Enchir. cap.47. Vide opiniones varias.* implicetur: vt tantò peius, quanto poſterius, quiſque naſcatur. An propterea Deus in tertiam & quartam generationem de peccatis parentum poſteris eorum comminetur; quia iram ſuam quantùm ad progeneratorum culpas, non extendit vlteriùs moderatione miſerationis ſuæ: ne illi quibus regenerationibus gratia non confertur, nimia ſarcina in ipſa æterna damnatione premerentur, ſi cogerentur ab ipſo initio generis humani omnium præcedentium parentum ſuorum originaliter peccata contrahere, & pœnas pro eis debitas pendere. An aliquid aliud de re tanta Scripturi ſanctis diligentiùs perſcrutatis, ac tractatis, valeat, vel non valeat reperiri, temerè affirmare non audeo.] Ecce perſpicuum fit lectori, Auguſtinum ſuperiora dixiſſe non aſſerendo, ſed diuerſorum opinionis refferendo.

Oſtendit Auguſtinum ſibi fore contrarium, ſi id ſentiret.

E *Aug. Enchir. c.95.* ALioquin ſibi ipſi contradicere oſtenderetur, qui in eodem libro omnium mitiſſimam dicit eſſe pœnam paruulorum, qui originali tantùm tenentur peccato his verbis, Mitiſſima ſanè pœna eorum erit, qui præter peccatum, quod originale contraxerunt, nullũ inſuper addiderunt: & in cæteris qui addiderunt, tantò quiſque ibi tolerabiliorẽ habebit damnationem,

tionem, quantò hîc minorem habebit iniquitatem. Ecce hîc apertè dicit, paruulorum pœnam omnium aliarum pœnarum eſſe leuiſſimam, quòd ſi eſt, non ergo peccatis patrum præcedentium obligantur, niſi Adæ. Si enim pro peccatis parentum actualibus punirentur æternaliter, & pro ſuo originali, non iam minùs, ſed fortè magis quàm ipſorum parentes punirentur. Non ergo pro peccatis parentũ actualibus, nec etiã pro actualibus primi parentis, ſed pro originali quod à parentibus trahitur, paruuli damnabuntur: pro eo nullam aliam ignis materialis, vel conſcientiæ vermis pœnam ſenſuri, niſi quòd Dei viſione carebunt in perpetuum. Vno ergo, & non pluribus peccatis paruuli obligati ſunt. Vnde etiam ea quibus illà opinio muniri videtur, ſcilicet quòd peccata & iniquitates in paruulis aliquando Scriptura eſſe ſignificat, vtens plurali numero, ita determinat Auguſtinus in eodem libro [quia in Scriptura per ſingularem numerum pluralis numerus ſæpè ſignificari ſolet, vt ibi, *Ora ergo ad Deum, vt auferat à nobis ſerpentem*: non ait *ſerpentes*, quos patiebatur populus. Et è conuerſo per pluralem ſignificatur ſingularis numerus. Vt in Euangelio, *mortui ſunt enim qui quærebant animam in pueri*: non ait *mortuus eſt*, cùm loqueretur de Herode. Et in exodo, *fecerunt Deos aureos*, cùm vnum fecerint vitulum: de quo dixerunt: *Iſti ſunt dij tui Iſraël*. Ità & illud originale vnum plurali numero ſignificatur, cùm dicimus paruulos in peccatorum remiſſionem baptizari, & in peccatis, vel iniquitatibus concipi.]

Aug. c. 44.
Nu. 21.
Matt. 2. c.
Exo. 32.

An actuale peccatum Adæ ſit grauius cæteris?

F HIc quæri ſolet, vtrùm peccatum Adæ tranſgreſſionis, ex quo proceſſit originale. Et in quo plura ſuperiùs notata ſunt peccata, grauius fuerit cæteris peccatis? Quibuſdam ita eſſe videtur, quia illud peccatum totam humanam naturam mutauit: ſicut Auguſtinus dicit in Enchiridio, Illud vnum peccatum in loco & habitu tantæ fœlicitatis admiſſum, tam magnum eſt, vt in vno homine originaliter & (vt ità dixerim) radicaliter totum genus humanum damnaretur. Idem in lib. de ciuitate Dei, Tantò maiori iniuſtitia violatum eſt illud mandatum, quantò faciliori poterat obſeruantia cuſtodiri. Nondum enim ipſi voluntati cupiditas reſiſtebat, quod de pœna tranſgreſſionis poſtea ſecutum eſt. His aliiſque vtuntur auctoritatibus, qui illud peccatum cæteris aliorum hominum peccatis grauius eſſe dicunt. Quod etiam ratione oſtendere laborant hoc modo, Magis nocuit illud peccatum, quàm aliquod aliorum: quia totum humanum genus vitiauit, ac morti vtrique ſubdidit, quòd nullo alio peccato factum eſt; maiorem ergo effectum mali habuit illud peccatum, quàm aliquod aliud.

Cap. 48.
Lib. 14. c. 12. & c. 15.

Reſponſio contra illos vbi alia peccata oſtenduntur illo maiora.

G AD quod dici poteſt, quia licèt illud peccatum humanam naturam mutauerit, in neceſſitatem mortis, & in totum genus humanum reatum diffuderit: non eſt tamen putandum grauius fuiſſe peccato in Spiritum ſanctum, quod neque hîc, neque in futuro (vt Veritas ait) dimittitur. Quod verò totam humanam naturam corrupit, non ideò eſt, quia grauius fuerit cunctis aliis peccatis: ſed quia ab homine commiſſum eſt: quando

Matt. 12.

in vno

in vno homine tota natura humana conſiſtebat, & ideò tota in eo corrupta eſt, maiorémque effectum mali intulit, quantùm ad multiplices defectus: qui ex eo manauerunt, ſed non quantùm ad pœnam æternam, quam grauiorẽ non meruit, quã plures poſtea meruerunt per alia peccata, imò alios grauiorem promeruiſſe credimus iram, quam Adam meruit.

An iſtud peccatum ſit primis dimiſſum parentibus.

H *Aug. lib. 2. cap. 34.* SI verò quæritur, an illud peccatum fuerit dimiſſum primis parentibus? Dicimus eos per pœnitentiam veniam conſecutos. Vnde Auguſtinus in lib. de Baptiſmo paruulorum ait. [Sicut illi primi parentes poſtea iuſtè viuendo creduntur per Domini ſanguinem, ab extremo liberati ſupplicio, non tamen in illa vita meruerunt ad paradiſum reuocari, ſic & caro peccati, etiam remiſſis peccatis, ſi homo in ea iuſtè vixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti: quare traxit de propagine peccati.]

Quòd peccata parentum viſitantur in filios, & quòd non ſunt aduerſa quæ Deus dicit in Exodo, & in Ezechiele.

I *Exod. 20. a* ET licèt peccatis parentum niſi Adæ, paruuli non obligentur, non eſt tamen diffitendum peccata parentum in filios redundare ſicut Dominus in Exodo ad Moyſen ait; Ego ſum Deus fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me. *Exechiel. 18. a* His verbis apertè inſinuatur, quòd Deus reddit peccata patrum ſuper filios tertios & quartos: huic autem videtur aduerſari quod Dominus ait in Ezechiele, Quid eſt quòd inter vos parobolam vertitis in prouerbium iſtud, dicentes, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? Viuo ego dicit Dominus, ſi erit vobis vltra parabola hæc in prouerbium in Iſraël. Ecce omnes animæ meæ ſunt, vt anima patris, ita anima filij mea eſt: & anima quæ peccauerit ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum. His verbis videtur Deus corrigere per Prophetam, quod malè dixerit in lege, ſi enim peccata parentum reddit in tertiam & quartam generationem, iniuſtitia videtur Dei eſſe, vt alius peccet & alius puniatur. Quomodo enim iuſtum eſt alium peccare, & alium peccata luere?

Determinatio, præmiſſarum auctoritatum conuenientiam oſtendens.

K *Hieronymus tom. 5. explanatione ad 8. caput Exechiel.* SEd vt ait Hieronymus ne lex & Prophetæ, id eſt, Exodus & Ezechiel, imò ipſe Deus, qui & hîc & ibi locutus eſt, in ſententiis diſcrepare videantur, attendamus finem illius auctoritatis Exodi. dicto enim, *Reddo iniquitates patrum in filios:* addit, *His qui oderunt me*, per quod euidenter oſtendit, non ideò puniri filios quia peccauerunt patres, ſed quia eis ſimiles quodam hæreditario malo Deum oderunt. Illud ergo quod in Exodo. Dominus dicit ſicut Hieronymus tradit; non id ſonat quod multi exiſtimant: nec eſt ſimile huic prouerbio, *patres comederunt vuam acerbam*, &c.

Illud

Illud enim Exodi Hieronymus ſuper illud Ezech. & Auguſtinus ſuper Pſalm. *Deus laudem meam ne tacueris*: de filiis peccata patrum imitantibus accipiendum cenſent: ſuper quos dicitur Deus reddere peccata patrum, quia punit eos, eo quòd imitantur peccata patrum, non quia patres peccauerunt. Non itaque corrigit Deus in Propheta quod ante dixerat in lege: ſed quomodo intelligendum ſit aperit. Vnde & illos qui prauè intelligebant arguit, qui dicebant, *patres comederunt*, &c. *Hieron. 31. c. in tom. 8. enarratione ad Pſa. 108. in expoſitione verſus*, In memoriã redeat iniquitas patrum eius.

Quare dixerit in tertiam & quartam generationem, *& quare patres tantùm commemorauit?*

L VEruntamen ſi de imitatoribus malorũ illud accipitur quare tertiam & quartam generationem tantùm commemorauit, cùm in qualibet generatione rei teneantur, qui peccata patrum imitantur? & quare patres commemorauit, cùm & illi omnes mali ſint, qui quorumlibet malorum peccata imitantur? Sed ideò patres ſpecialiter nominauit, quia maximè patres filij imitari ſolent, quos præcipuè diligunt. Et tertiam & quartam generationem ideò commemorauit, quia ſolent parentes interdum tandiu viuere, donec filios tertios & quartos habeant: qui patrum iniquitates videntes, eorum impietatis hæredes per imitationem efficiuntur. Secundùm hũc modum rectè intelligitur ad literam, quod in Exodo dicitur. *Solutio Gregor. lib. 14. mor. cap. 22.*

Quomodo illud Exodi intelligi debeat ſecundùm myſterium.

M QVod etiam myſticè intelligendum eſſe oſtenditur ex eo quòd parabola dicitur. [Si enim parabola eſt, vt ait Hieronymus, aliud verbis ſonat, aliud ſenſu continet. Vnde aliqui ita ediſſerunt, patrem in nobis eſſe dicunt, leuem punctum ſenſuum, ſcilicet primum motum ſuggeſtionis vel cogitationis. Filium verò ſi cogitatio conceperit peccatum: in quo notatur conſenſus & delectatio mulieris: Nepotem, ſi quod cogitaueris, atque conceperis, opere compleueris, vel complere decreueris: in quo notatur conſenſus viri, ſiue patratio peccati: pronepotem autem, ſi non ſolùm feceris, ſed in eo glorieris. Et hæc quarta generatio, non quia tres præceſſerint, ſed quarta dicitur, quia quarto loco à primo motu, qui eſt quaſi pater enumeratur. Deus ergo primos & ſecundos ſtimulos cogitationum quos Græci προπαθείας vocant, ſine quibus nullus hominum eſſe poteſt, non puniet æternaliter: ſed ſi quis cogitata facere decreuerit, & quæ fecit corrigere noluerit, quæ ſunt mortalia peccata, & tertia & quarta generatio.] *Loco prædicto. Prou. 2. c.*

Per quid probatur quòd primus motus non puniatur æternaliter.

N AD probandum verò, vt ait Hieronymus quòd primus pulſus cogitationis non puniatur æternaliter à Deo, illud de Geneſi afferendum eſt: Cham enim peccauit, irridens nuditatem patris: & ſententiam non ipſam, ſed filius eius Chanaam accepit. Maledictus Chanaam, ſeruus erit fratrum ſuorum; quæ enim iuſtitia eſt, vt pater peccaueris, & filius puniatur?] Sed in myſterio illud dictum eſt. *Ibid. paulò inferiùs Gen. 9. d.*

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm peccato originali debeatur tantùm pœna damni?

Alenſ.2.*p.q.*122.*m.*10. D.Thom.*hîc q.*2.*a* 2. D.Bonau *a.*3.*q.*1.Richard.*a.*3.*q.*1.*&* 2. Rubion, Ægid. Durand.Marſ.Gab. *Quando, Angles hîc* Hen. *hîc diſp.*27.*vocans affirmantes parvulos igne torqueri, parvulorum tortores.* Bellar. 6.*de ſtatu peccati c.*6.7. Suar. 3.*p.d.*57. 8. 6.*&* *d.*50.*ſec.*5.Vaſqu.1.2. *d.*134.Henr. *quodlib.*6.*q.*21.

QVÆRO circa diſtinctionem trigeſimam tertiam, in qua Magiſter agit de peccati originalis punitione, vtrùm peccato originali debeatur ſola carentia viſionis diuinæ pro pœna? 1.

Arg. 1. *de fide ad Petrum cap.* 24. Quòd non Auguſtinus in Ench. 23 *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites qui ſine Sacramento Baptiſmatis de hoc ſeculo tranſeunt, æterni ignis ſupplicio puniendos.*

Arg. 2. Præterea parvuli habebunt corpora paſſibilia, quia non glorioſa: igitur poterunt pati ab actiuo eis præſente: ergo ab igne. Aut ſi dicis quòd præſeruabuntur, ne ignis poſſit in ipſos agere, ſaltem videtur poſſe pati pœna interiori, ſcilicet famis & ſitis, & ita pœna ſenſus.

Arg. 3. Præterea, fomes erit in eis non extinctus: ergo poterunt habere concupiſcentias inordinatas ſecundùm eum: poterunt igitur ſibi inordinatè appetere delectabilia: propter quorum ablationem, & ſubſtractionem poterunt triſtari, & ita pati pœna interiori.

Arg. 4. Præterea, habebunt vſum rationis, & cognoſcent naturam ſuam: ergo poterunt cognoſcere ſe ordinatos ad vitam æternam: & cùm quilibet habens ordinatum appetitum appetat illam ſecundùm Auguſtinum 13. *Trinit. c.* 5. ergo ex certitudine carentiæ illius deſiderati poterunt triſtari, & ita pati pœna interiori.

Arg. 5. Præterea, exiſtens in puris naturalibus haberet iſtud damnum: ergo exiſtens deordinatus per culpam cùm habeat malitiam, quam iſte non habet, debet habere pœnam, quam iſte non habet, alioquin culpa eſſet impunita: & ita non ſolùm damnum erit pœna iſtis, ſed aliquid aliud.

*c.*89. *vide d. præſenti.* Oppoſitum vult Magiſter in litera & Auguſtinus *in Ench.* quòd mitiſſima pœna, &c.

SCHOLIVM.

Damnatos ob ſolum originale non habituros pœnam ſenſus exterioris, vel interioris, neque triſtitiam voluntatis, quia hæc videtur maxima hominis pœna: neque vllum actum inordinatum: c. Maiores de Baptiſ. Florent. ſeſſ. vlt. Greg. Nazianzen. orat. in lauacrum Aug. 3. *de lib. arb.* 23. *Amb. in epiſt. Rom.* 5.

*14.Ci c.*15. *Damnatos ob ſolum originale non habituros inordinatum motum c.*4. Hîc videtur [a] Magiſtrorum ſententia, quòd damnati pro ſolo peccato originali nullam habebunt pœnam ſenſus exterioris, puta ignis: quia nullam delectationem inordinatam habuerunt, cui delectationi correſpondeat acerbitas ignis affligentis, vt propria pœna. Nullam [b] etiam habebunt interiorem, vt triſtitiam, quia ſi triſtarentur de ſtatu ſuo, & triſtitia ſecundùm Auguſtinum ſit de his, quæ nobis inuitis accidunt: ergo ipſi inuoluntariè ſuſtinerent ſtatum ſuum, & vellent oppoſitum, & ita murmurarent contra diſpoſitionem diuinam: & ita haberent inordinatam diſpoſitionem voluntatis, quod videtur abſurdum. Nam ſententiâ diuinâ eſt diſpoſitum, quòd vbicunque ceciderit lignum, ibi erit, *in Eccleſiaſt.* igitur cùm iſti nullam inordinatam volitionem habuerunt in iſto ſtatu, ſequitur quòd nullam triſtitiam inferiorem habebunt. 2.

Præterea, ſi triſtarentur [c] de carentia beatitudinis, & viſionis diuinæ, cùm deſperent de ea, quia non habebunt ſpem, igitur haberent pœnam grauiſſimam inter pœnas omnium damnatorum, ſcilicet triſtitiam ex deſperatione.

Videtur

Videtur etiam, [d] quòd ſimpliciter maior ſit pœna triſtitia homini, vt diſtinguitur contra dolorem, quàm aliqua pœna alia ſenſus: quia ſicut voluntas eſt magis appetitus hominis inquantùm homo, quàm appetitus ſenſitiuus, ita quidquid agit, vel patitur ſecundùm voluntatem, ſimpliciter magis agit, & patitur inquantùm homo, quàm ſecundùm aliquem alium appetitum: & ita ſimpliciter magis patitur ſi triſtatur quàm ſi doleat, & ita non videtur quòd ſit ponenda in eis aliqua triſtitia.

Triſtitia videtur maxima pœna hominis, & quare.

COMMENTARIVS.

1. a *Hic videtur eſſe Magiſtrorum ſententia*, & ceter. Ad quæſtionem iſtam Doctor ſic procedit, primò ponit duas concluſiones reſponſiuas: deinde mouet duo dubia circa intellectionem earum. Prima concluſio eſt: Magiſtrorum eſt ſententia quòd paruuli poſt iudicium non habebunt pro ſolo peccato originali aliquam pœnam ſenſus exterioris, ſcilicet ignis, id eſt, paruuli non cruciabuntur in igne infernali, quia in appetitu ſenſitiuo nullam delectationem inordinatam habuerunt, nec ex conſequenti debent habere pœnam ſenſus ab igne, quæ habeat delectationem inordinatam ordinare, cùm nulla in fuerit eis.

b *Nullam etiam habebunt pœnam interiorem*, &c. Hæc eſt ſecunda concluſio huius quæſtionis, ſcilicet quòd paruuli nullam triſtitiam, nec pœnam interiorem habebunt, quia ſi haberent triſtitiam, cùm illa ſit de rebus quæ nobis nolentibus accidunt, aut igitur triſtarentur de ſtatu ſuo, aut de carentia viſionis diuinæ: non triſtantur de primo, quia tum nollent ſtatum ſuum, & appeterent oppoſitum, & ſic murmurarent contra Deum, & ita malam haberent voluntatem, quod eſt falſum, quia ordinatione diuina ſtatutum eſt quòd *vbi ceciderit lignum ibi ſit*, id eſt, in qua diſpoſitione, aut bona, aut mala, moritur homo, in eadem manet. Cùm igitur ipſi paruuli ſicut mortui abſque mala voluntate, in eadem diſpoſitione ſemper ſtabunt, nec poterunt peccare, quia ille non eſt ſtatus merendi, aut demerendi: igitur non triſtabuntur à ſtatu ſuo.

c *Praterea, ſi triſtarentur*, &c. Hîc Doctor probat quòd pueri non triſtantur de carentia viſionis diuinæ, quia tunc ſequeretur quòd illis ineſſet grauiſſima pœna, quod eſt contra Auguſtinum, qui dicit quòd eorum erit mitiſſima pœna. Et quòd hoc ſequatur patet, quia cùm de illa nullam habeant ſpeciem, ſequitur quòd ſi de illa triſtarentur, quòd illa eſſet in deſperatione, quæ eſt grauiſſima pœna omnium damnatorum.

d *Videtur etiam*, &c. Hîc Doctor probat quòd nullo modo pueri triſtantur: & ratio ſtat in hoc, quia ex quo triſtitia eſt maior pœna homini quàm quæcũque pœna ſenſus, & iſta minor non ponitur in eis, vt patet ex prima concluſione, ſequitur quòd nec aliqua triſtitia ponetur: concludendum eſt ergo, quòd nulla erit pœna ſenſus, id eſt, nullus dolor erit in eis, nec capitis, nec ventris, &c. nec etiam aliqua triſtitia erit in eis, & ita tantùm habebunt pœnã, quæ eſt damnum, ſcilicet non videbunt Deum, vel fruentur Deo: de illo tamen damno non triſtabuntur, ſed contenti erunt de ſuo ſtatu, etiam de carentia illius viſionis.

SCHOLIVM.

Damnatos ob ſolum originale, perfectiùs nobis cognoſcere naturalia, ac aliqualem habere naturalẽ beatitudinem: ita Lyran. in id Eccleſi. 4. Fœliciorem vtroque reputaui, *&c. dicens eſſe communem D. Thom. q.* 5. *de malo ar.* 3. *dicens quòd habebunt omnem perfectionem puerorum in puris naturalibus morientium, & hîc q.* 2. *a.* 2. *ait Deo coniunctos futuros bonorum naturalium communione, & gaudium habituros ex cognitione & dilectione naturalium. Richard. ait plus gaudij habituros quàm peccatores hîc, ſimpliciter tamen non habebunt fœlicitatem, quia in peccato, cuius oppoſitum docuerunt Pelagiani.*

Damnatos ob ſolum originale habere perfectiorem cognitionem naturalem quã nos, & dici poſſe habere aliqualẽ naturalẽ beatitudinem.

3. ET ſi quæratur de eis quantùm ad cognitionem, ſine aſſertione poteſt concedi quòd cùm non habebunt intellectum impeditum corpore corruptibili in tantùm, quantùm noſter intellectus impeditur in iſto corpore: nec etiam erit impedimentum per tormenta, ſicut habebunt damnati, poterunt habere cognitionem naturalem rerum, & hoc de nouo acquiſitam: quia hoc non repugnat immobilitati ſtatus eorum, cùm hoc etiam non repugnet immobilitati ſtatus beatorum, quòd de nouo intelligant aliqua facta contingentia: igitur

à ſimili non repugnat firmitati ſtatus eornm, quæ eſt in videndo verbum, quòd de nouo intelligant aliquod verum neceſſarium, quod priùs non intellexerunt, & ex vno vero neceſſario intelligere aliud verum neceſſarium, & ita poſſunt addiſcere aliquo vera neceſſaria de neceſſariis in genere proprio. Ita igitur & iſti, cùm non habeant ita perfectam cognitionem, & nullam poſſint recipere, nec ſit veriſſimile ponere in eis impedimentum, prõpter quod iſtam non poſſunt acquirere, videtur probabile concedere quòd omnium naturaliter cognoſcibilium poſſunt naturaliter cognitionem habere excellentiùs quàm aliqui habuerunt pro ſtatu iſto: & ita aliqualem beatitudinem naturalem de Deo cognito in vniuerſali poterunt attingere.

SCHOLIVM.

Vel non dandam paruulis Limbi notitiam beatitudinis, qua ſunt priuati, quia non debetur eis: vel ſi detur eis, quod eſt verius, quia aderunt iudicio Rom. 14. omnes nos manifeſtari oportet, *&c. & Matth.* 25. congregabuntur ad eum omnes gentes, *& docet cum communi Auguſt.* 6. *contra Iulian.* 8. *& ſerm.* 14. *de verbis Apoſtol. & Gregor.* 9. *mor.* 16. *tamen non triſtabuntur, quia erunt contenti ſua ſorte, aliàs actu peccarent, quod non poſſunt, Deo eos ſpecialiter protegente vt ſint impeccabiles.*

An ſcient paruuli Limbi ſe priuatos gloria, dubium; ſed eſto ſciant, non triſtabũtur, quia diuinæ voluntati cõformabunt ſuas.

Sed ſi quæratur de cognitione beatitudinis in particulari, vtrùm illam habeant, vel de ea triſtentur? Reſpondeo ſicut dictum fuit in prima quæſt. primi, illa cognitio non eſt poſſibilis homini, niſi ſupernaturaliter eleuatur: vel igitur non dabitur illis illa cognitio ſupernaturalis in particulari: quia eſſet eis ad triſtitiam, quam non demeruerunt habere, ſicut demeruit Paganus, propter quod demeritum ſibi cedit cognitio beatitudinis in particulari ad pœnam grauiſſimam, vt ſcilicet triſtetur deſperans ſe poſſe ad iſtam peruenire: vel ſi iſtam cognitionem in particulari habuerint, non triſtabuntur: quia erunt contenti de ſtatu ſuo, ſcientes Deum de ſe ita diſpoſuiſſe, nec ſuo actu hoc aliquando demeruiſſe. 4.

Ad arg. 1. diſt. præſenti a. 3. q. 1. ca. vlt. vt veniatur ad mediũ eundum eſt vltra.

Ad primum argumentum reſpondet Diuus Bonauentura dicens, quòd Auguſtinus exceſsiuè loquitur de illis pœnis ſicut frequenter faciunt Sancti, quia aliqui dixerunt eos nullam habere culpam, & ita nullam pœnam: quia ſecundùm Philoſophum, ſicut in moribus via deueniendi ad medium eſt aliqualiter procedere vltra medium verſus extremum, *ſecundo Ethicorum*, ita frequenter Sancti extinguendo contra ſe hæreſes pullulantes, exceſsiuè locuti ſunt, volentes declinare ad aliud extremum, & ita multum ponderandum eſt contra quos hæreticos Sancti locuti ſunt, ſicut Auguſtinus contra Arium, videtur quaſi declinare ad Sabellium, & è conuerſo ſimiliter videtur contra Pelagium declinare ad Arium & è conuerſo.

Aug. 5. cõtra Iulia. 8 ep. 28. ait, ſe nihil certò ſcire de pœna paruulorũ. Per ignẽ intelligi locum ignis, id eſt, infernum. ſequitur Bellarmin. ſup. c. 5. Arg. 2.

Aliter poſſet dici, quòd æterni ignis ſupplicio in ſenſu diuiſionis, id eſt, in illo ſupplicio, quod eſt in æterno igne, ſunt cremandi, id eſt, ſunt puniendi pœna damni, & non pœna ſenſus æterni.

Ad ſecundùm dicendum quòd ſicut damnatorum corpora patientur ab æterno igne, ſed non diſſoluentur: ita iſti carebunt perpetua viſione Dei ſupernaturali, ſine omni tali paſsione exteriori; nullam etiam paſsionem interiorem patientur, per quam poſsint conſumi: ita quòd ex diſpoſitione diuina corpora illa erunt impaſsibilia, licèt non ex dote impaſsibilitatis, ita quòd nec ab extrà, nec ab intrà patientur.

Vide Suar. 3. p. diſp. 50. ſect. 5. vbi docet hoc eis dãdũ propter Chriſtum, quem vt principem venerabũtur. Arg. 3.

Ad aliud de fomite dico, quòd ſicut fomes iſte nullum motum inordinatum ſuſcitauit in eis in via iſta, ita nec ibi aliquem ſuſcitabit.

Ad aliud dico, quòd deſiderium naturale non cauſat triſtitiam, niſi ſit electiuum. Sed hoc non videtur ponere per ſe iſtum magis punitum quàm illum, quia ſicut non eſt per ſe præmium intellectui cognoſcere creaturam, ſed Deum, ita non videtur per ſe pœna damni intellectui non cognoſcere creaturam: ſed per ſe pœna eſt viſione Dei priuari, & quoad hoc ſunt iſti æquales.

Et ideò ad quintum dici poteſt, ſicut dictum eſt diſtinct. 29. huius ſecundi, quòd alter

alter ponitur, aliter non : aliter enim debitor eſt iuſtitiæ, quam accepit iſte, & modò non habet, & aliter ille, cui non datur, non propter aliquam culpam ſuam, & reatum. Sicut ſi duos primò ex æquo acceptarem gratuitè ad aliquem honorem, vel ad aliquod donum accipiendum; poſtea alter offenderet, per quod demeretur illum honorem, & alter non, tamen non offendenti non datur, non propter aliquod demeritum, ſed quia non placeret mihi iſtum honorem ſibi dare. Iſti verò eſſent inæquales, quia alter priuatur quia reus: & alter non, tamen de facto nunquam erit aliquis in puris naturalibus, quia Deus naturam rationalem, quam fecit ſemper producit ad finem, ſi non fuerit ex parte illius impedimentum, vel defectus.

Locum paruulorum, vbi poſt iudicium futurum in hac terra tenent Cathar. opuſc. de ſtatu puer. Salmer. in 5. Rom. d. 18. idque ſub dubio tenet Baſ. ſolis Oriando, & Aquila hic.

COMMENTARIVS.

A *Liter poſſet dici*, &c. Nam in ſenſu compoſito eſt falſa, quia tum ſenſus eſt, æterni ignis ſupplicio, &c. Nam in æterno igne, vel ſupplicium æterni ignis includit etiam priuationem viſionis diuinæ: ſi intelligatur ergo ſic in ſenſu compoſito quòd æterni ignis ſupplicio, ſimul includendo pœnam ſenſus & pœnam priuationis viſionis diuinæ, ſic ſenſus eſt falſus; ſi verò intelligatur in ſenſu diuiſionis, ſic ſenſus eſt verus, quia puniuntur pœna priuationis viſionis diuinæ, quæ pœna eſt in æterno igni, ſed non puniuntur pœna ignis. Aliæ rationes patent in litera.

DISTINCTIO XXXIV.

De cauſa peccati.

A POST prædicta peccato actuali, diligenti indagine quædam conſideranda ſunt, ſcilicet quæ fuerit origo & cauſa primi peccati: Vtrùm res bona, an res mala, poſtea in qua re ſit peccatum. Deinde quid ſit peccatum, & quot modis fiat, & de differentia ipſorum peccatorum.

Qua fuit origo & cauſa peccati prima?

B CAuſa & origo prima peccati res bona extitit quia ante primu peccatũ non erat aliquid mali vnde oriretur. Cùm enim originem & cauſã habuit, aut bono, aut ex malo habuit: ſed malum ante non erat: ex bono ergo ortum eſt: priùs enim in Angelo ortum eſt peccatum, & poſtea in homine. Et quid erat Angelus, niſi bona natura Dei? Non ex Deo ortum eſt malum quod fuit in Angelo, non ex alio quàm ex Angelo: ex bono ergo ortum eſt. Vnde Auguſtinus in reſponſionibus contra Iulianum hæreticũ, qui dixerat. [Si ex natura peccatum eſt, tunc mala eſt natura ait, quæſo vt ſi poteſt reſpondeat. Manifeſtum eſt ex voluntate mala tanquam ex arbore mala, fieri omnia opera mala tanquam fructus malos: ſed ipſam malam voluntatem. Vnde dicit exortam, niſi ex bono? Si enim ex Angelo, quid eſt Angelus niſi bonum opus Dei? Si ex homine, quid erat ipſe homo, niſi bonum opus Dei? Imò quid erant hæc duo antequam in eis oriretur mala voluntas, niſi bonum opus Dei, & bona & laudanda natura? ergo ex bono oritur malum, nec fuit vnde oriri poſſet, niſi ex bono. Dico ergo quia

Id eſt, in ſecundo lib. de nupt. & concupi. ad Valer. c. 28 tom. 7. & quoad ſenſum lib. contra Iulian. cap. 3.

voluntatem malam nullum malum præceſſit, ſed ex bono originem habuit.] Hîc apertè dicitur primam cauſam, & originem mali bonam fuiſſe naturam. Et nihilominus oſtenditur cuius peccati fuerit cauſa, ſcilicet malæ voluntatis.

Quòd mala voluntas ſecundaria cauſa fuit malorum.

C *Aug. c. 23. tom. 6. Cap. 24. ibidem.* MAla autem voluntas illa Angeli & hominis, cauſa eſt etiam malorum ſubſequentium, ſcilicet malorum operum & malarum voluntatum. Vnde Auguſtinus in Ench. [Nequaquam dubitare debemus, rerum bonarum, quæ ad nos pertinent, cauſam non eſſe, niſi bonitatem Dei. Malorum verò de immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, prius Angeli poſtea hominis: hoc primum eſt creaturæ rationalis malum, id eſt, prima priuatio boni. Ecce habes primam voluntatem boni mutabilis, id eſt, Angeli & hominis deficientẽ ab immutabili bono, id eſt, à Deo, cauſam eſſe malarum rerum ad nos pertinentium, quia cauſa eſt tã peccatorum quàm pœnarum, quibus præmitur humana natura. Prima ergo origo & cauſa peccati, bonum fuit: & ſecunda malum quod ortum eſt ex bono.

In qua re ſit peccatum, in bona an in mala: & dicitur quia in bona tantùm.

D *Aug. ca. 11.* OStenſa origine mali, ſupereſt videre in qua re ſit malum, ſcilicet an in re bona, an in re mala? Qui rectè acutéque ſapit non niſi in bono malum eſſe intelligit, id eſt, in natura bona. Malum enim eſt corruptio, vel priuatio boni: vbi autem bonum non eſt, non poteſt corruptio, vel priuatio boni: peccatum ergo non poteſt eſſe niſi in re bona. [Sicut enim morbis ac vulneribus corrumpuntur corpora: quæ (vt ait Auguſtin. in Enchir.) ſunt priuationes boni eius quod dicitur ſanitas: ita & animorum quæcunque ſunt vitia, naturalium ſunt priuationes bonorũ. Quid eſt enim aliud quod malum dicitur, niſi priuatio boni?][Bonum enim minui, malũ eſt: quamuis quantumcunque minuatur; neceſſe eſt vt aliquid remaneat, ſi adhuc natura eſt. *Ibid. c. 12.* Non enim conſumi poteſt bonum quod eſt natura, niſi & ipſa natura conſumatur: cùm verò corrumpitur, ideò malum eſt eius corruptio, quia eam qualicunque priuat bono. Nam ſi nullo bono priuat, non nocet. Nocet autem, adimit ergo bonum. Quandiu itaque corrumpitur, ineſt ei bonum quo priuetur.] [At per hoc, nullum eſt quod dicitur malum, ſi nullum ſit bonum: ſed bonum omnino malo carens, integrum bonum eſt: cui verò ineſt malum, vitiatum vel vitioſum bonum eſt, nec malum vnquam *Ibid. ca. 13.* poteſt eſſe vllum vbi eſt nullum bonum. Vnde res mira conficitur, vt quia omnis natura, inquantùm natura eſt, bonum eſt: nihil aliud dici videtur: cùm vitioſa natura, mala natura eſſe dicitur: niſi malum eſſe quod bonum eſt, nec malum eſſe niſi quod bonum eſt.] Hac contextione euidenter inſinuatur, malum non poſſe eſſe, niſi in re bona vbi etiam licèt abſurdum videatur: manifeſtè dicitur eſſe malum, quod bonum eſt.

Quod

Quòd ex præmiſſis ſequitur, ſcilicet quòd cùm dicitur malus homo, dicitur malum bonum.

E EX quo colligitur, nihil aliud ſignificari cùm dicitur homo malus, niſi bonum malum. Vnde Auguſt. *in eodem* ſubdit. [Quid eſt malus homo niſi mala natura? quia homo natura eſt. Porrò ſi homo aliquod bonum eſt, quia natura eſt: quid aliud eſt malus homo, niſi malum bonum? tamen cùm duo iſta diſcernimus, inuenimus nec ideò malum, quia homo eſt, nec ideò bonum, quia iniquus eſt: ſed bonum quia homo, malum quia iniquus. Omnis itaque natura, etiam ſi vitioſa ſit, inquantùm natura eſt, bona eſt, inquantum vitioſa eſt mala eſt.] *Aug. c.11.* *Ibidē c.14.*

Quòd regula Dialecticorum de contrariis fallit in his, ſcilicet bono & malo.

F IDeóque in his contrariis, quæ bona & mala vocantur, illa Dialecticorum regula deficit, qua dicunt, nulli rei duo ſimul ineſſe contraria. Nullus enim potus, aut cibus ſimul dulcis eſt, & amarus. Nullum ſimul corpus: vbi album ibi & nigrum: & hoc in multis, ac penè in omnibus reperitur contrariis, vt in vna re eſſe ſimul non poſſint. Cùm autem bona & mala nullus ambigat eſſe contraria, non ſolùm ſimul eſſe poſſunt, ſed mala omnino ſine bonis; & niſi in bonis eſſe non poſſunt. Et hæc duo contraria ita ſimul ſunt, vt ſi bonum non eſſet, in quo eſſet malum, prorſus nec malum eſſe potuiſſet: quia non modò vbi conſiſteret, ſed vnde oriretur corruptio non haberet, niſi eſſet bonum, quod corrumperetur: quoniam nihil eſt aliud corruptio, quam boni exterminatio. Ex bonis ergo mala orta ſunt: & niſi in bonis non ſunt: nec fuit prorſus vnde oriretur vlla mali natura, niſi ex Angeli & hominis natura bona, vnde primitùs orta eſt voluntas mala. *Ibid.c.* 15.

Epilogum facit ad alia tranſiturus.

G EX his aperitur, quòd primò & ſecundò ſupra inueſtigandum diximus, ſcilicet quæ fuerit origo mali, & in qua re ſit. Ex bona enim re ortum & in re bona conſiſtere, præmiſſis teſtimoniis comprobatur.

Sententiæ illi qua dictum eſt, bonum eſſe malum opponitur de prophetia, quæ ait. Væ his qui dicunt bonum malum.

H AD hoc autem quod dictum eſt, malum eſſe quod bonum eſt, quidam ſic opponunt: ſi bonum malum eſſe dicimus, incidimus in illam ſententiam propheticam, vbi legitur: *Væ his qui dicunt bonum malum & malum bonum.* Igitur ſi hanc maledictionem vitare volumus, nullatenus dicere debemus bonum eſſe malum & è conuerſo. Hoc autem Auguſtinus in eodem libro determinat dicens: [Id quod dictum eſt in prophetia, intelligendum eſt de ipſis rebus, quibus homines mali ſunt, non de hominibus. Vnde qui adulterium *Ibid.c.13.* *Iſai.5. c.* *Auguſt. Ench.c.12. & 19.*

dicit bonum, in eũ cadit illa prophetica deteſtatio: & in eum qui dicit malum hominem bonum, vel bonum eſſe iniquum. Qui enim dicit hominem inquantùm homo eſt, malum eſſe: & bonitatem eſſe iniquitatem, opus Dei culpat, quod eſt homo: & vitium hominis laudat quod eſt iniquitas.]

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm peccatum ſit à bono ſicut à cauſa?

Alenſis 2. *p. q.*100. *m.*3. *a.*1. & 2. & 4. *p.q.* 84. *m.*3. *a.* 2. D. Thom. 1. 2. *q.*75. *a.*1. *& hic q.*4. *a.* 2. D. Bon. *hic ar.*1. *q.*1. 1. 3. Rich. *a.*2. *q.*2. 3. Gab. *qu* 1. Æg. *q.*1. *a.*4. *De errore Manichæorum vide Aug. hær.* 46. *&* 12. *ciuit.*2. *&* 5. *Conff.*12. *& Epiph. hær.*37.

Arg. 1. CIRCA diſtinctionem trigeſimam quartam, in qua Magiſter agit de peccato actuali, quæro de cauſa peccati, vtrùm ſcilicet peccatum ſit à bono ſicut à cauſa? Quòd non, quia Matth. 7. dicitur quod *non poteſt arbor bona fructus malos facere.* Et Gloſſa ibi: *Nihil dubium quin cauſa boni, ſit bona, & mali mala.*

Arg. 2. *Tix.co.*5 1. Præterea, omne agens aſſimilat ſibi effectum, *primo de generat.* ſaltem in remotiſſimis remotiſſima eſt aſſimilatio, puta in communiſſimis: ergo ad minus in perfectionibus communiſſimis, aſſimilatur effectus cauſæ: ergo & in bonitate, & per conſequens à bono vt à cauſa non poteſt eſſe peccatum, ſed à malo.

Arg. 3. Præterea, quidquid eſt à bono, vt ab efficiente, eſt ad bonum vt ad finem, quia deordinat à fine: ergo, &c. Probatio maioris. Philoſophus 5. Metaph. & 2. Phyſ. *Efficiens & finis ſibi inuicem ſunt cauſa.*

Tex. 2. *Text.*30. Præterea, malum in natura non eſt in effectu ab efficiente, ſicut à cauſa: numquam enim producitur effectus monſtruoſus, vel malus malitia naturæ, niſi à cauſa imperfecta: ergo ita hîc.

Arg. 4. *q.*1. *tex.*40. Præterea, aliquod eſt primum malum, vt probabo: ergo ab ipſo eſt omne aliud malum. Iſta conſequentia probatur de bono dicto in aliis vt patet diſt 2 primi libri: & probatur à Philoſopho 2. *Metaph.* de eo quod eſt maximum tale, à quo omnia alia ſunt alia. Et vlteriùs, ſi ab illo primo malo, non eſt aliquod bonum; ergo nec malum, quod eſt à primo malo, eſt ab aliquo bono. Iſta conſequentia probatur, quia idem non eſt à diuerſis cauſis, quæ non ſunt ordinatæ. Probatio primæ propoſitionis, quia aut eſt aliquod ſummum malum: & ita habebitur propoſitum, & hoc eſt primum: aut non, & ita omni malo eſt accipere aliquod peius in infinitum. Sed eſt inconueniens procedere in infinitum in permanentibus, ſecundo Metaphyſicæ, & declaratum eſt priùs *diſt.* 2. *primi*: ergo poteſt eſſe vnum malum intenſiuè infinitum, quod eſt propoſitum.

Tex. 5. *& inde q.* 1. Contrà eſt Magiſter in litera, vbi adducit Auguſtinum 2. de nuptiis & concupiſcentia.

SCHOLIVM.

*Vide diſputatam hanc quæſtionem infrà diſt.*37. *quæſt.*1. *à num.* 13. *& eius argumenta ſoluuntur ibi qu.* 2. *num.*19. *vbi oſtendit nullum malum eſſe à malo, & quomodo diabolus eſt ſummum malum.*

DISTINCTIO XXXV.

Quid ſit peccatum.

A OST hæc videndum eſt quid ſit peccatum. Peccatu eſt ait Auguſt. [omne dictum, vel factũ, vel concupitum, quod ſit contra legem Dei.] Idem in libro de duabus animabus. [Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod iuſtitia vetat.] In vtraque aſſignatione de actuali peccato agitur & mortali, non veniali. Ex prima deſcriptione oſtenditur peccatum eſſe volũtas mala, ſiue locutio & operatio praua, id eſt, actus malus, tam interior quàm exterior: ex altera verò tantùm oſtenditur eſſe actus interior, voluntas enim vt in ſuperioribus dictum eſt, motus animi eſt, actus ergo interior eſt. Ambroſius quoque in libro de Paradiſo ait. [Quid eſt peccatum niſi legis diuinæ præuaricatio, & cœleſtium eſt inobedientia præceptorum? Ego in præuaricante peccatum eſt, ſed in mundante culpa non eſt. Non enim conſiſteret peccatum, ſi interdictio non fuiſſet. Non conſiſtente autem peccato, non ſolùm malitia, ſed etiam virtus fortaſſe non eſſet: quæ niſi aliqua malitiæ fuiſſet ſemina, vel ſubſiſtere, vel eminere non poſſe.] Ecce præuaricationem legis & inobedientiam definit Ambroſius eſſe peccatum.

Auguſtin. lib. contra Fauſtum Manicha. 22. cap. 27. to. 6. cap. 11. tom. 6. & Retract. li. 1. c. 15.

Amb. c. 8. tom. 4.

Diuerſorum ſententias de peccato ponit.

B QVocirca diuerſitatis huius verborum occaſione, de peccato plurimi diuerſa ſenſerunt. Alij enim dixerunt voluntatem malam tantùm eſſe peccatum, & non actus exteriores. Alij voluntatem & actus. Alij neutrum dicentes omnes actus eſſe bonos, & à Deo, & ex Deo auctore eſſe; malum autem nihil eſſe, vt ait Auguſtinus ſuper Ioan. *Omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil*, id eſt, peccatum, quod nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant. Suprà enim dixit Auguſtinus quòd malum eſt priuatio boni, vel corruptio boni, qui etiam *in libro 83. qq.* ait ſummum malum nullum modum habet, caret enim vnum bono.

At modus aliquid boni eſt: non igitur eſt, quia nulla ſpecie continetur: totúmque hoc nomen *mali* de ſpeciei priuatione repertum eſt. Item in dogmatibus Eccleſiaſticis dicitur, malum vel malitiam non eſſe à Deo creatam, ſed à Diabolo inuentam, qui & ipſe bonus creatus eſt. Idem etiam in lib. contra Manichæos, quid ſit peccatum oſtendit, dicens, Peccare quid eſt aliud eſt, niſi in veritatis præceptis, vel in ipſa veritate errare? Quod ſi non voluntate faciunt, peccatores iniuſtè iudicantur. Quid ergo in hac tanta varietate tenendum, quidue dicendum?

Ioann. 1. a. In tom. 9. tract. 1. ad c. 1. diſt 34. litera D Quæſt. 6. tom. 4. cap. 57. tom. 3. Quid dicitur de fide contra Manicha. c. 8. tom. 6.

Vera ſententia de peccato proponitur.

C SAnè dici poteſt, & liberè tradi debet, peccatum eſſe actum malum interiorem, & exteriorem, ſcilicet malam cogitationem, locutionem,& *Matt. c.7.* operationem: præcipuè tamen in voluntate conſiſtit peccatum, ex qua tanquam ex arbore mala procedunt mala opera tanquam fructus mali.

Traditio quorundam, qui dicunt voluntem malam, & actum inquantùm ſunt eſſe naturas, & ideò bona inquantùm vera mala ſunt, eſſe peccata.

D QVidam autem diligenter attendentes verba Auguſtini, quibus ſuprà & in aliis Scripturæ locis vtitur, nõ indoctè tradunt volũtatem ma- *Diſt. precedente lit. B & præſenti lit. B* lam, & actus malos, inquantùm ſunt, vel inquantùm actus ſunt, bona eſſe; inquantùm verò mala ſunt peccata eſſe: qui voluntatem & actum quencunque bonam Dei naturã eſſe dicunt, inquantùm actus eſt, vel voluntas, & ex Deo auctore eſſe: inquantùm verò inordinatè, & contra legem Dei fit, & fine debito caret, peccatum eſt, & ita inquantùm peccatum eſt, nihil eſt. Nulla enim ſubſtantia eſt, nulla natura eſt.

Auctoritatibus probant voluntates & actus omnes eſſe bona inquantùm ſunt.

E QVòd autem voluntas omnis & actio, bonum ſit, inquantùm eſt, ex eo probant quod ait Auguſtinus *lib.* 83. *quæſtionum.* Deus boni tan- *Aug. q.21. to. 4. & 1. Retract. cap. 26. Ibid. q.27.* tummodo cauſa eſt, quocirca mali auctor non eſt, quia omnium quæ ſunt auctor eſt: quæ inquantùm ſunt in tantùm bona ſunt. Idem probans nihil caſu fieri in mundo, ait in eodem. [Quidquid caſu fit, temerè fit: quidquid temerè fit non fit prouidentia: ſi ergo caſu aliqua fiunt in mundo, non prouidentia vniuerſus mundus adminiſtratur. Si non prouidentia vniuerſus mundus adminiſtratur; aliqua natura, vel ſubſtantia eſt, quæ ad opus prouidentiæ non pertinet. Omne autem quod eſt, inquantùm eſt, bonum eſt. Summum enim eſt illud bonum, cuius participatione ſunt cætera bona: & omne quod mutabile eſt, non per ſe, ſed boni illius participatione, inquantùm eſt bonum eſt, quod diuinam etiam prouidentiam vocamus. Nihil ergo caſu fit in mundo.] His teſtimoniis innituntur ad oſtendẽdum *Cap. 32. tom.3.* omne quod eſt, inquantùm eſt, bonum eſſe. Vnde idem Auguſtinus 1. *lib. de Doctri. Chriſt.* ait. Ille ſummè ac primitùs bonus eſt, qui omnino incommutabilis eſt: & cætera quæ ſunt, niſi ab illo eſſe non poſſunt: & in tantùm bona ſunt, inquantùm acceperunt vt ſint.

Quid ex prædictis colligitur?

F EX prædictis colligitur, atque infertur, quia ſi mala voluntas & mala actio eſt: inquantùm eſt, bona eſt. Sed quis eſt qui diffitetur malam voluntatem eſſe, & malam actionem? Mala ergo voluntas ſiue actio, inquantùm eſt, bonum eſt: & inquantùm voluntas vel actio, bonum ſimiliter eſt: ſed ex vitio mala eſt, quod vitium à Deo noneſt, neque aliquid

aliquid eſt. Quod Auguſtinus notaſſe videtur *lib.* 83. *q.* dicens: Vitium eſt voluntatis quo homo eſt deterior: quod vitium longè abeſt à voluntate Dei vt ratio docet. Ex hoc loco probant voluntatem, inquantùm vitioſa eſt, non eſſe à Deo: & inquantùm vitioſa, peccatum eſſe. Et peccatum eſt (vt aiunt) inquantùm non habet ordinem nec finem debitum: ita & actio inquantùm ex malo procedit, & ordinem non habet, & ad malum tendit. *Auguſtin. q. 4. tom. 4.*

Alia probatio quòd omnis actus inquantum eſt bonus eſt.

G ITem, & aliter probant omnem actum interiorem, vel exteriorem inquantùm eſt, eſſe bonum, quia non eſſet actus malus, niſi eſſet res bona: quia non eſt aliqua res mala, niſi eadem res bona ſit. Vnde Auguſtinus *in Ench.* omnis natura bonum eſt: nec res aliqua mala eſſet, ſi res ipſa quæ mala eſt, natura non eſſet: non ergo poteſt eſſe malum, niſi eſſet aliquod bonum. Quod cùm dici videatur abſurdè, connexio tamen ratiocinationis nos compellit hoc dicere. Ex præmiſſis teſtimoniis aſſerunt omnes actus, inquantùm ſunt, eſſe res bonas: nec aliquid eſſe malum, id eſt, peccatum, niſi idem quoque ſecundùm aliquid bonum ſit, & omnium quæ ſunt inquantùm ſunt, Deum autorem prædicant: & eius voluntate omnia eſſe quæcunque ſunt, quæ, inquantùm ſunt, naturæ ſunt. *Aug. c. 13.* *Summam perſtringit.*

Obiectio contra illos, qui dicunt omnes actus inquantùm ſunt, eſſe bonos.

H QVibus opponitur, ſi omnia quæ ſunt; inquantùm ſunt bona ſunt & naturæ ſunt: ergo adulterium, & homicidium & ſimilia inquantùm ſunt bona ſunt, & naturæ ſunt, & Deo volente fiunt, quod ſi eſt, tunc illi qui faciunt, illa, bona agunt: quod penitus abſurdum eſt. His verò ſic illi reſpondent: dicunt equidem adulterium, homicidium, & huiuſmodi non ſimpliciter actus denotare, ſed actuum vitia: Actus quæ ipſos adulterij, & homicidij inquantùm ſunt, vel inquantùm actus ſunt, à Deo eſſe, & bonas naturas eſſe: ſed non inquantùm adulterium & homicidium ſunt. Et ideò non ſequi dicunt, ſi actus qui homicidia & adulteria ſunt, à Deo ſunt, quòd homicidia & adulteria à Deo ſunt.

Alia illorum opoſitio contra eoſdem

I ITem, aliter eis opponitur, ſi aliquod non eſt malum, quod non ſit natura, vel res bona, quomodo ergo peccata ſunt non credere in Deum non ire ad Eccleſiam, & huiuſmodi: cùm iſta non ſint naturæ imò omnino non ſint? Non eſt enim aliquid, vel res aliqua, non ire ad Eccleſiam, vel non credere & huiuſmodi. Ad quod dicunt his atque huiuſmodi dictionibus, quæ videntur priuationes, ſimpliciter notare & nihil ponere, quid per negationem dicuntur, verè aliqua poni, actúſque per eas ſignificari. Non credere enim in Chriſtum incredulitatem dicunt: & nomine *incredulitatis* malum mentis actum ſignificari. Ita etiam cùm dicitur; non ire ad Eccleſiam malum, non cunctis contemptus ſignificatur, id eſt, voluntas mala, vel propoſitum: hoc enim declinare à bono, & ideò malum eſt: ſicut è conuerſo declinare,

clinare à malo bonum eſt: ſicut ergo declinatio à malo aliquid ponit, ſcilicet voluntatem, & propoſitum vitandi malum (non enim poteſt eſſe bonum, quod omnino nihil eſt) ita declinatio à bono quod eſt ſignificat, ſcilicet voluntatem & propoſitum mali. Et ſecundùm hoc vera eſt, & generalis illa peccati mortalis deſcriptio, quam ſuprà poſuit Auguſtinus, ſcilicet, peccatum eſt dictum, &c.

In principio diſtinctionis.

Vtrùm malus actus inquantùm peccatum eſt, ſit priuatio, vel corruptio boni?

K POteſt etiam quæri ab eiſdem. Cùm peccatum ſit (vt ſuprà dictũ eſt) priuatio vel corruptio boni, & omnis actus malus ſit peccatum: Vtrùm ſit priuatio, vel corruptio boni, inquantùm peccatum eſt, vel non? Si enim inquantùm peccatum eſt corruptio boni eſt, cùm corruptio vel priuatio boni pœna ſit homini: inquantùm ergo peccatum eſt, pœna eſt, quod ſi eſt, tunc inquantùm peccatum eſt, bonum eſſe videtur, & à Deo eſſe. Si autem non inquantùm peccatum eſt, corruptio eſt: quæritur ergo ſecundùm quid corruptio ſit? Si enim corruptio eſt, & non inquãtùm peccatũ eſt, cùm non ſit niſi bonum, præter quam in eo quod peccatum eſt: ergo inquantùm bonum eſt, corruptio vel priuatio boni eſt. Ad quod etiam ipſi dicunt actum malum, non inquantùm eſt, neque inquantùm bonum eſt, eſſe priuationem vel corruptionem boni, ſed inquantùm peccatum eſt, non tamen inquantùm peccatum eſt, pœna eſt, vel aliquid quod à Deo ſit. Vt enim ex verbis præmiſſis Auguſtini colligitur, peccatum dicitur corruptio, vel priuatio actiuè, non paſſiuè. Nam ideò malum vel peccatum dicitur corruptio boni, quia naturam bonam qualicunque priuat bono. Nam ſi non priuat aliquo bono, non nocet, vt ſuprà Auguſtinus ait. Nocet autem: adimit ergo bonum. Non autem nocet, niſi inquantùm peccatum eſt: ergo inquantùm peccatum eſt, priuat bono. Itaque inquantùm peccatum eſt, priuatio eſt vel corruptio boni.

Diſtinct. precedenti lit. D & præſent. lit. B

Reſponſio.

Idem habetur lib. 26. cõtra Fauſtum, ca. 3.

Quomodo inquantùm peccatum eſt, poſſit corrumpere bonum, cùm nihil ſit?

L SEd cùm nihil ſit inquantùm peccatum eſt, quomodo poteſt bonũ corrumpere vel adimere? Auguſtinus de hoc docet *in lib. de Natura & gratia* contra Pelagianos, dicens, abſtinere à cibo non eſt aliqua ſubſtantia: tamẽ ſubſtantia corporis, ſi omnino abſtineatur à cibo langueſcit & frangitur. Sic non eſt ſubſtantia peccatum, eo tamen natura animæ corrumpitur.

Aug. c. 20.

Quòd peccatum propriè corruptio eſt animæ & quomodo?

M PEccatum verò, id eſt, culpa propriè animæ corruptio eſt. Si autem quæritur, in quo poſſit corrumpi anima? In parabola illius qui incidit in latrones, qui eum vulnerauerunt & ſpoliauerunt, clareſcit. Incidit enim homo in latrones, quãdo per peccatum in poteſtatem diaboli traditur: & tunc per peccatum ſpoliatur gratuitis bonis, id eſt, virtutibus: & in naturalibus bonis vulneratur, quæ ſunt ratio, intellectus, memoria, & ingenium, & huiuſmodi, quæ per peccatum obtenebrantur, & vitiantur, per peccatum etiam priuatur illo bono, cuius participatione cætera bona ſunt, quo tantò magis priuatur, quantò magis ſe ab eo elongat.

Luc. 10. e f

Quali

Qualiter homo ſe elongat à Deo, ſcilicet per diſſimilitudinem, quam facit per peccatum.

N A Deo autem ſe elongat homo per peccatum, non loci diſtantia, quia [vbique totus & præſens eſt omnibus, & omnia in ipſo ſunt, vt ait Auguſtinus *lib.* 83. *q.* & ipſe locus eſt, locus tamen abuſiuè dicitur templum Dei: non quòd eo contineatur, ſed quòd ei præſens ſit, & inhabitans, id autem anima munda intelligitur.] Per peccatum ergo non ſecundùm locum aliquis longè fit à Deo, ſed in eo longè fit, quòd ab eius ſimilitudine recedit, & tantò longius, quantò fit diſſimilior. [Illa autem vt Auguſtinus ait *lib.* 83. *q.* quæ participatione ſimilia ſunt Deo, recipiunt diſſimilitudinem. At ipſa ſimilitudo uullo modo ex aliqua parte poteſt eſſe diſſimilis. Vnde fit vt cùm ſimilitudo patris filius ſit, ex nulla parte patri poſſit eſſe diſſimilis, cuius participatione ſimilia ſunt, quæcũque Deo ſimilia ſunt,] & illa poſſunt recipere diſſimilitudinem. Nihil eſt autem quod hominem adeò Deo diſſimilem faciat, quemadmodum peccatum. Cùm autem peccatum ſit priuatio, vel corruptio boni, quæ eſt in anima, eſt etiam priuatio, vel corruptio boni corporis, ſicut corpus hominis priuauit beneficio illius immortalitatis & impoſſibilitatis, quam habuit ante peccatum.

Aug. q. 20. tom. 4.

Ibid. q. 23

An pœna ſit priuatio boni?

O QVæri autem ſolet, vtrùm & pœna ſit priuatio, vel corruptio boni? Ad aliquod facilè reſponderi poteſt, ſi prædicta ad memoriam reuocentur. Diximus enim ſuprà, priuationem, vel corruptionem boni accipi actiuè, vel paſſiuè, id eſt, ſecundùm efficientium, vel effectum. Ideóque priuatio vel corruptio boni dicitur, & peccatum & pœna: ſed peccatum ſecundùm efficientiam, quia priuat vel corrumpit bonum: pœna autem ſecundùm effectum, id eſt, ſecundùm paſſionem, quæ eſt effectus peccati. Aliud eſt enim culpa, aliud pœna: alterum eſt Dei, id eſt, pœna; alterum diaboli vel hominis, id eſt, culpa.

Sigm K.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm peccatum ſit per ſe priuatio boni?

Alenſis 2. *p. q.* 101. *m.* 1. 2. *& q.* 102. *per totum.* D. Thom. 1. 2. *q.* 83. *a.* 1. *& 1. p. q.* 48. *a.* 3. *&* 4. Gab. *hîc q.* 1. *a.* 2. Capr. *d.* 30. *q.* 1. Vega 3. *in Trid. c.* 11. Bellarm. 1. *de gratia primi hom. c.* 1. Salaz. *tract.* 13. *d.* 13. *ſ.* 1. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 157. Caiet. 1. 2. *q.* 85. *a.* 3. *vbi* Con. Med. Zun. *tenent peccatum tantùm corrumpere gratuita, cuius autem gratuiti ſit corruptio, non conuenit, de quo* D. Thom. *ſuprà q.* 86. *a.* 1. 2. D. Bon. *hîc a.* 1. *&* 2. Richar. *a.* 2. *q.* 1. *&* 2. Bellarm. 5. *de ſtatu peccati c.* 16. *& de amiſſione gratiæ c.* 1. *Vide Scot. ſup. d.* 24. *& in Report. hîc q.* 1.

ARGA diſtinctionem trigeſimam quintam quæro, vtrùm peccatum ſit per ſe corruptio boni? Quòd non. Aug. 25. contra Fauſtũ & habetur in litera. *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Quodlibet iſtorum & poſitiuum ergo, &c. *Arg* 1. *Definitio peccati ex Aug.*

Item, illud eſt per ſe de ratione peccati, ſecundùm cuius diſtinctionem diſtinguitur peccatum: ſed ipſa diſtinguuntur ex diſtinctione alicuius poſitiui, puta ex conuerſione ad tale bonum creatum, vel tale: igitur ipſa conuerſio ad bonum creatum in communi eſt conuerſio ad ipſum peccatum in communi. *Arg.* 2

Præ

Arg. 3. Præterea, quæro cuius boni ſit corruptio? Non illius in quo eſt, quia accidens non corrumpit ſubiectum, quia naturaliter præſupponit ipſum: quod autem præſupponit aliquid naturaliter non corrumpit illud, nec etiam alterius boni, quia ſecundùm beatum Auguſtinum de Ciuit. cap 6. *Malum illiud bonum corrumpit cui nocet.* Sed non nocet niſi illi, in quo eſt: igitur, &c.

Ratio ad oppoſ. Oppoſitum vult Auguſtinus ſuper illud Ioann. primo. *Sine ipſo factum eſt nihil*, dicit: *peccatum nihil eſt.* Et Anſel. de Concept. Virg. & caſu diaboli ex intentione hoc probat, cap. 16. vide eum ibi diligenter.

SCHOLIVM.

Hæc quæſtio diſputatur, d. 37. q. 1. à n. 3. vſque ad 13. & eius argumenta ſoluuntur, n. 12. Vbi explicat Doctor illam definitionem, peccatum eſt dictum, factum, *&c. Et quomodo peccatum eſt corruptio rectitudinis debitæ.*

DISTINCTIO XXXVI.

A *Aug. in t. 8 prope finẽ enarrationis ad illũ Pſal. c. 1. d. Greg. hom. 11. circa illud.* Sed & ſi conuerſus *Geneſ. 15. d. Pſalm. 68. Oſeæ 14 a. 1 Theſ. 2. c.*

Ciendum eſt tamen quædam ſic eſſe peccata, vt ſint etiam pœnæ peccatorum. Vnde Auguſtinus ſuper illum locum Pſal. 57. *Supercecidit ignis & non viderunt Solem*, ait [Ignis ſuperbiæ & concupiſcentiæ & iræ intelligitur. Iſtas pœnas pauci vident, ideò eas maximè cõmemorat Apoſtolus in epiſt. ad Roman. & enumerat multa quæ peccata ſunt & pœnæ peccati. Inter primũ enim peccatũ Apoſtaſię, & vltimã pœnam ignis æterni, media quæ ſunt, & peccata ſunt & pœna peccati.] Gregorius quoque ſuper Ezechiel, ait. Contemnenti qui non vult pœnitere ponit Deus offendiculũ, vbi ſcilicet grauius impingat: peccatum enim quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum eſt & cauſa peccati: aut peccatum, & pœna peccati, aut peccatum ſimul, & cauſa & pœna peccati. Vnde Moyſes. *Nondum ſunt completa peccata Amorrhæorum.* Et Dauid inquit, *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.* Et alius Propheta, *Sanguis ſanguinem tetigit*, id eſt, peccatum peccato additum eſt. Paulus quoque ait, *propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*, &c. Et Item *vt impleant peccata ſua ſemper.* Ioanni quoque per Angelum dicitur, *qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Ex his teſtimoniis colligitur, peccatum aliquod & peccatum eſſe & pœnam peccati.

Ex prædictis quæſtio oritur, ſcilicet an inquantùm peccatum eſt, ſit pœna peccati?

B *Aug. l. 1. c. 9. & 3. lib. de libero arbitrio, c. 18. tom. 1.*

ET ideò meritò quæritur, vtrùm inquantùm peccatum eſt ſit pœna peccati: quòd non videtur, cùm omnis pœna peccati iuſta ſit. Vnde Auguſtinus *in lib. Retract.* [Omnis pœna peccati iuſta eſt & ſuppliciũ nominatur] Si ergo peccatum, quod eſt peccatum, & pœna peccati, inquantùm eſt, pœna peccati eſt, cùm omnis pœna de iuſtitia Dei veniat, videtur inquantùm peccatum eſt, iuſtum eſſe & à Deo prouenire. Ad quod illi reſpondent, peccatum ſic dici pœnam peccati, quia per peccatum in quod meritò præcedentis peccati homo labitur deſerente Deo, corrumpitur bona natura. Sicut ignis æternus dicitur pœna malorum, quia eo cruciantur. Nec tamen ipſe cruciatus malorum ignis eſt, ſed per ignem fit in homine: ita

ita per peccatum corrumpitur natura, & imminuitur bonum naturæ: & eſt ipſa imminutio & corruptio boni, paſſio & pœna: & non eſt eſſentialiter ipſa peccatum, per quod fit: ſed ideò peccatum dicitur, vt præmiſſum eſt, quia per peccatum illico vt peccat homo, fit in homine illa corruptio, quæ tamen fit à Deo auctore. Illa enim pœna, ſiue paſſio, quæ eſt boni corruptio, à Deo eſt. Illius tamen (vt ſic dicam) materia & cauſa eſt peccatum, quod à Deo non eſt, quod videtur Auguſtinus notaſſe, & iuxta hunc ſenſum intellexiſſe, cùm ait, *in libro de prædeſtinatione ſanctorum.* [Prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus: ſed præſciuit Deus etiam quæ non eſt ipſe facturus, id eſt, omnia mala; quia etſi ſunt quædam quæ ita peccata ſunt, vt etiam pœnæ ſint peccati, ſecundùm illud Apoſtoli, *Tradidit illos Deus in paſſiones*, &c. non tamen peccatum Dei eſt, ſed iudicium] ſcilicet pœna. In Scriptura enim ſæpè nomine *iudicij* pœna intelligitur. Hîc diligenter intendentibus inſinuare videtur, ea quæ peccata ſunt & pœnæ peccati: non inquantùm peccata ſunt: ſed inquantùm pœnæ Dei eſſe. Nam cùm dixiſſet Deum non eſſe facturum mala aliqua, id eſt, peccata, quia poſſet ei obiici, quædam peccata eſſe, etiam pœnas peccati, & pœna peccati omnis iuſta eſt, & ideò à Deo eſt: quaſi determinando ſecundùm quid faciat ea, vel ſecundùm quid non faciat, addidit reliqua. Iuxta verò prædictam intelligentiam, peccata ſanè dicuntur pœnæ: vnde Apoſt. appellat eas paſſiones ignominiæ, quia vt ait auctoritas, licèt quædam peccata ſint quæ delectant, ſunt tamen paſſiones naturæ non nominandæ: quia per ea corrumpitur natura.

Cap. 10. tom. 7.

Rom. 1. d

Ibidem.

Quòd cùm omne peccatum poſſit dici pœna, non tamen omne eſt pœna peccati.

C ET licèt ex hoc ſenſu omne peccatum mortale poſſit dici pœna, non tamen omne poteſt dici pœna peccati: pœna enim peccati, vt prædictum eſt, eſt illud cuius cauſa eſt aliud præcedens peccatum. Nam peccatum ſic dicitur pœna peccati reſpectu præcedentis, ſicut dicitur cauſa peccati reſpectu ſequentis, quo fit vt idem peccatum & cauſa ſit, & pœna peccati: ſed alterius peccati pœna, & alterius cauſa. Vt enim Gregorius in Moralibus ait: [Peccatum, quod pœnitentia non diluitur, ſuo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit vt non ſolùm peccatum ſit, ſed & cauſa peccati, ex illo quippe culpa ſubſequens oritur. peccatum verò quod ex peccato oritur, non ſolùm peccatum, ſed pœna peccati eſt: quia iuſto iudicio Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito, etiam in alia cadat. Quem enim liberare noluit deſerendo percuſſit] [Proinde vt Auguſtin. ait, præcedentis eſt hæc pœna peccati, & tamen etiam ipſa peccatum eſt. Iudicio enim iuſtiſſimi Dei traditi ſunt, vt ait Apoſtolus de quibuſdam, ſiue deſerendo, ſiue alio modo explicabili, ſiue inexplicabili, in paſſiones ignominiæ: vt crimina criminibus vindicarentur, & ſupplicia peccantium non tantùm ſint tormenta, ſed & vitiorum incrementa. Illa ergo peccata, quæ enumerat Apoſtolus, quia de ſuperbia ſunt, non ſolùm peccata, ſed etiam ſupplicia ſunt.] Ecce ex his iam fit perſpicuum

Grego lib. 25. c. 12. Circa illud Iob 34. nouit Dominus opera eorum.

Aug. contra Iulian. lib. 5. cap. 3. tom. 7.

quædam peccata etiam pœnas & cauſas peccati eſſe, & illud peccatum eſſe pœnam peccati, quod cauſam præcedentem habet peccatum: atque illud peccatum eſſe cauſam peccati, quod eſt meritum ſequentis culpæ.

Ex prædictis videtur ſignificari ipſa eadem, quæ peccata ſunt, eſſe & pœnas peccati.

D *Hilarius lib. 4. de Trin. non longè à medio.*

SEd cùm ait crimina criminibus vindicari, videtur inſinuare ea ipſa quæ peccata ſunt, eſſentialiter eſſe pœnas peccati, id eſt, punitiones peccati. Ad hoc autem, inquiunt illi, hæc & ſimilia dicta eſſe ſecundùm rationem prædictam: & ideò intelligenda fore ſecundùm præmiſſam expoſitionem. [Intelligentia enim dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi.]

Quòd non obuiat veritati, ſi quis dicat ipſa peccata eſſe pœnas peccati eſſentialiter.

E

IN nullo tamen præiudicium factum veritati putatur, ſi quis dicat ipſa eadem quæ peccata ſunt eſſentialiter (vt ita dicam) eſſe pœnas; id eſt, punitiones peccatorum præcedentium, quæ iuſtæ ſunt, & à Deo ſunt, nec tamen inquantùm peccata, à Deo ſunt, nec inquantùm peccata ſunt, pœnæ peccati ſunt: & tamen inquantùm peccata ſunt, priuationes boni ſunt, ſed, vt ſuprà dictum eſt, cauſaliter & actiuè dicuntur priuationes.

Diſtinctio. præced. lit. K.

Apertè oſtendit peccata quædam eſſe pœnam peccati, & pœnam ipſam iuſtam eſſe à Deo.

F *Aug. l. 9. & lib. de lib. arb. 3. c. 18. to. 1. Rom. 7. d. Gala. 5. c. Gen. 2. d.* quacũque die comederitis ex &c. *Aug. lib. de lib. arb. 3. c. 18. tom. 1.*

QVòd autem quædam peccata pœnæ ſint, ipſa pœna iuſta ſit, & à Deo ſit, euidenter tradit Auguſtinus *in lib. Retractationum*, id eſt, dicens quædam neceſſitate fieri ab hõmine, quæ mala ſunt, & eadem iuſta pœna peccati ſunt. [Sunt, inquit, quadam neceſſitate facta improbanda, vbi homo vult rectè facere, & non poteſt. Vnde & illud Apoſtoli, *Non quod volo facio bonum, ſed quod odi malum, hoc ago.* Et illud: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim inuicem ſibi aduerſantur, vt non ea quæ vultis faciatis*, ſed hæc omnia ex illa mortis damnatione ſunt. Nam ſi non eſt iſta pœna hominis, ſed natura, nulla iſta peccata ſunt. Si enim non redditur ab eo modo quo naturaliter factus eſt homo, cùm hæc facit, ea vtique facit quæ debet. Si autem homo, quia ita eſt non eſt bonus, nec habet in poteſtate vt ſit bonus, ſiue non videndo qualis eſſe debeat, ſiue videndo, & non valendo eſſe, qualem ſe eſſe debere videt, pœnam iſtam eſſe quis dubitet? Omnis autem pœna ſi peccati pœna eſt, iuſta eſt, & ſupplicium nominatur. Si autem iniuſta eſt pœna, quoniam pœnam eſſe nemo ambigit, iniuſto aliquo dominante homini impoſita eſſe. Porrò quia de omnipotentia Dei & iuſtitia dubitare dementis eſt, iuſta eſt hæc pœna, & pro peccato aliquo impenditur. Non enim quiſquam iniuſtè dominans, aut ſurripere hominem potuit velut ignoranti Deo, aut extorquere inuito tanquam inualidiori, vt hominem iniuſta pœna cruciaret. Relinquitur ergo vt hæc pœna iuſta de damnatione hominis veniat.] His atque aliis pluribus teſtimoniis docetur, quædam eſſe peccata & pœnas peccatis eſſentialiter.

De

De quibuſdam, quæ ſine dubio peccata ſunt & pœna vt ira, inuidia.

G PRæterea, nullatenus ambigendum eſt, quædam peccata abſque vllo ſcrupulo pœnas eſſe, vt inuidia, quæ eſt dolor alieni boni, & ira, quæ etiam non inquantùm pœnæ ſunt peccata ſunt: ita etiam de cupiditate & timore, & aliis huiuſmodi ſentiendum eſt. Vnde Auguſtinus *lib. 83. quæſtionum* ait: [Omnis perturbatio paſſio: omnis cupiditas perturbatio: omnis ergo cupiditas paſſio: Omnis autem paſſio cùm eſt in nobis, ipſa paſſione patimur, & inquantùm paſſio eſt, patimur: omnis ergo cupiditas cùm eſt in nobis ipſa cupiditate patimur, & inquantùm cupiditas eſt patimur: omnis autem paſſio inquantùm ipſa paſſione patimur, non eſt peccatum: ſic & ſi patimur timorem, non eſt peccatum.] Non enim conſequens eſt ex eo quòd peccatis multis patimur, ideò ſemper peccatum eſſe quo patimur: ſicut nec ideò ſequitur, quod patimur non ſit peccatum. *Aug. q. 77 tom. 4.*

Quòd verbis Auguſtini præmiſſis quædam ſententia Hieronymi obuiare videtur.

H ILlud autem diligenter eſt annotandum quod ſuprà poſitis verbis Auguſtini dicentis quædam neceſſitate facta eſſe improbanda & mala, videtur obuiare quod Hieron. ait in explanatione fidei: quod licèt ſupra ſit poſitum, tamen vt perfectiùs ſciatur, iterare non piget. Execramur, inquit, eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum; & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſe ſeruari. & paulò pòſt, & tam illos errare dicimus, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non poſſe quàm illos qui cum Iouiniano aſſerunt hominem non poſſe peccare. Ecce Hieronymus dicit errorem eſſe, ſi quis dicat hominem vitare peccatum non poſſe. Qui autem dicit quædam neceſſitate fieri, quædam dicit non poſſe vitari. Cùm ergo id Auguſtinus dicat, videtur aut erroris eſſe quod tradit, aut non eſſe verum, quod Hieronymus ait, *Hieron. to. 4. ad Damaſum Papam d. 28. huius 2. lit. h.* *3. c. 18. & l. Retract. c. 9. li. 2. de prædeſt. Sanctorum cap. 11.*

Determinatio contrarietatem ſubmouens de ſanctorum medio.

I AD quod dici poteſt, quia Auguſtinus ſecundùm ſtatum huius miſeriæ (ad quam pertinet ignorantia & difficultas, vt idem ait in lib. de libero arbitrio, quæ ex iuſta damnatione deſcenderunt) illud tradidit, vbi & venialia peccata incluſit. Hieronymus verò tantùm de mortalibus peccatis loquitur, quæ vnuſquiſque gratia illuminatus vitare valet, vel de homine ſecundùm ſtatum liberij arbitrij ante peccatum, illud ait.

Epilogum facit ad alia tranſiturus.

K SAtis diligenter eorum poſuimus ſententiam, qui dicunt omnes actus naturas eſſe, & inquantùm ſunt, bonos eſſe. In quo tractatu quædam interſerimus quæ non ex eorum tantùm perſona accipienda ſunt, quia ab

omnibus Catholicè ſapientibus, abſque hæſitatione tenentur: atque auctoritatum teſtimoniis & rationibus eorundem traditionem muniuimus, qui dicunt omnes actus eſſentiâ ſui, id eſt; inquantùm ſunt, eſſe bonos, quoſdam verò inquantùm inordinatè fiunt peccata eſſe. Addunt quoque quoſdam, non tantùm eſſentia, ſed etiam genere bonos eſſe, vt reficere eſurientem, qui actus eſt de genere operum miſericordiæ: quoſdam verò actus abſolutè ac perfectè bonos dicunt, quos non ſolùm eſſentia, vel genus, ſed etiam cauſa & finis commendat: vt ſunt illi qui ex bona voluntate proueniunt, & bonum finem metiuntur.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm peccatum ſit pœna peccati?

Alenſis 2.*p.q.*127.*mem.*7.*&* 1.*p.q.*40.*mem.*2. D. Thom. 1.2. *q.*87. *art.* 2. *vbi* Caiet. Med.*& hîc q.* 1.*art.*3. D. Bonau. *art.*1.*q.*1. Richard. *art.*1. *q.*1. Dur. *q.*1. Heru. *hîc diſp.* 42. Salaſ. *tract.* 13. *d.*15. *num.*10. Canus 2.*de loc.*4. Vaſq. 1.2.*d.*140.

Arg. 1. IRCA diſtinctionem trigeſimam ſextam quæritur, vtrùm peccatum ſit pœna peccati? Quòd non, Auguſtinus 1. Retraction. cap. 25. & 26. *Omnis pœna iuſta eſt.* Omne iuſtum à Deo eſt: ergo omnis pœna à Deo eſt: nulla autem culpa à Deo eſt: ergo nulla culpa eſt pœna peccati. 1.

Arg. 2. Item, omne peccatum eſt voluntarium, ſecundùm Auguſtinum *de vera Religione*, pœna eſt inuoluntaria ſecundùm Anſelm. de Concept. Virg. c. 4. ergo.

Arg. 3. Præterea, pœna non excedit culpam, quia Deus punit ſemper citra condignum: ſed quandoque ſequens peccatum maius eſt præcedente, ſimiliter etiam cùm ſit ſtatus in peccatis, vltimum non punitur per aliquod peccatum: ergo non ita punitur, ſicut aliquod præcedens: & tamen vltimum poteſt eſſe maius præcedente: igitur aliqua pœna minori punitur, quod eſt inconueniens.

Ratio in oppoſit. Contrà eſt Magiſter in litera, & adducit auctoritates, vt ibi apparet.

SCHOLIVM.

Hæc quæſtio tractatur à Doctore fusè d. 37. *quæſt.* 2. *à num.* 22. *& ſoluuntur eius argumenta ibid. num.*25. *vbi explicat quo ſenſu peccatum ſit pœna, & quomodo ſit à Deo.*

DISTINCTIO XXXVII.

A SVNT autem & alij plurimi longè aliter de peccato, & de actu ſentientes: aſſerunt enim voluntatem malam & actum malum peccata eſſe, & nulla ratione bona, nec ſecundùm aliquam rationem ex Deo auctore eſſe, quia ſine Deo fiunt. Sine eo namque (vt ait Euangeliſta) factum eſt nihil, id eſt, peccatum, quod dicitur eſſe nihil: non quia non ſit actio, vel voluntas mala, quæ aliquid eſt; ſed quia à vero eſſe ſeparat homines, & ad malũ trahit: & ſic ad *non eſſe* deducit, qui enim à ſummi boni participatione recedunt, quod ſolum verè ac propriè eſt, meritò non eſſe dicuntur. Ideóque Aug. dicit ſuper Ioan. peccatum nihil eſſe, nihilque fieri cùm peccant homines: hac ergo ratione aſtruunt peccatum nihil eſſe, quia à vero *eſſe* hominem elongat. Voluntatémque malam atque actionem, ſiue locutionem malam peccatum eſſe dicunt: quia præuaricatio & inobedientia hæc ſunt, & contra legem Dei fiunt, quæ tamen ſunt, ſed ab homine, vel Diabolo, non à Deo. Nullatenus enim hæc à Deo eſſe dicunt, ſiue inquantùm ſunt, ſiue alio modo.

Ioan.1.a.

Aug.tom. 9.tract.1. ad 1.cap. Ioannis.

Qualiter determinent verba Auguſtini præmiſſa, quibus ait, omne quod eſt inquantùm eſt bonum eſt.

B ILla quoque Auguſtini verba, quibus dicit, *omne quod eſt, inquantùm eſt, bonum eſſe*, & Deum habere auctorem, de naturis, ſiue de ſubſtantiis tantùm accipienda fore tradunt: *ſubſtantiæ* verò nomine, atque *naturæ*, dicunt ſignificari ſubſtantias ipſas, & ea quæ naturaliter habent, ſcilicet quæ concreata ſunt eis, ſicut anima naturaliter habet intellectum, & ingenium & voluntatem, & huiuſmodi, quod ex verbis Auguſtini præmiſſis colligitur, vbi bonum hominem appellat bonam naturam, & malum hominem malam naturam. Secundùm hanc ergo aſſertionem, vel acceptionem mali actus, non ſunt naturæ, vel ſubſtantiæ, nec etiam boni actus: quod vtique videtur Auguſtinus innuere in libro primo Retractationum, diſtinguens inter ſubſtantias, ſiue naturas, & bonas actiones, ſiue malas. Aperiens enim quomodo intelligendum ſit quiddam in libro de vera religione ab eo traditum, ait. [Hoc de ſubſtantiis, atque naturis dictum eſt. Inde enim diſputabatur, non de bonis actionibus atque peccatis.] Apertè hîc videtur diuidere inter naturas, ſiue ſubſtantias, & actiones, ſiue peccata. Ideóque aſſerunt præfati Doctores, actiones interiores, vel exteriores non eſſe naturas, vel ſubſtantias: quæ ſi malæ ſunt, peccata ſunt, neque à Deo ſunt. Quod verò mali actus nõ ſint naturæ, Auguſtinus videtur notare in prima reſponſione contra Pelagianos, ita dicens: opera Diaboli, quæ vitia dicuntur, actus ſunt, non res. Idem in quarta reſponſione,

Diſt.34. lit.c.33. lit.g.

Aug.li.1. Retract.c. 13.c.30.

Lib.hypognoſt.in fi. libri 4.in principio.

Omne malum natura non eſt, ſed actus accidens alicui ex defectu boni, quamobrem quod natura non eſt, Deus non fecit: quia natura eſt omne quod fecit. Item, omne quod natura bonum eſt, Deus ex nihilo fecit, non Diabolus.

Secundùm hos, res aliquæ ſunt, quæ à Deo non ſunt, quibus homines mali ſunt.

C EX quo colligitur res aliquas eſſe quæ à Deo non ſunt, eíſque homines mali ſunt: quod nihilominus & ipſi concedunt, innitentes verbis Auguſtini ſuperiùs poſitis, qui *in Ench.* determinans illa verba Prophetæ, *Væ his qui dicunt bonum malum*, dicit de ipſis rebus, quibus homines mali ſunt, non de hominibus hoc eſſe intelligendum. Sunt ergo aliquæ res, quibus homines mali ſunt. Id autem quo homo fit deterior à Deo non eſt: quia, vt ait Auguſtinus *in lib. 83. quæſt.* [Deo auctore non fit homo deterior.] Non eſt ergo Deus auctor rerum, quibus homo deterior fit. At ſunt aliquæ res, vt dictum eſt, quibus homines mali fiunt, quia peccata ipſæ ſunt. Ideóque Scriptura in pluribus conteſtatur locis, Deum non auctorem malorum, id eſt, eorum quæ peccata ſunt.

Aug. c. 19. Iſai. 5. c.

q. 3. tom. 4.

Gen. 1. Deut. 32. Sap. 1.

Ex parte eorum præmiſſæ opponitur ſententia in illo verbo, Deus auctor malorum non eſt.

D IN hoc autem verbo ſuperiorum ſententiæ rectè opponitur, qui dicunt Deum non eſſe auctorem eorum, quæ mala ſunt, inquantùm mala ſunt, ſed inquantùm ſunt: & inquantùm mala ſunt, dicunt ea nihil eſſe: quid ergo mirum, ſi Deus dicitur non eſſe auctor eorum inquantùm nihil ſunt, cùm nihili nullus auctor exiſtere queat? Ideóque cum dicitur Deus eſſe auctor omnium quæ ſunt, bonorum iſti ſubintelligi volunt. Bona autem illa eſſe dicunt, quæ naturaliter ſunt. Ea verò naturaliter eſſe dicunt, non ſolùm quæ ſubſtantiæ ſunt, vel concreata ſubſtantiis, qualiter ſuprà acceperunt: ſed & omnia quæ naturam non priuant bono. Et ita ſecundùm eoſdem multiplex in Scripturis fit intelligentia, vbi de natura, ſiue de ſubſtantia, vel de his quæ naturaliter ſunt, ſermo occurrit. Sed ſuper illum locum Pſal. *Non eſt ſubſtantia*, ita Auguſtinus de ſubſtantia diſſeruit, vt præmiſſæ ſententiæ videantur conſentire, dicens: [Subſtantia intelligitur illud, quòd ſumus quicquid ſumus, homo, pecus, terra, ſol: omnia iſta ſubſtantiæ ſunt: & eo ipſo quo ſunt naturæ ipſæ ſubſtantiæ dicuntur. Nam quod nulla eſt ſubſtantia, nihil omnino eſt: ſubſtantia ergo eſt aliquid eſſe: Deus fecit hominem ſubſtantiam, ſed per iniquitatem lapſus eſt homo à ſubſtantia, in qua factus eſt, iniquitas quippe ipſa non eſt ſubſtantia. Non enim iniquitas eſt natura, quam formauit Deus, ſed iniquitas eſt peruerſio, quam fecit homo. naturæ omnes per ipſum factæ ſunt: iniquitas per ipſum non facta eſt: quia iniquitas non eſt ſubſtantia. In illo hymno trium puerorum vniuerſa creatura laudans Deum commemoratur, laudant enim omnia Deum, ſed quæ fecit Deus: laudat ibi ſerpens Deum, ſed non auaritia. Omnia reptibilia ibi nominata ſunt, ſed non aliqua vitia. Vitia enim ex nobis & ex noſtra voluntate habemus, & vitia non ſunt ſubſtantia.] Intendant diligenter his verbis præmiſſarum aſſertores

Pſal. 68. Aug. to. 8. enarratione ad illum verſum Et non eſt ſubſtantia.

aſſertores ſententiarum,& percipere poterunt rationem, & cauſam dictorum,vbi Scriptura de natura, vel ſubſtantia mentionem facit. Illarum verò ſubſtantiarum iudicium prudentis lectoris,cui vtriuſque ſententiæ notitiam plenariè dedimus arbitrio relinquimus,ad ea quæ adhuc nobis ſuperſunt tractanda feſtinantes.

Quòd de peccato non de pœna intelligitur,cùm dicitur, Deus non eſt auctor mali.

E CVm igitur in omnes conſentiant Catholici tractatores, ſcilicet quòd Deus non eſt auctor malorum, cauendum eſt tamen, ne *malorum* nomine pœnas ſicut peccata generaliter includas, pœnarum enim Deus auctor eſt, ſicut ipſe per Prophetam ait, *Non eſt malum in ciuitate quod Dominus non fecerit.* Item alibi ex perſona ſua ait: *Ego ſum Deus creans malum & faciens bonum.* Ecce hîc dicitur creaſſe & feciſſe malum: ſed *mali* nomine pœna intelligitur, non peccatum, ſicut è conuerſo cùm dicitur Deus non eſſe auctor malorum, nomine *mali* peccata intelliguntur. Ideóque Auguſtinus qui dixerat in lib. 83. quæſt. quòd Deus auctor mali non ſit, in primo libro Retractationum, quomodo intelligẽdum ſit,aperit,dicens. [Videndum eſt ne malè intelligatur,quod dixi,Deus auctor mali non eſt, qui & omnium quæ ſunt auctor eſt: quia inquantùm ſunt, in tantùm bona ſunt. Et ne hinc putetur non ab illo eſſe pœnam malorum, quæ vtique malum eſt, his qui puniuntur: ſed hoc ita dixi, ſicut dictum eſt, Deus mortem non fecit: cùm alibi ſcriptum ſit, *Mors & vita à Domino eſt.* Malorum ergo pœna quæ à Deo eſt, malum eſt quidem malis: ſed in bonis Dei operibus eſt, quoniam iuſtum eſt vt mali puniantur:& vtique bonum eſt omne quod iuſtum eſt.] Sic ergo dicitur Deus non feciſſe mortem,quia non fecit illud, pro quo mors inffligitur, id eſt, peccatum. Audiſti lector cauſam dictorum, ex qua ſana intelligentia formatur cùm dicitur, Deus non auctor mali,& Deus mortem non fecit.

Amos 3. b.

Iſa.45. b.

Aug.q.21. tom.4.

Lib.1.c.16. Sap.1.c. Eccl. 11. 1

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm peccatum poſſit eſſe à Deo?

Alenſis 2.*p.q.*100.*m.* 3.*art.*1.*&* 2. D. Thom. *p.*1.*q.*105. *art.*5.*&* 1.2. *q.*79. *art.*1. *&* 2. D. Bon. *hîc art.*1. *q.*1. *& art.*2. *q.*1. Rich. *art.*3.*q.*1.*&* 2. Dur. Capr. Gabr. Rubion. *hic.* Bellarm. 2.*de amiſſione gratiæ c.*18.*&* 4.*de lib.arb.c.*4. Vaſq. 1.2. *d.*129. Henr. *hîc diſp.*38. *q.*4. Salaſ. *tract.*13: *d.* 10. Vega: 2. *in trid.* 15.

1. CIrca diſtinctionem trigeſimam ſeptimam, quæritur primò, vtrùm peccatum poſſit eſſe à Deo? Secundò, vtrùm voluntas ſit cauſa totalis ſui actus? Circa primum arguitur quòd ſic; cuiuſcunque cauſa inferior poteſt eſſe cauſa, & cauſa ſuperior eiuſdem erit cauſa: quidquid eſt etiam cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: voluntas creata, quæ eſt cauſa inferior reſpectu Dei, quia Deus eſt eius cauſa,eſt cauſa peccati:ergo & Deus.

Si dicatur, quòd non eſt cauſa peccati inquantùm eſt à Deo: ſed inquantùm eſt ex nihilo: contrà, Deus magis coagit cauſæ actiuæ creatæ ſuperiori, quàm inferiori nulla eſt cauſa ſuperior voluntate: ſed Deus ita coagit naturæ, quòd nihil eſt naturale cui Deus non coagat in natura: igitur ita coagit voluntati, quòd nihil eſt volitum,cui Deus non coagat in volendo.

Arg. 2. Deum eſſe cauſam actus ſubſtrati malitiæ.

Prætereà, ad principale, actus ſubſtratus peccato in voluntate à Deo eſt: igitur Deus eſt cauſa peccati. Probatio antecedentis, tum: quia eſt aliquod ens: & non à ſe, ergo ab alio, & ita à Deo: tum quia dare eleemoſynam, prædicare Chriſtum, facere miracula, generare filium, ſunt opera eiuſdem rationis in *eſſe* naturæ, ſiue fiant benè moraliter, ſiue malè: ergo habent cauſam eiuſdem rationis, quantùm ad *eſſe* naturæ eorum: Deus autem eſt cauſa iſtorum actuum quando ſunt boni moraliter: ergo & quando ſunt mali moraliter. Probatur etiam illud antecedens per illud Iſaiæ 10. *Nunquid gloriabitur ſecuris*, loquitur de Senacherib. vbi gloſſa, *ſicut inſtrumenta per ſe nihil poſſunt, ita Senacherib nihil per ſe potuit contra Iudæos.* Erat igitur inſtrumentum Dei in iſto actu, & tamen mortaliter peccauit, ſicut patet in c. 14. Iſtum igitur actum ſubſtratum peccato mortali creauit Deus. Probatio conſequentiæ, quia voluntas creata non ob aliud eſt cauſa peccati, niſi quia cauſat actum ſubſtratum deformitati: quia ſecundùm Diony. de diui. no. cap. 4. nullus ad malum aſpiciens omnino operatur.

Nullus ad malũ aſpiciens operatur.

Arg. 3.

Prætereà tertiò ad principale, Deus poteſt ſubtrahere manutenentiam ſuam à gratia, & tunc non inerit: imò quandocunque gratia non ineſt, annihilatur. annihilare conuenit ſoli Deo: ergo per actionem ſolius Dei, poteſt anima eſſe non grata Deo: ergo eodem modo poteſt eſſe cauſa peccati, quia non videtur magis eſſe ratio mali in peccato quàm in priuatione gratiæ. 2.

Deus eſt cauſa pœnæ.

Prætereà, Deus eſt cauſa pœnæ: ergo & peccati. Probatio conſequentiæ, quia pœna ita eſt per ſe malum ſicut culpa: imò magis per ſe malum, vt videtur, quia pœna opponitur bono naturæ, culpa opponitur bono moris, bonum naturæ eſt per prius bonum, quàm bonum moris. Antecedens patet per Auguſtinum 1. Retract. cap. 25. *Omnis pœna iuſta eſt*, &c. In oppoſitum eſt Auguſtinus ſuper illud Ioan. *ſine ipſo factum eſt nihil*, per Verbum non eſt factum peccatum.

Ratio ad oppoſitum.

Arguitur Deum non cauſare ſubſtratũ peccati.

Prætereà, quòd non poſſit eſſe cauſa actus ſubſtrati peccato probatur, quia tunc faceret contra ſuam prohibitionem, prohibuit enim Adæ comedere, nec aliqua delectatio in actu eſt peccatum, niſi quia prohibetur: ergo ſi feciſſet illum actum poſitiuum, feciſſet immediatè contra ſuam prohibitionem, quod videtur eſſe duplicitatis.

Prou. 26.

Prætereà, quidquid Deus facit propter ſe facit, (*Omnia enim propter ſeipſum operatus eſt altiſſimus,*) & ex charitate perfectiſſima, quæ ipſe eſt, facit: ergo eius actus eſt ordinatiſſimus, tam ex fine quàm ex principio operatiuo: ſi ergo ille eſt actus ordinatus à voluntate creata peccante, idem actus videtur ordinatus & inordinatus, quod videtur impoſſibile.

Item, liberum arbitrium non errat quando in agendo concordat ſuæ regulæ: regula eius in agendo eſt voluntas diuina: ergo ſi Deus vult illud, quo liberum arbitrium peccans vult, tunc illud liberum arbitrium quando peccat, non peccat.

SCHOLIVM.

Ad quæſtionem diſt. 35. reſoluit Doctor ex auctoritate Auguſtini, & Anſel. ibi adducta, peccatum conſiſtere in priuatione alicuius boni, ita DD. ibi citati, & omnes, paucis Thomiſtis & Vaſq. exceptis, & eſt expreſſa ſententia PP. Hilar. de Tri. cap. 11. Nyſſ. hom. 2. Baſil. hom. 9. Ephip. hæreſ. 24. Greg. 29. Mor. 24. Ambr. de Paradiſo c. 6. 7.

3.

Iſtæ quæſtiones licèt ſecundùm Magiſtrum pertineant ad diuerſas diſtinctiones: tamen ſunt connexæ ſolutiones earum, propter quam connexionem poſſunt hoc modo ſimul quæri, & inter iſtas primò ſoluenda eſt ſecunda, quia eius ſolutio habet locum in aliis, & licèt ibi poſſit præfigi, quid dicatur per nomen *peccati*, non probando (quia ante omnem quæſtionem de aliquo oportet iſtam prænotionem habere, quid ſcilicet dicitur per nomen) tamen quòd peccatum ſit formaliter priuatio boni, oſtenditur per auctoritates adductas in oppoſitam, & per rationem talem: quia agens inferius tenetur in agendo conformare ſe agenti ſuperiori: quia ſi in poteſtate eius ſit ſe conformare illi, non conformari illi eſt peccatum: ideò loquendo de peccato, ſiue contra legem diuinam, ſiue contra legem humanam, aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordari legi ſuperioris agentis, & diſcordauit. Iſte igitur actus, qui eſt in poteſtate diſcordantis, & per hoc voluntarius non eſt formaliter peccatum:

Peccatum conſiſtere in priuatione boni.

Radix peccati.

Peccatum: quia ſi ille eſſet concors regulæ ſuperiori, non eſſet peccatum: ergo in illo actu præciſa ratio peccati eſt priuatio illius concordiæ.

SCHOLIVM.

Ponitur triplex ſententia. Prima D. Bonau. ponens peccatum eſſe priuationem boni in quo eſt. Secunda D. Thom. tenens eſſe priuationem boni ſupernaturalis vel gratiæ. Tertia quòd ſit priuatio habituum acquiſitorum: & refutantur ſuo ordine iſtæ tres ſententiæ. Primam refutat quatuor rationibus claris, & eædem, præter primam, procedunt contra ſecundam.

EX hoc vlteriùs poteſt inferri, cuius boni peccatum eſt formaliter priuatio, ponitur quòd illius boni in quo eſt, quia illi nocet, ſicut argutum eſt per Auguſtinum 12. *de Ciuit. cap.* 6. Alio enim modo ponitur quòd boni ſupernaturalis, ſcilicet gratiæ, peccatum eſt priuatio. Tertio modo ponitur quòd eſt priuatio habituum acquiſitorum, quibus repugnant actus virtualiter mali: ſicut habitus generatus ex actibus formaliter malis, repugnat formaliter habitibus virtuoſis. *D. Bon. li. 2. d. 35. art. 1. & 2. vide D. Tho. 1. 2. q. 86. ar. 1. & 2.*

4. Contra primum iſtorum modorum arguitur: quia cùm illud bonum, in quo eſt peccatum, ſit finitum, per ablationem alicuius finiti boni ab eo aliquoties factam, totaliter poſſet conſumi. *Naturam non diminui in ſe per peccatum, aliàs tandem cõſumeretur.*

Et ſi dicatur [a] quòd iſta ablatio fiat ſecundùm partes eiuſdem proportionis: ergo fit proceſſus in infinitum. Contrà, ſecundum malum poteſt eſſe æquale primo in malitia, vel maius eo: ergo corrumpit partem eiuſdem quantitatis, vel maiorem: igitur ſic procedendo in peccatis æqualibus, vel maioribus, ſequitur quòd natura tandem totaliter conſumetur.

Secundò, quia natura intellectualis à ſolo Deo eſt creabilis: & ex hoc ſimpliciter eſt incorruptibilis, reſpectu creaturæ; ita quòd nulla creatura poteſt eam deſtruere: ergo peccans per actum ſuum, non poteſt aliquid de natura ſua deſtruere, cùm illud eſſet eiuſdem rationis, cùm tota natura, quantùm ad incorruptibilitatem, quia incorruptibile non componitur ex corruptibilibus. *A ſolo Deo factibile ab eodem ſolo deſtruibile.*

Prætereà [b], quod repugnat effectui formaliter non deſtruit cauſam non neceſſariam iſtius effectus: peccatum dicit formaliter deformitatem, & obliquitatem repugnantem rectitudini in actu: igitur non deſtruit cauſam non neceſſariam iſtius rectitudinis: voluntas eſt cauſa huius rectitudinis non neceſſaria: tum, quia non neceſſariò cauſat actum ſuum, ſed contingenter: tum etiam, quia ſi cauſat actum, non neceſſariò cauſat eum rectum. Probatio maioris illius, quia cauſa contingens reſpectu alicuius poteſt eſſe, & non cauſare: ergo propter *non eſſe* iſtius peccati cauſati, non oportet cauſam deſtrui. Patet per oppoſitum in ſimili: ideò enim præcisè alterans inducens aliquid repugnans qualitati, corrumpit formam ſubſtantialem, quia ipſam neceſſariò concomitatur qualitas talis: igitur quod eſt præcise corruptiuum alicuius contingenter concomitantis, non poteſt corrumpere illud, quod ſic contingenter concomitatur. *Deſtruens effectum nõ idcò deſtruit eius cauſam cõtingentem.*

5. Prætereà, tunc peccata non differrent ſpecie: quia ſicut priuationes vnius boni, & priuationes non habent diſtinctionem ſpecificam, niſi ab habitibus. *Peccatum nõ eſſe priuationem gratiæ, aliàs non poſſet quis peccare ſecundò, niſi recuperata gratia.*

Eadem argumenta aliqua probant quòd peccatum non eſt formaliter priuatio, ſeu corruptio gratiæ, licèt hoc non probet primum, quia per primum peccatum mortale gratia tollitur totaliter: tamen aliud eſt hîc ſpeciale contra hoc ſcilicet quòd ſecundum peccatum non erit peccatum, quia nihil corrumperet: quia peccatum natum eſt per ſe corrumpere & gratia non ineſt, quæ corrumpatur.

Secundum concludit hîc, quia gratia eſt à ſolo Deo per creationem, & ab eo ſolo conſeruatur: & quando deſtruitur, annihilatur quia cuius productio eſt creatio, eius deſtructio eſt annihilatio. Tertia etiam ratio hîc concludit [c], quia gratia eſt cauſa contingens, reſpectu rectitudinis in actu. Quarta ſimiliter, quia peccata mortalia eſſent eiuſdem rationis in formali ratione priuationis.

Eadem etiam argumenta [d] aliqua concludunt contra iuſtitiam, ſiue virtutem acquiſitam: quia licèt illud non ſemper remaneat incorruptibile ſicut natura, nec per vnicum peccatum mortale corrumpatur, ſicut gratia, non tamen eſt peccatum mortale per ſe priuatio eius: quia poteſt ſtare, tam in iſto peccante mortaliter, quàm in illo non peccante. *Peccatum nõ eſſe priuationem virtutis acquiſitæ.*

Etſi

Et ſi dicis de illo, contrà, intenſius poteſt eſſe in illo peccante mortaliter, quàm in illo non peccante, puta ſi iſte habuit iuſtitiam nouem graduum, & alter decem graduum, & iſte habens iuſtitiam decem graduum peccat mortaliter, ponamus quòd corrumpitur in eo gradus decimus, ergo adhuc habet iuſtitiam æqualem illi, qui non peccauit mortaliter: igitur ſi alter peccaſſet mortaliter ſimili peccato, illud peccatum in eo non repugnaſſet ſuæ iuſtitiæ nouem graduum, & ita non corrupiſſet æquè eam. Tertium concludit hîc, quia quicunque talis habitus eſt tantùm cauſa contingens reſpectu actus peccati.

COMMENTARIVS.

a *ET ſi dicatur quòd ſi iſta ablatio*, &c. Nota
1. quòd aliquid diuidi contingit dupliciter. Vno modo ſecundùm partes eiuſdem proportionis, ita vt ſemper diuidatur in duas medietates, ſicut quantum bipedale primò diuiditur in duas medietates æquales, & alia medietas diuiditur in duas alias æquales, & ſic in infinitum. Et non debet intelligi ſic, vt partes ſecundæ diuiſionis ſint æquales partibus primæ diuiſionis: ſed ſic intelligitur quòd ſicut quantum bipedale eſt diuiſibile in duas medietates, ita data quacumque parte illius quantitatis, eſt proportionabiliter diuiſibilis in duas medietates: & hoc modo quantum eſt diuiſibile in infinitas partes, ſiue loquendo de quanto per ſe, ſiue de quanto per accidens: ſicut album calidum, &c. vt diximus ſuprà *diſt. 2. quæſt. 4.* Alia eſt diuiſio in partes eiuſdem quantitatis, & ſic diuidendo non proceditur in infinitum.

2. b *Præterea, quod repugnat*, &c. Hîc Doctor ſupponit duo. Primum eſt quòd ſi aliqua cauſa nõ determinat ſibi neceſſariò aliquem effectum, corrumpens illum effectum, ex hoc non corrumpit cauſam: ſicut ſi homo contingenter determinat ſibi albedinem, non ſequitur quòd corrumpens albedinem corrumpat hominem: ſi verò determinat ſibi neceſſariò, ita vt repugnet ſibi naturaliter exiſtere ſine tali effectu, corrumpens illum effectum corrumpit & cauſam: ſicut ignis determinat ſibi neceſſariò aliquem gradum caliditatis (comparando tamen ignem ad cauſam naturalem, quia Deus poſſet facere ſine omni caliditate) corrumpens illum gradum caliditatis corrumpit ignem: licèt tamen priùs naturâ corrumpatur forma ſubſtantialis, quàm ille gradus caliditatis, vt patet in quarto, in materia de Euchariſtia: ſed quidquid ſit, exemplum clarum eſt, quòd corrumpens effectum neceſſariò determinatum à cauſa, corrumpit cauſam.

Secundò ſupponit Doctor quòd peccatum dicit formaliter deformitatem repugnantem rectitudini in actu, id eſt, quòd eſt formaliter quædam priuatio rectitudinis, quæ deberet ineſſe actui: ex quo ergo voluntas non determinat ſibi neceſſariò actum, nec etiam neceſſariò rectitudinem in actu, ſequitur quòd etſi peccatum corrumpat talem rectitudinem non propter hoc corrumpit ipſam voluntatem, quæ cauſa actus & rectitudinis eiuſdem cùm non neceſſariò determinat ſibi nec actum, nec rectitudinem.

c *Tertia etiam ratio*, &c. Hîc Doctor dicit 3.
quòd gratia eſt cauſa contingens rectitudinis in actu. Sed in hoc videtur ſibi contradicere, quia *in primo, diſt.* 17. vult quòd ipſe habitus ſit cauſa merè naturalis, & de neceſſitate naturæ agat, ergo non eſt cauſa contingens.

Dico primò, quòd accipit hîc Doctor *cauſam contingentem* non pro cauſa quæ diſtinguitur contra agens à natura, ſed quia non neceſſariò determinat ſibi rectitudinem in actu, ſicut dixi de igne reſpectu caloris: ſic quòd ſi corrumperetur talis rectitudo in actu, ſequatur deſtructio gratiæ: nam cum gratia ſtat peccatum veniale, & tamen peccatum veniale priuat aliquam rectitudinem de neceſſitate.

Dico ſecundò, quòd licèt gratia per ſe ſumpta ſit agens merè naturale reſpectu rectitudinis in actu, tamen vt voluntas vtitur tali habitu, dicitur talis effectus merè contingens, cùm ſit in poteſtate voluntatis vti habitu, vel non vti, ad talé effectum, vt patet *in primo, diſtinct.* 37. ſicut ergo dixi de gratia ſic dico de habitu virtuoſo, de quo parum infrà.

d *Eadem etiam argumenta.* Ratio ſtat in hoc: 4.
ſi tu dicis quòd peccatum eſt per ſe corruptiuum alicuius gradus virtutis, puta quòd aliquis habeat gradum iuſtitiæ, & quòd facit actum iniuſtitiæ, & talis actus, qui eſt peccatum habeat corrumpere aliquem gradum illius habitus, ſicut cæcitas corrumpit viſionem: tunc ſequeretur quòd non peccans ſimili peccato eſſet ita peccator ſicut peccans, & quòd peccans ſimili peccato nihil corrumperet de habitu, & ſic peccatum non eſſet peccatum. Patet, quia pono quod *A* habeat virtutem aliquam, puta iuſtitiam vt decem, & *B* vt nouem, tunc ſic: peccatum commiſſum ab *A* ſit talis grauitatis quòd tantùm habeat corrumpere decimum gradum iuſtitiæ: & peccatum commiſſum à *B* ſit ſimpliciter ſimilis grauitatis, tunc tale peccatum habebit corrumpere tantùm decimum gradum iuſtitiæ, & per caſum poſitum, in ipſo *B* eſt tantùm iuſtitia vt nouem: ergo tale peccatum nihil corrumpit in *B*.

):(

SCHO

SCHOLIVM.

Peccatum conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ ineſſe actui, qui elici debuit, auctoritate & ratione, iuxta propriam ſententiam, probat Doctor.

6. COncedo igitur [e] iuxta ſolutionem quæſtionis præmiſſam, quòd peccatum eſt corruptio rectitudinis, in actu ſecundo, non autem naturalis, nec cuiuſcunque habitualis: ſed non intelligo de corruptione, quæ eſt mutatio de *eſſe* ad *non eſſe*, poteſt enim peccatum manere poſt talem mutationem iuſtitiæ ab *eſſe* in *non eſſe*; ſed intelligo corruptionem formaliter; ſicut priuatio dicitur formaliter corruptio ſui habitus: hoc enim modo peccatum eſt formaliter corruptio rectitudinis in actu ſecundo, quæ opponitur illi rectitudini, vel priuatio habitui, non quidem rectitudini, quæ ineſt: quia tunc oppoſita ſimul ineſſent, nec quæ priùs inſuit illi actui, quia actus non manet, vt poſſit alterari ab oppoſito in oppoſitum, quæ deberet ineſſe. Voluntas enim libera debitrix eſt, vt omnẽ actum ſuum eliciat conformiter regulæ ſuperiori, ſcilicet ſecundùm diuinum præceptum: & ideò quando agit diſcorditer ab illa regula, caret iuſtitia actuali debita. Hæc eſt iuſtitia quæ deberet ineſſe actui, & non ineſt: & hæc carentia inquantùm eſt actus voluntatis deficientis, ſicut dicetur in alia ſolutione, eſt formaliter peccatum actuale. *Quidditas peccati in priuatione rectitudinis debitæ ineſſe conſiſtit.*

7. Iſtud patet per auctoritates, primò per Auguſtinum lib. de duabus animabus. *Peccatum eſt voluntas conſequendi, vel retinendi, quod iuſtitia vetat, & à quo liberum eſt abſtinere.* Hoc eſt dictum breuiter, peccatum eſt velle vetitum; ita quòd ipſa eſt ibi materialis: & pro tanto totum imputatur voluntati, quia totum eſt in poteſtate eius. Vetitum autem, vel prohibitum, eſt ibi formale, quod ſignificat diſcordiam à regula ſuperiori. Similiter Ambroſius in lib. de Paradiſo & ponitur in litera, *Peccatum eſt cœleſtium tranſgreſſio mandatorum*, &c. Huic etiam conſonat quod dicit Auguſtinus de Ciuit. lib. c. 8. *In eo*, inquit, *ſit mala voluntas, quòd ſi nollet non fieret mala, & ideò non neceſſarios, ſed voluntarios defectus iuſta conſequitur pœna: deficit enim non ad mala, ſed malè, id eſt, non ad malas naturas: ſed ideò quia contra ordinem naturarum ab eo quod ſummè eſt, ad illud quod minus eſt*, &c. & quære eum ibi, quaſi diceret, iſte actus poſitiuus volendi creaturam non eſt formaliter peccatum, ſed carentia debiti ordinis in actu illo, quo illud debet amari propter ſummum bonum, à quo ordine deficit voluntas quieſcens in bono creato: & iſte defectus eſt formaliter peccatum. *Definitio peccati ex Aug.* *Definitio peccati ex Amb.*

Cum iſtis auctoritatibus conſonat ratio, quia omne peccatum eſt iniuſtitia formaliter: & tale peccatum talis iniuſtitia, & per conſequens priuatio talis iuſtitiæ: ergo peccatum actuale eſt formaliter in iuſtitia actualis: ergo & priuatio iuſtitiæ actualis, ſcilicet iuſtitiæ, quæ deberet eſſe in actu.

COMMENTARIVS.

1. e *COncedo igitur*, &c. Hîc Doctor intendit declarare principale intentum, quomodo peccatum ſit tantum corruptio iuſtitiæ actualis, quæ deberet ineſſe actui. Dicit ergo ſic: *Peccatum eſt corruptio rectitudinis in actu*, id eſt, eſt corruptio rectitudinis, quæ deberet ineſſe actui ſecundo, id eſt, operationi elicitæ à voluntate. *Non autem naturalis*, id eſt, non eſt corruptio alicuius entitatis naturalis: nec etiam entitatis habitualis, ſiue ille habitus ſit ſupernaturalis, vt gratia; ſiue naturalis, vt habitus virtutis acquiſitæ. *Sed non intelligo de corruptione.*

Hîc nota quòd duplex eſt corruptio, vna eſt mutatio de *eſſe* ad *non eſſe*, ita vt ſubiectum corruptionis priùs ſit ſub *eſſe* & poſtea fiat ſub *non eſſe*: ſicut corruptio formæ ſubſtantialis eſt mutatio de *eſſe* in *non eſſe*. Et per corruptionem ipſius formæ ſit ſub *non eſſe* talis formæ: ita quòd remanet idem ſub vtroque termino mutationis. Alia eſt corruptio, quæ non eſt ab *eſſe* in *non eſſe*, id eſt, quòd talis corruptio formaliter ineſſet alicui non corrumpendo aliquid quod præfuerit in illo; ſicut ſi ponamus quòd viſio non præfuerit in oculo, tum priuatio viſionis dicitur formaliter corruptio viſionis, non quæ priùs infuit oculo; ſed infuiſſet; ſi talis priuatio non priùs infuiſſet. Dicit ergo Doctor quòd peccatum eſt formaliter corruptio rectitudinis, quæ deberet ineſſe actui, ita quòd talis corruptio rectitudinis in actu non eſt mutatio de *eſſe* rectitudinis in actu in *non eſſe*.

SCHO

SCHOLIVM.

Reſoluit corollariè tres quæſtiones. Prima, quomodo auerſio ſit de ratione peccati. Secunda, quomodo priuationes, in quibus conſiſtunt peccata, diſtinguantur ſpecie & numero. Tertia, qualiter vnum peccatum ſit aliis grauius ſpecie & numero, cùm ſit priuatio, de quo Scotus 4. d. 50. q. 6. & quodl. 18. art. 3. obijcit pro duabus ſententijs poſitis, n. 3. & ſoluit, ſolidè oſtendens, per peccatum, nihil ex ipſa natura perdi poſſe.

EX iſta ſolutione patet ſolutio ad illas quæſtiones de peccato. Primò, vtrùm magis per ſe ſit de ratione peccati auerſio, quàm conuerſio. Secundò, quomodo poſſint peccata mortalia diſtingui ſpecie, ſi formalis ratio eſt in auerſione. Tertiò, quomodo vnum poteſt eſſe alio grauius, ſi ſint auerſiones ab eodem bono: non enim videtur priuatio pura recipere magis, & minùs ſecundùm Anſelmum *de Concep. Virg. cap.* 4. 8.

Duplex auerſio à fine vltimo, formalis & virtualis. Matt. 22.

Ad primum dico, quòd auerſio à fine vltimo poteſt intelligi dupliciter: vel formaliter, vel virtualiter: formaliter contrariè, vel negatiuè, ſic, quòd voluntas nolit illum finem, & tale *nolle* eſt odire: vel non velit cùm deberet velle, & tale *non velle*, eſt omittere illud præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum*. Virtualiter ſic, quòd quando aliquid eſt neceſſarium ad conſequendum finem vltimum, voluntas auerſa ab illo, in hoc, virtualiter à fine auertitur, ſicut intellectus negans concluſionem, virtualiter auertitur à principio, & ſic infirmus dicitur auerti à ſanitate: quando auertit ſe à potu amaro, ſine quo non poteſt haberi ſanitas.

Prima auerſio, ſecundùm ſe eſt eiuſdem rationis: nec includitur formaliter in quolibet peccato: eſt enim odium Dei ſpeciale peccatum, & omiſſio iſtius præcepti, *Diliges Dominum*, &c. eſt aliud ſpeciale peccatum.

Auerſio virtualis à Deo inclusa in omni peccato mortali. Matt. 10.

Secundo modo, auerſio eſt communis omni peccato mortali, quia in omni tali peccato mortali voluntas inordinatè ſe habet reſpectu alicuius neceſſarij ad finem. Vnde autem eſt illud neceſſarium? Dico quòd à voluntate diuina præcipiente illud obſeruari, *ſi vis ad vitam ingredi*, non ab alio ſyllogiſmo practico (hîc enim non oportet quærere moralem doctrinam Philoſophorum, ſed præcepta Dei, in Scriptura) huiuſmodi auerſio à Deo eſt eſſentialis ratio peccati cuiuſcunque. Sicut enim formalis ratio rectitudinis eſt propria virtus in actu finis circa ens ad finem, ſic & carentia rectitudinis talis eſt carentia propriæ virtutis à fine, quia propria auerſio formalis ab eo, quod eſt neceſſarium ad finem: & hoc modo nihil aliud eſt auerſio, niſi inordinatio voluntatis circa aliquid ordinatum ad finem ex præcepto diuino, circa quod deberet ordinari.

Quomodo priuationes diſtinguãtur ſpecie & numero. 9.

Ex hoc patet ſecundum, quia cum priuationes diſtinguantur ſpecie ex diſtinctione habituum ſpecifica: & numero, ex diſtinctione habituum numerali, peccata, quæ ſunt priuationes quædam, ſcilicet rectitudinum, quæ deberent ineſſe actibus, diſtinguuntur formaliter ex diſtinctione talium rectitudinum: vt quando debent haberi diuerſæ rectitudines ſpecie, ſunt carentiæ diuerſæ ſpecie, & ita non per conuerſiones ad obiecta, quæ non ſunt mala, niſi materialiter: diſtinguuntur ipſa peccata: ſed formalis ratio in eis, diſtinguitur in comparatione ad rectitudinem aliam, & aliam ſpecie, quæ deberet ineſſe, ita etiam poſſunt plura peccata eiuſdem ſpeciei ineſſe, quæ priuant plures rectitudines, quæ deberent ineſſe in diuerſis actibus * ſuccedentibus.

al. *ſucceſſiuè.*

Grauitas peccati ſpecifica, & numerica, vnde deſumenda. An priuatio accipiat magis & minus in ſe. Vide Sco. 4. d. 50. q. 6. §. in iſta, & quodl. 18. art. 3. §. ex iſta.

Ad tertium etiam patet, quia illud peccatũ eſt grauius ex genere, quod opponitur rectitudini meliori: illa autem eſt melior, quæ eſt fini immediatior, cæteris paribus: hoc patet per ſimile in principio, & concluſione: ille enim error eſt maior, qui magis redundat in principiis, ſiue quo negatur concluſio verior, & principio propinquior. Loquendo autem in eodem genere peccati mortalis, illud eſt grauius, in quo voluntas maiori libidine peccat: quia quantò magis conatur, tantò perfectiorem actum cauſaret, & tenetur illi dare rectitudinem proportionalem, ſi eſt capax rectitudinis, vel magis cauere ſe ab illo, ſi non ſit capax rectitudinis, quàm ab alio actu minùs repugnante: & ita illud omittendo magis peccat. Huius exemplum eſt ſi intellectus errans circa vnam concluſionem, habeat obiectum magis neceſſarium, quàm errans circa aliam concluſionem. Error iſte peior eſt, pro quanto actus verus oppoſitus deberet eſſe perfectior.

Ex iſto

Ex iſto etiam faciliter apparet quòd ſi peccata poſſent in infinitum continuari, nihil ſequeretur inconueniens; quia quodlibet in infinitum bonum corrumperet non corruptione, quæ eſt tranſmutatio: ſed formaliter corruptione, quæ eſt priuatio: & hoc non boni, quod infuit, ſed quod deberet ineſſe: infinita autem bona hoc eſt infiniti actus recti, ſunt debiti à voluntate; ſi in infinitum conſeruetur; & ideò abſque diminutione voluntatis, & cuiuſcunque actus primi in ea, poſſunt infinita talia bona priuari.

Obijcit pro duabus viis poſitis n. 3.

Et ſi obiicitur contra iſtam viam pro aliis duabus, quæ ponunt naturam corrumpi, vel gratiam; quod natura, probatur per illud Luc. 10. *Plagis impoſitis*, &c. Gloſ. *Peccatum vulnerat in naturalibus*: quod non eſſet verum ſi nihil auferret à perfectione naturæ, ſed tantùm prohiberet tales perfectiones ab actu ſecundo; quòd gratia probatur, quia per peccatum mortale deſtruitur gratia: quod non eſſet, niſi peccatum eſſet formaliter corruptiuum gratiæ, aliàs poſſet ſtare cum eo, quod eſt abſurdum.

Vulnus quid ſit?

Ad primum reſpondeo, quòd qui vulneratur, nullam partem ſui amittit, licèt continuitas ſoluatur, & per hoc reddatur minùs habilis ad operationes ſuas, imò priuetur bono vſu ſui. Natura enim integra manens, ſecundùm Dionyſium *De Diui. no.* vulneratur quando fit inhabilis ad vſum rectum, quod fit per crebram carentiam rectitudinis actualis.

Peccatum tantum dè meritorie corrumpit gratiam. Scot. 3. d. 23. q. 1. ad arg. & 4. d. 15. q. 1. & d. 16. q. 2. §. Reſpondeo.

Ad ſecundùm dico, quòd peccatum non poteſt effectiuè corrumpere gratiam, ſed tantùm demeritoriè; ita quòd priùs voluntas auertit ſe naturaliter, quàm Deus ceſſet naturaliter conſeruare gratiam, neceſſe eſt autem omnem priuationem eſſe alicuius poſitiui formaliter, cùm quo impoſſibile eſt ipſam ſtare: non eſt igitur peccatum formaliter priuatio gratiæ, quam non ex incompoſſibilitate deſtruit, ſed vt demeritum.

COMMENTARIVS.

2. *Quomodo peccatum cõſiſtat in auerſione à Deo.*

1 AD *primum dico, quòd auerſio*, &c. Hic Doctor intendit declarare quomodo peccatum conſiſtat in auerſione à Deo, ita quòd talis auerſio eſt formaliter peccatum, & talis auerſio propriè nihil aliud eſt, niſi carentia rectitudinis. Exemplum, voluntas diuina obligauit me ad eius dilectionem ſuper omnia, & elicio actũ odij, tunc talis actus auertit formaliter à Deo, quia ſicut dilectio præcepta eſt immediatè conuerſiua ad Deũ ita odium eſt immediatè auerſiuum à Deo, & ſic eſt ibi negatio rectitudinis. Hîc nota tamen propter literam Doctoris aliqua. Primò, quòd omnis actus voluntati, quicunque ſit ille, poteſt eſſe rectus, ſecundùm quòd debitè circunſtantionatur, vel non debitè, ita quòd ſicut in tali actu poteſt fundari iuſtitia, ſic etiam iniuſtitia, & deformitas.

Si dicatur quòd odium Dei ſemper de ſe eſt deforme, ita quòd talis actus non poteſt rectificari, & per conſequens non eſt ibi priuatio rectitudinis, ſed ipſum odium vocatur priuatio.

Dico, quòd odium, ſiue nolle, ſi debet eſſe iuſtum, oportet quòd habeat primam circumſtantiam ex genere, ita quòd tranſeat ſuper obiectum debitum, puta nolle offenſam Dei: tunc talis nolitio eſt recta ex genere, quia tranſit ſuper obiectum debitum. Nec vlteriùs poteſt circunſtantionari circumſtantiis bonis, & malis. De bonis, vt nolle offenſam Dei, propter amorem ipſius Dei. De malis etiam patet, puta propter vanam gloriam, vel tantùm propter timorem inferni. Patet ergo quomodo *nolle* poteſt rectificari, & deformari. Cùm ergo dicitur *odio Dei*, dico, quòd tale *nolle* vt tranſit ſuper Deum tranſit ſuper obiectum diſconuenienſ, & ſic in tali odio eſt priuatio primæ circunſtantiæ ex genere, quia eſt ibi priuatio obiecti conuenientis: ſi enim talle *nolle* tranſiret ſuper obiectum conueniens, puta, nolle Deum eſſe mortalem, & huiuſmodi, tunc haberet primam circunſtantiam ex genere.

3. *Duplex peccatum.*

Secundò nota, quòd duplex eſt peccatum, ſcilicet omiſſionis & cõmiſſionis. Omiſſionis quando omittit quod tenetur facere, puta honorare parentes, &c. Nota tamen, quando omittit ſemper actum elicitum voluntatis, in quo fundatur deformitas, puta in tempore *A* tenetur ſubuenire parentibus, ſi in tali voluntas deliberat non ſubuenire tunc omittit quod erat ei præceptum, & ſic in tali actu fundatur deformitas, quæ eſt carentia rectitudinis, quæ deberet ineſſe. Si verò in tempore *A* non deliberat de ſubueniendo parentibus, ſed nullum actum elicit. Dico, quòd aut aduertit neceſſitatem parentum, & pro tempore debito non deliberat ſubuenire, dico tunc quòd ibi poteſt eſſe conſenſus interpretatus de non ſubueniendo, vt patet ſuprà *diſtin.* 28. Peccatum verò commiſſionis eſt quando voluntas vult aliquid, quod Deus præcepit nolendum eſſe, vt in præceptis negatiuis.

Duplex auerſio.

Tertiò quando Doctor dicit quòd auerſio à Deo eſt duplex, ſcilicet formalis, & virtualis; formalis, vt odium Dei, &c. Nota, quòd auerſio formalis poteſt ſummi dupliciter; ſcilicet contrariè, & negatiuè, & quod dicit de auerſione virtuali expono illud; negans enim concluſionem formaliter, negat principiũ virtualiter, & dicitur negare principium virtualiter, propter hoc quòd ex quo concluſio virtualiter continetur in principio, vt patet, & notitia concluſionis ſemper dependet à notitia principij, ideò negans formaliter concluſionẽ, ex conſequenti negat principiũ. Sic dico de auerſione, nã quando volũtas formaliter auertitur, puta ab iſto præcepto, *non occides*, quia præceptum eſt non occidere, & auertitur formaliter; & contrariè, quando voluntas eligit occidere contra præceptum Dei, tunc talis voluntas

virtualiter auertitur à Deo, ſic intelligendo, quòd ex quo tale præceptum eſt, quo tale præceptum eſt immediatè à voluntate diuina, & per conſequens virtualiter continetur in illa, faciens formaliter contra illud præceptum, virtualiter facit contra voluntatem diuinam. Dilectio enim finis continet virtualiter dilectionem eorum, quæ ſunt ad finem, vt patet à Doctore *in 4. diſt. 14. q. 2.* Si ergo aliquis odit proximum, auertitur formaliter, & contrariè à dictione proximi, & virtualiter auertitur à dilectione Dei, cum dilectio proximi virtualiter contineatur in dilectione Dei.

SCHOLIVM.

Reſpondet ad argum. poſita d. 35. & explicat optimè quomodo peccatum ſit corruptio iuſtitiæ, etiam eius quæ antea non infuit.

Vide Hen. quodl. 6. q. 32. circa medium de progreſſu in peccatũ. Non vult actum eſſe ſubiectum priuationis ſed quatenus repugnat alij actui qui elici debuit vt innuit ſup. n. 6.

AD argumenta. Ad primum dico, quòd *dictum, factum, concupitum*, accipitur tanquam materiale: ſed *dictum, & factum*, vt materiale remotum, ſed *concupitum* dicit materiale proximum: *contra legem Dei*: dicit formale in peccato. 11.

Ad ſecundum patet, quòd diſtinguitur modo priuationum ſicut priuationes poſſunt diſtingui.

Ad tertium dico, quòd eſt corruptio formaliter, hoc eſt priuatio illius boni, quod ineſſet actui niſi ipſa eſſet, & priuatur per ipſam: & ad Aug. dico, quòd nocet illi in alio, non in ſe auferendo aliquid, quod ſit de natura eius: ſed ab eo auferendo aliquam perfectionem ſibi conuenientem, ſcilicet iuſtitiam actualem.

Et ſi obiicitur, iſta iuſtitia non infuit: ergo non poteſt corrumpi, patet reſponſio ex dictis: ſequitur enim, quòd non corrumpitur corruptione, quæ eſt mutatio ab *eſſe* ad *non eſſe*: ſed corrumpitur formaliter per hoc, quòd eius priuatio ineſt, & non ipſa, ſicut peccatum originale corrumpit iuſtitiam originalem, quam priuat, non tamen priùs inexiſtentem: & ita illam formaliter corrumpit.

SCHOLIVM.

Reſoluit quæſtionem poſitam d. 34. peccatum, eo modo quo habet cauſam, eſſe à bono, & non dari ſummum malum, ſeu Deum fictũ Manichæorum: de quo vide Aug. & Epiph. citatos, d. 34.

AD aliam e quæſtionem, qua primò quærebatur de cauſa peccati, dico, quòd peccatũ eo modo, quo poteſt habere cauſam, eſt à bono. Quod probatur, quia nullum eſt primum malum, alioquin illud in ſe careret ſumma perfectione nata ſibi conuenire: ſed nulli nata eſt conuenire ſumma perfectio, niſi ſummo bono in natura: igitur ſummum malum eſſet ſummum bonum in natura, & ita Deus: quia nihil aliud à Deo eſt ſummum bonum in natura, & ad hanc hæreſim, ſequuntur multa alia inconuenientia non tantùm contra fidem, ſed etiam cõtra Philoſophiam, quia deſtruit ſeipſam, & includit contradictionem, quia ſi ponatur ſummum malum primum ex æquo ad primum bonum, oportet quòd illud ſit neceſſe eſſe, & omnino independẽs, & impartitum: & tamen iſta non conueniunt enti niſi perfectiſſimo: itaque ſi malum habet cauſam, non poteſt habere niſi bonum, loquendo de primo malo creato. Hoc patet per Aug. 12. de Ciu. c. 6. *Ipſi ſibi ipſis videntur feciſſe voluntatem malam*, &c. vbi videtur velle quòd propria voluntas ſit cauſa cadẽdi immoderatè fruendo aliquo bono creato, id eſt, aliquo, quod eſt in poteſtate ipſius volũtatis, ita quòd ipſa voluntas talis ſicut ex ſe poteſt frui, & nõ frui, ita moderatè poteſt frui, & non frui aliquo bono ſibi cõueniente: & ita poteſt illud peccatũ primũ eſſe immediatè, & primò à ſola volũtate. 12.

Deũ Manichæorum eſſe figmẽtum.

COMMENTARIVS.

Malum culpæ non poteſt eſſe niſi à bono, vt à cauſa. 4.

f AD *aliam quæſtionem.* Hîc Doctor dicit quòd peccatum eo modo, quo poteſt habere cauſam, eſt tantùm à bono, vt à cauſa, & litera ſtat in hoc, quia ſi malum eſſet à malo, vt à cauſa, quæro de illo malo, quod eſt cauſa, aut enim eſt malum cauſatum ab alio, & tunc, aut à bono, & habeo propoſitum, quia malum eſt à bono (& ſemper hîc loquimur de malo culpæ) aut eſt cauſatum à malo, & quæro de illo alio malo, & ſic vel oportet procedere in infinitum in malis, vel eſt ſtandum ad aliquod malum primum, quod ſit omnino independens, & incauſabile, & per conſequens neceſſe eſſe, ſed tale non poteſt dari, quia tunc repugnantia verificarentur de eodem, nam ex quo eſt omnino independens, & ſimpliciter neceſſe eſſe, & omnino incauſabile de neceſſitate eſſet ſummum bonum, quia tale non poteſt eſſe, niſi ſummum bonum, vt diffusè probat Doctor *in 1. di. 2.* & ex alia parte non ſolùm non eſt ſummum; ſed nec poteſt eſſe ſummum bonum, quia prima malitia nullam includit bonitatem. Sicut enim primum bonum nullum defectum includit, ſed omnem bonitatem, ita primum malum nullum bonum includit, ſed omnem malitiam per eminentiam: patet ergo quomodo malum culpæ eo modo, quo poteſt habere cauſam, non poteſt eſſe, niſi à bono, vt à cauſa.

SCHO

SCHOLIVM.

Ponit tres vias aliorum diuerſas, de quo modo voluntas eſt cauſa peccati, & diſputat egregiè contra ſingulas: ex quibus tamen tribus benè intellectis, accipit vnam ſolutionem de modo cauſandi peccatum, q. ſeq. à num. 9. prima via eſt, quòd voluntas eſt cauſa per accidens, (ſumpta accidentalitate ex parte cauſæ) peccati, hoc tamen ei conuenit qua defectibilis eſt: hanc variè impugnat, n. 15. & 16. ſecunda via, quòd voluntas eſt cauſa per accidens peccati, accidentalitate ſumpta ex parte effectus. Hanc impugnat, n. 17.

13. SEd de modo [b] ponendi diuerſimodè dicitur. Vno modo quòd bonum eſt cauſa per accidens mali: & hoc poteſt intelligi dupliciter, vel quòd accidentalitas ſit ex parte cauſæ, ſicut Philoſophus loquitur de cauſa per accidens, 5. Metaphyſicæ, & 2. Phyſicorum, dicit quòd Polycletus eſt cauſa ſtatuæ per accidens: vel ex parte effectus, ſicut dicitur vbi ſuprà, quòd cauſæ per accidens ſunt caſus, & fortuna, vbi non eſt aliquid accidentaliter coniunctum cauſæ per ſe, quod dicatur cauſa per accidens, ſed eſt aliquid accidentaliter coniunctum effectui per ſe, quod dicitur effectus per accidens eiuſdem cauſæ, cuius effectus per ſe eſt intentus. Primo modo dicitur, quòd voluntas, non quidem vnde voluntas, ſed vnde defectibilis, eſt cauſa peccati: & hoc vlteriùs reducitur in hoc, quòd voluntas ex nihilo eſt. Et hoc videtur probari per Auguſtinum vbi prius, vbi dicere videtur quòd ſi quærat aliquis cur eam fecit, inueniet malam voluntatem non ex eo incipere, quòd facta eſt: ſed ex eo, quòd de nihilo facta eſt.

Quære D. Bon. diſt. 34. huius q. 2. 3. & 4. ar. 2, tex. 2. Tex. 33. Cauſa per accidens duplex, de quo Scot. 2. Phyſ. t. 33. & latè, q. 10.

14. Aliter ponitur ponendo accidentalitatem ex parte effectus: puta, quòd voluntas per ſe intendat poſitiuum in effectu, cui per accidens coniungitur deformitas, & iſtam deformitatem non per ſe intendit voluntas, ſicut eſt in fortuitis, ſicut patet per Dionyſium de diui. nom. cap. 4. *Nemo agit ad malum aſpiciens*, & multa ſimilia ibi: & ſimiles auctoritates inueniuntur apud Philoſophum, *vnuſquiſque talia eligit, qualia ſibi videntur*, 3. Ethicorum: & ideò virtuoſus bona eligit, & quæ ſibi ſunt bona, ſimpliciter ſunt bona.

D. Bonau. di. 34. & q. 3. art. 1. In quibuſdam editionibus aliter collocatur hæc litera C. 5.

Contra primam viam arguitur ſic [i]: aut defectibilitas in voluntate eſt cauſa peccati, per ſe, aut per accidens. Si per accidens, ergo fruſtrà ponitur; ſi per ſe, & defectibilitas in voluntate eſt à Deo, vt à per ſe efficiente: & quicquid eſt per ſe in cauſato, inquantùm cauſatum, eſt per ſe à cauſa eius: igitur peccatum eſſet per ſe à Deo. Probatio aſſumpti, ſcilicet, quòd defectibilitas ſit à Deo efficiente, quia licèt defectibilitas conſequatur naturam creatam, quia eſt ex nihilo, non tamen eſt effectiuè ex nihilo: quia terminus à quo non dat effectui producto aliquam proprietatem ſui, igitur defectibilitatem habet talis natura ab ipſo Deo, ſicut ab ipſo efficiente. Si dicatur, quòd voluntas defectibilis eſt, cauſa per accidens peccati propinquior, quàm voluntas abſolutè, ſicut ſecundùm Philoſophum 5. *Metaph. cap. de cauſa*, ordo eſt in cauſis per accidens: propinquior enim eſt Polycletus, quàm album reſpectu ſtatuæ.

Voluntatē qua defectibilis, non eſſe per ſe cauſam peccati. Tex. com. 3.

15. Contra hoc arguitur: primò, quia voluntas creata videtur eſſe conuertibiliter cauſa, reſpectu peccati, licèt contingens: defectibilitas autem, quæ conuenit alicui, inquantùm eſt ex nihilo, non eſt conuertibilis; ergo magis propriè cauſa reſpectu peccati eſt voluntas talis, quàm voluntas defectibilis.

Confirmatur ratio [k], quia idem ſub eadem ratione propria, eſt proprium ſubiectum priuationis, & habitus: & etiam in cauſa libera, quæ poteſt in oppoſita, idem ſub eadem ratione propria, eſt cauſa oppoſitorum, licèt vnius [l] per ſe, & alterius contingenter, & per accidens, vel amborum contingenter: ſed voluntas, (vt voluntas) eſt ſubiectum proprium, & cauſa propria bonæ volitionis, ergo & malæ.

Confirmatur itetum ratio, quia ſi voluntas, inquantùm defectibilis peccat, ita quòd defectibilitas ſit per ſe ratio, vel proxima ratio peccandi, licèt per accidens, ſequitur, quòd inquantùm defectibilis, non poteſt benè velle, & ita ſi peccat, non peccat, quia nullus peccat in eo, quod omnino vitare non poteſt.

16. Præterea, non poteſt [m] poni defectus actualis eſſe cauſa per accidens, quia tunc ante primum defectum voluntatis eſſet defectus: igitur tantùm potentialis: ſed non alterius rationis ab illo actuali, qui inerit, quia iſte defectus potentialis non eſt proxima cauſa per accidens, reſpectu actualis defectus alterius rationis: igitur erit idem defectus, vt potentialis reſpectu ſuæ cauſæ potentialis per accidens.

Aug. 3. de lib. arb.

Reſpondetur, quòd non eſt defectus potentialis, ſed potentialitas ad deficiendum,

& ita non ſunt eadem: ſicut nec eſt idem albedo in potentia, & potentialitas in ſuperfici ad albedinem.

Contrà, aut iſta potentialitas in voluntate eſt actiua, aut paſſiua: non paſſiua, quia voluntas inquantùm paſſiua, non comparatur ad malum, vt cauſa, ſed vt ſubiectum ſi actiua, cùm illa non ſit niſi libertas ei concreata; igitur redit propoſitum, quòd libertas talis propria voluntati erit cauſa per accidens peccati: ſed tantùm valet dicere voluntatem iſtam eſſe cauſam per accidens peccati, ſicut dicere libertatem eius eſſe proximam rationem cauſæ per accidens peccati.

Contra ſecundam viam arguitur ſic, quia tunc peccatum videretur eſſe caſuale: ſed caſuale non eſt peccatum.

Præterea, ſi tantùm per accidens eſt voluntas cauſa peccati, quia præcisè vult illud poſitiuum ad quod ſequitur iſta deformitas: & Deus per ſe vult illud poſitiuum, ad quod ſequitur iſta deformitas: igitur non magis ſequitur, quòd voluntas creata pecceet, quàm diuina.

COMMENTARIVS.

5. *Quomodo bonum ſit cauſa mali.*

h *Sed de modo ponendi*, &c. Hîc Doctor declarat quòd duplex eſt cauſa, ſcilicet per ſe, & per accidens. Cauſa per ſe effectus eſt illa, quæ eſſentialiter includit rationem formalem productiuam talis effectus, vt ignis eſt cauſa per ſe effectiua caloris ſibi inexiſtentis, vel alicuius formæ ſubſtãtialis ignis, ita quòd eſſentia ignis eſt ratio formalis producendi talem effectum; & talis cauſa proprilſſimè dicitur cauſa per ſe, quia per ſuam rationem formalem attingit effectum. Cauſa verò per accidens eſt multiplex. *Cauſa per accidẽs multiplex.* Primò aliquid dicitur cauſa per accidens, quod producit aliquem effectum non per aliquid ſibi intrinſecum, quod ſit de ſubſtantia eius, quia tunc eſſet cauſa per ſe, ſed per aliquod ſibi additum, & ſic lignum per calorem ſibi additum poteſt calefacere. Secundò accipitur pro cauſa ſine qua non, quæ licèt nullo modo attingat effectum, tamen talis effectus non poteſt produci, niſi præexigatur talis cauſa ſine qua non, vt dixi ſuprà *d. 25. huius.* Tertiò, accipitur pro omni eo, quod eſt iunctum cauſæ per ſe, quod tamen nihil facit ad effectum producendum, quia ſiue inſit, ſiue non inſit, cauſa per ſe producit illum effectum, & de iſta cauſa communiter loquitur Ariſtoteles *ſecundo Phyſic.* Dicimus enim quod ædificator eſt cauſa per ſe ædificij, quia ædificator inquantùm huiuſmodi eſſentialiter includit artem ædificandi, quæ eſt ratio formalis producendi talem effectum. Quòd modo ædificator ſit albus, vel niger, aut Socrates & huiuſmodi, talia enim accidunt ſibi inquantùm ædificator, & ſi nullum iſtorum ineſſet ſibi, adhuc eſſet cauſa per ſe talis effectus, & hoc modo accipitur *cauſa per accidens* in litera. Quartò poteſt accipi pro omni eo quod attingit effectum principalem, ſed diſpoſitionem præuiam ad illum effectum, ſicut calor in igne agens in lignum, licèt non attingat formam ſubſtantialẽ ignis producendam in materia ligni, attingit tamen aliquam diſpoſitionem ad ipſam formam, quia producit caliditatem, & ſiccitatem in ligno: reſpectu caliditatis, & ſiccitatis dicitur cauſa per ſe, reſpectu, verò formæ ſubſtantialis ignis producendæ dicitur cauſa per accidens; pariformiter dico de effectu, puta ædificium quod ſi comparetur ad ædificatorem inquantùm albus dicitur effectus per accidens, & ſic alia applica ad propoſitum. In ſpeciali tamen aliquid poteſt dici effectus per accidens, non comparando illum ad cauſam per ſe, cui coniungatur aliquid per accidens, vt dictum eſt; ſed comparando ad effectum per ſe productum, cui tamen effectui per accidens coniungitur, non tamen per inhærentiam. Exemplum ædificator per ſe intendit producere ædificium, & in tali ædificatione propter intentum occidit hominem, talis occiſio eſt effectus per accidens, quia præter intentum cauſæ per ſe per accidens coniunctus eſt ipſi ædificationi.

6. *Quomodo defectibilitas non ſit cauſa peccati.*

i *Contra primam viam*, &c. Hîc Doctor intendit probare quòd ipſa defectibilitas non eſt cauſa peccati: patet, quia aut per accidens, aut per ſe. Non primo modo, quia tunc fruſtrà ponitur; patet, quia cauſa per accidens accipiendo cauſam per accidens tertio modo, vt ſuprà expoſui, nihil facit ad effectum; non cauſa per ſe, quia tunc peccatum eſſet effectus per ſe, & ſic eſſet à Deo; quod patet, quia ipſa defectibilitas voluntatis eſt cauſata ab ipſo Deo; & peccatum per te eſt cauſatum à defectibilitate, ergo Deus erit cauſa peccati, quia in cauſis effectiuis eſſentialiter ordinatis quicquid eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati. Sequitur ibi: *Si dicatur.* Iſta opinio fortè diceret, quòd voluntas abſolutè ſumpta eſt cauſa per accidens peccati, remota tamen, ſed vnde defectibilis eſt cauſa per accidens, ſed propinquior. Licèt iſta opinio poſſet improbari, quærendo ab eo tam de voluntate vnde voluntas, quàm de voluntate defectibili; aut eſt cauſa per accidens, & tunc fruſtrà ponitur, vt patet ſuprà; aut cauſa per ſe, & tunc peccatum erit à Deo. Tamen Doctor arguit contrà: & ratio ſtat in hoc, quòd magis voluntas abſolutè ſumpta, loquendo ſemper de voluntate creata, eſt cauſa peccati, quàm voluntas vnde defectibilis. Patet, quia iſta magis conuertuntur, ſola voluntas eſt cauſa peccati, licèt tamen contingens, quia poteſt agere, & non agere; & peccatum eſt à ſola voluntate: iſta autem non ſic inter ſe conuertuntur; voluntas vnde defectibilis eſt cauſa peccati, ſiue defectibilitas eſt cauſa peccati, & peccatum eſt à defectibilitate; nam defectibilitas in plus ſe habet quàm cauſa peccati: ſi enim defectibilitas, vt defectibilitas, quæ eſt eſſe ex nihilo, eſſet cauſa peccati, tunc peccatum poſſet cauſari à lapide, quia lapidi conuenit talis defectibilitas,

Voluntas ſola eſt cauſa peccati.

ſecundo phyſ. contex. 33.

defectibilitas, ſequitur quòd magis voluntas abſolutè ſumpta, erit cauſa peccati, cùm immediatiori, modò ſe habeat ad illud, quàm voluntas, vnde defectibilis, cùm talis defectibilitas, quæ eſſe ex nihilo omni alij creaturæ conueniat.

k *Confirmatur ratio.* Eſt argumentum à ſimili, quia ſicut idem ſub eadem ratione eſt ſubiectum priuationis, & habitus, ita eadem cauſa ſub eadem ratione poteſt in oppoſita, loquendo de cauſa libera; cùm ergo ipſa voluntas vnde voluntas, ſit cauſa bonæ operationis, ita ſub eadem ratione erit cauſa malæ operationis.

l *Licèt vnius per ſe*, &c. Hoc ſic debet intelligi, quod voluntas per ſuam volitionem per ſe producit effectum, qui ſequitur ad talem volitionem, & quia eſt in facultate ſua non elicere talem volitionem non eliciendo erit cauſa oppoſiti, nam in facultate voluntatis eſt velle dare eleemoſynam pauperi amore Dei, & huiuſmodi, eliciendo talem volitionem eſt per ſe cauſa boni moraliter; eliciendo verò illam, priuando tamen circunſtantiis debitis eſt cauſa defectus, licèt per accidens, ſicut præſentia nautæ eſt cauſa per ſe ſalutis nauis, & abſentia illius dicitur cauſa per accidens periclitationis, iſti tamen effectus contingenter habent *eſſe* à voluntate, licèt vnus per ſe, & alius per accidens.

2. *Phyſ. con-* *tex.* 30.

m *Præterea. Non poteſt poni.* Hîc Doctor intendit reducere ad hoc inconueniens, quòd voluntas ante peccatum adhuc peccaret, & ratio ſtat in hoc; quia ſi tu dicis, quòd defectus eſt cauſa per accidens peccati, id eſt, quòd ipſa voluntas, inquantum deficit à rectitudine danda actui, eſt cauſa peccati, aut ille defectus eſt actualis, id eſt, quòd ideò eſt cauſa per accidens peccati, quia actu deficit à rectitudine danda, & hoc non, quia ante defectum actualem eſſet defectus actualis, aut voluntas inquantùm eſt apta nata deficere, vel inquantùm poteſt deficere à rectitudine eſt cauſa peccati, & tunc talis defectus potentialis non poteſt eſſe cauſa defectus actualis alterius rationis, ſed tantùm eiuſdem rationis: quod patet, quia ſi voluntas eſt cauſa talis peccati puta homicidij: quia poteſt deficere à rectitudine danda, talis defectus eſt eiuſdem rationis cum defectu actuali; & ſi eiuſdem rationis, ſequitur quòd defectus actualis in effectu ſit idem, quòd defectus potetialis in cauſa quod eſt impoſſibile. 8

SCHOLIVM.

Tertia via, quæ videtur Auguſtini, peccatum non habere cauſam efficientem, ſed deficientem. Hanc impugnat dupliciter, & remittit reſolutionem in q. ſeq. n. 9.

18. TErtio modo ponitur, quòd peccatum non habet cauſam efficientem, ſed deficientem: & ſic habet voluntatem pro cauſa deficiente, non efficiente. Quod confirmatur per Auguſtinum 12. de Ciuit. cap. 7. *Nemo quærat efficientem cauſam mala voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio, ſed defectio: deficere namque ab illo, quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt, hoc eſt incipere habere malam voluntatem. Cauſas porrò iſtarum defectionum, cum efficientes non ſint, vt dixi, ſed deficientes, velle inuenire tale eſt, ac ſi velit quiſquam videre tenebras, vel audire ſilentium*, & in fine. *Cùm inquantùm deficiunt malè faciunt, & quid faciunt niſi vana, quæ cauſas deficientes habent?* & idem ibidem cap. 9. in princ. *Nec talem voluntatem facit, niſi defectio, qua deſeritur Deus, cuius etiam defectionis cauſa deficit.* *D. Bona. h. 2. diſt. 34. ar. 1. q. 2.*

Contra iſtud quia tunc ſequitur quòd Deus ſit cauſa peccati, ſicut voluntas creata hic enim deficere, eſt non efficere, ſicut Philoſophus dicit 5. *Metaph.* quòd quemadmodum nautæ præſentia eſt cauſa ſalutis nauis, ſic eius abſentia eſt cauſa periclitationis illius: & vtrunque eſt in eodem genere cauſæ. Ita igitur non efficere rectitudinem, quæ deberet effici, eſt quaſi cauſare effectiuè, vel defectiuè peccatum: ſed hoc ita conuenit Deo, ſicut voluntati creatæ, quod probo dupliciter, primò, quia Deus non neceſſariò cauſat, vel dat rectitudinem actui, quia nihil aliud à ſe neceſſariò cauſat: & ita poteſt non dare: igitur poteſt eſſe cauſa defectiua, reſpectu peccati, id eſt, non efficiens poſitiuum, quod excluderet peccatum. *Text. 3. Idem 2. Phyſ. tex. c. 30.* *Arguit Deum eſſe cauſam defectiuam peccati.*

Secundò, quia priùs naturaliter cauſaret tòtam iſtam rectitudinem ſi ineſſet quàm voluntas creata: cauſa enim naturaliter prior priùs naturaliter cauſat: igitur quando non ineſt, Deus per prius non cauſat, quàm voluntas creata non cauſat: & ita voluntas creata ideò deficit, quia Deus deficit, id eſt, non efficit aliquid cauſando.

Hæc ratio excludit quandam reſponſionem, quæ poſſet fieri ad primam rationem: quia Deus non deficit cum non cauſat, niſi priùs demereatur voluntas creata. Iſtud non probat niſi quòd non eſt prima non cauſatio ex parte Dei.

19. Et ſi dicatur, ſecundùm Anſelmum *de caſu diaboli*, c. 3. quòd licèt Deus dederit, tamen Angelus non accepit, non tamen, quia Deus non dedit, ideò Angelus non accepit, ſed è conuerſo: ita hîc. Contrà, accipio tempus, in quo voluntas peccat, & diuido in duo inſtantia naturæ *A* & *B*, in *A* compatatur Deus ad voluntatem, vt cauſa prior: in *B*, voluntas comparatur ad ſe, vt cauſa poſterior: tunc quæro, aut in *A* Deus cauſat rectitudinem, & ſequitur, voluntas etiam cauſat in *B*, illam: aliàs quin ſi voluntas cauſaret in *B*, peccatum, oppoſitum rectitudini eſſet ſimul

in voluntate: & per conſequens, ſimul erunt in voluntate illud peccatum, & rectitudo ſibi oppoſita: igitur oportet dicere quòd Deus non cauſat rectitudinem, & per conſequens, quòd voluntas in *B* non cauſat: hoc enim præexigit naturaliter Deum in *A*, non cauſare.

1. Poſterior. t. 30. Præterea, in cauſis præciſis, ſi negatio eſt cauſa negationis, & affirmatio affirmationis: Deum cauſare rectitudinem in ſuo ordine cauſandi, eſt præciſa cauſa quare voluntas creata cauſet eam: igitur ibi negatio eſt cauſa negationis. Maior patet *primo Poſter.* de habere pulmonem, & reſpirare.

Ex his tribus viis, ſi benè intelligantur, poteſt colligi vna ſolutio de modo, quo voluntas eſt cauſa peccati: tamen, quia iſtud eſt ſolutio quartæ quæſtionis, an ſcilicet Deus ſit cauſa peccati, dependet ex cognitione actiuitatis voluntatis creatæ, reſpectu ſui actus.

QVÆSTIO II.

Vtrùm voluntas creata ſit totalis cauſa, & immediata ſui velle, ita quòd Deus reſpectu illius non habeat aliquam efficaciam immediatam, ſed mediatam?

Alenſis 1. *p. q. 9. mem. 2.* D. Thom. 1. *p. q. 105. art. 5. & 1. 2. q. 79. art. 2. & hic q. 2. art. 1.* D. Bonau. *hic art. 1. q.* Rich. *art. 2. q. 1.* Suar. 2. *Met. d. 22.* Bellarm. *l. 2. de amiſſ. grat. c. 18. & l. 4. de lib. arb. c. 4. qui omnes refutant ſent.* Durand. *hic qu. 1.* Aureol. *etiam hic, quam putat* Altiſ. *l. 2. tract. 15. q. 4. eſſe probabilem, quamque tenuerunt Pelagius & ſequaces, teſte Staplet. l. 4. de iuſtif. ſcilicet, Deum non concurrere immediatè ad actum, qui eſt peccatum: quomodo autem Deus non ſit cauſa peccati, cùm efficiat actum eius, tradunt ſententiarij hìc, &* D. Thom. *cum ſuis 1. 2. q. 79. vbi* Conrad. Caiet. Valent. Vaſq. Zumel. *Vide* Scot. 2. *Phyſ. q. 8. vbi* Aretinus

DEo meritò circa ſecundum quæſitum quæro ſine argumentis, Vtrùm voluntas creata ſit totalis cauſa & immediata ſui *velle*, ita quòd Deus reſpectu illius non habeat aliquam efficientiam immediatam, ſed tantùm mediatam? & poteſt dici quòd voluntas eſt totalis cauſa, & immediata reſpectu ſuæ volitionis, quod probatur per rationem. Primò, quia aliter ipſa non eſſet libera. Secundò, quia etiam aliter nihil contingenter cauſare poſſet. Tertiò, quia aliter non poſſet peccare. Quartò, quia aliter omnino nullam actionem habere poſſet. Quintò, ex comparatione eius ad alias cauſas creatas. 1.

COMMENTARIVS.

Deò meritò circa ſecundò quæſitum. Hìc Doctor ex quinque viis nititur probare quòd voluntas creata ſit ſimpliciter cauſa totalis ſui *velle*, ita quòd nulla alia cauſa, neque Deus concutrit, & quia Doctor non tenet hanc opinionem, quia vult quòd Deus concurrat vt cauſa principalis, vt patet infrà, improbando iſtam opinionem, ideò hæc argumenta facta hìc ad intentionem Doctoris ſoluuntur, licèt ipſe non ſoluat.

SCHOLIVM.

Rationes ſuadentes ſententiam quam tenent Durand. & Aureolus, nempe voluntatem creatam ſine cooperatione immediata Dei poſſe elicere volitionem: ponuntur etiam auctoritates idem ſuadentes.

Arguit tolli libertatẽ ſi Deus immediatè cõcurrit ad a. ſtuos. EX prima via [a] arguitur dupliciter. Primò ſic: nulla potentia habet perfectè in poteſtate ſua effectum, qui non poteſt cauſari ab ea immediatè, nec ab aliqua cauſa, cuius cauſatio non eſt in poteſtate illius potentiæ: cauſatio autem Dei non eſt in poteſtate voluntatis creatæ; patet: ſicut nec virtus agentis ſuperioris eſt in pote

in poteſtate inferioris agentis: igitur ſi Deus neceſſariò immediatè concurrat, vt cauſa immediata reſpectu volitionis creatæ, voluntas creata non plenè habet in ſua poteſtate illam volitionem. Propoſitio maior aſſumpta patet: quia quod habet in poteſtate ſua perfectè effectum, vel poteſt ex ſe ſolo in illud, vel cauſatio cuiuſcunque concurrentis eſt in poteſtate eius, ſcilicet quòd illud cauſat, vel non: exemplum de intellectu, qui ſi concurrat ad cauſandum volitionem ſecundùm tertiam opinionem dict. 25. huius libri, non tamen cauſat niſi voluntate cauſante, ita quòd eius cauſatio eſt in poteſtate voluntatis. *à n. 3.*

2. Iuxta ſecundam viam [b], ſecundò arguitur ſic: quod ab alio determinatur ad aliquid, non habet perfectè illud in ſua poteſtate: voluntas creata determinatur ex hypotheſi à voluntate diuina, ad hoc; ergo. Minor probatur, quia aut vna voluntas determinat aliam: & non noſtra diuinam; patet, quia temporale non eſt cauſa æterni: ergo è conuerſo, & habetur propoſitum: aut neutra aliam, & tunc neutra erit mouens mota: nec erit inter iſtas ordo eſſentialis: imò ſi voluntas diuina non determinat noſtram, ſicut arguit ſecunda ratio, poſſet illa aliquid velle, quod non fieret, propter voluntatem noſtram non concordantem.

Præterea ex ſecunda via arguitur ſic: Illud non eſt contingenter propter habitudinem ſui ad aliquam cauſam, ad cuius euentum cauſa ſuperior eſt determinata, cuius cauſæ determinationem neceſſariò ſequitur determinatio omnium cauſarum inferiorum. Exemplum, ſi voluntas mea eſſet modò determinata ad vnam partem, de ſcribendo cras, & non eſſet impedibilis, nec mutabilis; non eſſet meum *ſcribere cras* contingens ad vtrumlibet ex habitudine ſui ad manum: quia ſicut voluntas eſt determinata modò ad alteram partem; ita in ipſa virtualiter ſunt omnes cauſæ inferiores ad idem: & ſimiliter ex quo illud determinatum eſt, ad cuius determinationem effectus determinatus erit, euentus iſtius effectus non eſt ſimpliciter indeterminatus ad vtrumque: ſaltem non eſt eius *eſſe* contingens propter poteſtatem cauſæ inferioris: ſed ſi voluntas diuina ſit cauſa immediata meæ volitionis, iam eſt aliqua cauſa determinata reſpectu eius: quia voluntas Dei, æternaliter eſt determinata ad alterum contradictoriorum: & determinationem huius cauſæ neceſſariò concomitatur determinatio voluntatis meæ reſpectu eiuſdem: alioquin ſimul ſtarent Deum velle hoc, & hoc non fore: igitur illud *velle* non eſt contingens ad vtrumlibet propter poteſtatem voluntatis meæ. *Arguit tolli contingentiam ſi Deus immediatè concurrit ad actum.*

3. Ex tertia via arguitur ſic: ſi Deus ſit cauſa immediata volitionis, conſtat quòd erit cauſa prior voluntate: ergo priùs naturâ influit ad effectum, quàm voluntas creata: accipio ergo illud ſignum naturæ, in quo Deus cauſat *velle* inquantùm eſt priùs illo ſigno, in quo voluntas creata agit ad illud *velle*: aut in illo ſigno Deus cauſat immediatè rectitudinem perfectam in *velle*, & per conſequens voluntas in ſecundo ſigno non peccat: quia non cauſat in effectu oppoſitum iſtius, quod prima cauſa cauſat: aut in iſto primo ſigno Deus non cauſat rectitudinem perfectam immediatè in *velle*: & ſequitur quòd voluntas in ſecundo ſigno non peccat, quia non poteſt tunc in *velle* rectum: in nihil enim poteſt ipſa in ſecundo ſigno, niſi in illud, quod cauſa prior in primo ſigno producit: ſed non habendo *velle* rectum, ſi non poteſt habere rectum, non peccat: ergo, &c. *De hac vide 39. diſt. pri. Arguit nullum eſſe peccatum ſi Deus ad actum concurrit immediatè.*

Ex quarta via arguitur [c] ſic: ſi Deus ſit cauſa iſtius volitionis, erit totalis cauſa eius, quia volendo cauſabit eam: volendo autem eſt totalis cauſa perfectioris creaturæ, puta Angeli, vel cuiuſcunque creaturæ de nihilo: ergo ſi volendo eſſet cauſa eius, eſſet totaliter cauſa eius: ſed cum totali cauſa alicuius nihil aliud poteſt cauſare cum illa, in eodem genere cauſæ: igitur voluntas nullam cauſalitatem haberet reſpectu volitionis ſuæ.

4. Ex quinta via arguitur ſic: ſi aliqua eſt totalis cauſa creata reſpectu ſui effectus, hoc maximè concedendum eſt de voluntate, quia ipſa eſt ſuprema inter omnes cauſas actiuas: ſed aliqua poteſt eſſe totalis cauſa reſpectu ſui effectus: ergo, &c. Minor probatur dupliciter. Primò, quia hoc non repugnat creaturæ: licèt enim aliquid ſit totalis cauſa caloris effectiua, hoc tamen non ponit in eo aliquam infinitatem, nec perfectionem repugnantem creaturæ; ſi enim ſit cauſa vniuoca, non oportet quòd excellat effectum ſuum in perfectione: ſi autem eſt æquiuoca, non oportet in infinitum excellere effectum, ſed in aliquo gradu determinato.

Secundò probatur minor, quia illud eſt totalis cauſa alicuius, quod ſi eſſet, omni alio, per impoſſibile, circumſcripto, perfectè cauſaret illud: ſed ſubiectum, ſi eſſet, omni *Quid ſit totalis.*

omni alio circumſcriptò per impoſſibile, adhuc cauſaret ſuam propriam paſſionem: ergo ſubiectum eſt totalis cauſa ſuæ paſſionis ex hac minori dupliciter probata, infertur concluſio, quòd voluntas poteſt eſſe totalis cauſa reſpectu ſuæ volitionis, & vltrà cùm præter totalem cauſam nihil aliud cauſet in eodem genere cauſæ: alioquin idem bis cauſaretur, vel cauſaretur ab aliquo, ſine quo nihil minus eſſet: & ſic ſequitur quòd Deus immediatè non cauſabit iſtam volitionem.

Deum non concurrere immediatè ad volitionem noſtrã uadetur, auctoritate.

Per auctoritates probatur propoſitum. Primò per illud Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, adiecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* 5.

Auguſtinus etiam 7. de Ciuit. cap. 20. *Sic Deus res quas condidit adminiſtrat: vt eas agere proprios motus ſinat.*

Anſelmus etiam de Concordia præ. & gratiæ, dicit. *Deus facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipſe facit res, a quibus, & in quibus, & ex quibus fiunt, & nulla res habet vllam poteſtatem volendi, aut faciendi, niſi ipſo dante.*

Ibidem etiam parte ſecunda: *Non ea Deus, quæ prædeſtinat facit voluntate cogendo, aut voluntate reſiſtendo: ſed in ſuo eſſe dimittendo.*

Ad hoc etiam Commentator. 9. Metaphy. com. 7. ſuper illud, *Ergo poſsibile eſt, vt aliquid habeat potentiam*, vbi dicit ſic: *Moderni ponunt vnum agens omnia entia cauſare ſine medio, ſcilicet Deum, & conuenit illis dicere, vt nullum ens habet propriam actionem naturaliter; & cùm entia non habuerint actiones proprias, non habebunt eſſentias proprias, ſiue potentias. Actiones enim non diſtinguuntur, niſi per eſſentias diuerſas, & iſta opinio eſt valde extranea à natura hominis*, &c.

COMMENTARIVS.

1. a *Ex prima via.* Suppono mihi vnum, quòd inter cauſam primam, & ſecundam eſt ſimpliciter ordo eſſentialis in cauſando, ita quod omnis cauſa ſecunda agit in virtute primæ, & eo modo mouet quo mouetur à prima parte vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 29. *& in quarto, diſt.* 1. *quæſt.* 1.

Secundò ſuppono, quòd ipſa voluntas diuina, vt concurrit cum cauſa ſecunda, merè contingenter, & liberè concurrit vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 2. & 8. & non eſt ſic intelligendum, quod ſit in facultate ſua coagere cauſæ ſecundæ, & non coagere, ſic, quòd cauſa ſecunda poſſit aliquid producere non concurrente prima, quia nullus effectus poteſt fieri in iſtis inferioribus à cauſa ſecunda non concurrente prima, vt patet ex primo præſuppoſito: ſed ſic debet intelligi, quod eſt in facultate voluntatis diuinæ cooperari cauſæ ſecundæ, ſupple, quod ipſa agente, & cooperante in eodem inſtanti cauſa ſecunda agit, & ipſa non agente eſt impoſſibile cauſam ſecundam aliquid agere. Hoc patet ſubtiliter à Doctore *in quarto, diſt.* 1. *qu.* 1. & 44. 49.

Cauſa ſecũda ſunt in duplici genere.

Tertiò ſuppono, quòd cauſæ ſecundæ ſunt in duplici genere. Quædam ſunt cauſæ naturales ſic ſui effectus, vt ex parte ſua nullo modo poſſint in oppoſitum, vt ignis ſic eſt cauſa caloris in ligno diſpoſito, & approximato, quòd ſi ſibi derelinqueretur, ita quòd per impoſſibile, cauſa prima non concurréret de neceſſitate naturæ cauſaret calorem, & ſic dico de quolibet alio agente naturali; & tunc dico, quòd cauſa prima concurrente cum igne ad calorem cauſandum, licèt ille calor vt comparatur cauſæ primæ, merè contingenter producatur, tamen vt comparatur ad ignem, de neceſſitate producitur, quia ipſe ignis non poſſet non producere, ſi per poſſibile, vel impoſſibile eſſet ſibi derelictus. Et quædam ſunt agentia libera, vt voluntas creata, quæ ſtante diſpoſitione obiecti poteſt elicere actum circa illud, & non elicere, ita quod, per impoſſibile, circunſcripta cauſalitate primæ cauſæ, eſt ſimpliciter in poteſtate ſua cauſare actum volendi, & non cauſare. Quòd modò cauſetur talis actus à voluntate creata concurrente voluntate diuina, vt cauſa principali, hoc eſt propter ordinem cauſarum eſſentialium, talis volitio ſic cauſata dicitur merè contingenter producta, & vt comparatur ad voluntatem diuinam, & vt comparatur ad creatam.

His præſuppoſitis dico, quòd ſi intelligatur 2
voluntatem creatam habere ſimpliciter in poteſtate ſua effectum, ita, quòd nullo modo poſſet impediri, hoc non debet teneri, quia prima cauſa non concurrente nullus effectus poteſt produci à ſecunda cauſa. Si verò ſic intelligatur, quòd habeat in poteſtate ſua effectum, quòd quantùm eſt ex parte ſua, poteſt in illum, & in oppoſitum eius, & à nullo agente creato poſſit impediri ſtante diſpoſitione voluntatis, & obiecti, circa quod elicit actum, ſic voluntas creata habet in poteſtate ſua actum, quia quantùm eſt ex ſe, poteſt in illum, & in oppoſitum, & in hoc attenditur perfecta libertas voluntatis, quæ conformiter agere poteſt voluntati, quòd ſicut prima voluntas, inquantùm eſt ex ſe, ſemper poteſt in effectum, & in oppoſitum eiuſdem, ita voluntas creata quantùm eſt ex ſe, poteſt in effectum, & in oppoſitum eiuſdem; ſic autem non eſt de agente naturali, vt patet ſuprà.

b *Iuxta primam viam ſecundò arguitur ſic.*

Dico,

Dico,quòd ſi intelligatur habere perfectè in ſua poteſtate,ita quòd à nullo poteſt impediri, tranſeat;ſi verò intelligatur ſic,quòd quantùm eſt ex parte ſua,poteſt in illud, & in oppoſitum eius,licèt concurrente prima cauſa, & principaliter agente,& determinante ſecundam cauſam, negatur illa; quia voluntas creata licèt determinetur à voluntate diuina ad agendum,tamen quantùm eſt ex parte ſua, poteſt in effectum, & in oppoſitum eius, & in hoc diſtinguitur ab agente naturali, vt patet ſuprà. Secunda, & tertia via patent ex dictis.

5. c *Ex quarta via arguitur ſic*: Reſpondetur quòd cùm dicit, quòd tunc Deus eſſet cauſa totalis volitionis, & ſi ſic, talis volitio non poſſet eſſe à voluntate, quia idem non poteſt dependere à duabus cauſis totalibus. Dico primò, quòd Deus ſi eſt cauſa volitionis, eſt cauſa partialis,& voluntas noſtra altera cauſa partialis, licèt poſſit eſſe cauſa totalis,ſi vellet, & huius opinionis eſt Franciſcus, & multi alij. Dico ſecundò, quòd Deus poteſt eſſe cauſa totalis, & ſimiliter voluntas,ita quòd in inſtanti *A* naturæ effectus totaliter dependet à voluntate diuina, & à voluntate creata, & quando dicitur quòd idem non poteſt dependere à duabus cauſis totalibus; dico, quòd hoc verum eſt, loquendo de cauſis non eſſentialiter ordinatis; & hoc intendit Doctor *in primo, diſt.*2. quia ſi aliquis effectus poſſet totaliter dependere à duabus cauſis non eſſentialiter ordinatis ſimul poſſet eſſe, & non eſſe ſed non ſic quando ſunt eſſentialiter ordinatæ, quia agente prima,de neceſſitate agit,& ſecunda quando prima vult ſecundam agere, & agente ſecunda neceſſariò prima agit.

Deus eſt cauſa partialis volitionis.

SCHOLIVM.

Contra dictam ſententiam obijcit quod tollit rationem meriti,& ordinem eſſentialem cauſarum,ſed hæc ſoluit,ponens modum quo hæc duo ſaluari poſſent,etiam negando Deum influere immediatè in actum liberum.

6. SI hæc via eſſet vera, poſſet ſecundùm eam faciliter aſſignari,quomodò Deus non ſit cauſa peccati. Loquendo enim,ſiue de materiali,ſiue de formali in peccato, totum eſſet cauſatum à voluntate,ſicut à totali cauſa, & ita nullo modo à Deo, niſi mediatè,quia Deus produxit voluntatem talem,quæ poſſet ſic,& ſic velle.

Sed contra iſtam viam obiicitur,quia iſta via non ſaluaret Deum eſſe cauſam meriti, cùm meritum ſit ita liberum, ſicut peccatum, & ſimiliter non ſaluaret ordinem eſſentialem cauſarum:quia ſecundùm primam propoſitionem de cauſis, *omnis cauſa primaria*, &c.ſed ſecundùm iſtam viam cauſa primaria non influeret in effectum, niſi quia produxit cauſam iſtam.

Ad primum iſtorum poteſt dici, quòd Deus aliquo modo eſt cauſa meriti, quomodo non eſt cauſa peccati:quia immediatè cauſat in animam gratiam, vel charitatem,quæ per modum naturæ inclinat ad merendum,& quandocunque forma actiua per modum naturæ,eſt ab aliquo agente, etiã actio formæ illius eſt ab eo. Et ex hoc etiam pateret,quomodo effectus aliarum cauſarum, aliter eſſent à Deo, quàm effectus voluntatis:quia iſtæ cauſæ determinatæ acceperunt inclinationem à Deo,& neceſſitatem ad tales effectus,non ſic voluntas.

Quomodò Deus eſſet cauſa meriti ſine concurſu. in actum.

7. Ad ſecundum diceretur,quia licèt ſit aliquando ordo cauſatum principalium, & minùs principalium quarum neutra mouet aliam, ſicut ſe habent obiectum, & potentia cognitiua reſpectu actus cognoſcendi *ex diſt.*3.*primi libri*, aliquando autem ſit ordo,ita quòd principale mouet minùs principale,vel ad actum ſecundum, vel primum,ita tamen quòd ſi iſtæ duæ cauſæ ſint partiales,& integrent per ſe vnam cauſam totalem ſicut manus & baculus,reſpectu motus pilæ: vel ſicut Sol,& pater reſpectu filij, tamen in cauſis totalibus, reſpectu ſuorum effectuum immediatorum, poteſt etiam eſſe ordo eſſentialis,ita quod cauſa ſecunda, ſit cauſa totalis immediata reſpectu ſui effectus,ſicut cauſa prima, reſpectu ſui effectus, & tamen eſſentialiter ſit ſecunda: quia ſecundùm ſuam cauſationem, ſicut ſecundùm ſuum *eſſe* eſſentialiter dependet à prima: non tamen ita quòd iſta dependentia ſit immediata effectus ſui ad ipſam,& ad cauſam priorem.

q.7. & 9.

Quomodo ſaluaretur ordo cauſarum ſine immediato Dei concurſu.

Et cùm dicit illa propoſitio, quòd cauſa prima plus cauſat, verum eſt; quia cauſat ſecundam. Exemplum huius poni poſſet in cauſis eſſentialiter ordinatis alio modo cauſand. Si enim ponamus plures materias ordinatas in compoſito, reſpectu vltimæ formæ, non quælibet iſtarum materiat, reſpectu vltimæ formæ, ita quòd quælibet earum perficiatur ab vltima forma: ſed ſolùm vltima materia: quæcunque autem prior ſit,perficietur ab aliqua forma priore,quæ conſtituit materiale, reſpectu poſterioris.

SCHO

SCHOLIVM.

Reſolutiuè reiecit dictam ſententiam negantem Deum influere in volitionem noſtram immediatè, quia tollit Dei ſcientiam & omnipotentiam, de quo DD. citati, & cenſetur oppoſitum erroneum, contra id Iob. 10. Manus tuæ Domine fecerunt me, *& Pſal.* 146. Qui producit in montibus fœnum. *Ioan.* 5. Pater meus vſque modò operatur, *de quo Auguſtinus* 3. *de Trin.* 3. *&* 4.

Argumẽta pro d. 39. primi. Deus non eſſet omniſcius, nec omnipotens ſi non ageret immediatè noſtros actus.

CONtra iſtam [d] opinionem arguitur dupliciter. Primò; quia ex ipſa ſequitur quòd Deus non ſit naturaliter præſcius futurorum. Secundò, quòd non ſit omnipotens. Probatio primæ conſequentiæ, quia non habet ſcientiam de futuris contingentibus, niſi quia certitudinaliter nouit determinationem voluntatis ſuæ reſpectu eorum, ad quæ voluntas ſua eſt immutabilis, & impedibilis: ſed ſi voluntas creata eſt totalis cauſa, reſpectu ſui velle, & ipſa contingenter ſe habet ad illud velle: ergo quantumcunque voluntas diuina ponatur determinata ad vnam partem eorum, quæ dependent à voluntate creata, poterit voluntas creata aliter velle: & ita non ſequitur certitudo ex cognitione determinationis voluntatis diuinæ.

Probatio ſecundæ conſequentiæ tripliciter. Primò, quia quicquid vult omnipotens hoc fit: ſed ſi velit volitionem meam fore, & iſta eſt in poteſtate voluntatis meæ, vt totalis cauſæ contingenter ſe habentis ad illud: ergo ipſa poteſt determinari ex ſe ad vnam partem, vel ad aliam indifferenter: & ita poteſt non fieri illud aliud, ad quod voluntas diuina eam determinauit. Secundò, quia voluntas diuina non poteſt impedire voluntatem meam, niſi violentando eam: ſi enim ex ſe determinetur ad vnam partem, ex quo determinata eſt ad vnum, non poteſt impediri, niſi violenter: ſed voluntatem violentari includit contradictionem: igitur Deus non poteſt volitum à voluntate mea impedire. Tertiò, quia voluntas omnipotentis producit volitum in *eſſe*, pro tunc, pro quando vult illud eſſe: non enim eſt alius actus voluntatis diuinæ, reſpectu Angeli, vel alicuius alterius creati, quo producitur in eſſe: ſed ſi voluntas mea eſt totalis cauſa huius volitionis, illa voluntas, nullo modo producit iſtam volitionem in eſſe.

COMMENTARIVS.

4. d *Contra iſtam opinionem arguitur dupliciter.* Nota hic duas rationes ſingulares, quibus probat voluntatem diuinam ſimpliciter concurrere ad omnem effectum cuiuſcunque voluntatis creatæ. Prima eſt de omni ſcientia Dei, vt clariùs patebit *in quarto, d.* 49. Secunda, quia ſi voluntas. Vt intelligatur litera: pono tale exemplum, quòd voluntas diuina ab æterno vult voluntatem Franciſci amare Ioannem; tunc quæro à te, ſi voluntas Franciſci habet plenè in poteſtate ſua amare, & odire, ſi ergo Franciſcus pro inſtanti *A*, pro quo vult voluntas diuina ipſum amare Ioannem poteſt odire; & ponatur in *eſſe*, tunc voluntas diuina pro inſtanti *A* impeditur, quia Franciſcus odiendo Ioannem pro illo inſtanti agit contra determinationem diuinæ voluntatis, quæ determinauit ipſum amare. Quòd ſi dicatur, quòd voluntas diuina faciat quod fieri determinauit, quia pro inſtanti *A*, Franciſcus amabit Ioannem, & ſic voluntas diuina impediet voluntatem Franciſci ne odiat: ſed hoc non poteſt facere, niſi violentando illam, quod eſt impoſſibile. Quòd autem non poſſit violentari, patet, quia ſi voluntas Franciſci ex ſe determinetur ad nolle Ioannem & voluntas diuina faciat ipſum velle Ioannem tunc ſic, aut Franciſcus vult Ioannem, quia Deus vult ipſum velle, & tunc non violentatur, quia ipſe vult quod Deus vult; aut habet *nolle* reſpectu ipſius volitionis, ſi habet *nolle*, tunc violentaretur, quia ſimpliciter nolens Ioannem vellet ipſum, igitur non fiet oppoſitum eius, quòd ipſa vult, niſi deſtruatur eius libertas.

Exemplum.

SCHOLIVM.

Reſoluit formale peccati, ſcilicet priuationem rectitudinis debitæ, non habere cauſam efficientem, ſed deficientem, eius tamen materiale poſitiuum habere cauſam efficientem, cui per accidens accidentalitate effectus, annectitur formale. addit impropriè conuenire voluntati vt ſic, cauſare per accidens peccatum, quatenus ſcilicet contrahitur per limitationem, quam explicamus per eſſe defectibilem: hoc modo ex tribus viis poſitis q. præced. à n. 14. *conficit vnam viam explicandi quomodo voluntas ſit cauſa peccati.*

PRopter igitur iſtas duas rationes, de omnipotentia, & omniſcientia Dei, non tenendo iſtam viam, reſtat inquirere, qualiter peccatum poſſit eſſe à voluntate creata 9.

creata, quo ad primam quæſtionem: & quomodo non à Deo, quo ad quæſtionem quartam.

Quantùm ad primum dico, quòd ex illis tribus viis, duabus, ſcilicet quæ ponunt cauſam per accidens, reſpectu mali, & tertia, quæ ponit, reſpectu eius, cauſam deficientem; poteſt colligi vna ſolutio integralis talis. In peccato mortali concurrunt duo actus, ſcilicet poſitiuus, vt materiale, & priuatio iuſtitiæ debitæ, vt formale. Reſpectu huius priuationis, nulla eſt cauſa efficiens, ſed tantùm deficiens, ſecundum tertiam viam. Voluntas enim, quæ eſt debitrix dandi rectitudinem ſuo actui, & non dat, deficiendo peccat, hoc eſt ergo formaliter peccare, ſcilicet cauſam huiuſmodi liberam, non dare debitam rectitudinem ſuo actui, quam tunc poſſet dare.

Formale peccati, ſcilicet priuatio rectitudinis debitæ cauſatur deficiendo & quomodo?

Ex hoc apparet illa via, de cauſa per accidens. Licèt enim iſta cauſa non cauſet formaliter, quod eſt in peccato efficiendo, ſed deficiendo; cauſat tamen efficiendo, aliquod poſitiuum, cui annexus eſt iſte defectus deficiendo cauſatus, & ita ſtant auctoritates Dionyſij de accidentalitate ex parte effectus. Eſt etiam accidentalitas ex parte cauſæ non propriè, ſicut album dicitur eſſe cauſa ædificandi accidentaliter, & vniuerſaliter omne quod accidit cauſæ per ſe, ita, quod facit vnum per accidens cum ea ſed extendendo accidens, ad quodlibet, quod eſt extra per ſe rationem alicuius (quomodo differentia dicitur accidere generi) hoc enim modo illud, quo voluntas noſtra ſpecifice eſt hæc voluntas accidit voluntati in communi: quia voluntas in communi eſt perfectio ſimpliciter, propter quod ponitur formaliter in Deo. Et voluntas ſub iſta ratione non eſt proxima cauſa etiam contingens, reſpectu peccati: quia tunc quodlibet inferiùs ſub ipſa haberet talem rationem cauſalitatis; & ita voluntas diuina.

Quomodo voluntas eſt cauſa per accidens reſpectu peccati.

10. Sed voluntas contracta per differentiam aliquam ad voluntatem creatam, quam circumloquimur per hoc, quod eſt *limitatum*, eſt proxima cauſa defectiua, & per hoc cauſa per accidens, reſpectu peccati: & ideò accidentaliter etiam ex parte cauſæ, accipiendo voluntatem in communi pro cauſa: quia pro quanto intelligitur iſta differentia ſuperaddi, accidit ſibi per accidens eſſe cauſæ, reſpectu peccati: ſicut ſi diceretur quòd animal non eſt per ſe cauſa intelligendi, ſed per accidens: quia animal perfectiſſimum intelligit; non quod *perfectiſsimum* ſit propria ratio intelligendi, quia animali ſimpliciter accidit: ſed rationale, quod animali accidit, vt differentia generi, quod rationale circumloquimur per hoc, quod eſt *perfectiſsimum*.

Quomodo voluntas ex parte cauſæ ſit cauſa per accidens peccati?

Ita in propoſito illam differentiam ſpecificam, qua voluntas in communi contrahitur ad voluntatem creatam, quæ contractio, vel differentia, nos modò latet; circumloquimur per hoc, quod eſt *eſſe limitatum*, vel *defectibile*, vel *ex nihilo*: & iſti toti attribuuntur actus iſti tanquam cauſæ magis propriæ, quàm voluntati de ſe: quod verum eſt ſi intelligatur de hoc contracto, ſcilicet de iſta voluntate in ſpecie: ei enim conuenit non tantùm per accidens, ſicut voluntati in communi, ſed quaſi cauſæ propinquæ, ita quòd cuilibet tali voluntati poteſt conuenire, & nulli alij: & hoc modo debet intelligi prima opinio de defectibilitate voluntatis.

Voluntas creata prima cauſa peccati.

SCHOLIVM.

Ponit tres auctoritates, quibus oſtendi videtur Deum non poſſe eſſe cauſam peccati, & eas eleganter impugnat. Impugnatio loci ex Anſelmo obſcura eſt, quia non affertur ipſe locus. Dicit cùm Deus poſsit annihilare voluntatem, tamen non poſſe auferre eius rectitudinem, quæ ſtat in hoc, quod velit id quod Deus vult eam velle: nam ſi vellet auferre ei rectitudinem: non vellet eam velle conformiter ſuo velle: contra hæc arguit Scotus.

11. SEd tunc reſtat videre, quomodo voluntas defectibilis ſit cauſa deficiens reſpectu peccati, aliter quàm diuina voluntas: imò, quòd ipſa ſit cauſa, & diuina voluntas non ſit cauſa, & hoc quantùm ad ſolutionem quartæ quæſtionis vbi dicitur, & tenetur communiter, quòd voluntas diuina non poteſt eſſe cauſa peccati. Ad quod poſſunt poni tres rationes iſtorum.

Prima talis, Auguſtinus 83. q. q. 3. *Nullo homine ſapiente auctore, ſit homo deterior: tanta enim eſt iſta in homine culpa, vt in homine ſapiente non cadat*: eſt autem Deus omni homine ſapiente præſtantior: non igitur Deo auctore fit homo deterior, vt vult ibidem Auguſtinus quæſt. 4.

Item

Item in eodem lib. q. 21. *Qui cauſa eſt omni enti vt ſit, non eſt cauſa non eſſendi, vel vt non ſit, quia illud, quod eſt ab eo inquantùm eſt, bonum eſt*: eſt autem Deus cauſa omnis boni: non eſt ergo Deus cauſa non eſſendi alicui: ergo nec cauſa peccati alicui, quod formaliter eſt non eſſe.

Tertia ratio eſt Anſelmi de lib. arb. cap. 8. *Cùm Deus omnem ſubſtantiam*, &c Quære ibi.

Quare ſapiente auctore nemo fit deterior.

Contra iſtas rationes inſtatur, primò contra primam, quia homo ſapiens tenetur ad ſeruandum præceptum Dei, & ideò non poteſt eo auctore alius eſſe deterior, niſi ipſe peccet, & ita fiat non ſapiens: non enim in poteſtate eius eſt libere cooperari alij ad benè agendum, vel non cooperari; quod ſi eſſet, poſſet non cooperari manens ſapiens: & ideò eo auctore, eſſet alius deterior, id eſt, eo non efficiente bonitatem in actu alterius, alius non benè ageret. In poteſtate autem Dei eſt liberè cooperari voluntati creatæ ad benè agendum, vel non cooperari: ergo ipſo rectè manente, poteſt non cooperari voluntati creatæ, & ita ipſa peccabit. 12.

Confirmatur iſta ratio, quia ſicut Deus priùs naturaliter agit ad actionem rectam, quàm voluntas creata ſi actio eſſet recta, ita videretur quòd Deus priùs non ageret, quàm voluntas creata non agat, quando actio eſſet non recta.

Contra ſecundam rationem arguitur, quia cauſa neceſſaria, ſiue naturalis reſpectu entitatis tantùm, non eſt cauſa non eſſendi, quia talis agit ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ, & ita non poteſt non agere illud, quod nata eſt agere: ſed Deus non eſt talis cauſa eſſendi creaturarum, ſecundum quodcunque eſſe, reſpectu cuius poteſt eſſe principium agendi, cuius vlterioris eſſe carentia, eſt malum: ergo Deus poteſt eſſe deficiendo cauſa mali.

Quare Deus cauſa pœnæ nõ culpæ?

Prætereà, quare poteſt Deus magis eſſe cauſa pœnæ quàm culpæ, cùm pœna ſit formaliter malum ſicut culpa? Ita enim eſt ſimpliciter malum, non frui Deo, & per comparationem ad bonum quod priuat: & per comparationem ad naturam cui nocet: ſicut non diligere Deum actu meritorio in via: & tamen iſta pœna conceditur eſſe à Deo, ſecundùm Auguſtinum *primo Retract.* 25.

Deus eſt cauſa priuationis gratiæ & quomodo?

Prætereà, tantum malum eſt priuatio gratiæ in ſe: & in natura illa à qua priuatur, ſicut eſt priuatio rectitudinis iuſtitiæ: ſed Deus poteſt eſſe immediata cauſa priuationis gratiæ: imò eſt cauſa huius quandocunque gratia annihilatur: quia ipſe ſolus poteſt aliquid annihilare, & maximè illud, quod ipſe immediatè conſeruat: ſicut igitur deſiſtendo ab actione, id eſt, non conſeruando gratiam, poteſt eſſe cauſa non eſſendi gratiam: ita non agendo, poteſt eſſe cauſa carentiæ rectitudinis in actu elicito.

Contra tertiam rationem arguitur, quia videtur concludere, quòd homo non poſſit peccare: quod conſequens eſt falſum: igitur ratio non concludit. Quòd autem illud conſequens ſequeretur ex illa ratione, probo, poſſum peccare, in *A.* ergo Deus poteſt non velle me eſſe rectum in *A.* ſequitur enim in illis de *ineſſe*, ſi pecco in *A.* ergo non vult me eſſe rectum in *A.* quia ex oppoſito ſequitur oppoſitum: ſi vult me eſſe rectum in *A.* ſum rectus in *A.* & ita non pecco: ſed ſi non vult me eſſe rectum in *A.* non vult me velle illud in *A.* quod vult, me velle in *A.* (hoc enim eſt eſſe rectum ſecundùm rationem eius, velle quod Deus vult me velle) ergo Deus poteſt non velle, me velle in *A.* quod ipſe vult me velle in *A*: quod eſt impoſſibile. 13.

Quòd ſi dicatur rationem concludere, quòd Deus non poſſit de potentia ordinata auferre rectitudinem voluntatis ſine actu voluntatis. Contrà, ratio hæc abſolutè oſtendit, quòd ſequatur ex ratione illa abſolutè voluntatem meam non poſſe peccare. Similiter ſi concluderet hoc ſine actu voluntatis meæ, concluderet de Deo ſecundùm potentiam abſolutam: intendit enim inferre contradictoria. vnde ſubdit: Nihil impoſſibilius, vel ſaltem æquè impoſſibile, ſed contradictoria non ſequuntur, nec eſt hoc poſſibile etiam potentia Dei abſoluta: quodlibet enim aliud à ſe Deus contingenter vult, & contingenter conſeruat, quia poteſt non conſeruare.

COMMENTARIVS.

5. Voluntas diuina concurrit ad omnẽ actum.

Sed tunc reſtat videre. Hìc Doctor ſuſtinẽdo quòd voluntas diuina neceſſariò concurrit ad omnem actum voluntatis creatæ, & ad omnẽ rectitudinem ipſius, mouet hanc difficultatem quomodo voluntas noſtra poteſt deficere à rectitudine danda actui, & ſic poteſt eſſe cauſa peccati, & quomodo voluntas diuina non dicatur deficere, & nullo modo dicatur cauſa peccati: quia ex quo ipſa voluntas diuina concurrit ad rectitudinem dandam, ſi non concurrit non dat, & non dare rectitudinem eſt deficere, probatur ergo quòd ipſa voluntas diuina non ſit cauſa peccati.

SCHO

SCHOLIVM.

Explicat exemplo quomodo defectus contingit quandoque ex vna cauſa, non ex altera, licèt effectus ſit communis, ſic defectus peccati eſt à voluntate creata: quia diuina, quantùm eſt ex ſe cauſaret rectum, ſi hæc concurrente vellet, & ideò non cauſat, quia hæc non cauſat: ex quo patet clarè, Deum non prædefinire abſolutè actum peccati, nulla cooperatione noſtra præuiſa: alioquin, certè non eſſet paratus, quantùm eſt ex ſe, actum bonum cauſare: ſi antequam videret quid ego eſſem facturus, decreuit talem actum à ſe, & à me fieri debere, ſic ſentire videntur Scotiſtæ, Leuch. Baſſol. hic Tartaret. quodl. 18. Angles, q. 7. a. 1. pri. & differt Maior. inf. d. 43. qu. vlt. dicens Deum eſſe tantum cauſam vniuerſalem peccati. Vega. 2. in Trid. 15. Faber in primum, d. 39. & 54. cap. 5. qui ponit expreſsè ſcientiam conditionatam ſecundùm Scot. ne admittat decretum prædeterminans noſtros actus, ante omnem præuiſionem noſtræ cooperationis Herrera hic diſt. 38. q. 3. not. 5. comparans concurſum Dei ad peccatum, concurſus Solis cum planta, quem hæc determinat: non è contra, & q. 4. ad 4. vbi explicat quomodo Deus eſt tantum cauſa vniuerſalis reſpectu peccati. Vide ipſum ibidem q. 6. not. 6. Adde ſecundùm Scot. non ſtare libertatem, cauſa ſuperiore præuenientè ſecundam, & agente ad vnum oppoſitum, ita habet 4. d. 49. q. 6. §. Dico ergo. Quòd ſi admittatur ſcientia conditionalis, quam videtur Scotus variis locis inſinuare, ſaluari poſſunt decreta æterna Dei, de omnibus actibus noſtris, illæſa libertate, vide quod notaui 1. d. 39. quod verò cauſa ſ unda determinet cauſam primam, ad hunc, vel illum effectum, docet Scot. expreſsè 2. phyſ. quæſt. 8. §. Quantùm ad quartum.

14. AD ſolutionem iſtorum obiectorum, & ſolutionem principalem iſtius quæſtionis: dico, quòd quando duæ cauſæ partiales concurrunt ad effectum communem ambarum, poteſt eſſe defectus in productione effectus ex defectu vnius cauſæ concurrentis præcisè, & non alterius. Exemplum, ad *velle* ſecundùm opinionem tertiam, diſtinct. 25. huius, concurrit intellectus, & voluntas libera: poteſt igitur eſſe defectus in actu iſto ex defectu voluntatis, licèt non præcedat defectus in cognitione.

Ita igitur ſi ad *velle* voluntatis creatæ, concurrunt duæ voluntates, ſcilicet voluntas creata, & diuina, poteſt eſſe defectus in ipſo *velle* ex defectu alterius cauſę, & hoc, quia iſta cauſa poſſet rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & tamen non dat; alia autem licèt non teneatur eam dare, tamen quantùm eſt ex ſe daret, ſi voluntas creata cooperaretur. Vniuerſaliter enim quidquid Deus dat antecedenter, daret illud conſequenter quantùm eſt ex ſe, niſi eſſet impedimentum: dando autem voluntatę liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ ſunt in poteſtate voluntatis; & ideò quantùm eſt ex parte ſui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & voluntati ex conſequenti daret, ſi ipſa voluntas quemcunque actum elicitum rectè ageret ex parte ſui. Eſt igitur defectus in effectu duarum cauſarum non propter defectum cáuſæ ſuperioris, ſed inferioris, non quia cauſa ſuperior cauſet rectitudinem in effectu, & inferior obliquitatem: ſed quia cauſa ſuperior, quantùm eſt de ſe, cauſaret, ſi cauſa inferior ſecundùm ſuam cauſalitatem cauſaret: & ideò rectitudinem non cauſati, eſt propter hoc, quia cauſa ſecunda quantùm ad ſe pertinet, non cauſat.

Nota contra prædeterminatiõnẽ intrinſecam; & extrinſecã voluntatis ad ſuos actus.

Voluntas diuina ideò non cauſat ſemper bonum; quia creata id nõ vult: hæc ergo ad malum determinat.

15. Et ſi obiicitur de illis duobus inſtantibus naturæ, ſicut obiectum eſt, quod Deus in primo daret rectitudinem actui. Reſpondeo & dico, quòd prioritas, quæ includit ea poſſe eſſe ſine ſe inuicem abſque contradictione, non eſt ordo in cauſis, vt cauſant effectum communem, ſed ſimul cauſant, ſicut enim loquendo de diuerſis generibus cauſarum, non priùs natura materia materiat, quàm efficiens efficiat, quaſi ſine contradictione poſſit eſſe materiatum, & non effectum, vel è conuerſo: ſed tantùm priùs natura, hoc eſt perfectiùs vna cauſat, quàm alia: ita in eodem genere cauſæ, diuerſæ cauſæ ordinatæ licèt habeant ordinem ſecundùm perfectius, & imperfectius cauſare, non tamen habent prioritatem naturæ, quæ dicat poſſe eſſe ſine ſe inuicem, reſpectu tertij. imò, ſicut in vno inſtanti naturæ materia materiat, & efficiens efficit: ita duæ cauſæ efficientes ordinatæ in vno inſtanti naturæ cauſant effectum communem, ita quòd neutra tunc cauſat, ſine altera, ſed quod effectus non rectus cauſetur, hoc non eſt nunc propter cauſam priorem, quæ quantùm eſt ex ſe, rectè cauſaret, ſi ſecunda cauſaret; ſed propter defectum cauſæ ſecundæ, quæ in poteſtate ſua habet concauſare cauſæ primæ, vel non

Effectus nõ eſt priùs à cauſa prima, quàm à ſecunda.

Priùs natura, ſumitur pro priùs perfectione.

concauſare: & ſi non concauſat illi, vt tenetur, non eſt rectitudo in effectu communi ambarum.

Reſpondet ad inſtãtias allatas n. 12 13. contra auctoritates Aug. & Anſ.

Ex iſto reſpondetur ad obiectiones. g Ad primam, quòd ſapiens non tantùm, quia 16.
tenetur ex præcepto non ſubuertere proximum, ideò non poteſt eſſe auctor, quo proximus eſt deterior: ſed ex perfectione ſapientis eſt, quod manens ſapiens, non poteſt eſſe prima ratio deficiendi: & quo ad hoc benè tenet ratio Auguſtini eſt enim omni ſapiente præſtantior, id eſt, voluntas eius eſt ſimpliciter perfectior, quia ipſe nõ eſt prima ratio deficiendi, alicui, cui ipſa poteſt coagere.

Ad ſecundum dicitur, quòd etſi non neceſſariò cauſet entitatem competentem huic actui: tamen ita diſpoſuit, quòd quicquid dat antecedenter, dat quantùm eſt ex parte ſui conſequenter.

An Deus poſſit eſſe prima cauſa deficiendi?

Sed tunc eſt dubium, quantùm ad principalem quæſtionem; licèt enim ſaluetur quòd peccatum non aſcribatur Deo, ſicut cauſæ, ſed voluntati creatæ; non tamen oſtendit, quòd Deus non poſſit eſſe cauſa prima deficiendi: ex quo enim liberè cauſat rectitudinem, & prius quàm voluntas creata, videtur ſemper ſtare quòd priùs poſſit non cauſare rectitudinem, quàm voluntas creata non cauſet; & ita poteſt eſſe ratio deficiendi, licèt non ſit propter illam legem ſuam, quam dedit, quidquid Deus antecedenter dat, &c.

Quare Deus non poſſit peccare.

Reſpondeo, quòd Deus h in ſe peccare non poſſit, patet per hoc, quòd non poteſt à ſe auerti, nec formaliter, quia nõ poteſt ſe non diligere ſummè, & ordinatè, & cum omnibus circunſtãtiis requiſitis, alioquin vel nõ poſſet ſe ordinatè diligere, vel poſſet mutari, quorum vtrunque eſt impoſſibile: nec etiam virtualiter poteſt à ſe auerti, quia nihil aliud à ſe eſt neceſſarium ſibi ad volendum ſe: quodcunque enim aliud à ſe, eſt, quia ab eo volitum: & hoc modo volitum, & pro tunc, & pro tunc, ex hoc eſt, ſic ordinate volendum.

Sed quare in voluntate increata non poteſt eſſe prima ratio deficiendi. 17.

Non poteſt voluntas peccare, niſi habeat omnia requiſita ad rectè agere.

Reſpondeo, ſi Deus non cauſat liberè rectitudinem, quæ deberet eſſe in actu voluntatis creatæ, & hoc propter libertatem voluntatis ſuæ, non autem propter defectum voluntatis creatæ non voluntariè cooperantis: non eſt tunc cauſa peccati in voluntate creata, quia non eſt ibi carentia iuſtitiæ debitæ: non enim eſt iuſtitia debita à voluntate creata, niſi inquantùm in poteſtate eius eſt rectè agere, ita quòd nulla intelligitur ſubtractio cauſæ prioris, propter cuius defectum non poſſit voluntas rectè agere: ſi igitur Deus eſſet prima cauſa non agens rectitudinem, actus non actus non eſſet peccatum.

Ad rationes poſitas n. 12. fi. & n. 13.

Ad aliam obiectionem de pœna, patebit in quæſtione 3. iſtarum 4. quæſtionum. Ad aliud, de gratia patet ex dictis; quia ſi Deus immediatè ſubtrahendo manutenentiam ſuam annihilaret gratiam, ſine defectu voluntatis in operando, iſta carentia non eſſet peccatum, quia non eſſet carentia iuſtitiæ debitæ. Voluntas enim non eſt debitrix iſtius iuſtitiæ, niſi inquantùm in poteſtate eius eſt conuerſare eam, ne ſcilicet demeritoriè corrumpat eam. Licet igitur maius malum ſit priuatio gratiæ, quàm priuatio iuſtitiæ actualis: tamen iſta poteſt eſſe à Deo non agente, id eſt, non conſeruante: ſed non primo non agente, ſed ideò non agente, quia voluntas demeruit illud, propter quod Deus ſubtrahit conſeruationis ſuæ manutentiam à gratia. Sed reſpectu illius priuationis rectitudinis actualis, ſi eſt primum peccatum, non eſt aliquod peccatum præcedens, vel demeritum, propter quod Deus poſſet ſe ſubtrahere, vt illa rectitudo non inſit, quantùm eſt ex parte Dei: igitur nec priuatio gratiæ eſt peccatum, niſi inquantùm eſt iuſtitiæ debitæ, quâ voluntas demeritoriè ſe priuauit: licèt à Deo non cauſante ſit iſta annihilatio gratiæ: ſed iſta annihilatio eſſet non propter quam obliquitatem in voluntate priorem iſta non eſſet peccatum.

Quare Deus poteſt eſſe cauſa priuationis gratiæ, ſed non rectitudinis debitæ.

Ad illud contra rationem i Anſelmi poteſt dici, quòd non concludit contradictio- 18.
nem, quia æquiuocat de *velle*. Nam rectum velle includit voluntatem velle quòd Deus vult eam velle: vult itaque voluntate ſigni, & antecedente, non voluntate beneplaciti, & conſequente. Nam pro inſtanti, pro quo voluntas creata peccat. Deus non vult eam velle hoc voluntate conſequente, vel voluntate beneplaciti. Quando igitur infertur, quòd Deus non vult me velle, quod vult me velle, non eſt contradictio: quia negatur voluntas beneplaciti, & conſequens, & affirmatur voluntas ſigni, & antecedens. Alioquin enim vt argutum eſt, videretur abſolutè quòd voluntas

Deus non vult me velle, quod vult me velle, explicatur.

luntas creata non poſſet peccare, quod falſum eſt: & quòd Deus de potentia abſoluta non poſſet auferre rectitudinem à voluntate creata, vel ab actu eius, abque demerito voluntatis creatæ: quorum vtrumque eſt falſum.

Tamen exponendo rationẽ ſuam ibi poteſt dici, quòd ſua ratio probat quòd Deus actu poſitiuo non poteſt auferre rectitudinem voluntatis: quia tunc volens auferret, & ita volens voluntate beneplaciti, & per conſequens voluntate beneplaciti vellet me non velle, quod vult voluntate antecedente me velle. Sed hoc conſequens, licèt non includat contradictionem, eſt tamen falſum, quia quicquid vult voluntate antecedente, hoc vult voluntate beneplaciti, & conſequente, quantùm eſt de ſe, ſi non ponatur impedimentum in voluntate creata: ſed ſi aufertur à voluntate mea, ſine actu meo, ego non pono impedimentum: igitur hoc caſu poſito ipſum Deum velle voluntate beneplaciti me non velle, quod vult voluntate antecedente me velle, eſt falſum, licèt non includat contradictionem, & tunc non probat plus iſta ratio, niſi quòd ſine demerito voluntatis creatæ, non poteſt Deus de potentia ordinata, auferre voluntati rectitudinem: ſed non probat hoc de potentia abſoluta: nec etiam probat, quòd Deus non poſſet negatiuè auferre, & hoc propter demeritum voluntatis creatæ.

Explicat rationem Anſel. c. 8. de lib. arb.

Nota cõtra determinatores voluntatis noſtræ ante omnẽ præviſionẽ cooperatiuẽ nihil eſſe.

COMMENTARIVS.

1. f *AD ſolutionem iſtorum obiectorum*, &c. Hîc Doctor intendit declarare quomodo in vna cauſa partiali poteſt eſſe defectus, & in alia partiali nullo modo erit defectus, & hoc declarat per exemplum. Suppoſito enim quòd volitio ſit cauſata ab intellectu, ſiue ab actuali intellectione obiecti, & à voluntate, vt à duabus cauſis partialibus, ipſa intellectio partialiter cauſat ipſum *velle*, & rectitudinem ipſius quantũ eſt ex ſe, quia recta dictat, ſed quòd voluntas, quæ eſt altera cauſa partialis, non dat rectitudinem dicitur deficere.

Dubium. Hîc oritur mihi maxima difficultas, in hoc quòd dicit Doctor quòd voluntas diuina non dat, quia creata non dat, ita quod voluntas creata priùs deficit non dando, quàm voluntas diuina. Difficultas ergo iſta ſtat in hoc, quòd ſi voluntas diuina pro inſtanti *A* ſimul concurrit cum voluntate creata ad dandam rectitudinem, nunc etiam ſequitur quòd in eodem inſtanti naturæ, in quo voluntas creata non dat, voluntas diuina non det, & ſic iſta voluntas diuina erit prima ratio deficiendi, ſicut voluntas creata, & per conſequens voluntas creata non erit ſimpliciter prima ratio deficiendi, vt dicit Doctor.

Reſponſio. Dico, quòd ſi voluntas diuina daret de neceſſitate naturæ rectitudinem actui, vt cauſa partialis, & principalis, quòd talis rectitudo ſemper ineſſet, cùm in actione ſua nullo modo poſſit impediri, ſi ergo rectitudo non ineſſet, tunc primus defectus eſſet ex parte voluntatis diuinæ, licèt hoc ſit impoſſibile ſi ageret de neceſſitate naturæ, quòd talis rectitudo non inſit, Sed ex quo voluntas diuina merè contingenter ſe habet ad dandam rectitudinem, vel non dandam, dico quòd primus defectus eſt ex parte voluntatis creatæ. Sic tamen intelligendo, non quòd voluntas creata in aliquo priori inſtanti deficiat, & volũtas diuina in aliquo poſteriori inſtãti deficiat, ſed quia in eodẽ inſtanti, quo volũtas diuina daret rectitudinem, voluntas creata non cooperatur voluntati diuinæ ad rectitudinem dandam, & conſimiliter voluntas diuina deficit, quia creata deficit. Et vt clariùs intelligatur, ad cuã-

cuandam quandam difficultatem, ſuppono mihi aliqua.

Primum, quòd licèt voluntas diuina ſemper cõcurrat ad omnem actionem noſtram; vt cauſa partialis, vult tamen cauſam ſecundam ſibi cooperari, ita quòd talis actio ſicut dependet à volũtate diuina, ita dependeat cauſa ſecunda, & ideò quia cauſa ſecunda non poteſt ſic cooperari in inſtanti, ſed in tempore videmus, quòd voluntas diuina continuat actionem ſuam cum cauſa ſecunda; ipſa enim ſi vellet poſſet cooperari in inſtanti, ſed diſpoſuit ſemper cooperari actioni noſtræ per quantumcunque tempus duranti, & hoc patet *in tertio, diſt. 3.* quomodo voluntas diuina poteſt operari in tempore. 2. *Nota.*

Secundò ſuppono, quòd voluntas diuina vult cooperari voluntati creatæ reſpectu cuiuſcunque operationis, ita quòd in eodem inſtanti, quo voluntas creata elicit aliquam operationem, voluntas diuina elicit, vt cauſa principalis, & in eodem inſtanti, quo voluntas creata non elicit, voluntas diuina non elicit, quæ tamen in eodẽ inſtanti eliceret, ſi voluntas creata ſibi cooperando eliceret, ita quòd primus defectus non eliciendi operationem eſt à voluntate creata. Sic dico de rectitudine dandâ, quòd in eodem inſtanti quo voluntas creata elicit operationẽ, dando ſibi rectitudinem, voluntas diuina elicit dando rectitudinẽ; & quia voluntas creata eliciendo actũ non dat rectitudinem debitam, voluntas diuina ſimul eliciendo eundem actum non dat rectitudinem, quam tamen in eodem inſtanti daret, ſi voluntas creata cooperaretur ſibi: ſic ergo dico, quòd voluntas diuina ex ſua merâ voluntate diſpoſuit ſemper dare rectitudinem in inſtanti *A*, ſi in illo inſtanti voluntas creata cooperaretur ſibi, vt cauſa partialis, & diſpoſuit nunquam dare rectitudinem in inſtanti *A*, ſi voluntas creata in eodem inſtanti *A*, non dat, vel non cooperatur ſibi, Voluit enim voluntatem creatam eſſe liberam ad cooperandum. Determinauit etiam expectare ipſam, vt ſi in aliquo tempore vult operari, in eodem abſolutè voluntas diuina cooperetur, & ſi non vult operari, nec voluntas diuina cooperatur, nec cogit ipſam ad operandum,

& licet voluntas diuina sit causa principalis cuiuscunque actus, in hoc tamen seruatur perfecta libertas voluntatis creatæ, quia relinquit eam in potestate arbitrij sui.

3. Ex his apparet solutio illarum auctoritatum, quæ probabant, quòd voluntas creata erat causa immediata totalis sui actus. Nam cùm dicitur Eccles. 15. *Deus ab initio*, &c. sic debet intelligi, quòd eum constituit in tanta libertate, quòd voluntas diuina determinauit, quòd pro quocunque instanti ipsa vult rectè agere, ipsa voluntas diuina semper cooperabitur, & pro quocunque instanti, deficit à rectè agendo, voluntas diuina deficit, & sic omnes aliæ auctoritates soluuntur. Et possem dicere vnum, quòd quamuis voluntas diuina sit causa omnium vniuersalissima, & simpliciter prima, tamen respectu voluntatis creatæ (licèt respectu aliarum causarum dicatur causa prima, & primò determinatiua secundæ causæ, quare ideo secunda causa naturalis agit, quia voluntas diuina sic determinauit eam agere, vel sic) ex sua maxima libertate non est primò determinatiua voluntatis creatæ ad agendum, imò ex sua mera contingentia, vt voluntas creata perfectè seruetur, determinauit semper cooperari voluntati creatæ, ita quòd reliquit eam in sua libertate, ita quod non posset determinare ad agendum, ita quod non haberem pro inconuenienti quòd quodammodò voluntas creata prius determinauit, sic tamen intelligendo de priori, quòd voluntas diuina expectat ipsam per quantumcunque tempus viæ, non intelligendo quòd agat in instanti *A* priori, & in instanti *B* posteriori voluntas diuina incipiat agere.

Pulchra expositio.

4. Si dicatur, nonne intellectus diuinus scit determinatè Franciscum rectè agere pro instanti *A*, vel non rectè agere? Dico quòd sic, quia cognoscit determinationem voluntatis diuinæ, quæ determinauit cooperari voluntati Francisci pro quocunque instanti. Sed dices, si scit determinatè alterum oppositorum, quia voluntas diuina determinauit illud, igitur simpliciter eueniet. Dico, vt aliàs dixi, quòd voluntas diuina non sic determinauit ab æterno quin semper sit in facultate sua determinare, & non determinare. Dico ergo, quòd ab æterno præsentati fuerunt Petrus & Iudas voluntati diuinæ, & voluntas diuina voluntate consequente, & efficaci ordinauit Petrum ad beatitudinem; secundò ordinauit dare sibi gratiam; tertiò voluntate antecedentè, & absolutè ordinauit semper concurrere cum voluntate Petri ad omnem actum rectum; quartò ordinauit speciali influentia, & singulari, & efficaci inspirare Petro vt resurgeret ab infidelitate, & sic Petrus resurgendo à voluntate diuina recepit gratiam, quam hactenus ex speciali priuilegio voluntatis diuinæ nunquam amisisset, potuisset tamen amittere si voluisset. De Iuda autem dico quòd in primo instanti, quo Petrum prædestinauit nullũ actum habuit respectu prædestinationis Iudæ; habuit tamen hanc determinationem quòd ipsa voluntas diuina ex quo voluit Iudam esse, & habere intellectum, & voluntatem, quòd voluntate sua antecedente, & absoluta determinauit sẽper cooperari voluntati Iudę ad rectè agendum: secũdò determinauit voluntate efficaci Iudam assumi ad Apostolatus gratiam, & determinauit voluntate absoluta, & antecedente semper cooperari gratiæ Apostolatus, & præuidens ipsum velle deficere, etiam voluntate sua absoluta pro quocunque instanti viæ cooperari Iudæ ad rectè agendum.

Obiectio notanda.

Responsio.

Doctrina subtilissima.

g *Ex isto respondetur ad obiectiones*, &c. Quia in prima ratione dictum fuit, quòd sapiente auctore, &c. & arguendo contra hoc, dictum fuit quòd etiam sapiente auctore, & manente sapiente aliquis fit deterior, loquendo de sapiente, qui potest cooperari ad recte agendum, & non cooperari, si non cooperatur, non sequitur rectitudo in actu, & tamen adhuc remanet sapiens, vt patet de Deo. Dicit hîc Doct. quòd valde est notabile, quòd ex perfectione sapientis est vt manens sapiens non possit esse prima ratio deficiẽdi, vt satis diffusè dictum est: & quantùm ad hoc auctoritas Augustini benè valet; est enim omni efficiente præstantior, id est, voluntas eius est simpliciter perfectior, quia ipsa non est prima ratio deficiendi alicui, cui ipsa potest coagere. Et, quod dicit Augustinus: *Nullo homine*, &c. Ex hoc dicit verum, quia ex quo homo sapiens tenetur obseruare præcepta Dei, si ergo subuerteret aliquem hominem vt non obseruet præceptum Dei, & sic fiat deterior, ipse sapiens subuertendo peccat, & per consequens non remanet sapiens, id est, rectus, & iustus. 5.

Nota 38. q. 41. & 4.

h *Respondeo, quòd Deus.* Dicit Doctor quòd si Deus posset peccare in se, id est, habere in se peccatum formaliter, hoc esset ex auersione à se ipso, quia probatum est suprà *dist.* 35. quòd peccatum formaliter consistit in auersione à Deo, vel formaliter, vel virtualiter; Deus autem non potest auerti à se. Auerti enim à se contrariè est odire seipsum, auerti autem negatiuè, est non diligere se cum debitis circunstantiis, & tamen probatum est *in dist.* 10. *primi*, quòd voluntas diuina de necessitate summè, & perfectissimè diligit essentiam diuinam, & etiam probatum est *in primo, dist.* 1. *parte prima, quæst. vltima*, quòd voluntas diuina nullo modo potest deficere à rectitudine amoris erga Deum, cùm de necessitate illum diligat, vt probat etiam Doctor *dist.* 46. *qu. prima. quarti*, loquendo de iustitia, quæ est in Deo ad intrà, quòd in voluntate diuina est talis iustitia, quia ipsa secundùm rectam iustitiam, tenetur diligere Deum quantùm est diligibilis. Nec etiã virtualiter potest auerti à se, puta auertendo se formaliter ab aliquo, quod est necessarium ad habendum ipsum Deum. Vnde voluntatem diuinam virtualiter auerti, est ipsam auerti formaliter ab aliquo creato, quod tenet diligere, ita quòd talis amor creaturæ sit necessarius ad amorem Dei, & hoc non, quia voluntas diuina nõ tenetur aliquid diligere extra Deũ, vt patet *in primo in simili d.* 2. *q. prima, & dist.* 8. *q. vlt. & d.* 41. quòd nullum bonum creatum est ratio mouendi voluntatem diuinam ad amorem sui, imò ideò bonum, quia volitum à voluntate diuina, & pro quocunque instanti est volitum est bonum.

Auerti à se contrarie est odire seipsũ.

i *Ad aliud contra rationem Anselmi.* Vt intelligatur ista litera, pono opinionem Anselmi qua probat quòd Deus non potest auferre rectitudinem à voluntate, & per consequens non potest esse causa peccati. Secundò pono rationem Doctoris contra Anselmum. Tertiò pono solutionem rationis contra Anselmum. De primo dicit Anselmus quòd Deus non potest esse causa peccati respectu voluntatis nostræ, quia non potest 6.

Opinio Ansel. de casu diaboli c. 3.

ſeſt auferre rectitudinem à voluntate noſtra, quia ſi poſſet auferre verificarentur duo contradictoria, quia tunc vellet rectitudinem eſſe, & non vellet rectitudinem eſſe. Et clàro ſic, ſupponendo quod dicit Anſelmus quòd ſcilicet rectitudo voluntatis conſiſtat in hoc, quòd ipſa vult illud, quod Deus vult eam velle, & pono exemplum voluntas diuina dicatur *A*, & voluntas creata dicatur *B*, volitum à voluntate diuina dicatur *C*. rectitudo voluntatis creatæ eſt velle ipſum *C*; & hæc rectitudo dicatur *D*. hoc exemplum ſuppoſitum: ex hoc probo quòd *A*. non poteſt auferre *D* ab ipſo *B*, & ſi poteſt auferre *D*. aut volens aut nolens: non nolens, quia nolle nihil eſt efficere; ſi volens ſequitur quòd ipſum *A*. vult *B*. & non vult *D*. & probo, quia ſi *A* vult auferre à *B*. ipſum *D* ſequitur quòd ipſum *A*. non vult ipſum *B* velle, quod vult eum velle, & ſic duo contradictoria verificantur; quia ſi voluntas diuina vult voluntatem meam velle *C*, & voluntas mea volendo illud eſt recta; ſi ergo poteſt auferre hanc rectitudinem, auferendo ſequitur quòd non vult voluntatem meam velle *C* quod tamen *C*. ex alia parte ipſa voluntas diuina vult voluntatem meam velle, & ſic vult, & non vult.

Nota.

7. De ſecundo Doctor arguit contra Anſelmum, non improbando ipſum, ſed magis rationes ſuas exponendo, & ratio clara eſt.

Contra. Hîc Doctor improbat iſtam euaſionem, quia prima inſtantia contra rationem Anſelmi abſolutè probat quòd nullus poſſit peccare etiam de potentia Dei abſoluta, quia ſi ipſe Anſelmus abſolutè vult quòd ſi voluntas diuina poſſet auferre rectitudinem, ſequuntur contradictoria illa abſolutè ſequuntur. Sequitur in litera: *Similiter ſi concluderet.* Dicit Doctor quòd ſi iſta reſponſio eſſet vera, quòd videlicet ratio concluderet, quòd ſine actu meo non poſſet Deus à voluntate mea auferre rectitudinem, non cõcluderet hoc de potentia ordinata, ſed concluderet quòd Deus de potentia abſoluta non poſſet ſine actu meo auferre rectitudinem à voluntate mea; patet, quia ratio Anſelmi intendit inferre contradictoria, & ita ſi concludit, concludit de potentia abſoluta, quòd Deus non poſſet auferre rectitudinem à voluntate mea ſine peccato meo. Nunc Doctor reſpondet ibi.

Ad illud contra rationem, &c. Et dicit quòd nulla eſt contradictio, quia æquiuocat de *velle*; nam duplex eſt *velle* Dei, ſcilicet antecedens, ſiuè ſigni, ſiuè abſolutum; & *velle* conſequens, vel efficax, vel beneplaciti, & dicit Doctor quòd Deus vult rectitudinem ſemper primo modo, & ſi voluntas creata cooperaretur ſibi, vellet ipſum efficaciter. Sequitur: *Alioquin*, &c. Nam quia dicit Anſelmus quòd voluntas diuina abſque peccato voluntatis creatæ non poteſt abſolutè auferre rectitudinem, ſequitur etiam quòd non poſſit abſolutè dare rectitudinem voluntati creatæ abſque merito illius, quod eſt manifeſtè falſum; nam omnis actus ideò rectus, quia à volũtate diuina eſt ſic volitus: eſt enim prima regula omnium actuum humanorum; ſi ergo Anſelmus abſolutè diceret quòd ſi voluntas diuina auferret rectitudinem à voluntate creata, quòd tunc eſſet manifeſta contradictio, & quòd abſolutè non poſſit auferri, niſi propter demeritum voluntatis creatæ, ſtatim ſequitur quòd etiam non poſſit dare rectitudinem alicui actui niſi propter meritum præcedens in tali voluntate; ſed hoc eſt falſum: ergo dicendum eſt quòd Anſelmus intendit ibi æquiuocare de *velle* vt dictum eſt.

Duplex eſt velle Dei.

Tamen exponendo. Dicit Doctor quòd ratio Anſelmi probat ſolùm quòd Deus actu poſitiuo, quod eſt *velle*, non poteſt auferre rectitudinem voluntaris, quia ſi vellet actu poſitiuo, & elicito, vellet efficaciter, & voluntate beneplaciti, & ita vellet me voluntate beneplaciti non velle; quod velle; quod vult voluntate ſigni me velle, & dicit quòd licèt hoc conſequens non includat contradictionem, eſt tamen de facto falſum, & quòd non includat contradictionem declarat, vide Doctorem.

Doctor exponit Anſelmũ.

SCHOLIVM.

Reſpondet ad argumenta poſita d. 34. ad primum, explicat benè illud Mat. 7. Non poteſt arbor bona, *&c. Ad tertium, quomodo finitum diuiditur in infinitum ſecundùm proportionem, & non ſecundùm quantitatem.*

19. AD argumenta principalia primæ quæſtionis: Saluator intelligit per *arborem*, actum interiorem, & per *fructum* actum exteriorem: & increpat hypocritas, id eſt, Phariſæos, monens eos, vt conforment actus exteriores interioribus, & è conuerſo, vt ſcilicet appareant, quales ſunt, & è conuerſo.

Ar arg. d. 34. q. vn. explicat id Matth. 7. non poteſt arbor bona, &c.

Ad ſecundum, quando eſt cauſa efficiens, ſimilitudo eſt inter cauſam, & cauſatum, licèt remota in cauſis æquiuocis: hîc autem non eſt cauſa efficiens, ſed deficiens reſpectu peccati.

Ad aliud dico, quòd illud eſt ab efficiente non efficiendo, ſed deficiendo, non eſt ad finem debitum.

Ad aliud dico, quòd nullum malum eſt à malo. Cùm probatur, dico, quòd vno modo poteſt malum intelligi, per priuationem partium eiuſdem naturæ: alio modo per priuationem perfectionum conuenientium tali naturæ. Primo modo eſt proceſſus in infinitum ſecundùm partes eiuſdem proportionis, ſecundùm quod infinitum diuiditur in infinitum ſecundùm proportionem, & non ſecundùm quantitatem: ita enim poſſet ab aliqua natura auferri pars, & pars, & ſic ſecundum partes eiuſdẽ proportionis, & ſic in infinitum. Secundùm autem partes eiuſdem quantitatis, ſtatus eſt non ad malum, ſed ad nihil, quomodo eſt ſtatus in diuiſione continui, ad nihil, ſi partes diuiſæ deſtruerentur.

Secundo modo [k] dico, quòd licèt illud, quod eſt bonum alicui, cuius carentia eſt malum ei, poſſet auferri ab eo iſta natura ſubtracta dupliciter per modum prædictum, ſcilicet, ſecundùm partes eiuſdem proportionis, & ſic proceditur in infinitum: vel eiuſdem quantitatis, & ſic ſtat ad nihil: alius tamen proceſſus eſt ibi, ſecundùm quem natura perfectibilis eſt melior, & perfectio ſibi correſpondens eſt melior, qua tamen caret, & hoc modo eſt ſtatus in malo, ſcilicet ad vnum bonum creatum carens ſumma perfectione ſibi conueniente; & hoc modo ſupremus diabolus, vel aliqua creatura factibilis nobiliſſima, quæ caret perfectione ſibi proportionata, diceretur ſummum malum, ſed à tali malo ſummo, non ſunt talia mala poſitiuè, nec poſitiuum à poſitiuo, neque priuatio à priuatione.

Diabolus ſummũ malum, & quomodo?

COMMENTARIVS.

8. k *Secundo modo dico.* Hîc Doctor declarat quomodo malum accipitur per priuationem perfectionum conuenientium tali naturæ, vt exempli gratia, quòd naturæ hominis conuenit talis perfectio, puta gratia, intellectiones & omnes actus ſecundi recti, & talis priuatio poteſt contingere dupliciter. Vno modo per corruptionem naturæ in ſe, & hoc dupliciter, ita quòd talis natura, cui natæ ſunt ineſſe tales perfectiones, diuidatur vel in partes eiuſdem proportionis, & ſic eſt procedere in infinitum; vel in partes eiuſdem quantitatis, & ſic ſtat ad nihil. Alio modo, quòd ſtante ipſa natura fiat ibi priuatio perfectionum ſecundarum; & hoc modo dicit Doctor quòd eſt ſtatus in malo, *ſcilicet ad vnum bonum creatum, carens ſumma perfectione ſibi competente, & hoc modo ſuprema* creatura carens perfectione ſibi proportionata diceretur ſummum malum, id eſt, quòd carentia talium perfectionum diceretur ſummum malum. & addit Doctor quòd *à tali malo non ſunt alia mala*, puta deformitates peccatorum, *poſitiuè, nec poſitiuum à poſitiuo*, id eſt, quòd illud, quod eſt poſitiuum in malo non eſt à poſitiuo illius ſummi mali; nam ſi Lucifer propter priuationem perfectionis dicatur ſummum malum, ſi ego facio vnum peccatum, illud quod eſt poſitiuum in peccato à me commiſſo non eſt à Lucifero, ſequitur, *neque priuatio à priuatione*, id eſt, quòd priuatio, quæ eſt in peccato, modo prædicto, non eſt à priuatione ſumma inhærente Lucifero, vel etiam loquendo de aliis malis, puta, quòd natura mea dicatur mala propter priuationem perfectionis ſibi natæ ineſſe, natura mea, quæ ſic dicitur mala non poteſt eſſe poſitiuè ab ipſo Lucifero, nec etiam priuatio inexiſtens naturæ meæ habet *eſſe* à priuatione perfectionis inexiſtente Lucifero.

SCHOLIVM.

Reſpondet ad argumenta in initio quæſtionis primæ huius diſt. Explicat ad ſecundum, & ſuprà §. Propter igitur, *&* §. Ad ſolutionem. *Ideò Deum cauſando actum peccati, non eſſe auctorem eius, nos verò ſic, quia nos tenemur ponere rectitudinem ex præcepto, ille non. Eodem enim modo concurrit Deus ad actum quando ſubeſt malitiæ, & ad ſimilem actum in amente, nec poteſt ſubtrahere ſuum concurſum abuſuro ad peccatum, niſi vel tollat libertatem, vel cauſæ rationales inſtar truncorum nihil operentur, quod eſt ordinem vniuerſi mutare, ſic etiam homo excuſatur, dando alij gladium quo videt eum iniuſtè occiſurum, ſi ſine magno inconuenienti denegare nequit. ita omnes Scotiſtæ, & D. Bonauentura hîc art. 2. quæſt. 1. Salas tr. 13. d. 10. n. 33. Lorca 1. 2. de peccat. d. 39. ad hunc ſenſum exponens D. Thomam.*

Ad arg. poſita diſt. 37. in principio.

AD argumenta quartæ quæſtionis dicitur, quòd etſi peccatum ſit à voluntate creata, non tamen eſt à Deo: quia Deus non primò deficit, ſed quantùm eſt ex parte ſui omnino non deficit, ſed tantùm eſt defectus in actione propter deficere ſecundæ in agendo: nec etiam poteſt Deus priùs deficere, ita quòd defectus in effectu ſit peccatum, quia ſi ipſe primo non ageret, carentia rectitudinis in actu non eſſet debita. 20.

Cùm probatur de cauſa ſuperiori, & inferiori. Reſpondeo, hoc eſt verum de cauſa efficiente, non deficiente. Cùm confirmatur de aliis, vt de cauſis naturalibus: dico, quòd iſtæ non poſſunt cauſare niſi ſecundùm illam inclinationem, quam acceperunt à cauſa ſuperiori, & confirmantur illi: voluntas autem accepit libertatem, vt poſſit agere conformiter cauſæ ſuperiori, vel difformiter, hoc eſt, quòd quantùm eſt ex ſe, cauſaret quod cauſa ſuperior cauſat, & hoc ſibi conformiter, vel difformiter.

Ad ſecundùm, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et ad probationem conſequentiæ dicitur, quòd non propter hoc ſolùm imputaretur peccatum voluntati creatæ, quia ipſa per accidens cauſat defectum; ſed quia ipſa tenetur agere

gere rectè, inquantùm effectus eſt ſub poteſtate ſua, & non agit rectè: non ſic autem tenetur voluntas diuina, & ex hoc ipſa in ſe peccare non poteſt: neque etiam ipſa poteſt non cauſando primò deficere reſpectu rectitudinis debitæ in actu, ita quòd tunc fiat debita, quando non eſt ex defectu voluntatis creatæ.

Voluntas diuina impeccabilis, quia nulli ſubiecta.

SCHOLIVM.

Reſpondet argumentis poſitis q. 1. huius num. 2. ſuadentibus actum peccati non eſſe à Deo immediatè. Ad primum, oſtendit Deum velle multa voluntate beneplaciti, quæ prohibet voluntate ſigni. Ad ſecundùm, ait actum voluntatis creatæ non eſſe actum voluntatis Dei, ſed effectum talis actus.

21. AD argumenta in oppoſitum, quæ probant, quòd actus ſubſtratus peccato non ſit à Deo. Reſpondeo, l ad primum dico, quòd multa vult Deus voluntate ſigni, quæ prohibuit voluntate beneplaciti: & noluit omnia fieri, quæ præcepit: ſicut noluit Iſaac immolari, quod tamen præcepit. Eius autem, quod vult Deus voluntate beneplaciti oppoſitum aliquando præcepit, & hoc eſt ſignum voluntatis duplicis: & duplicitas eſt, quando aliquis eſt finis præcepti conſonus rectæ rationi, ſicut ibi fuit manifeſtatio præcepti Abrahæ, ſicut patet Geneſ. 22. *Tentauit Deus Abraham.*

Actus noſter non eſt formaliter actus voluntatis diuinæ, ſed effectus eius.

Ad aliud dico, m quòd illud, quod eſt formaliter actus voluntatis meæ, quo ſcilicet voluntas mea vult, non eſt actus voluntatis diuinæ, ſed effectus eius: quia voluntas diuina ſemper eſt ordinata, & actus eius rectus, & iſte actus voluntatis meæ eſt inordinatus, quia caret rectitudine debita. Iſte autem actus à Deo cauſante, eſt ordinate volitus ſicut materiale reſpectu cauſantis, quemadmodum in nobis actus noſter materialiter eſt bonus, quia poteſt eſſe ex charitate elicitus: ſequitur igitur quòd *velle* diuinum ſit ſimpliciter perfectum, quia ex charitate elicitum, & habet finem optimum, & ita opus exterius iſtius *velle*, quod eſt meum *velle*, eſt ordinatum materialiter, ſiue ſecundùm *quid*: inordinatum autem ſimpliciter, inquantùm eſt actus, quo formaliter voluntas mea vult.

Loquitur quoad nos de actu qui non eſt intrinſecè malus, qualis eſt odium.

Ad vltimum dico, n quòd voluntas diuina non eſt regula voluntatis meæ, vel voluntatis creatæ quantùm ad rectitudinem, quoad ipſum volitum, vt ſcilicet voluntas creata concordans voluntati illi in volito ſit recta: ſed eſt regula inquantùm eſt volens voluntatem creatam, ſic, vel ſic velle; & hoc volendo voluntate ſigni, & antecedente, non autem ſemper voluntate beneplaciti, & conſequente.

Quomodo voluntas diuina eſt regula noſtræ. Scot. 1. d. 48

COMMENTARIVS.

9. l *Reſpondeo ad primum.* Dicit hîc Doctor quòd Deus multa vult voluntate ſigni, quæ tamen noluit impleri, ſiue quæ prohibuit voluntate beneplaciti: pater, quia præcepit Abrahæ vt immolaret filium tantùm voluntate ſigni, & non beneplaciti, quia iſta ſemper adimpletur, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 46. 47. & tamen prohibuit filium immolari voluntate beneplaciti; quod patet, quia illa impleta fuit, & ideò dicit Doctor, quòd illi, qui vult Deus voluntate beneplaciti, oppoſitum aliquando præcepit, nam voluit filium non immolari voluntate beneplaciti, cuius oppoſitum præcepit voluntate ſigni; & addit quòd hoc eſt ſignũ duplicis voluntatis. Et ſi dicatur, ergo fuit ibi duplicitas, negat Doctor, dicens quòd quando in præcepto eſt aliquis finis intentus à Deo præcipiente, & ille finis habetur, tunc poteſt ſine duplicitate reuocare præceptum, cùm finis præcepti habitus eſt, voluit enim Deus manifeſtare obedientiam Abrahæ, & illam per iſtud præceptum manifeſtauit.

Reſponſio ad primum argumentum.

m *Ad aliud dico.* Argumentum ſtat in hoc, ex quo enim Deus omnia quæ facit ex ſua charitate ordinat ad ſeipſum, ſi ergo Deus cauſaret actum ſubſtratum homicidij, ille actus eſſet ordinatus ex ſua charitate ad Deum, & ex alia parte ibi eſt deformitas à voluntate mea, & ſic erit inordinatus, & ita idem actus erit ordinatus, & inordinatus, quod eſt impoſſibile. Reſpondet Doctor, dicens quòd actus eſt elicitus à voluntate mea non eſt actus diuinæ voluntatis, & dicit quòd actus elicitus à voluntate mea eſt à Deo cauſante ordinatè volitus, ſicut materiale reſpectu ipſius Dei cauſantis. Quòd autem iſte actus ſit formaliter inordinatus, hoc eſt primò à voluntate mea: nec eſt inconueniens quòd idem actus materialiter ſumptus ſit ordinatus formaliter, & inordinatus formaliter; ordinatus inquantùm eſt à Deo, vt eſt ens abſolutum; & ordinatus ad ſeipſum, vt ad vltimum finem, & quòd ille idem actus ſit formaliter inordinatus, vt cõparatur ad voluntatem creatam. *Sequitur ergo, quòd* velle *diuinum*, &c. Nam dictum eſt, *in primo, diſt.* 2. quòd voluntas diuina vult creaturam propter ipſum Deum vt amatum, & deſideratum, & quia ſumma charitate amat eſſentiam diuinam, ideò propter illam ſic amatam vult

Actus elicitus à quo ſit.

quicquid vult, ita quòd tale *velle* eſt perfectum, quia à voluntate perfecta elicitum, & in vltimum finem ordinatum, quia in eſſentiam diuinam. Sequitur, *& ita opus exterius.* Id eſt, quòd *velle* meum, quo volo furari, vt eſt cauſatum à *velle* diuino eſt ordinatum materialiter, quia tota entitas illius eſt ordinata à *velle* diuino ad eſſentiam diuinam ſumma charitate dilectam. Sequitur, *inordinatum autem.* Id eſt, quòd tale, vt cõparatur ad voluntatem creatam, quæ tenetur ordinare ipſum, & eſt in facultate dare rectitudinem, & non dare, & tamen non dat, eſt ſimpliciter inordinatum.

n *Ad vltimum dico.* Dicit Doctor, quòd voluntas diuina beneplaciti non eſt ſimpliciter regula voluntatis noſtræ, quod patet; non enim debemus velle quod aliquando voluntas diuina vult voluntate beneplaciti, nam ipſa voluit mortem Chriſti, & tamen Iudæi peccauerunt volendo illam. Dicit ergo Doctor quod eſt regula, inquantùm eſt volens voluntatem creatam ſic, vel ſic velle, & hoc volendo voluntate ſigni, & antecedente; vult enim voluntate ſigni ſemper cooperari voluntati creatæ ad rectè agendum, & ſi voluntas mea non ponat obicem voluntate conſequente compararetur: non autem non ſemper vult dare rectitudinem actibus noſtris voluntate beneplaciti, quia tunc nullus peccaret, cùm illa voluntas ſemper adimpleatur. *Nota.*

SCHOLIVM.

Hîc circa quæſtionem d. 36. tract. celebrem quæſtionem vtrùm peccatum ſit pœna? & D. Bonauentura hîc a. 1. q. 1 cum Magiſtro. Rich. ar. 1. q. 1. D. Thom. de malo, q. 1. a. 4. Mayr. Baſſol. Gabr. hic. Valentia 1. 2. d. 6. q. 17. p. 3. Canus, dicunt vnum peccatum ſecundùm ſe, eſſe pœnam alterius. Sed Scotus §. Sed iſte modus, *reiicit ſententiam Magiſtri, & docet, pœnam huiuſmodi eſſe à Deo non efficiente, nec deficiente, ſed deſerente, id eſt, permittente, ſeu non dante auxilia quibus euitaretur. Si enim non daret neceſſaria, ad euitandum peccatum, nec aſſiſteret quantùm eſt de ſe, ad ponendam rectitudinem, tolleretur libertas, vt docet Scotus contra Magiſtrum, d.* §. Sed iſte *non tenet ergo Scotus vt ei imputatur, peccatum ſecundùm ſe, eſſe pœnam ſaltem propriè, quæ à Deo infligi poſſet, nec etiam citati DD. id voluerunt, aliàs Deus eſſet auctor peccati; ſed lato modo de pœna loquuntur, quatenus ſumitur pro quocunque incommodo: vel volunt peccatum quoad incommoda quæ affert, eſſe pœnam, iuxta id Auguſtini 1. Confeſſ. 12.* Iuſſiſti Domine & ita eſt, vt pœna ſua ſit, omnis animus inordinatus. *Et iuxta hæc explicandæ ſunt multæ auctoritates ſonantes peccatum eſſe pœnam. Vide Herreram hîc diſp. 42. q. 1. qui latè explicat Scot. D. Thom. 1. 2. q. 87. a. 1. & 1. p. q. 48. a. 5. 6. ponit 4. conditiones pœnæ. Prima, quòd ſit reſtauratiua ordinis peruerſi à culpa. Secunda, conducens ad iuſtitiam. Tertia, bona communi bono. Quarta volita à Deo, & nulla harum conuenit peccato ſecundum ſe.*

Ad q. d. 26 Peccatum eſſe pœnam peccati.

AD quæſtionem o tertiam in ordine. Dico, quòd omne peccatum eſt pœna, & vnum peccatum poteſt eſſe pœna alterius. Primum probo, quia pœna formaliter eſt carentia boni conuenientis voluntati, & volenti, ita quòd ſi diſtinguamus in voluntate affectionem boni iuſti, & boni commodi, patet quòd ablatio boni commodi pœna eſt quia conueniens ei: ſed bonum iuſtitiæ eſt magis] conueniens voluntati, quàm bonum commodi: igitur eius ablatio per ſe eſt pœna. Probatio minoris, quantò perfectibile eſt perfectius, & per conſequens perfectio correſpondens, tantò eorum maior eſt conuenientia, & melior, & priuatio peior: ſed voluntas inquantùm habet affectionem iuſtitiæ, id eſt, inquantùm libera eſt (loquendo de iuſtitia innata) eſt ſimpliciter nobilior ſeipſa, inquantùm habet affectionem commodi, & hoc conuenit ſibi ſimpliciter: igitur maior, & melior eſt conuenientia iuſtitiæ ad voluntatem abſolute, quàm boni commodi ad voluntatem: igitur ablatio iſtius eſt ſimpliciter pœna, & maior pœna, quàm ablatio cuiuſcunque commodi alterius à iuſtitia, & in hoc bene verificatur illud Auguſtini lib. Confeſſionum. *Iuſiſti Domine, & ita eſt, vt omnis inordinatus animus pœna ſit ſibi.* Et idem tertio de Lib. arb. *Neque enim ad momentum eſt dedecus culpæ ſine dedecore iuſtitiæ,* vt ſcilicet ipſa voluntas ſeipſam priuans iuſtitia, in hoc ſe priuat maximo bono ſibi conueniente, cuius carentia eſt ſibi formaliter maior pœna, quàm carentia alicuius boni commodi, quæ infertur propter talem culpam. Et inde eſt, p quòd pœna dicitur ordinare culpam, quia ex quo Deus non vult culpam auferre, non poteſt meliùs, ſiue ordinatiùs anima culpabilis eſſe, quàm quòd fit in pœna: quæ non eſt tantum malum formaliter, quantum eſt culpa, quia naturam manentem ſub culpa ordinat. 22.

1. c. 12. Animus inordinatus eſt ſibi pœna.

Pœna quomodo ordinat culpã.

Quere Boët. 4. conſo. proſ. 4.

Et ſi obiicitur quomodo poteſt eadem carentia iuſtitiæ eſſe formaliter culpa, & pœna formaliter. 23.

Reſpondet Magiſter diſtinguendo carentiam inquantùm eſt priuatio boni actiuè, vel

vel paſſiuè. Primo modo eſt culpa, ſecundo modo eſt pœna. Hoc poteſt ſic exponi, quòd ipſa culpa eſt à voluntate, vt cauſa actiua, ſed tamen deficiente: & ipſa pœna eſt in voluntate, ſicut in ſubiecto, quòd per culpam priuatur bono conueniente: quod quidem bonum debitum erat, inquantùm voluntas ſecundùm primam rationem, ſcilicet inquantùm potuit agere ad rectitudinem ſibi debitam, & non egit: & ideò primo modo eſt culpa, & ſic volnutaria, quia in poteſtate voluntatis, vt cauſa actiua. Sicut præſentia ad proram dicitur in poteſtate nautæ, per quam poſſet ſaluare nauem ſi præſens diligenter laboraret. Secundo modo formaliter eſt pœna, quia corruptio, ſiue priuatio boni debiti in voluntate, & maximè ſibi conuenientis, & vt ſic non eſt formaliter voluntaria: quia voluntas inquantùm ſubiectum non habet formã ſibi inhærentem in ſua poteſtate: & ita priuatio iuſtitiæ debitæ inhærens voluntati, eſt contra inclinationem naturalem voluntatis, magis quàm quæcunque carentia boni commodi non iuſti, vel præſentia incommodi.

Peccatum quomodo ſimul culpa & pœna?

Secundum probo, quia ablatio gratiæ eſt pœna peccati, pro eo quòd exiſtente primo defectu in voluntate non agente ad rectitudinem debitam Deus ex demerito huius defectus, ſubtrahit manutenentiam ſuam, ne gratia conſeruetur; ita ex demerito huius defectus voluntatis, Deus poteſt ſe ſubtrahere à voluntate, ne agat ad rectitudinem in ſecundo actu, ſicut ageret ſi nullum præceſſiſſet demeritum: & ita ex hac ſubtractione eſt carentia rectitudinis in ſecundo actu: & iſta rectitudo erat debita, quia licèt non eſſet in poteſtate voluntatis, nunc dare rectitudinem, fuit tamen in poteſtate eius, priùs ſcilicet ante primum peccatum dare, quia priuauit ſe illa aſſiſtentia diuina, quâ Deus paratus erat cooperari ſibi ad rectitudinem; & ideò imputatur ſibi ad peccatum, ſicut etiam imputatur quòd non gratuitè agit in ſecundo actu poſt gratiam corruptam: quia licèt tunc non habeat gratiam, nec poſſit ex ſe habere; in hanc tamen potentiam ex ſe incidit: potuit enim cuſtodiſſe eam, & dabatur ſibi ad hoc poſſe, vt cuſtodiret eam.

24. Sed iſte modus, vt videtur, eſt valde difficilis, quòd ſcilicet in aliquo actu elicito carentia rectitudinis poſſit eſſe ex parte Dei non cauſantis propter demeritum alicuius peccati: tunc enim licèt voluntas, priùs potuerit non demereri, & tunc Deus ſibi aſſiſtiſſet, & quantùm eſt ex parte Dei, in ſecundo actu egiſſet ad rectitudinem, niſi in primo actu deuiaſſet: tamen ex quo ſemel peccauit, ſi Deus in ſecundo actu non aſſiſtat ad cauſandum rectitudinem in eo: videtur quòd illud peccatum ex tunc non ſit in poteſtate voluntatis, ita quòd ipſa tunc non poſſit non deficere: quod videtur inconueniens.

Reiicit ſententiã Magiſtri.

Ideò poſſet dici aliter, quòd licèt Deus in actu ſecundo, quantùm eſt ex ſe aſsiſtat voluntati, ſicut & in primo: & in quolibet actu prima cauſa deficiens, hoc eſt non iuſtè, vel rectè agens, eſt voluntas creata, tamen defectus ſecundus eſt pœna peccati primi, pro quanto priuat ſe bono, maximè ſibi conueniente, nec eſt ſimile de priuatione gratiæ, & rectitudinis in actu ſecundo, puta, quod Deus, ſicut propter demeritum non aſsiſtat ad cauſandum gratiam in anima, ita nec ad cauſandum rectitudinem in voluntate: quia ipſe non dedit gratiam antecedenter, [q] ſicut dedit rectitudinem, & ideo poteſt eam non dare conſequenter.

Dari gratiam ſufficientem ad omne præceptum adimplẽdum.

Carentia etiam gratiæ, eſt vna iniuſtitia habitualis in anima, non ſemper propter aliud, & aliud peccatum: ſed in actibus malis ſuccedentibus ſibi, eſt ſemper nouum malum: & ideò oportet ibi quemlibet eſſe in poteſtate voluntatis creatæ non ſic autem carentia gratiæ, poſt inſtans annihilationis oportet eſſe in poteſtate voluntatis: quia non eſt noua iniuſtitia, ſed tantùm vna habitualis malitia quieſcens in anima.

25. Sed primum argumentum ad quæſtionem, habet difficultatem, quomodo peccatum ſit pœna, cùm omnis pœna ſit à Deo. Ad quod dicitur, quòd etſi non ſemper illud, quòd eſt pœna, ſit à Deo: tamen inquantùm eſt ordinatiuum culpæ, ſic eſt à Deo, quia ipſe ordo eſt à Deo.

D. Bon. d. 36. art. 3. qu. 1.

Contrà, [r] ſi pœna non eſt aliquod ens, quod poſsit eſſe à Deo, nec etiã culpa poteſt eſſe à Deo: ergo nec relatio fundata in altero extremorum, & ita nullus eſt ordo, qui poſsit eſſe à Deo. Præterea, pari ratione culpa poſſet eſſe à Deo, & effectus Dei: culpa enim ordinatur per pœnam, ſicut pœna ordinat culpam: & tamen nullus concedit, quod pœna ſit nihil.

Peccatum qua pœna eſt, nõ poſſe eſſe à Deo.

Ideò poteſt aliter dici, quòd pœna dicitur duobus modis. Vno modo pœna eſt ſolùm carentia boni conuenientis naturæ intellectuali: ſicut eſt carentia viſionis, & fruitionis

Omnis pœna poſitiua eſt à Deo, ſed nõ omnis priuatiua, niſi permiſſiuè vel deſertiuè.

fruitionis Dei: & hæc eſt pura priuatio. Alio modo poteſt dici pœna aliquod poſitiuum, & tamen diſconueniens tali naturæ: ſicut calor excellẽs eſt allquod poſitiuum diſconueniens carni. Omnes pœnæ, ſecundo modo dictæ, poſſunt poni à Deo, quia ſunt aliqua poſitiua: & de iſtis debet intelligi illud primi Retract. c. 25. & 26. ait enim. *In bonis operibus Dei bona opera ſunt iſta punitiua, licèt ſint mala iſtis punitis, quia diſconueniunt eis.* Sed pœnæ primo modo non ſunt à Deo efficiente, quia non ſunt effectibilia: nec deficiente primò, ſed tantùm propter demeritum voluntatis in actu peccati non coagendo voluntati nunc ad illud bonum habendum; ad quod operatus fuiſſet, quantùm eſt ex ſe: talis ergo pœna eſt à Deo non infligente, vel efficiente, nec deficiente primò, ſed deſerente, id eſt, naturam, quæ deficit, relinquente in ſuo defectu, & in omnibus defectibus conſequentibus ad illum defectum, vbi includuntur multæ carentiæ perfectionum conuenientium tali naturæ: ſi ergo pœna, quæ eſt peccatũ, non eſt à Deo efficiente, vel deficiente primò, ſed tantùm eſt à Deo deſerente voluntatem, ratione primi demeriti, quæ deſerta à Deo cadit in ſecundum demeritum.

Ideſt, denegãte auxilia abũdãtiora, quia ſemper dat ſufficientia ad omnẽ actum præceptum.

Ad ſecundum argumentum patet per idem, quia ſi eſſet pœna inflicta à Deo, non eſſet maius malum, ſed minus, ita quòd ſecundum peccatum eſt pœna inflicta à voluntate peccante, & à Deo tantùm vt deſerente.

COMMENTARIVS.

10. o *AD quæſtionem tertiam in ordine dico*, &c. Arguit Doctor à fortiori, quòd ſi priuatio boni commodi ſit pœna, multò magis boni iuſtitiæ. Hoc patet, quia priuationes dicuntur diſtingui per habitus, & etiam intendi, ita quòd quantò habitus eſt conuenientior naturæ, tantò priuatio illius eſt diſconuenientior; cùm ergo habitus iuſtitiæ ſit conuenientior naturæ, ergo, &c. Et accipio habitum, ſiue actum iuſtitiæ, pro actu moraliter bono, & talis actus eſt à voluntate ſecundùm affectionẽ iuſtitiæ, id eſt, ſecundùm libertatem, qua verè cõformatur primæ regulæ vt expoſui *d. 6. q. 24.* Actus vero commodi, quo volo mihi aliquid tanquam cõmodum abſolutè eſt benè actus voluntatis liberæ, ſed non ſecundùm affectionem iuſtitiæ, inquantùm ſupple, eſt conformis voluntati diuinæ; ſed inquantùm eſt cõformis ſibi ipſi ſumptæ ſecundùm appetitum naturalem ſiue commodi, ſequitur quòd priuatio actus iuſtitiæ ſiue actus moraliter ſumpti ſit ſimpliciter maior pœna, quàm priuatio cuiuſcunque boni commodi, quia actus iuſtitiæ, ſiue moralis, eſt magis conueniens voluntati ſumptæ ſecũdum ſuam perfectionem maximam, quæ eſt affectio iuſtitiæ, quam affectus cuiuſcunque cõmodi ſit ſibi conueniens, & ex hoc elicio vnum à Doctore, quòd melius eſt ſimpliciter voluntatem ſecundum affectionem iuſtitiæ habere actũ moralem, & habitum iuſtitiæ, quàm habere quodcunque commodum quantumcunque magnum, & ſic propoſitum, &c. & teneo firmiter quòd ſi daretur aliqua voluntas habens habitũ iuſtitiæ, & ſi poneretur in maximis tormentis corporalibus eſſet ſibi ſimpliciter minor pœna, & triſtitia quàm eſſet voluntati habenti deformitatem peccati, quantumcunque poſitæ in corporalibus deliciis, de hoc in 4. diſt. 46.

11. p Et inde eſt, quòd pœna dicitur ordinare culpam, &c.

Nota. Nota in iſta litera, quia dicit Doctor quòd quando Deus non vult auferre culpam, tunc eſt melius ſimpliciter animæ culpabili eſſe in pœna quæ non eſt tantum malum formaliter, quantum eſt culpa; nam eadem priuatio dicitur culpa, & pœna vt eſt à voluntate libera, pœna verò vt informat voluntatem, & ſic omnis pœna eſt voluntaria. Dicit ergo Doctor, quòd melius eſt talem naturam culpabilem eſſe ſub pœna, quàm non; quia vt eſt ſub pœna, illa ordinat culpam, & ita eſt ibi aliquod bonum, puta bonum ordinis; & ideò Doctor dicit *in 4. d. 1. q. 1.* quòd melius eſt ſimpliciter peccatorem eſſe ſub pœna, quàm non. Et quod dicit quòd *iſta pœna non eſt tantùm malum formaliter, quantum eſt culpa*, dubitatur ex quo eadẽ priũatio rectitudinis dicitur pœna, & culpa, quomodo vt culpa ſit maius malum formaliter. & vt pœna minus? Dico, quòd vt eadem priuatio conſideratur, vt eſt pœna ipſius peccatoris, & vt ordinatiua ipſius culpæ, includit aliquod bonum, quòd eſt ordinare culpã, vt verò eadem priuatio conſideratur vt eſt defectiuè à voluntate libera eſt tantum malitia, & deformitas.

q *Quia ipſe non dedit gratiam antecedenter*, &c. Si dicatur: nonne dat gratiam antecedenter in pœnitentia. Deus enim diſpoſuit ſemper voluntãti diſponenti ſe, ſiue pœnitentiam agenti de peccato dare gratiam antecedenter, & ſi diſponit ſe, dat illam conſequenter. Dico, quòd Doctor non negat hîc quin det gratiam antecedenter, ſed non eo modo dat, quo dat rectitudinem: nam rectitudo danda virtualiter continetur in voluntate noſtra, tanquam in cauſa partiali, & ideò voluntas noſtra eſt verè debitrix talis rectitudinis, quia partialiter poteſt cooperari voluntati diuinæ, licèt non ſit ſic de gratia.

r *Contrà, ſi pœna non eſt aliquod ens*, &c. Hîc arguit Doctor quòd talis ordo non eſt à Deo, quia nihil eſt; patet, quia talis pœna, quæ eſt priuatio, nihil eſt, & vt eſt ordinatiua culpæ, talis ordo fundatur in pœna, & ſic nihil erit, quia ſubiectũ illius nihil eſt, & ſic talis ordo nõ erit à Deo.

DISTINCTIO XXXVIII.

De voluntate, & fine, ex quo & ipſa iudicatur.

A POST prædicta de voluntate eiuſque fine differendum eſt. Sciendum ergo eſt quod ex fine ſuo (vt ait Auguſtinus) voluntas cognoſcitur, vtrùm recta an praua ſit. Finis autem bonæ voluntatis beatitudo eſt, vita æterna, ipſe Deus. Malæ verò finis eſt aliud, ſcilicet mala delectatio, vel aliquid aliud, in quo non debet voluntas quieſcere. Finem ergo bonum inſinuat Propheta dicens: *Omnis conſummationis vidi fidem*, &c. Charitas ergo cuius latum mandatum eſt, finis omnis conſummationis eſt, id eſt, omnis bonæ voluntatis, & actionis, ad quam omne præceptum referendum eſt. Vnde Auguſtinus *in Ench.* [Omnia præcepta diuina referuntur ad charitatem. De qua dicit Apoſtolus. *Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Omnis itaque præcepti finis charitas eſt, id eſt, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad charitatem, quæ eſt dilectio Dei & proximi, nondum fit quemadmodum oportet fieri, quamuis fieri videatur. Tunc enim rectè fiunt, quæ mandat Deus, & quæ conſilio monet, cùm referuntur ad dilectionem Dei & proximi] His verbis apertè inſinuatur, quis ſit rectus finis voluntatis ſiue actionis bonæ, ſcilicet charitas, quæ & Deus eſt, vt ſuprà oſtendimus.

Aug. lib. de Tri. 12. c. 6. tex. 3.

Pſal. 118

Ca. 121 t. 5.

1. Tim. 1. a.

Lib. 1. d. 17

Quòd Deus eſt finis omnis bonæ actionis, quia charitas eſt: nec tantùm Spiritus ſanctus, ſed etiam Chriſtus, & Pater: nec hi ſunt tres fines, ſed vnus.

B QVi ergo charitatem ſibi ponit finem, Deum ſibi ponit finem: vnde & Chriſtum finem legis, ad iuſtitiam dicit Apoſtolus eſſe omni credenti. Et rectè dicitur Chriſtus finis legis ad iuſtitiam: quia vt ait Auguſtinus in libro Sententiarum Proſperi, [In Chriſto lex iuſtitiæ non conſumitur, ſed impletur. Omnis enim perfectio ex ipſo & in ipſo eſt: & vltra quem non eſt quo ſpes ſe extendat. Finis fidelium Chriſtus eſt, ad quem cùm peruenerit currentis intentio, non habet quo amplius poſſit venire, ſed habet id in quo debeat permanere.] Finis ergo rectus atque ſupremus Deus pater eſt, & Filius, & Spiritus ſanctus, nec hi tres ſunt tres fines, ſed vnus finis: quia non tres dij, ſed vnus Deus.

Rom. 10. a.

Ibid. c. 106

Quòd

Quòd omnes bonæ voluntates vnum habent finem: & tamen quædam bona diuerſos fines ſortiuntur.

C *Aug.c.6.* SEd quæritur, Vtrùm omnes bonæ voluntates vnum tantùm habeant finem? De hoc Auguſt. *in* 11. *lib. de Trinit. ità ait*: [Aliæ atque aliæ voluntates ſuos proprios fines habent, qui tamen referuntur ad finem illius voluntatis quâ volumus beatè viuere, & ad eam peruenire vitam, quæ non referatur ad aliud, ſed amanti per ſeipſam ſufficiat: quemadmodum voluntas videndi, finem habet viſionem, & voluntas videndi feneſtram, finem habet feneſtræ viſionem. Altera verò eſt voluntas per feneſtram videndi tranſeuntes, cuius item finis eſt viſio tranſeuntium. Ad quod *Ibidem.* etiam prædictæ referuntur voluntates. Item rectæ ſunt voluntates omnes *Pron.5.d.* ſibimet religatæ, ſi bona eſt illa, ad quam cunctæ referuntur. Si autem praua eſt, prauæ ſunt omnes: & ideò rectarum voluntatum connexio iter *Matt.22.b* quoddam eſt aſcendentium ad beatitudinem, quod certis velut paſſibus agitur. Prauarum autem & diſtortarum voluntarum implicatio vinculum eſt, quo alligabitur qui hoc agit, vt proiiciatur in tenebras exteriores.] His auctoritatum teſtimoniis euidenter monſtratur, plures in fidelibus rectas eſſe voluntates proprios ac diuerſos fines habentes: & tamen vnum eundémque, quia omnes referuntur ad vnum, qui eſt finis finium, de quo paulò antè diximus: ita è conuerſo fortè eſt & in malis.

Quædam huic ſententiæ videntur aduerſari.

D VEruntamen huic ſententiæ, quâ dictum eſt fidelium quaſdam rectas voluntates diuerſos fines ſortiri, & tamen ad vnum referri, videtur *2. poſt medium c.24. tom. 4.* obuiare quod alibi Auguſtinus admonet, ne ſcilicet nobis duos fines conſtituamus, ita inquiens *in lib. de ſermone Domini in monte.* Non debemus *Matt.6. ibid. c.12. & cap. 25.* ideò euangelizare vt manducemus, ſed ideò manducare vt euangelizemus: vt cibus non ſit bonum quod appetitur, ſed neceſſarium quod adiicitur, vt illud impleatur. *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Non dixit, primum quærite regnum Dei: & deinde, quærite iſta, quamuis ſint neceſſaria: ſed ait, hæc omnia adiicientur vobis, id eſt, hæc conſequentur ſi illa quæritis: ne cùm iſta quæratis, illinc auertamini: aut ne duos fines conſtituatis, vt & regnum propter ſe appetatis, & iſta neceſſaria, ſed hæc potiùs propter illud, ergo propter regnum Dei tantum debemus operari omnia, non ſolam, vel cum regno Dei mercedem corporalem meditari. Ecce hîc apertè dicit, ne duos fines nobis conſtituamus, ſed vnum tantùm, id eſt, regnum Dei, cùm ſuprà dixerit bonas voluntates, alios & alios proprios habere fines.

Hîc oſtenditur quomodo, licèt videantur, non repugnet prædicta.

E HÆc autem ſibi non repugnare animaduertit, qui verbis præmiſſis ſimplici oculo diligenter intendit, qui enim dixit, ne duos fines nobis conſtituamus, ſed omnia propter regnum Dei faciamus, ipſe præmiſit quòd debemus máducare vt euangelizemus. Cùm autem hoc ita facimus,

actionis

actionis illius finem Euangelium conſtituimus: ſed & hunc finem ad regnum Dei referimus. Manducamus enim propter Euangelium, & manducamus & euangelizamus propter regnum Dei. Duos igitur fines nobis in manducando conſtituimus. Sed ita facientes, nunquid peccamus? abſit. Nam & ipſe ſic facere ſuadet, ſi diligenter eius verba inſpiciamus. Cùm ergo ait, ne duos fines nobis conſtituamus, fines in diuerſa tendentes intelligi voluit, ſcilicet quorum alter ad alterum non referatur: ita & cùm dicit, propter regnum Dei tantùm omnia agenda, nec cum ipſo mercedem temporalem meditandam, ita intelligendum eſt, vt non appetendo meditemur cum regno mercedem temporalem, ita quòd non propter regnum, ſed propter ſe, vt ſcilicet regnum propter ſe appetamus, & iſta propter illud, ſicut ipſe docet. Sicut enim petimus vitam æternam, petimúſque etiam temporalia à Deo: ſi ea petimus propter vitam æternam non offendimus: neque ſiniſtra tunc ſcit, quid faciat dextera, quia mercedem temporalem non propter ſe meditamur, ſed propter regnum Dei, vt ſit læua ſub capite, & dextera in amplexu. Alioquin ſi hæc temporalia propter ſe quærimus ſicut æterna, miſcetur dextræ ſiniſtra. Ideóque cùm Dominus dixerit: *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*: alibi ait, *Sic luceant opera veſtra bona coram hominibus, vt glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Propter Deum ergo omnia facienda ſunt, vt omnia quæ facimus, omniúmque fines ad eum referamus.

Luc 11. d.
Matt. 6. c.
Cant. 2. c.
Mat. 6. c.
Matt. 5. f.

De differentia voluntatis, intentionis, & finis.

F SOlet etiam quæri, quid diſtet inter voluntatem, & intentionem, ac finem. Ad quod dici poteſt, inter voluntatem & finem certo atque euidenti modo diſtingui, quia voluntas eſt, quâ volumus aliquid. Finis verò voluntatis eſt, vel illud quod volumus, per quod impletur ipſa voluntas: vel potiùs aliud, propter quod illud volumus. Intentio verò interdum pro voluntate, interdum pro fine voluntatis accipitur: quæ diligens ac pius lector in ſcriptura, vbi hæc occurrunt, diſcernere ſtudeat. Finis verò voluntatis eſt delectatio bona, vel mala, ad quam nititur quiſque peruenire. Vnde Auguſtinus ſuper illum locum Pſalm. *Scrutans corda & renes*: ſic ait. Deus ſolus ſcrutatur corda, id eſt, quid quiſque cogitet: & renes, id eſt, quid quemque delectet: quia finis curæ & cogitationis eſt delectatio, ad quam cura & cogitatione nititur quiſque peruenire. Et paulò pòſt: Opera noſtra quæ ſunt in dictis & factis poſſunt homines videre: ſed quo animo fiant, & quo venire cupiant, ſolus Deus videt: qui cùm videt cor eſſe in cœlo, & non delectari nos in carne, ſed in Domino, id eſt, cùm bonæ ſunt cogitationes, & earum fines, dirigit iuſtum. Idem ſuper alterius Pſalmi locum illum, ſcilicet, *In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum*: dicit, [Pes animæ amor eſt: qui ſi prauus eſt dicitur cupiditas, vel libido: ſi rectus dicitur charitas. Eo mouetur anima quaſi ad locum quò tendit, id eſt, ad delectationem bonam, vel malam, quò ſe peruenìſſe per amorem lætatur.] Finis ergo voluntatis, vt præmiſſum eſt dicitur & illud quod volumus, & illud propter quod volumus: & intentio ad illud reſpicit propter quod volumus, & voluntas ad illud quod volumus: vt verbi gratiâ, Si velim eſurientem reficere, vt habeam vitam æternam, voluntas eſt, quâ volo reficere eſurientem, cuius finis eſt refectio eſurientis. Intentio ve-

7. in tit. 8. in medio enarrationis.
Ibidem.
Aug. in expoſitione Pſal. 9. to. 8. poſt medium enarrationis. Repetit prædicta ſubdens exemplum.

rò eſt, qua ſic ad vitam peruenire volo. Finis verò ſupremus eſt ipſa vita, ad quam & alius finis refertur.

An illa intentio ſit voluntas.

G SEd quæritur, Vtrùm intentio talis ſit voluntas, & ſi voluntas eſt, an in hoc opere ſit vna eadémque voluntas, quâ volo reficere eſurientem, & quâ volo habere vitam æternam. Videtur nempe talis intentio voluntas eſſe: vt enim voluntas eſt quâ volo reficere pauperem, ita & voluntas eſt, quâ per illud volo habere vitam. Et alia quidem videtur voluntas eſſe quâ volo habere vitam, & alia quâ pauperi ſubuenire volo. Sed iſta ad illam refertur. [Nam etſi hoc ita placeat, vt in eo cum aliqua delectatione voluntas acquieſcat, nondum eſt tamen illud quo tenditur, ſed hoc ad illud refertur, vt illud deputetur tanquam patria ciuis, iſtud verò tanquam refectio, vel manſio viatoris. Et ſunt iſtæ voluntates, affectus, ſiue motus mentis, quibus quaſi greſſibus vel paſſibus tenditur ad patriam. Sicut ergo altera eſt voluntas videndi feneſtras, vt ſuprà, docente Auguſtino didicimus, altera quæ ex iſta nectitur, voluntas, ſcilicet per feneſtras videndi tranſeuntes:] ita nonnullis alia videtur eſſe voluntas eleemoſynas dandi pauperi, alia voluntas habendi vitam. Alij autem putant, quòd vna ſit voluntas, & hic & ibi, ſed propter ſubiectorum multiplicitatem diuerſitas memoratur voluntatum. Cæterùm quodlibet horum verum ſit, illud nulli in ambiguum venit, quin voluntas ex ſuo fine penſetur vtrùm recta ſit, an praua: peccatum, an gratia: & quin nomine *intentionis* aliquando finis, aliquando voluntas intelligatur.

Aug. l. de Trin. 11. cap. 6.

QVÆSTIO II.

Vtrùm intentio ſit actus ſolius voluntatis?

Alenſis 2. *p. q.* 106. *m.* 1. 2. 3. D. Thom. 1. 2. *qu.* 12. *art.* 1. *& hîc qu.* 1. *art.* 4. D. Bonau. *art.* 2. *qu.* 2. Richar. *art.* 3. *q.* 2. Dur. *q.* 2. Gabr. *q.* 1. Vaſq. 1. 2. *d.* 40. Matſil. 2. *q.* 22. *art.* 2.

IRCA diſtinctionem trigeſimamoctauam, in qua Magiſter agit de his, quæ concurrunt ad peccatum, cuiuſmodi ſunt voluntas, & intentio finis; quæritur vnum, Vtrùm intentio ſit actus ſolius voluntatis? Quòd non: omne per ſe agens agit propter finem, *ex* 2. *Phyſ.* ergo ex intentione. 1.

Arg. 1. *Tex.* 49. *& inde.*

Præterea, non eſt diſtincta viſio, ſine intentione copulante: ſecundùm Auguſtinum 11. *de Trin. c.* 2. ſed poteſt eſſe diſtincta viſio præcedens actum intellectus, & per conſequens omnem actum voluntatis: ergo intentio non erit actus ſolius voluntatis.

Arg. 2.

Arg. 3. Præterea, Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum erit lucidum.* Et ibidem, *vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.* Gloſſa exponit oculum, & lumen de intentione: ſed oculus & lumen pertinent ad intellectum: ergo, &c.

Arg. 4. *Ratio opp.* Præterea, intentio includit relationem vnius ad alterum: ſed referre, ſicut & conferre, eſt ſolius intellectus.

Contrà Magiſter in litera, & præterea Auguſtinus 11. de Trin. c. 6.

SCHOLIVM

SCHOLIVM.

Oſtendit intendere propriè competere potentiæ liberæ; & ſic licèt requirat actum intellectus formaliter eſſe voluntatis, tam reſpectu medij, quàm reſpectu finis: quod ſi vno actu tendatur in medium & finem, erit ſimul vſus & intentio.

2. REſpondeo [a] primò videndum eſt, quid dicitur per hoc nomen *intendere*: *Intendere* enim dicit in aliud tendere: hoc poteſt accipi generaliter, ſiue ab alio habeat, quod in illud tendat: ſiue à ſe mouente ſe in illud. Poteſt etiam tendere in aliquid, ſicut in obiectum præſens, vel vt in terminum diſtantem, vel abſentem. Primo modo conuenit omni potentiæ, reſpectu ſui obiecti. Secundo modo [b], magis propriè ſumitur pro illo ſcilicet, quod tendit in aliud, & non ducitur in illud, ſed ducit ſe in illud: & hoc modo non poteſt eſſe alicuius potentiæ naturalis, ſed tantùm liberæ: quia ſecundùm Damaſcenum cap. 23. *Appetitus non liber ducitur, & non ducit*: & ita eſt de omni potentia naturali.

Vide D Bona. diſ. præſenti. art. 1. q. 1. in ſolutione.

Intendere quid ſignificet?

Hoc ergo modo [c] propriè accipiendo *intendere*, prout ſcilicet dicit in aliud tendere ex ſe, eſt principaliter potentiæ liberæ: ſed cùm liberè velle ſit totius liberi arbitrij, quod includit intellectum, & voluntatem ſecundùm illam opinionem 3. *diſt.* 25. huius totius potentiæ erit intendere: & hoc ſi propriiſſimè ſumatur: & non erit [d] alicuius potentiæ, reſpectu ſui obiecti, ſed reſpectu finis. Et cùm in omni volitione ſecundùm Anſelmum ſit accipere quid & cur, *intendere* non reſpicit quid, ſed cur, prout ſcilicet dicit tendentiam in aliquid, vt diſtans per aliquid, tanquam per aliquod medium: erit igitur intentio [e] actus liberi arbitrij ratione voluntatis, & erit actus eius, reſpectu eius, quod vult: quod ſi & voliti [f], & eius propter quod eſt volitum ſit idem actus volendi, idem actus erit vſus, & intentio: ſi autem alius, intentio dicet formaliter actum iſtum, quo tendit voluntas in finem; & materialiter actum vtendi, quo refert aliud in iſtum finem.

In omni volitione datur quid & cur, & quomodo.

Intentio & vſus an differunt?

3. Ad primum argumentum [g] patet quòd procedit de *intendere* prout dicit tendentiam alicuius determinati, & terminati ab alio.

Ad arg. 1.

Ad ſecundum dico [h], quòd primam viſionem non cauſat intentio voluntatis copulans, ſed tamen illam poteſt copulare: & concedo quòd in eodem inſtanti temporis, & ita firmando illam viſionem: ſed poſita prima intellectione, voluntas poteſt ſe conuertere, & auertere reſpectu aliarum operationum ad copulandum, vel non copulandum, & ita diuerſimodè copulare: neganda eſt igitur iſta maior [i], quòd nulla viſio diſtincta poſſit haberi ſine intentione copulante, niſi intelligatur, iſtam copulationem non eſſe actum concomitantem: & hoc modo neganda eſt iſta, quòd viſio diſtincta præcedit tempore omnem intellectionem, ſiue intentionem, licèt iſta natura præcedat. Vel ſi illa viſio, quæ eſt ſine intellectione, & intentione concomitantibus poteſt eſſe ſine intentione voluntatis copulante, ſicut iſta, cum qua concomitatur intellectio, & volitio: tunc neganda eſt iſta propoſitio abſolutè, quòd viſio diſtincta non poteſt eſſe ſine intentione copulante: nec iſtam negare, eſt contra Auguſtinum. Vult enim quòd ipſa voluntas poteſt aciem conuertere ad obiectum, & tendere in obiectum. Sed non vult quòd nulla viſio poſſit fieri, niſi intentio ſic teneat, & conuertat.

Ad 2. Loquitur de viſione ſenſibili quæ neceſſariò eſt prior natura intellectione & intentione poteſt tamen eſſe ſimul cum eis durat ione. Vide infr. d. 42.

Ad vltimum dico, quòd conferre per modum iudicij eſt ſolius intellectus, ſicut & intelligere. Vtendo autem, ſiue ordinando referre vnum amabile ad aliud, eſt voluntatis: ſicut enim voluntas eſt reflexiua, quia immaterialis, ita & collatiua; vel potens conferre ſuo modo, vel referre.

Quomodo cogitatio ſubeſt voluntati.

COMMENTARIVS.

1. *Tendere in aliud poteſt dupliciter intelligi.*

a DOctor reſpondendo ad quæſtionem præmittit aliqua. Primò, quia *intentio*, ſumitur ab hoc quod eſt *intendere* (& propriè intendere eſt in aliud tendere) ſicut multoties abſtractum, ſumitur à concreto, vt *iuſtitia* à *iuſto*. Et dicit quòd tendere in aliud poteſt dupliciter intelligi. Primò generaliter, ſcilicet aut quòd tendens in aliud habeat ab alio, & nõ à ſe, quòd ſic tendat in aliud; aut habeat à ſe quòd ſic tẽdat in aliud, & hoc modo eſt cõmune omni potentiæ reſpectu ſui obiecti, ſiue illa potẽtia ſit naturalis, ſiue libera, ſiue ſit potentia cognitiua, ſiue appetitiua. Nam ſi eſt tantùm cognitiua, ſiue intellectiua, ſiue ſenſitiua, ſiue etiã ſit appetitiua; & non libera, & ſiue talis, ſit tantũ naturalis ſicut appetitus naturalis, ſiue tantùm ſequens cognitiuam ſenſitiuam, ſicut eſt appetitus ſenſitiuus;

omnis talis habet ab alio quòd tendat in obiectum ſuum, differenter tamen: quia potentia cognitiua tendit in obiectum mediante actu ſuo, & ſimiliter omnis appetitiua ſenſitiua; ſed appetitiua naturalis tantùm non tendit in obiectum mediante aliquo actu elicito, ſed tantum ſola inclinatione, & hoc patet à Doctore *in quarto, diſt. 49. q. 9.*

2. *Aduerte.* Aduerte etiam, quòd iſtæ potentiæ cognitiuæ, & appetitiuæ ſenſitiuæ dicuntur ab alio habere quòd tendant in aliud, pro quanto non habent actum, quo tendunt in poteſtate ſua, & quòd ſic intelligat ſatis patet in litera. Si enim intelligeret, quòd nullo modo cauſarent actum, quo tendunt in obiectum ſed quòd ſimpliciter cauſaretur ab alio, ſtatim contradiceret ſibi, quia expreſsè vult quòd appetitus ſenſitiuus, de quo minùs videtur, ſit cauſa ſaltem partialis ſui actus, vide Doctorem *in primo, diſtinct. 17.* Dicuntur ergo habere ab alio pro quanto non habent actum, quo tendunt in poteſtate ſua, & hoc patet per Damaſcenum *cap. 33.* appetitus non liber ducitur, & non ducit, id eſt, non liberè elicit actum, licèt ſit cauſa actus, vt gloſſat Doctor *in primo vbi ſuprà.*

b Secundò accipitur *tendere* ſpecialiter, & magis propriè, ſcilicet reſtringendo ſe ad vnum membrum, ſcilicet prout habet à ſe quòd tendat in aliud, id eſt, prout habet in poteſtate ſua actum, quo tendit in obiectum; & hoc modo competit ſoli voluntati, cùm ipſa ſola habeat actum in poteſtate ſua. Et nota, quòd cùm accipitur generaliter, accipitur prout eſt commune vtrique membro, ſcilicet habere ab alio, vel habere à ſe, quòd tendat in obiectum ſed ſpecialiter accipitur prout ſeorſum accipitur pro altero membrorum, id eſt, tendere non liberè vt conuenit omni potentiæ cognitiuæ, & appetitiuæ, naturali, vel ſenſitiuæ, vt ſuprà dixi, & tendere liberè vt tantùm conuenit voluntati: hoc tamen ſecundum membrum eſt magis propriè, quàm primum, quia hoc eſt in poteſtate tendentis, primum non.

3. *Obiectum eſt duplex.* Secundò præmittit, quòd obiectum eſt duplex, ſcilicet præſens, vel abſens. In propoſito accipitur obiectum præſens non præcise, vt aliqui exponunt, prout ſcilicet eſt præſens in ſe, vel in ſpecie intelligibili, quia vt potentia tendit in obiectum, non poteſt in illud tendere, niſi habeat illud præſens, vel in ſe, vel in ſpecie intelligibili, vel in aliquo alio repræſentatiuo. Si enim eſt potentia cognitiua habet illud præſens in ſe, vt tendit in illud actu cognoſcendi intuitiuo, & habet illud præſens in alio vt tendit in illud actu intelligendi abſtractiuo. Si verò eſt potentia appetitiua ſenſitiua, habet illud præſens vt actu ſenſatum; ſi appetitiua libera, habet illud præſens actu intellectum; & ſic nulla potentia actu tendit in obiectum, niſi vt in præſens aliquo prædictorum modorum. Dico ergo, quòd hîc Doctor accipit obiectum præſens pro obiecto volito in ordine ad finem, & finis dicitur obiectum abſens: patet, quia quando quis vult potionem propter ſanitatem, potio dicitur obiectum præſens, quia potentia actu tendit in illud, cùm actu eligit in ordine ad aliud; ſed finis dicitur obiectum abſens, pro quanto potentia actu non habet illum. Eligens enim potionem actu propter ſanitatem, actu non habet ſanitatem, ideò ſanitas dicitur obiectum abſens, & ſic finis dicitur terminus diſtans, vel abſens.

4. *Prima concluſio.* *Quid ſit liberè velle.* c Iſtis præmiſſis, ponit Doctor duas concluſiones. Prima eſt, quòd *intendere* propriè, & principaliter eſt ſolius voluntatis, cùm illa ſola ſit libera. Et addit, quòd *liberè velle eſt actus totius liberi arbitrij, quod includit intellectum, & voluntatem ſecundùm illam opinionem tertiam, diſt. 25.* quæ ponit quòd voluntas non eſt cauſa totalis ſui actus, ſed tantùm partialis, ita quòd concurrit obiectum vt alia cauſa partialis. Et cùm dicitur quòd *intellectus eſt pars liberi arbitrij*, debet ſic intelligi; ſi enim entitas obiecti ponitur cauſa partialis, actus voluntatis debet intelligi de obiecto actu cognito ab intellectu, ita quòd actu cognoſci tantùm requiratur vt diſpoſitio prævia, ſicut etiam eſſentia diuina non concurrit ad productionem Spiritus ſancti, niſi priùs cognoſcatur ab intellectu diuino; non quòd ſic cognoſci ſit ratio producendi, vt ſuprà patuit *in primo, diſt. 2. & 10. & in ſecundo, diſt. prima, q. 1.* Accipiendo ergo ſic obiectum tale obiectum dicitur intellectus, pro quanto non dicitur cauſa actus, niſi vt relucet in intellectu, & actu cognoſcatur modo præexpoſito. Si verò non ponitur obiectum cauſa partialis actus, ſed præcisè cognitio obiecti, vt multi tenent, tunc intellectus accipitur præcisè pro actu intelligendi, qui actus ſecundùm Doctorem, eſt qualitas abſoluta, vt ſubtiliter probat *in quodlib. q. 13.* Et tunc eſſet bona difficultas, quia actus intelligendi ponitur operatio potentiæ, & operatio dicitur finis potentiæ, & non ponitur potentia productiua, vt ſatis patet *in primo, diſtin. 2.* & tamen ſi ponatur cauſa partialis actus volendi, tunc habet rationem potentiæ productiuæ, ſicut & calor dicitur potentia productiua. Sed hæc difficultas cum ſolutione alibi apparebit.

5. *Secunda concluſio.* d Secunda concluſio, *Intendere* non eſt actus alicuius potentiæ reſpectu ſui obiecti, ſed reſpectu finis. Hîc Doctor non negat finem eſſe obiectum potentiæ, quia reſpectu voluntatis tam finis, quàm ordinata ad finem, ſunt obiectum voluntatis, cùm contineantur ſub obiecto adæquato voluntatis, vt ſatis patet à Doctore *in primo, diſtin. 3. quæſt. 3. & in quarto, diſtin. 49.* vbi ponit idem obiectum, ſub eadem ratione formali reſpectu intellectus, & voluntatis. Accipit ergo hîc *obiectum* pro ente ad finem, in quod immediatè tendit, vt in obiectum præſens, modo præexpoſito, & hoc modo finis non dicitur obiectum, quia potentia tendit in illud, vt in terminum diſtantem, vel abſentem, vt ſuprà patet. Sine *obiectum*, in propoſito accipitur pro volito abſolutè, ita quod dicitur quid volitum, vt potio abſolutè eſt quid volitum, ſed finis non eſt ſic volitus, imò eſt terminus. Si enim quæritur, cur Franciſcus vult potionem; reſpondetur, quòd propter ſanitatem, & ſic intendere non reſpicit *quid*, ſed *cur*, prout ſcilicet *intendere* dicit tendentiam in aliquid, vt diſtans, ſcilicet in finem per aliquid tanquam per aliquod medium, ſcilicet per ipſum obiectum volitum propter finem.

Erit igitur intentio actus liberi arbitrij ratione voluntatis, id eſt, quòd erit actus liberè elicitus ratione voluntatis. Licèt enim talis actus ſit à voluntate, & intellectu, modo ſupra poſito, non

tamen

tamen dicitur liberè elicitus, niſi tantùm ratione voluntatis. Sequitur, *& erit actus eius reſpectu eius, quod vult*, id eſt, quòd intentio erit actus voluntatis etiam reſpectu eius, quod vult, id eſt, reſpectu obiecti voliti propter finem, ita quòd intentio principaliter, & quaſi formaliter, eſt actus voluntatis reſpectu finis, & minùs principaliter, & quaſi materialiter, erit ipſius voluntatis reſpectu ordinati ad finem. Intentio enim includit, & actum reſpectu finis, & actum reſpectu ordinati ad finem. Vnde propriè non dicitur intentio reſpectu finis abſolutè ſumpti: ſi quis enim abſolutè tendit in ſanitatem, non dicitur talis actus propriè intentio, imò tunc ſanitas ſic abſolutè volita, dicitur obiectum, quia & voluntas reſpecit tale obiectum vt *quid*, & non *cur*. Intentio ergo propriè eſt cùm quis vult potionem propter ſanitatem.

6. *Quid ſit proprie intentio.*

f *Quòd ſi & voliti, & eius, propter quod eſt volitum*, &c. Vult dicere, quòd ſi volitio finis, & entis ad finem (vt cùm quis vult dare panem propter Deum, vel cùm quis diligit proximum propter Deum) ſint tantùm vnus actus, quo ſcilicet diligit proximum, & Deum, ſed proximum in ordine ad Deum, tunc ille actus diligendi dicitur vſus & intentio, nam vti propriè eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis propter aliud, id eſt, eſt velle aliquid propter finem; & hoc modo vſus, & intentio nullo modo differunt ab inuicem. Si verò dilectio proximi, & dilectio Dei, cùm ſcilicet diligo proximum propter Deum, ſint actus diſtincti, tunc intentio dicet formaliter actum, quo voluntas tendit in finem, non tamen vt in finem abſolutè, & in ſe conſideratum, vt ſuprà dixi, ſed vt quo tendit in finem, præſupponendo alium actum, quo tendit in aliquid propter finem; & ſic intentio formaliter reſpicit *cur*, & materialiter reſpicit actum vtendi, quo refert aliud in iſtum finem, id eſt, quòd reſpicit illum actum, puta dilectionem proximi, qua ipſum diligo in ſe abſolutè præcisè in ordine ad Deum dilectum. Et hoc eſt quod dicit Doctor.

An intentio ſit ſolius voluntatis.

7. Ad argumenta principalia. Primò arguit probando quòd intentio non ſit ſolius voluntatis, & primò ſic: Omne agens propter finem agit ex intentione, patet, quia agens propter finem intendit finem, aliter non ageret propter finem. Sed omne per ſe agens agit propter finem, patet per Philoſophum *ſecundo Phyſ. tex. comment.* 8. & dicitur omne per ſe agens, quòd agit per formam, quam in ſe habet, quæ forma eſt principium formale agendi vt expoſui *in prolog. qu. prima, & diſtinct. 2. primi*, modò ſunt plura talia agentia præter voluntatem vt patet.

Secundò arguit ſic: Datur viſio diſtincta, puta albedinis, prior omni actu voluntatis tam elicito quàm imperato; ergo datur intentio prior omni actu voluntatis; ergo intentio non eſt actus ſolius voluntatis. Antecedens patet, quia actus potentiæ ſenſitiuæ vt potentiæ viſiuæ, eſt ſimpliciter prior actu intellectus. Tum, quia nihil eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu, & omnis doctrina fit ex præexiſtenti cognitione ſenſitiua vt patet *in primo Poſt. & primo Met. in proœmio.* Tum, propter ordinem potentiarum, quia nunquam potentia intellectiua operatur, quin priùs aliqua ſenſitiua operata fuerit, & hoc ſatis patet *in primo, diſt. 3. q. 3. & in proœmio Metaph.* ſi ergo cognitio ſenſitiua eſt prior actu intelligendi, erit etiam prior actu volendi, patet, quia volitio obiecti præſupponit neceſſariò cognitionem illius, quia voluntas non fertur niſi in prægnitum. Patet ergo antecedens; & conſequentia probatur per Auguſtinum 2. *de Trinit. cap.* 2. qui vult quòd non poteſt eſſe diſtincta viſio ſine intentione copulante; ergo in illo priori quo ponitur viſio coloris diſtincta ponitur intentio copulans.

g Reſpondet Doctor ad primum, quòd procedit de *intentione* ſiue de *intendere* prout dicit tendentiam alicuius determinati, & terminati ab alio. Hæc tamen reſponſio debet ſanè intelligi, quia ſi intelligatur de omni per ſe agente, tunc non eſt vera, cùm etiam voluntas ſit per ſe agens cum ſit agens à propoſito, imò tale eſt magis per ſe agens, cùm habeat actionem in poteſtate ſua, & etiam cùm agat propter finem neceſſariò prægnitum ab eius intellectu; intelligitur ergo reſponſio de omni per ſe agente alio à voluntate, quod non habet actum in poteſtate ſua vt ſuprà patuit. 8. Nota.

h Ad ſecundum dico primò, quòd conſequentia eſt falſa, loquendo de intentione propriè accepta; nec hoc vult Auguſtinus, vult enim quòd ipſa voluntas poteſt aciem, puta potentiæ viſiuæ, conuertere ad obiectum, & tendere in obiectum, ſed non vult quòd nulla viſio poſſit fieri niſi intentio ſic tendat & conuertat, imò poteſt eſſe viſio diſtincta coloris abſque hoc, quòd voluntas teneat aciem potentiæ viſiuæ in tali colore; & hoc patet, quia hoc minùs videtur de cognitione intellectus, & tamen ſtat diſtincta cognitio intellectus reſpectu alicuius obiecti; & tamen non ſequitur neceſſariò quòd voluntas copulet, vel teneat intellectum in tali cognitione. Breuius tamen poteſt dici, & magis ad ſolutionem argumenti, quia ſi Auguſtinus loquitur de intentione, quæ eſt actus voluntatis, & quòd viſio diſtincta non poteſt haberi ſine tali intentione copulante, habetur propoſitum, quia talis intentio copulans eſt actus ſolius voluntatis.

Si verò loquitur de intentione, quæ non eſt actus voluntatis, ſed vt eſt actus alterius potentiæ, patet tunc quòd non loquitur de intentione propriè ſumpta, quæ eſt actus potentiæ liberæ, vt ſuprà patet. Doctor tamen in hac reſponſione intendit oſtendere, quòd bene poteſt eſſe diſtincta viſio abſque intentione copulante, prout intentio copulans eſt actus voluntatis, ita quòd talis intentio copulans non eſt prior viſione, imò loquendo de prima viſione alicuius obiecti reſpectu talis viſionis, non poteſt eſſe prior, nec tempore, nec natura: ſed neceſſariò eſt poſterior natura, & hoc propter ordinem potentiarum; poteſt tamen eſſe ſimul in eodem inſtanti temporis, ſed non ſimul in eodem inſtanti naturæ.

Declaro tamen hanc literam: Cùm dicit, *primam viſionem non cauſat intentio copulans*, & cætera. In hac litera ſunt plura notanda. Primò, notanter dicit Doctor quòd *prima viſio non cauſatur à voluntate copulante*, non intendit hîc quòd aliqua viſio poſſit immediate cauſari à voluntate, quia nulla cauſatur ab ea, nec prima, nec ſecunda, ita quòd in eſſendo ſimpliciter dependeat à voluntate; imò omnis talis præcisè cauſatur ab obiecto; & potentia viſiua, 9

Sed accipit hîc *cauſare* impropriè pro quanto ſcilicet poteſt copulare potentiam obiecto ſiue conuertere potentiam obiecto; & ſimiliter firmare potentiam in obiecto; quando ergo voluntas imperat potentiæ viſiuæ vt videat colorem, talis viſio ſic imperata dicitur ſuo modo cauſari à voluntate licèt propriè cauſetur à potentia, & obiecto; & ſimiliter cùm voluntas imperat potentiæ viſiuæ vt ſiſtat in tali viſione, & quòd continuet illam, talis viſio ſic continuata dicitur ſuo modo cauſata à voluntate, licèt propriè cauſetur & continuetur à potentia, & obiecto. Loquendo ergo de iſta cauſatione voluntatis, dicit Doctor quòd prima viſio non poteſt ſic cauſari, quia voluntas non poteſt imperare primam viſionem, ſicut nec primam intellectionem, vt ſuprà patuit *diſtinctio.* 9. & infrà patebit *diſtinctio.* 42. Sicut ergo prima intellectio coloris neceſſariò præſupponit primam viſionem illius propter ordinem potentiarum, quia color pro ſtatu iſto neceſſariò priùs, ſaltem natura, videtur, quàm intelligatur; ſic actus voluntatis, & elicitus, & imperatus neceſſariò præſupponit primam viſionem coloris, cùm neceſſariò præſupponat primam intellectionem, & ſic patet quomodo voluntas non poteſt imperare primam viſionem. Poſita tamen prima viſione alicuius coloris in aliquo inſtanti temporis, in eodem inſtanti poteſt voluntas imperare continuationem illius, & ſic firmare potentiam in tali viſione, & hoc modo copulare, ſed hoc non poteſt in eodem inſtanti naturæ. Nam prius natura eſt viſio coloris, & poſterius natura intellectio eiuſdem, & magis poſterius natura eſt volitio, & ſic in aliquo inſtanti, poſteriori natura ipſa prima intellectione, & prima viſione poteſt copulare intellectum obiecto; & ſimiliter ſenſum ſcilicet firmando intellectum in illa prima cognitione coloris, & ſenſum in illa prima viſione. Nunquam tamen voluntas poſſet immediatè firmare ſenſum in viſione obiecti niſi priùs intellectus haberet intellectionem eiuſdem.

Prædicatorum exemplum.

10. Secundò dicit quòd habita prima viſione obiecti, & prima intellectione eiuſdem, quòd tunc voluntas poteſt ſe conuertere, & auertere reſpectu aliarum operationum ad copulandum, vel non copulandum. Vult dicere, quòd reſpectu ſecundæ viſionis, & ſecundæ intellectionis poteſt voluntas habere aliquam cauſalitatem, id eſt, quòd poteſt imperare ſecundam viſionem, & ſimiliter ſecundam intellectionem eiuſdem obiecti & ſimiliter poteſt auertere intellectum, & ſimiliter ſenſum ab vno obiecto, & conuertere ad aliud obiectum, & hoc magis infrà patebit *diſt.* 42.

1 *Neganda eſt igitur iſta maior.* In hac litera ponit duo. Primum eſt, quòd iſta propoſitio eſt falſa, ſcilicet *nulla viſio diſtincta poteſt haberi ſine intentione copulante*, & hoc accipiendo intentionem propriè prout eſt actus potentiæ habere, & quòd ſit falſa, patet, quia prima viſio non poteſt imperari à voluntate, licèt eius continuatio poſſit imperari vt ſuprà patuit. Secunda propoſitio eſt iſta, *nulla viſio diſtincta poteſt haberi, quin ad ipſam poſſit in eodem inſtanti temporis, licèt poſterius natura concomitari intentio voluntatis firmans illam viſionem, & continuans*, vt ſuprà patuit. Formetur ergo ſic ſyllogiſmus; Nulla viſio diſtincta poteſt eſſe ſine intentione copulante; ſed potentia viſiua reſpectu cuiuſcunque coloris poteſt habere viſionem diſtinctam: ergo nulla talis viſio poteſt eſſe ſine intentione copulante. Si maior intelligatur, quòd omnis viſio ſit neceſſariò imperata à voluntate, falſa eſt, quia prima viſio non eſt imperata, vt ſuprà patet. Si verò intelligatur, quòd nulla viſio poteſt eſſe, quin ad ipſam poſſit concomitari intentio copulans, ſiue firmans, conceditur; quia in eodem inſtanti temporis quo ponitur viſio prima poteſt poni cognitio, & intentio voluntatis imperans continuationem talis viſionis. Si verò intelligatur ſic, quòd talis intentio copulans neceſſariò concomitatur viſionem in eodem inſtanti temporis, propoſitio eſt falſa, quia poteſt eſſe viſio ſine tali intentione, vt ſuprà patuit, & hoc patet per literam ſequentem.

Ad ſecundum patet reſponſio, quia gloſſa accipit ibi *intentionem* prout eſt actus totius liberi arbitrij, & hoc modo pro quanto includit intellectum, modo præexpoſito in principio quæſtionis, dicitur intentio oculus, & lumen.

Ad vltimum dicit quòd conferre per modum iudicij eſt ſolius intellectus, ſicut & intelligere. De hoc vide Doctorem infrà *d.* 41. *& in* 1. *d.* 52.

DISTINCTIO XXXIX.

Quare voluntas magis deprauetur in ſuo actu quàm alia potentia?

A Hic autem oritur quæſtio ſatis neceſſaria, ex ſuperioribus cauſam trahens. Dictum eſt enim ſuprà, voluntatem ineſſe naturaliter homini ſicut intellectus & memoria. Quæ autem homini naturalia ſunt, quantumcunque vitientur, bona tamen eſſe non deſinunt: quia non valet vitium bonitatem in qua Deus eam fecit penitus conſumere: vt verbi gratiâ, intellectus,

vel

vel ratio, & ingenium, ac memoria, etſi vitiis ac peccatis obnubilentur & corrumpantur, bona tamen ſunt, nec peccata nominantur: ſicut Auguſtinus de ratione, quæ eſt imago Dei, in qua facti ſumus, euidenter oſtendit *in* 15. *de Trin.* [Hæc eſt, inquit, imago, in qua homines ſunt creati, quâ cæteris animalibus præſunt: quæ creatura in rebus creatis excellentiſſima, cùm à Deo iuſtificatur, à deformi forma, in formoſam mutatur formam. Erat enim etiam inter vitia natura bona.] Hæc autem imago, ratio eſt, vel intellectus. Cùm ergo voluntas de naturalibus ſit, quare ipſa non ſemper bonum eſt, etſi aliquando vitiis ſubiaceat? Ad hoc facilè reſpondent qui dicunt omnia quæ ſunt inquantùm ſunt, bona eſſe: quia & ipſam voluntatem inquantùm eſt, vel inquantùm voluntas eſt, vt ſuprà poſuimus, bonum eſſe aſſerunt: ſed inquantùm inordinata eſt, mala eſt & peccatum. Vbi poteſt ab eis rationabiliter quæri: Si voluntas inquantùm inordinata eſt, peccatum eſt: quare ergo intellectus, ratio, & ingenium, & huiuſmodi, cùm inordinata ſunt, peccata non ſunt? Inordinata verò ſunt, ſicut voluntas, cùm ad rectum finem non tendunt, eorúmque actus præuaricationes. Ad quod illi dicunt voluntatis nomine aliquando vim, ſcilicet naturalem potentiam volendi, aliquando actum ipſius vis ſignificari. Vis autem ipſa naturaliter animæ inſita, nunquam peccatum eſt, ſicut nec vis memorandi, vel intelligendi: ſed actus huius vis, qui & voluntas dicitur, tunc peccatum eſt, quando inordinatus eſt.

Aug. 8.

Diſt. 35. li. 2

Quare actus voluntatis ſit peccatum, ſi actus aliarum potentiarum non ſunt peccata?

B SEd adhuc quæritur: Quare huius naturalis potentiæ actus peccatum ſit, ſi aliarum potentiarum actus peccata non ſunt, ſcilicet potentiæ memorandi, cuius actus eſt memorare: & potentiæ intelligendi, cuius actus eſt intelligere? Ad quod & ipſi dicunt, quia alterius generis eſt actus ille voluntatis, quàm actus memoriæ, vel intellectus. Hic enim actus eſt ad aliquid adipiſcendum, vel non amittendum: qui non poteſt eſſe de malis, quin ſit malus. Velle enim mala, malum eſt, ſed intelligere, vel memorare mala, malum non eſt. Quamuis eorum quidam etiam hos actus malos eſſe interdum non improbe aſſerant. Memorat enim interdum quis malum vt faciat, & quærit intelligere verum vt ſciat impugnare. Ecce qualiter ſoluitur præmiſſa quæſtio, ab his qui tradunt omnia eſſe bona inquantum ſunt. Qui verò dicunt voluntates malas peccata eſſe, & nullo modo bona, breuiùs reſpondent, dicentes actum voluntatis non eſſe de naturalibus, ſed vim ipſam & potentiam violendi, quæ ſemper bonum eſt, & in omnibus eſt, etiam in paruulis, in quibus nondum eſt eius actus.

Quomodo intelligendum ſit illud, & homo etiam qui ſeruus eſt peccati, naturaliter vult bonum.

C *Ambroſ. to.4.cap. 18. commentarij ad 7.cap. ad Rom.*

PRætereà quæri ſolet, Quomodo intelligendum ſit quod ait Ambroſius, exponens illud verbum Apoſtoli: *Non enim quod volo illud ago, ſed quod nolo, illud facio.* Dicit enim, [quòd homo ſubiectus peccato facit quod non vult.][quia naturaliter vult bonum. Sed voluntas hæc ſemper caret effectu, niſi gratia Dei adiuuet, & liberet.] Si homo ſubiectus peccato eſt, vult quidem malum, & operatur, quia ſeruus eſt peccati, & eius voluntatem (ſicut ſuprà dixit Auguſtinus) libenter facit; quomodo ergo naturaliter vult bonum? An eſt eadem voluntas, id eſt, idem motus, quo libenter peccato ſeruit, & quo naturaliter vult bonum? Si non eſt eadem voluntas, quæ ergo iſtarum eſt, qua, cùm homo iuſtificatur, à ſeruitute peccati liberatur? Vt enim diſſeruimus ſuperiùs, gratia Dei voluntatem hominis liberat & adiuuat, quæ voluntatem hominis præparat ad iuuandam, & adiuuat præparatam. Sed quæ eſt illa voluntas? an illa quæ naturaliter vult bonum? an illa quæ libenter ſeruit peccato: ſi tamen duæ ſunt voluntates? Propoſita eſt quæſtio profunda quæ varia à diuerſis expoſitione determinatur. Alij enim duos eſſe motus: vnum, quo vult bonum naturaliter. Quare naturaliter, & quare naturalis dicitur? Quia talis fuit motus naturæ humanæ in prima conditione, in qua creati ſine vitio ſumus, quæ propriè natura dicitur. Fuit enim homo creatus in voluntate rectus. Vnde in libro de Fide ad Petrum ſcriptum eſt. [Firmiſſimè tene primos homines bonos & rectos eſſe creatos cum libero arbitrio, quo poſſent ſi vellent propria voluntate peccare, eoſque non neceſſitate, ſed propria voluntate peccaſſe.] Rectè ergo dicitur homo naturaliter velle bonum, quia in recta & bona voluntate conditus eſt [Superior enim ſcintilla rationis, quæ etiam (vt ait Hieronymus) in Cain non potuit extingui, bonum ſemper vult, & malum ſemper odit.] Alium autem dicunt motum eſſe, quo mens relictâ ſuperiorum lege ſubiicit ſe peccatis, eísque oblectatur. Iſte motus (vt aiunt) antequam adſit alicui gratia, dominatur, & regnat in homine alterumque deprimit motum, vterque tamen ex libero arbitrio eſt. Veniente autem gratia ille malus motus eliditur, & alter naturaliter bonus liberatur, & adiuuatur, vt efficaciter bonum velit. Ante gratiam verò licèt naturaliter homo velit bonum, non tamen abſolutè concedi oportet bonam habere voluntatem, ſed potiùs malam. Alij autem dicunt vnam eſſe voluntatem, id eſt, vnum motum, quo naturaliter vult homo bonum, & ex vitio vult homo malum, eóque delectatur: & inquantùm vult bonum, naturaliter bonus eſt, inquantùm malum vult, malus eſt.

Dif.25. lit.K.

Aug.cap. 25.to.3.

Hier.in comment. ad 1.cap. Exech. ſuper eo loco, Et ſcintilla quaſi aſpectus aeris candentis, tom.5.

QVÆSTIO I.

Vtrum ſyndereſis ſit in voluntate?

Alenſis 2.*p.q.*7.*m.*1.*&* 2. D. Thom. 1.*p.q.*79.*a.*12.13.*vbi* Caiet.Conrad. D.Bonau.*hic a.*2.*q.*1. *&* 2. Richard..*art.*3. *quæſt.*1. *&* 2. Durand. *quæſt.* 4. Gabr. *quæſt.*1. *art.* 2. Cord. *l.* 3.*quæſt.*1. Henr. *quodl.*1. *quæſt.*18. Vaſq. 1. 2. *d.*59.

CIrca diſtinctionem trigeſimam nonam, quæruntur duo: primò, Vtrùm ſyndereſis ſit in voluntate? Quòd ſic; ſemper enim remurmurat malo: remurmurare eſt voluntatis. *Arg.*1.

Prætereà, voluntas neceſſariò vult commoda: ſecundùm Anſelmum de Concordia, 26. & 24. *commoda non velle nequit*: ergo æquè neceſſariò vult iuſtitiam, quia iuſtitia eſt perfectio æquè conueniens ſibi, ſicut commodum: ſed illud, quo homo neceſſariò inclinatur in iuſtitiam ponitur ſyndereſis: ergo aliquid eſt in voluntate, quod poteſt poni ſyndereſis. *Arg.*2.

Prætereà, voluntas naturalis neceſſariò vult illud in quod tendit, quod patet *ex* 13. *de Trin. cap.* 5. vbi vult Auguſtinus quòd certum eſt omnes velle beatitudinem propter inclinationem naturalem ad illam, quod non eſſet certum, ſi voluntas non neceſſariò vellet eam: ergo naturaliter volitum eſt neceſſariò volitum: ſed iuſtitia eſt naturaliter volita à voluntate, quia eſt perfectio ita naturalis voluntati, ſicut commodum: ergo eſt neceſſariò volita: debet ergo illud poni in voluntate, quod ponitur neceſſariò principium inclinandi voluntatem ad iuſtitiam: hoc eſt ſyndereſis: ergo, &c. *Arg.*3.

Prætereà, natura inferior, puta irrationalis, habet principium tendendi in illud, quod ſibi conuenit rectè, ſecundùm naturam ſuam: ergo & voluntas habebit neceſſariò principium tendendi in iuſtitiam, quæ ſibi conuenit ex natura ſua. *Arg.*4.

Oppoſitum vult Magiſter in litera adducens Hieronymum ſuper Ezechielem quòd ſuperior portio rationis eſt ſyndereſis: ergo eſt in ſuperiori portione rationis: ergo in intellectu, qui intendit contemplationi. *Ratio opp.*

SCHOLIVM.

Poſita ratione ad oppoſitum, hîc reſoluitur quæſtio hæc in ſeq. à num. 4. *vbi reſoluuntur argumenta hîc poſita.*

QVÆSTIO II.

Vtrum conſcientia ſit in voluntate?

Alenſis 2.*p.q.*77.*m.*3. *& per totum.* D. Thom 1.*p.q.*79.*a.*13. D.Bonau. *hîc a.*1.*q.*1.*&* 2.Richard.2. *q.*1.2.*&* 3. Gabr. *q.*1.*dub.*1. Vaſq.1.2.*d.*59.

1. SEcundò quæritur, Vtrùm conſcientia ſit in voluntate? Quòd ſic, ad Hebr.13. *Confidimus enim quod bonam conſcientiam habemus*: bonitas pertinet ad voluntatem: igitur & conſcientia. *Arg.* 1.

Prætereà, ſi eſſet in intellectu, tunc plus ſciens de agibilibus, eſſet plus * conſcientiatus, conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. *Arg.*2. * *al. conſcientioſus*

Ad oppoſitum Eccleſiaſtes 7. *Scit enim conſcientia tua, quia & tu crebrò maledixiſti aliis*, hoc etiam patet de actibus conſcientiæ, qui ſunt, teſtificare, accuſare, iudicare, &c. quæ omnia pertinent ad rationem & intellectum: ergo, &c. *Ratio opp. Actus conſcientiæ.*

Hîc dicitur, quòd lex naturæ principia naturalia agendorum continet: & dicit quod ſyndereſis eſt pondus voluntatis, conſcientia verò eiuſdem habitus: quære. *Henr. quodl.*18. *q.*1.

Hic

ADDITIO. *Vnde formetur recta ratio agendorũ.*

Hic eſt primo notandum, quod non ſunt idem in operandis ratio recta, & conſcientia. Ex vniuerſalibus enim regulis operandorum, quæ ſunt de dictamine legis naturæ, quaſi ex propoſitione maiori, & particularibus operandis ſumptis ſub illis regulis vniuerſalibus conſilio rationis, quaſi ex minori propoſitione, formatur ratio recta operandorum particularium. Sed nondum ex hoc habetur operandi conſcientia: quia tunc omnis habens operandorum notitiam haberet de operando conſcientiam, & habens maiorem notitiam, haberet de operando conſcientiam ſtrictiorem, quod falſum eſt, quoniam videmus ſæpiùs habentes maiorem operandorum notitiam minorem habere operandi conſcientiam: & hoc ideò, quia conſcientia ad partem animæ cognitiuam non pertinet, ſed ad affectiuam, ſicut enim in cognitiua ſunt lex naturalis, & vniuerſalis regula operandorum, & ratio recta, vt particularis: ſic ex parte voluntatis eſt quidam vniuerſalis motor ſtimulans ad opus, ſecundùm regulas vniuerſales legis naturæ, & dicitur ſynderęſis, quæ eſt in voluntate quædam naturalis electio, ſemper concordans cum naturali dictamine legis naturæ. Et ideo dicitur ſynderęſis, hoc eſt conelectio, à ſyn, quod eſt con, & hæreſis quod eſt electio. Et quidam motor particularis ſtimulans ad opus, ſecundum dictamen rationis rectæ, & dicitur conſcientia, quæ eſt in voluntate quædam electio deliberatiua ſemper concordans cum dictamine rationis rectæ, & ideo dicitur conſcientia, hoc eſt cum ſcientia quia electio in voluntate deliberatiua concordans cum ſcientia in ratione recta, & quæ ſequuntur ibidem.

Quid ſynderęſis ſecundum Hen.

SCHOLIVM.

Refutat Henricum aſſerentem ſynderęſin & conſcientiam eſſe habitus voluntatis, de ſynderęſi affert duas rationes, de conſcientia quatuor, & ſunt ſatis claræ.

Impugnatur Henr. q. 4. De hoc 4. d. 49. q. 9. & quodl. 16.

CONtra iſtud [a] arguitur primò de ſyndereſi, quia ſi ipſa habeat actum elicitum neceſſariò tendentem in bonum, & reſiſtentem malo, & nihil tale eſt in voluntate: ergo ipſa non eſt in voluntate. Probatio aſſumpti, quia *diſt. 1. primi lib.* oſtenſum eſt, quòd voluntas non neceſſariò fruitur fine oſtenſo, nec aliqua potentia, vel vis, vel habitus in ea poteſt eſſe principium neceſſariò fruendi: igitur nec principium neceſſarium concorditer volendi principiis practicis, quæ ſumuntur à fine. 2.

Nihil poſitum in voluntate poteſt eam neceſſitare ad bonum, vel malũ.

Præterea, ſi eſſet [b] aliqua talis potentia, vel vis, vel portio in voluntate, quæ actu elicito neceſſariò tenderet in bonum, & reſiſteret malo, ipſa eſſet ſuprema in tota voluntate, quia ipſa reſpiceret finem vltimum, à quo ſumuntur prima principia practica: igitur in poteſtate eius eſſet ipſa voluntas, ſecundùm quamlibet vim, & portionem eius inferiorem: ita quòd ipſa mouente, portio, vel vis inferior obediret ſibi, & conformiter moueretur: igitur ipſa impediret omne peccatum in voluntate, quia ſicut ipſa neceſſariò moueretur, ita tota voluntas neceſſariò moueretur ad eius motum, & ab ea: & ſi tota voluntas eſſet recta, nullum peccatum eſſet in voluntate.

Conſcientia ſit ex vno actu non ita habitus appetitiuus. quodl. 1. q. 14.

Contra aliud de conſcientia [c] arguitur primò, quia habitus appetitiuus non generatur ex vno actu: ſed ex vno ſyllogiſmo practico, deducendo euidenter aliquid concluſum ex primis principiis practicis fit conſcientia: igitur non eſt habitus appetitiuus acquiſitus. Patet etiam quòd non eſt innatus, neque portio, nec vis. 3.

Intellectus non poteſt producere actum in voluntate.

Præterea, [d] quod natum eſt cauſari ab aliqua cauſa, non poteſt cauſari ab alia niſi virtualiter contineat perfectionem illius cauſæ: habitus voluntatis natus eſt cauſari ab actu voluntatis, ſicut à propria cauſa: igitur non poteſt cauſari ab alio actu, niſi iſte actus contineat in ſe virtualiter actum voluntatis: ſed actus intellectus non poteſt continere in ſe virtualiter actum voluntatis ſecundùm iſtum: quia actus voluntatis eſt perfectior: igitur non poteſt intellectus per actum ſuum cauſare in voluntate tale pondus, quod ſit quaſi habitus voluntatis.

Præterea, [e] aut poteſt voluntas iſtud pondus non recipere, & tunc intellectus non erit cauſa eius ſufficiens: cauſa enim ſufficiente agente ſequitur effectus, maximè quando paſſiuum eſt debitè approximatum: aut non poteſt non recipere, & tunc ſtante illa conſideratione actuali in ratione, non poteſt voluntas iſtud pondus deponere: quia non minorem neceſſitatem habet ratio in conſeruando pondus cauſatum, quam in cauſando.

Præterea, aut neceſſe eſt voluntatem agere ſecundùm illud pondus datum; aut non. Si ſic, igitur non eſt libera, quia agens huius ponderis eſt naturalis cauſa: igitur & effectus eius erit forma naturalis: igitur neceſſariò agens ſecundùm illud pondus,

non

non liberè agit, quia non eſt in poteſtate eius ſic,vel aliter agere. Si non neceſſe eſt agere ſecundùm iſtud pondus, quod etiam videtur velle Apoſtolus ad Rom. ſecundùm illam Gloſſ. *duid quid eſt contra conſcientiam*, &c. Ex quo patet quod peccatum aliquod poteſt committi contra conſcientiam: & tunc ſequitur, quod ſtante conſcientia perfecta,poteſt voluntas velle oppoſitum eius, quod dictatur ſecundùm illam: & ita nunquam per actum voluntatis corrumpetur iſte habitus: quod videtur ab ſurdum, ponendo quod ſit habitus voluntatis.

Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Henrici.*

ANtequam reſpondeat ad quæſtionem, Primò ponit opinionem Henrici *quodl.primo*, *q.*18. qui ponit tam ſyndereſim, quam conſcientiam in voluntate vt in ſubiecto, ita quòd ſyndereſis eſt quidam habitus in voluntate, quo voluntas tendit in bonum, & reſiſtit malo. Et ſimiliter conſcientia eſt quidam habitus in voluntate quo voluntas tendit in bonum particulare dictatum à recta ratione, ſiue dictatum à cognitione concluſionis ſyllogiſmi practici, & quo reſiſtit malo particulari à notitia concluſionis ſyllogiſmi practici, dictante tale malum eſſe fugiendum; ſed ſyndereſis inclinat tantùm conformiter notitiæ principij practici,quod ſumitur à fine.

Quid ſit ſyndereſis.

Contra Henricum.

a Doctor inſtat contra hanc opinionem. Et primò contra hoc,quòd ſyndereſis ſit ſubiectiuè in voluntate, & non arguit abſolutè quòd hoc ſit impoſſibile:ſed probat hoc eſſe impoſſibile ex aliquibus dictis Henrici. Nam ipſe videtur tenere quòd talis moueat neceſſariò voluntatem ad volendum bonum, & reſiſtendum malo, & hoc conformiter principio practico,eo quòd ſumitur à fine,ſed hoc eſt falſum;& arguit à maiori, ſi de quo magis videtur ineſſe, & non ineſt, ergo nec de quo minus:ſed magis videtur ineſſe, quòd voluntas neceſſariò velit,ſiue fruatur vltimo fine in vniuerſali,vel vltimo fine in particulari clarè viſo,quàm quòd neceſſariò velit dictatum à principio practico. Patet iſta maior, quia rectitudo principij practici ſumitur ab vltimo fine, vt ipſe tenet,& eſt verum,vt ſatis patet *in prologo, quæſt. vltima*,ergo finis eſt magis rectitudo,& hoc virtualiter vel formaliter. Vide quæ expoſui *in prologo,quæſt.vltima*. Si ergo voluntas non vult neceſſariò conformiter dictamini recto de vltimo fine, multò minùs vult neceſſariò conformiter principio practico, quod habet totam rectitudinem ab vltimo fine. Sed nulla voluntas creata vult neceſſariò vltimum finem in vniuerſali, nec vltimum finem in particulari clarè viſum,vt ſubtiliter probat Doctor *in primo, diſt.*1. *quæſt.*4. & hoc idem *in* 4. *diſt.* 49. *quæſt.* 9. *& in quodliebt. quæſt.*16. Nec etiam vult ipſum neceſſariò vt elevata per quemcunque habitum, vt habet de habitu charitatis, de quo magis videtur,quia habens charitatem, etiam intenſam,non neceſſariò vult finem clarè viſum, vt eſt probatum à Doctore *in primo,diſt.prima quæſt.*4 *& in tertio,d.*13. Ex his ergo patet quòd ſyndereſis eſſet habitus in voluntate neceſſariò inclinans voluntatem ad conformiter volendum principio practico, quòd tunc voluntas magis neceſſariò vellet vltimum finem, ſed non neceſſariò vult illum, ergo nec neceſſariò vult dictatum à principio practico.

An ſyndereſis ſit in voluntate.

2. b Secundò inſtat, *ſi eſſet aliqua talis potentia,vel vis*,&c. Iſta ratio eſt ſatis clara,tamen pro iunioribus in via Scoti expono aliqua dicta in hac ratione. Primo,quia vult Doctor quòd Henricus habet ponere ſyndereſin in ſuprema portione voluntatis;patet,quia ex quo ſyndereſis eſt habitus conformiter inclinans principiis practicis, quæ principia ſumuntur ab vltimo fine, ſequitur quòd ipſa inclinet ad vltimum finem, ſiue ad volendum vltimum finem, ſed voluntas vult vltimum finem tantùm ſecundùm rationem ſuperiorem etiam ſtrictè ſumptam, vt ſuprà patet *diſt.*24.& clariùs *in tertio,diſt.*15. Henricus ergò habet ponere talem habitum in portione ſuprema voluntatis, quia ad eandem vim pertinent actus,& habitus, ad quos talis habitus inclinat. Secundò, ſi talis habitus neceſſariò mouet portionem ſupremam voluntaris, ſequitur quòd neceſſariò mouebit voluntatem ſecundùm omnem aliam portionem inferiorem, & hoc quoad rectitudinem,patet hoc. Si enim rectitudo principij practici ſumitur à rectitudine finis vltimi, vt ſuprà patet, & rectitudo omnium concluſionum virtualiter contentarum in tali principio ſumitur immediatè à rectitudine principij,ſequitur quòd ſi quis vult neceſſariò vltimum finem,& hoc rectè, quòd etiam neceſſariò velit omnia ordinata ad illum finem, aliter non vellet rectè vltimum finem. Si enim rectè diligo Deum propter ſe, etiam rectè diligo omnia, quæ Deus vult me diligere, (non enim ſtat cum dilectione recta Dei volentis me diligere proximum propter Deum, odium proximi.) Sequitur ergo, quòd ſi voluntas ſecundùm portionem ſuperiorem, neceſſariò vult vltimum finem, quòd etiam neceſſariò velit ordinata ad illum finem, cùm illa virtualiter includantur in illo, & ſic benè ſequitur, quòd ſi ſyndereſis neceſſariò mouet voluntatem ad vltimum finem ſecundùm portionem ſuperiorem; quod etiam neceſſariò mouebit ipſam voluntatem ſecundùm omnem aliam portionem, ſecundùm quam nata eſt velle ordinata ad vltimum finem.

Tertiò,benè ſequitur quod nulla voluntas habens talem habitum poterit peccare; patet, quia ſi poſſet peccare poſſet velle oppoſita alicuius ordinati ad vltimum finem,velle odium proximi, quod eſt oppoſitum dilectionis proximi,quæ virtualiter continetur in dilectione Dei. Sed hoc non poſſet ſtare, quod voluntas velit neceſſariò vltimum finem,ſiue dictatum à principio practico,nam volens neceſſariò conformiter principio practico, vult etiam neceſſariò conformiter concluſionibus virtualiter contentis in tali principio practico. Nam negans concluſionem virtualiter contentam in aliquo principio virtualiter, negat principium, vt ſuprà patet, *diſtinct.* 35. Et ſimiliter auertens ab aliquo virtualiter contento in vltimo fine, ex conſequenti virtualiter auertitur ab vltimo fine, vt patet *diſt.*35. Ex his

ergo

ergo manifeſtè patet, quòd habens talem habitum ſyndereſis in portione ſuperiori voluntatis neceſſariò mouentem ipſam conformiter principio practico nullo modo poſſet peccare.

3. *Scotus arguit contra Henricum de conſcientia.*

c Deinde arguit contra aliud de conſcientia. Et primò, contra hoc, quòd ponit conſcientiam eſſe habitum in voluntate, arguit ſic; communiter habitus appetitiuus non generatur ex vno actu, ſed ex pluribus, niſi ille actus eſſet valde intenſus, quia tũc ex illo poſſet generari habitus, vt patet à Doctore alibi, ſed ex vno ſyllogiſmo practico deducendo euidenter aliquid concluſum ex primis principiis practicis fit conſcientia: igitur non eſt habitus appetitiuus acquiſitus: patet etiam, quòd non eſt innatus neque portio, neque vis. Aliqui ſic ponunt, quòd conſcientia eſt quidam habitus generatus ex vno actu, quia ex actu concluſionis ſyllogiſmi practici. Sed eſt eadem difficultas, quia etiam habitus potentiæ cognitiuæ non generatur communiter ex vno actu, ſed ex pluribus. Dicerem ergo, quòd illa actualis notitia concluſionis demonſtratæ ex ſyllogiſmo practico dicitur conſcientia actualis, & ex pluribus talibus notitiis generatur habitus conſcientiæ; nam talis notitia perfectè dictaret quid agendum, vt ſic arguendo: Quicquid ordinatur ad vltimum finem attingendum eſt efficaciter eligendum; ſed obſeruantia præceptorum Dei eſt huiuſmodi: ergo talis obſeruantia eſt efficaciter volenda: notitia talis concluſionis, cùm ſit quoddam dictamen rectum, & quædam rectitudo formalis, vt expoſui *ſuper quæſt. vlt. prolo.* dicitur conſcientia actualis, & ſi ex pluribus talibus notitiis generatur habitus diceretur conſcientia habitualis, non enim eſt neceſſe quòd conſcientia actualis ſit genita ex habitu, nec quòd ſit generatiua habitus, vt poteſt deduci ex multis dictis Doctoris *in prolo. q. vlt. & d. 17. primi & 14. quæſt. 2. quarti.* Sed Henricus non poneret conſcientiam actualem in voluntate, niſi vt genitam ab habitu, vndecunque cauſetur talis habitus.

4. *Quid ſit conſciantia.*

d Secundò arguit contra aliud dictum Henrici ſcilicet contra hoc, quòd habitus voluntatis ſit genitus ab actibus intellectus, vult enim quòd notitia concluſionis ſyllogiſmi practici ſit generatiua habitus recti in voluntate. Contrà, hoc non ſtat, quia effectus, qui natus eſt generari communiter ab aliqua cauſa propria, puta ab *A* non poteſt generari ab alia, puta à *B* niſi ipſum *B* contineat virtualiter perfectionem ipſius *A*. Hæc propoſitio eſt ſatis nota: ſed habitus voluntatis natus eſt generari ab actibus voluntatis, vt à cauſa propria, hoc patet communiter ab omnibus, quia habitus ex ſimilibus actibus generatur, ad quos inclinat, ſed habitus voluntatis tantùm inclinat ad actus voluntatis immediatè eliciendos à voluntate. Si ergo generatur ex actibus intellectus, ergo actus intellectus continet virtualiter perfectionem actus voluntatis, & ſic erit perfectior actu voluntatis, cuius oppoſitum tenet ipſe Henricus, qui ponit actum voluntatis perfectiorem actu intellectus: igitur non poteſt intellectus per actum ſuum cauſare in voluntate tale pondus, ſiue talem habitum, qui dicitur conſcientia.

Contra aliud dictum Henrici.

e Tertiò arguit ſic, *aut poteſt voluntas iſtud pondus non recipere*, &c. *quia non minorem neceſſitatem habet ratio in conſeruando pondus cauſatum, quàm in cauſando.* Et ſic ſequitur, quòd ſi ratio dictet quòd ſpuere in Eccleſia eſt peccatum mortale, & talis ratio, per te cauſat in voluntate tale pondus, tunc ſi non poteſt ipſum deponere, mortaliter peccabit ſpuendo in Eccleſia, ita quòd ſi oportuerit ſpuere neceſſariò peccabit, quia non poterit tale pondus deponere, quod tamen non videtur verum.

f *Quod videtur abſurdum ponendo quòd tale pondus ſit habitus voluntatis.* Nam ſtante dictamine intellectus, quod ponitur cauſa neceſſaria talis ponderis, ſtat etiam illud pondus, puta ſtante iſto dictamine intellectus, quòd parentibus eſt obediẽdum propter Deum, ſtat in voluntate pondus cauſatum, ſiue habitus, qui præcisè ab eodem, vel eiſdem dictaminibus conſeruatur, à quo, vel à quibus cauſatur, & tamen ſtante tali habitu perfecto in voluntate, ſcilicet illo pondere, poteſt voluntas agere contra dictatum ab illo dictamine, vel ab illis dictaminibus, & tamen habitus non corrumperetur, quod eſt ſimpliciter abſurdum, nec aliquomodo videtur ſuſtinendum.

SCHOLIVM.

Reſoluit ſyndereſin, ſi eſt aliquid præter potentiam, quo eliciatur actus, eſſe habitum principiorum practicorum, vt quod ſummum bonum, ſit diligendum, malum è contra, & ſic ad intellectum ſpectat, ſimiliter conſcientiam eſſe habitum concluſionum practicarum, cui conformatur electio recta. Baſſol. Leuc. & Tartar. hic ſecundum mentem doct. putant ex pluribus aſſenſibus neceſſariis circa principia practica, generari habitum.

AD quæſtiones iſtas g ſi ſyndereſis ponatur aliquid habens actum elicitum ſemper neceſſariò tendentem in actum iuſtum, & reſiſtentem peccato, cùm nihil tale ponatur in voluntate, nõ poteſt ibi poni: igitur eſt in intellectu, & ſi ſic, non poteſt aliud poni, quàm habitus principiorũ, qui ſemper eſt rectus: quia ex ratione terminorum virtute lũminis intellectus naturalis, ſtatim intellectus acquieſcit illis, & quantùm eſt tunc ex parte intellectus h liberum arbitrium natum eſt concorditer velle iſtis principiis: licèt prout deficit reliqua cauſa partialis, liberè non velit, quia non eſt ibi aliqua neceſſitas. 4.

Conſcientia ſtimulat ad bonum, quomodo.

Secundùm hoc etiam conſcientia poteſt poni habitus proprius concluſionis practicæ, ſecundùm cuius actum nata eſt conformari electio recte in agibilibus, & ita dicitur ſtimulare ad bonum, inquantùm liberum arbitrium totum habet vnam cauſam partialem rectè diſpoſitam: & ſequeretur recta, & bona volitio, niſi eſſet defectus

ctus alterius cauſæ partialis concurrentis, ſcilicet voluntatis.

5. Ad primum [k] argumentum dico, quòd remurmurat oſtenſiuè, quia oſtendit bonum eſſe volendum: & in hoc eſt occaſio remurmurandi contra malum. *Ad arg. qu. primum.*

Ad aliud dico, [l] quod voluntas, quæ eſt potentia liberè agens, non neceſſariò vult commodum, ſicut nec neceſſariò vult iuſtum actu elicito: tamen ſi iſta vna potentia conſideratur, vt habet affectionem commodi tantùm, & non vt habet affectionem iuſtitiæ, id eſt, inquantùm eſt appetitus non liber, non eſſet in eius poteſtate ſic non velle commodum, quia ſic præcisè eſſet appetitus naturalis naturæ intellectualis, non liber: ſicut appetitus bruti eſt appetitus naturalis naturæ ſenſitiuæ.

Dico igitur, quod illa propoſitio Anſ. *commoda non velle nequit*, debet intelligi non de tota potentia, quæ modo liberè poteſt non velle, non tantùm commoda, ſed etiam iuſta quia liberè poteſt hæc, & illa velle, & non velle: ſed debet intelligi de illa inquantùm præcisè affecta affectione commodi, hoc eſt, vt conſiderata ſub ratione talis appetitus: non tamen includendo in appetitu tali libertatem, ſed hoc modo nullum actum elicit in nobis: ideo dixi in ſoluendo, quod ſi ſyndereſis eſt aliquid habens actum elicitum. *Voluntas quomodò commoda non velle nequit? De hoc 1. d. 1. q. 4. & 2. d. 6. q. 2.*

Per idem ad tertium, quòd voluntas naturalis, vt neceſſariò tendit in volitum, nõ habet actum elicitum circa illud: ſed ipſa eſt tantum inclinatio quædam in tali natura ad perfectionem ſibi maximè conuenientem, & iſta inclinatio neceſſariò eſt in natura, licèt actus conformis huic inclinationi, & naturæ non neceſſariò eliciatur. Actus enim non elicitur, ſiue conformis, qui dicatur naturalis, ſiue difformis, qui dicatur contra naturam, niſi à voluntate libera, quæ quantumcunque velit oppoſitum eius, ad quod eſt inclinatio, nihil minùs eſt neceſſaria illa inclinatio ad illud, ad quod inclinat, quia ſtat, ſtante natura.

Ad vltimum dico, quòd hæc ſola natura eſt libera, & habens modum agendi ſuperiorem omni alia natura creata.

6. Ad argumenta ſecundæ [m] quæſtionis dico, quòd habitus intellectus practici dicuntur boni, vel mali, propter conuenientiam eorum ad voluntatem: ſicut è conuerſo: voluntas poteſt dici recta, vel curua, propter conuenientiam eius ad actum rectum, vel non rectum ſpeculatiuum, qui eſt formaliter in intellectu: tamen bonitas eſt voluntatis ſicut rectitudo intellectus: ſed bonitas magis tranſumitur ad intellectum practicum, quam ſpeculatiuum. *Bonitas eſt voluntatis, rectitudo intellectus.*

Ad aliud reſponderi poteſt, illud Philoſophi. 7. *Ethicorum, cap.* 3. quòd in paſſionibus exiſtentes quidam dicunt verba ænigmatica, ſciunt autem nequaquam, & ita poſſet concedi quòd ſimpliciter ſciens ſcientia practica non tantùm ſciens dicere verba, eſt conſcientiatus, & magis ſciens magis conſcientiatus, & hoc maximè videtur debere dici ab illo, cuius opinio eſt iam improbata: quia ſecundùm eum, in eodem inſtanti temporis, in quo eſt voluntas mala, ratio exeæcatur, vt ſic nullus habeat minus de conſcientia, etiamſi pertineat ad voluntatem: eſt igitur argumentum commune ſibi, ſicut alij parti: & ſolui poteſt ſicut modo prædicto. *Subiecti paſſionibus, quia impeditur vſus rationis ipſorum, acta non ſciunt perfectè quod faciunt.*

COMMENTARIVS.

1. g AD *quæſtionem.* Hîc Doctor reſpondet ad quæſtiones de ſyndereſi, & conſcientia. *Opinio Scoti.* Hîc tamen aduerte, quòd licèt quilibet habitus, etiam appetitiuus ſi ponatur tantùm inclinare ad actum, ita quòd non ſit cauſa partialis actus ſecundùm vnam opinionem recitatam *in primo, diſt.* 17. ſemper talis habitus inclinat neceſſariò, & per modum naturæ; & ſimiliter ſi ponatur cauſa partialis actus, actus adhuc cauſat partialiter actum per modũ naturæ, & neceſſariò, vt patet à Doctore *vbi ſuprà*, & hoc modo, ſi ponatur ſyndereſis quidã habitus in voluntate quantùm in ſe eſt, neceſſariò concurrit, ad actũ, actus tamen voluntatis, qui eſt ab ipſa volũtate, & ab habitu dicitur liberè productus. Tum, quia vna cauſa partialis, ſcilicet volũtas, liberè producit, & præcipuè quia cõcurrit ad actũ illũ vt cauſa magis principalis, vt patet à Doctore *in 1. vbi ſupra*. Tum etiã, quia potentia vtitur habitu, & nõ ecõtra, quia habitus eſt nõ quo ſimpliciter poſſumus; ſed quo ſic poſſumus, puta promptè ſcilicet; vel magis intensè, vt patet à Doctore in pluribus locis, & ſic patet quomodo productus à voluntate habitu inclinante, vel partialiter concurrẽte per modum naturæ, & neceſſariò ſit liberè productus. Et ſi Henricus poneret ſyndereſim ſic concurrere cum voluntate ad actum tendentem in iuſtum, & reſiſtentem peccato, oportet per aliam rationem improbare, quia talis actus eſſet liberè productus; ſi etiam poneret talem habitum eſſe cauſam totalem actus tendentis in iuſtum, &c. tunc voluntas tantùm paſſiuè ſe haberet reſpectu ſui actus, & actus nullo modo eſſet in poteſtate: nec diceretur aliquo modo actiua ſui actus,

actus, niſi tantùm per accidens ſicut lignum calefacit tantùm mediante calore, quod tamen videtur abſurdum. Si etiam ponatur quòd talis habitus non ſit cauſa totalis actus, ſed partialis, & principalis neceſſario mouens voluntatem ad actum, ita quòd voluntas habens talem habitum neceſſariò elicit actum. Vel ſi ponatur quòd talis habitus non ſit cauſa actus, nec totalis, nec partialis, & hæc immediata, ſed quòd tantùm moueat neceſſariò ipſam voluntatem ad actum, neutrum iſtorum poteſt concedi, quia voluntas (vt dixi ſuprà) reſpectu ſui actus ſemper liberè ſe habet, ita quòd nullo modo poteſt neceſſitari ad actum aliquem eliciendum. Si ergo ponatur quòd ſyndereſis habeat actum neceſſariò tendentem in iuſtum, ita quòd habens talem habitum neceſſariò eliciat actum tendentem in iuſtum, patet quòd non eſt ponenda in voluntate vt in ſubiecto, quia vt ibi non poteſt habere talem actum,

2 *Ae Syndereſis ponẽda ſit in parte intellectiua.*

Cùm ergo ſyndereſis ſit ponenda in parte intellectiua, & non poteſt poni in voluntate, ergo erit ponenda in intellectu vt in ſubiecto, quia vt ibi habebit actum neceſſariò tendentem in iuſtum, ſcilicet dictare voluntati. Si ergo ſyndereſis ponatur habitus intellectus, talis erit habitus principiorum practicabilium, qui habitus ſemper eſt rectus, & ſemper inclinat ad actum rectũ eliciendum à voluntate. Nam principia practica nota ex terminis ſemper ſunt recta, cùm ſumuntur ab vltimo fine, qui finis eſt vel formaliter, vel virtualiter rectitudo omnis actus recti, vt prolixè expoſui *ſuper qu. vltima prolog.* Et intellectus apprehenſis terminis talium principiorum lumine ſuo naturali neceſſariò acquieſcit illis principiis, quia non eſt in poteſtate eius acquieſcere, & non acquieſcere, vt ſuprà patet *in primo, diſt. prima, quæſt.* 3. Exemplum, cognoſco iſtos terminos, ſcilicet *ſummum bonum*, & *ſummam dilectionem*, ſtatim intellectus componit hoc principium, ſcilicet *ſummum bonum eſt ſummè diligendum*, & de neceſſitate acquieſcit tali principio; notitia talis principij dicitur ſyndereſis actualis, & habitus cauſatus ex talibus notitiis, dicitur ſyndereſis habitualis; talis habitus neceſſariò inclinat intellectum ad eliciendum notitiã naturalem talis principij, & talis notitia actualis ſemper dictat voluntati vt tendat in tale principium, ſcilicet diligendo illud bonum ſummè. Similiter ex pluribus aſſenſibus in intellectu, quibus intellectus neceſſariò aſſentit tali principio, generatur quidam habitus in ipſo intellectu, quo habitualiter aſſentit tali principio, qui habitus ſemper inclinat intellectum ad eliciendum actũ, quo actu aſſentiat principio, talis tamen aſſenſus intellectus, ſiue actualis, ſiue habitualis, non dicitur ſyndereſis, nec actualis, nec habitualis, ſed tamen notitia habitualis principij dicitur ſyndereſis actualis.

Exemplum.

Principium practicum dicitur ſyndereſis.

Poſſet etiam dici, quòd ipſum principiũ practicum dicitur ſyndereſis, & formalis, vel virtualis, cùm ſit rectitudo actus voluntatis ſaltem virtualis, ſed de hoc ſatis dictum eſt *in primo, in prolog. qu. vltima.*

3. h Et addit doctor, quòd *quantùm eſt ex parte intellectus liberum arbitrium natum eſt conformiter velle iſtis principiis, ſcilicet prout deficit reliqua cauſa partialis non liberè velit, quia non eſt ibi aliqua neceſſitas*, id eſt, quòd liberum arbitrium quod includit intellectum, & voluntatem, ex parte intellectus ſemper conformiter adhæret illis principiis, imò neceſſariò vt ſupra patet; ſed ex parte voluntatis non ſemper adhæret, quia libera eſt in adhærendo.

i *Secundùm hoc etiam conſcientia poteſt poni habitus proprius concluſionis practicæ.* Nam cognitio cuiuſcunque concluſionis virtualiter cõtentæ in principiis practicis per ſe notis, poteſt dici conſcientia actualis, quia talis cognitio actu, & immediatè dictat voluntati de actu eliciendo, & ſi voluntas conformiter elicit actum tali dictamini, tunc ille actus dicitur agere contra conſcientiam actualem. Si verò difformiter, tunc dicitur agere contra conſcientiam, & ſi ex talibus notitiis actualibus generetur habitus in intellectu, talis habitus dicitur cõſcientia habitualis, qui habitus inclinat intellectum ad eliciendum notitiam actualem de tali, vel tali concluſione, & ſic talis habitus dicitur mediatè dictare voluntati de agibilibus, ſed actus immediatè dictat, &c.

4. *Syndereſis eſt in voluntate*

Ad argumenta principalia. Primò arguit, probando, quòd ſyndereſis ſit ſubiectiuè in voluntate.

Secundò ſic, ſyndereſis ſemper habet actum neceſſariò tendentem in bonum iuſtum, ſiue in bonum iuſtitiæ; ſed voluntas neceſſariò actu ſuo tendit in bonum iuſtitiæ, quia neceſſariò vult illud; ergo eſt in voluntate. Maior eſt nota, vt ſuprà patet in corpore quæſt. 5. Minor probatur, quia voluntas neceſſariò vult bonum commodi; ergo neceſſariò vult bonum iuſtitiæ. Antecedẽs patet, per Anſelmum *de Concor.* 44. Commoda non velle nequit; ergo neceſſariò vult illa. Conſequentia patet, quia bonum iuſtitiæ eſt æquè bonum, ſicut bonum commodi, imò fortè eſt maius bonum cum bonum iuſtitiæ ſit appetibile propter ſe, & bonum commodi propter aliud, vt ſuprà patet, *diſtinct. 36. & in quarto, diſt. 46.* & ſic tale bonum erit, quæ vel magis conueniens voluntati.

Tertiò ſic, voluntas naturaliter, id eſt, appetitu naturali, vult bonum commodi, quia ſecundùm Auguſt. 13. de Trin. cap. 5. *omnes naturaliter appetunt beatitudinem*: ergo ſi vult illam naturaliter, ſequitur quòd vult neceſſariò, ſed bonum iuſtitiæ eſt æquè naturaliter volitum, quia eſt perfectio æquè naturalis voluntati, ſicut bonum commodum; ſed tendere neceſſariò in bonum iuſtitiæ eſt actus ſyndereſis: ergo eſt in voluntate, vt in ſubiecto, cùm illa ſit principium inclinandi potentiam ad bonum iuſtitiæ.

5. k Reſpondet ad primum, quòd ſyndereſis remurmurat oſtenſiuè, quia oſtendit bonũ eſſe volendum, & malo eſſe reſiſtendum, id eſt, quòd ipſa, vt eſt notitia practica primorum principiorũ practicabilium dictat actu voluntati, vt tẽdat in bonum iuſtitiæ, & quòd reſiſtat malo; nam notitia, quæ dictat de bono proſequendo, dictat etiã de malo fugiendo, vt patet à Doctore in ſimili *in 4. d. 1. qu. 2.* qui dicit quòd eadem virtus, quæ inclinat ad bonum proſequendum, inclinat etiã ad malum oppoſitum illi bono fugiendum; quia ergo talis notitia principiorum, vel actualis, vel habitualis ſemper dictat ad bonum iuſtitiæ eligendum, & malum oppoſitum eſſe fugiendũ, & hoc dictare, ſcilicet de malo fugiendo, eſt

Quomodo eadem virtus inclinat ad bonum proſequendum, & ad malum fugiendum.

remur

murmurare oſtenſiuè, & in hoc eſt occaſio voluntati vt remurmuret contra malum.

1 Ad ſecundum dicit Doctor quòd voluntas, vt eſt potentia libera, & liberè agens, non vult neceſſariò bonum commodi, ſicut nec bonum iuſtitiæ, tamen ſi ipſa voluntas præcisè conſideretur vt eſt affectio commodi, ſiue vt præcisè eſt appetitus naturalis, hoc modo quicquid vult naturaliter, neceſſario vult. Et de hoc eſt ſatis dictum *in primo, d. 1. q. 4. & ſupra iſto 2. d. 6. q. 2. & in 4. d. 49. q. 9.* vide ibi multa bona. Et auctoritas Anſelmi eſt intelligenda de appetitu naturali, quia tali appetitu vult ſummum bonū cōmodi ſummè ſemper neceſſariò, & in particulari, vt ſubtiliter probat Doctor *in 4. vbi ſuprà*. Et conſiderata tantum ſecundùm appetitum naturalem non eſt elicitiua alicuius actus, ſed tantùm eſt quædam naturalis inclinatio, vt probat Doctor *in 4. vbi ſuprà*. Patet ergo quomodo voluntas, vt libera, non vult aliquid neceſſariò, benè tamen verum eſt quòd ipſa, vt libera, non poteſt velle miſeriam, nec poteſt nolle commodum, & quomodo hoc vide Doctorem *in quodl. q. 16.* & quæ ibi prolixè expoſui.

Nota.

Ad tertium patet reſponſio ex dictis ad ſecundum, quia voluntas naturalis, vt neceſſariò tendit in bonum, non habet actum elicitum, ſed tantùm quandam inclinationem, ſiue naturalem tendentiam in bonum; ſed ſynderesis habet actum elicitum, id eſt, quod inclinat potentiam ad actum elicitum quo velit bonum iuſtitiæ, & quo nolit malum culpæ, vt ſuprà patet.

Voluntas eſt ſola libera.

Ad quartum dicit, quòd hæc ſola eſt libera, & habens modum agendi ſuperiorem omni alia natura creata, quia ipſa ſola poteſt agere merè liberè.

6. m Secundò principaliter inſtat, probando quòd conſcientia ſit formaliter, & ſubiectiuè in voluntate, Et primò ſic; quia ad Hæbreos *voluntas bona*, &c. ſed bonitas pertinet ad voluntatem; ergo & conſcientia. Reſpōdet Doctor quòd habitus bonus, & perfectè practicus etiam includit conuenientiam ad voluntatem; & vult breuiter dicere, quòd nunquam eſt notitia perfectè practica, niſi actu ſit conformis voluntati, id eſt, niſi actu voluntatis eliciat actum cōformem tali notitiæ, quia tunc talis notitia habet finem, quem dictat, & licèt *in prologo qu. vlt.* velit Doctor quòd notitia dicatur ſimpliciter practica, licèt actu non ſit directiua, ſed ſufficit aptitudo ad dirigendum, & per conſequens etiam ſit ſimpliciter practica, licèt voluntas non eliciat actum conformem, tamen hîc vult, & benè, quòd nunquam dicitur perfectè practica, niſi actu ſit conformis voluntati, id eſt, niſi actu voluntas eliciat actum, vt conformem tali notitiæ, ſicut cauſa non dicitur perfectè cauſare, niſi vltimatè attingat illud, ad quod ordinatur; ſic in propoſito, cùm notitia practica ordinetur ad opus nūquam erit perfectè practica, niſi ſequatur operatio, vt conformis, ad quam ordinatur: & quando ſequitur opus, vt conforme, tunc eſt perfectè practica; ſicut etiam opus non eſt perfectè morale, niſi ſit elicitum vt conforme tali notitiæ; quando ergo non ſequitur opus, talis notitia poteſt dici ſpeculatiua, non quod ſit verè ſpeculatiua, cùm ſit directiua in opus; ſed pro tanto dicitur ſpeculatiua, pro quanto non habet opus, ad quod ordinatur, & hoc eſt quod dicit Doctor quod *bonitas magis tranſumitur ad intellectum practicum, quam ſpeculatiuum*, id eſt, quòd tunc habitus dicitur perfectè bonus practicè, quando in voluntate correſpondet opus conforme; & quando non correſpondet, talis habitus poteſt dici ſpeculatiuus, licèt in veritate ſit ſimpliciter practicus, vt patet *in prologo quæſt. vltima*. Poteſt enim dici ſpeculatiuus pro quanto recedit à perfectè practico, qui dicitur perfectè practicus, quando eſt cum opere in voluntate.

Secundò principaliter arguit ſic: Si conſcientia eſſet in intellectu, tunc plus ſciens de agibilibus plus eſſet conſcientiatus: conſequens eſt falſum: ergo, &c.

Reſponſio patet per dicta ad primum argumentum, quòd licèt conſcientia ſit habitus practicus in intellectu formaliter exiſtens, tamen talis habitus nunquam poteſt dici perfectè practicus, nec perfectè bonus moraliter, niſi habeat opus ſibi conforme in voluntate, & ſic plus ſciēs de agibilibus, & plus operans conformiter illi ſcientiæ, dicitur magis conſciētiatus. Tamen Doctor dat quandam reſponſionem ſatis intricatam, & dicit quòd poteſt reſponderi ſecundùm illud, 7. Eth. c. 3. quòd *in paſſionibus exiſtentes, quidā dicunt verba Empedoclis*, id eſt, verba obſcura, *ſciunt autem nequaquam*, id eſt, quamuis dicant verba obſcura, & etiam ſcientifica, tamen quia non habent vſum rationis, quia ſunt in paſſionibus, non intelligunt, quod dicunt; ita ad propoſitum poſſet concedi quòd ſimpliciter ſciens ſcientia practica non tantum ſciens dicere verba eſt conſcientiatus, & magis ſciens eſt magis cōſcientiatus. Si dicatur, quòd tales plus ſcientes ſcientia practica plura mala faciunt, quàm minùs ſcientes. Dico, quòd non ſequitur quòd ſint minus conſcientiati licet minora mala faciant; quia poſſunt habere paſſiones, quibus vſus rationis impeditur, actu tamen plus ſcientes, & minùs impediti, ſunt plus conſcientiati, quia minùs impediti, licèt ergo habentes æqualem ſciētiam practicam in re ſint æquè conſcientiati, tamen ille, qui habet vſum rationis minùs impeditum eſt magis conſcientiatus, quia minùs impeditus. Nota etiam, quòd quilibet acumine luminis naturalis intellectus, ſi non eſt impeditus, eſt natus æquè perfectè acquieſcere primis principiis, practicis, & deducere concluſiones virtualiter contentas in eis, & quo ad hoc, quilibet eſt æquè conſcientiatus, ſequitur in litera. *Et hoc maximè videtur dici ab illo*, ſcilicet Henrico cuius oplnio eſt improbata, quia ſi conſcientia ſit in voluntate, vt ipſe tenet, & cùm ſecundùm eum, in eodem inſtanti temporis, in quo eſt voluntas mala, ratio excæcatur, vt ſic nullus ſit qui minùs habeat de conſcientia, & alter magis; imò nullus eorum qui habet malam voluntatem habet aliquid de conſcientia. Et ita iſta ſolutio eſt neceſſaria vtrique parti, ſcilicet & tenenti conſcientiam eſſe ſubiectiuè in voluntate, vt Hentico, & tenenti conſcientiam eſſe in intellectu, vt Doctori, &c.

7. *Conſcientia eſt habitus practicus.*

DISTINCTIO XL.

An ex fine omnes actus penſari debeant?

A POST hæc de actibus adiiciendum videtur, vtrùm & ipſi ex fine, ſicut voluntas, penſari debeant boni vel mali. Licèt enim ſecundùm quoſdam, omnes boni ſint, inquãtùm naturaliter ſunt: non tamen abſolutè dicendi ſunt omnes boni, nec omnes remunerabiles: ſed quidam ſimpliciter mali dicuntur, ſicut & alij boni. Nam ſimpliciter ac verè ſunt boni illi actus, qui bonam habent cauſam & intentionem, id eſt, qui voluntatem bonam comitantur, & ad bonum finem tendunt. Mali verò ſimpliciter dici debent, qui peruerſam habent cauſam & intentionẽ. *Ambr. lib. offic. 1. c. 30 tom. 1.* Vnde Ambroſius ait, Affectus tuus operi tuo nomen imponit. Et Auguſt. *ſuper Pſalm.* 31. [Nemo computet bona opera ſua ante fidem. Ita enim videntur mihi eſſe vt magnæ vires, & curſus celerrimus prẽter viam: quia vbi ipſa fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, ſed quid cùm facit attendat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat.] His teſtimoniis inſinuari videtur, ex affectu & fine opera bona eſſe, vel mala. *Matt. 7. c.* Quibus conſonat quod Veritas in Euangelio ait: *Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* Nomine *arboris* non natura humanæ mentis, ſed voluntas intelligitur: quæ ſi mala fuerit, non bona, ſed mala opera facit: ſi verò bona fuerit, bona non mala opera facit.

Tom. 8. præfatione ad illũ Pſalm.

Vtrùm omnia opera hominis ex affectu & fine, ſint bona vel mala.

B SEd quæritur, vtrùm omnia opera hominis ex affectu & fine, ſint bona vel mala? Quibuſdam ita videtur eſſe, qui dicunt omnes actus eſſe indifferentes, vt nec boni nec mali per ſe ſint, ſed ex intentione bona bonus & ex mala, malus ſit omnis actus. Secundùm quos quilibet actus poteſt eſſe bonus, ſi bona intentione geratur. Aliis autem videtur, quòd quidam actus in ſe mali ſint, ita vt non poſſint eſſe niſi peccata, etiam ſi bonam habeant cauſam, & quidam in ſe boni ita, vt etſi malam habeant cauſam, nõ tamen boni eſſe deſinant. quod teſtimonio Auguſtini confirmant, qui dicit bonum aliquando non benè fieri. quod enim quis inuitus, vel neceſſitate facit, non benè facit, quia non bona facit intentione, vt ait Auguſtinus *ſuper Ioannem* 4. *cap.* 3. Seruilis, inquit, timor non eſt in charitate, in quo quamuis credatur Deo, non tamen in Deum: & ſi bonum fiat, non tamen benè. Nemo enim inuitus benè facit, etiam ſi bonum eſt quod facit. Ecce habes quod aliquis non bene facit illud quod bonum eſt. Facit ergo quod bonum eſt intentione non bona. Ideò aſſerunt illi, quædam

Auguſt. de ſpiritu & litera cap. 14. & lit. ſent. Proſ. c. 172 ac lib. 1. cõfeſ. cap. 12.

quædam opera eſſe talia, quæ ſic bona ſunt, quòd mala eſſe non poſſunt quocunque modo fiant: ſicut è conuerſo, quædam ſic ſunt mala, vt non poſſint eſſe bona, quacunque ex cauſa fiant. Alia autem eſſe opera quæ ex fine, vel cauſa, bona ſunt, vel mala: & ad illa referunt Sanctorum teſtimonia, quibus ex affectu vel intentione iudicium operum penſari dicunt. Tripartitam edunt iſti differentiam actuum.

Aliter Auguſtinus ſentire videtur, qui dicit opera hominis eſſe bona vel mala ex intentione & cauſa, præter quædam quæ per ſe peccata ſunt.

C SEd Auguſtinus euidentiſſimè docet in libro contra mendacium, omnes actus ſecundùm intẽtionem & cauſam iudicandos bonos, vel malos, præter quoſdam: qui ita ſunt mali, vt nunquam poſſint eſſe boni, etiamſi bonam videantur habere cauſam. [Intereſt, inquit, plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt. Ea quippe opera hominum ſi cauſas habuerint bonas vel malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſeipſa peccata, ſicut victum præbere pauperibus, bonum eſt, ſi ſit cauſa miſericordiæ cum recta fide: & concubitus coniugalis, quando fit cauſa generandi, ſi ea fide fiat, vt gignantur tegenerandi. Hæc rurſus mala ſunt, ſi malas habeant cauſas, velut ſi iactantiæ cauſa paſcitur pauper, aut laſciuiæ cauſa cu vxore concumbitur, aut filij generentur, non vt Deo, ſed vt diabolo nutriantur. Cùm verò opera ipſa per ſe peccata ſunt, vt furta, ſtupra, blaſphemiæ: quis dicat cauſis bonis eſſe facienda, vel peccata non eſſe, vel quod eſt abſurdius, iuſta peccata eſſe? Quis dicat, Furemur diuitibus, vt habeamus quod demus pauperibus: aut falſa teſtimonia proferamus, non vt inde innocentes lædantur, ſed potiùs ſaluentur? Duo enim bona hîc ſunt, vt inops alatur & innocens non puniatur. Aut quis dicat adulterium eſſe faciendum, vt per illam cum qua fit, homo de morte liberetur. Teſtamenta etia vera cur non ſupprimimus, & falſa ſupponimus, ne hæreditates habeant, qui nihil boni agunt, ſed hi potiùs qui indigentes adiuuant? Cur non fiant illa mala propter hæc bona, ſi propter hæc bona nec illa ſunt mala? Cur nõ ab immundis meretricibus, quas ditant ſtupratores, rapiat diuitias vir bonus? vt indigentibus eas largiatur, cum nullum malum, malum ſit, ſi pro bono fiat. Quis hoc dicat, niſi qui res humanas moreſque conatur & leges ſubuertere? Quod enim facinus non dicatur rectè fieri poſſe; nec impunè tantùm, verum etiam gloriosè, vt in eo non timeatur ſupplicium, ſed ſperetur & præmium; ſi ſemel conceſſerimus in malis actibus ideò non quid fiat, ſed quare fiat eſſe quærendum, vt quæcunque pro bonis fiunt cauſis, nec ipſa mala eſſe iudicentur. At iuſtitia meritò punit eum, qui dicit ſe ſubtraxiſſe ſuperflua diuiti, vt præberet pauperi: & falſarium, qui alienum corrumpit teſtamentum, vt is eſſet hæres qui faceret eleemoſynas largas: non ille qui nullas, & eum qui ſe feciſſe adulterium oſtẽdit, vt per illam cũ qua fecit, hominẽ de morte liberaret. Sed dicet aliquis, ergo æquãdus eſt fur quilibet ei furi qui volũtate miſericordiæ furatur, quis hoc dixerit? Sed horũ duorũ nõ ideò quiſquã eſt bonus, quia peior eſt vnus. Peior enim eſt;

Aug. cap. 7. circa A.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Non tantũ quare, ſed etiam quid fiat attendendũ eſt; Ibidem.

Lib. eodem. cap. 8.

qui concupiſcendo,quàm qui miſerando furatur.Sed ſi furtum omne peccatum eſt,ab omni furto abſtinendum eſt.Quis enim dicat eſſe peccatum, etiam ſi aliud ſit grauius, aliud leuius peccatum? Nunc autem quærimus, quis actus peccatum ſit,vel non? nõ quòd grauius ſit,vel leuius?]intende Lector propoſitis verbis tota mentis conſideratione: quæ non inutilem habent exercitationem, & dignoſces quis actus ſit peccatum, qui ſcilicet malam habeat cauſam: nec ille tantùm, quia ſunt nonnulli actus, qui etſi bonam habeant cauſam,tamen peccata ſunt,vt ſuprà poſitum eſt. Ex quo conſequi videtur, quia non ſemper ex fine iudicatur voluntas, ſiue actio mala: ſicut in illis, quæ per ſe peccata ſunt: illa enim cùm quis geſſerit pro aliqua bona cauſa, bonum videtur habere finem: nec ex fine voluntas eſt mala, nec ex voluntate actio fit mala, ſed ex actione voluntas fit praua. In quibus aliqui ponunt actum Iudæorum, qui crucifigendo Chriſtum arbitrabantur ſe obſequium præſtare Deo, quia bonum finem dicũt eos ſibi poſuiſſe, ſcilicet,Dei obſequium: & tamen voluntatem eorum & actionem peruerſam fore aſſerunt. De bonis autem nulla fit exceptio in præmiſſis verbis Auguſtini, quin omnis voluntas bona, ex fine ſit bona:& ex fine & voluntate omnis actio bona, bona eſt. Sed non omnis mala voluntas, ex fine mala eſt, nec omnis mala actio, ex fine & voluntate mala eſt; & omnis quæ habet malam cauſam, mala eſt: ſed non omnis quæ bonam cauſam habet bona eſt. Ideóque cum ex affectu dicitur nomen imponi operi,in bonis operibus generaliter vera eſt hæc regula, ſed in malis excipiuntur illa quæ per ſe mala ſunt. Omnia ergo hominis opera ſecundùm intentionem & cauſam iudicantur bona vel mala, exceptis his quæ per ſe mala ſunt, id eſt, quæ ſine præuaricatione fieri nequeunt.

Quidam dicunt prædicta non poſſe fieri bono fine.

D QVæ tamen quidam contendunt nunquam habere bonam cauſam. Qui enim aliena furatur vt pauperibus tribuat, non pro bono (vt
Eccl.34. d. aiunt)furatur.Non enim bonum eſt aliena pauperibus erogare.Qui enim de rapina ſacrificium Deo offert,idem facit,vt ait auctoritas,ac ſi filium in conſpectu patris victimet, vel ſacrificium carnis Deo offerat. Abominabi-
Pro.21.d. lis nempe Deo eſt impiorum oblatio. Ita etiam & hominem per adulterium à morte liberare,malum eſſe dicunt. Et ſi enim bonum ſit,hominem à morte liberare, tamen ſic hominem liberare, malum eſſe aſſerunt. Ideóque Auguſtinum in ſuperioribus dicunt temperaſſe ſermonem, cautéque locutum,vbi ait. [Ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo quaſi bono fine,nulla velut bona intentione facienda.]Non enim ſimpliciter dixit(*bono fine*)& (*bona intentione*) ſed addit, (*quaſi*) & (*velut*) quia talia non fiunt bono fine, & bona intentione, ſed intentione,quæ videtur bona,& fine qui putatur bonus, ſed non eſt. Nec ideò accepit Auguſtinus iſta,vt aiunt, quin cauſas habeant malas: ſed quia cauſas habent, quæ videntur bonæ, ſunt tamen malæ.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm omnis actus ſit bonus ex fine?

Alenſis 2.*p.q.*106.*m.*2. *&* *q.*107. *m.*3.*a.*2. *& per totum.* D. Thom. 1.2. *q.*18. *a.*1.3.4.6. *vbi* Caiet. Conrad. Med. D.Bon. *hîc a.*1.*q.*1. Richar. 1.*q.*1. Gab. *q.*1. Durand. 2.*d.*38. *q.*1. Greg. *q.vn.* Herrera *hîc diſp.*28.*qu.*2. Vaſq.1.2.*d.*51. *Vide* Scot. *quodl.* 18. §. De primo.

1. QVæro circa diſtinctionem quadrageſimam. Vtrùm omnis actus ſit bonus ex fine? Quòd ſic, Auguſtinus in litera cap.3. Bonum opus intentio facit. *Arg.* 1.

Prætereà, actus intelligendi eſt verus ex principio: ſed finis eſt hîc ſicut ibi principium: ergo, &c. *Arg.* 2.

Prætereà, bonitas eſt ab aliqua vna cauſa: Nulla alia poteſt dari niſi finis. *Arg.* 3.

Contrà, Auguſtinus contra mendacium, & ponitur in litera, dicit quòd multi actus non poſſunt eſſe boni, etiamſi propter finem bonum fiant. *Ratio opp.*

SCHOLIVM.

Declarat optime exemplo, de pulchritudine, quid ſit bonitas naturalis, quæ non eſt illa quæ conuertitur cum ente, ac etiam quid ſit malitia ei oppoſita.

2. REſpondeo, a primò dicendum eſt de bonitate naturali. Secundò de bonitate morali.

De primo dico, quod ſicut in corpore pulchritudo eſt ex aggregatione omnium conuenientium illi corpori, & inter ſe, puta quantitatis, coloris, & figuræ, ſicut vult Auguſt. 8. de Trin. cap. *Bona facies*, &c. ita bonitas naturalis (non eſt illa, quæ conuertitur cum ente, ſed illa, quæ habet oppoſitum malum) eſt perfectio ſecunda alicuius rei integrata ex omnibus conuenientibus ſibi & ſibiinuicem, & omnibus illis concurrentibus, eſt perfecta bonitas, iuxta illud Dionyſ. *Bonum eſt ex perfecta, & cauſa integra*: omnibus autem iſtis deficientibus, & natura ſtante, quæ deberet perfici, illis, eſt perfectè mala: quibuſdam ſubtractis, eſt mala, ſed non perfectè, ſicut de pulchritudine, & turpitudine in corpore: actus autem naturaliter natus eſt conuenire cauſæ ſuæ efficienti, obiecto, fini, & formæ; tunc igitur bonus eſt naturaliter, quando habet omnia conuenientia, quantùm ad iſta, quæ nata ſunt conuenire ſibi naturaliter, & concurrere ad *eſſe* eius naturale. *Quid bonitas naturalis, quid malitia naturalis. De diuin. nom. cap.4.*

COMMENTARIVS.

a REſpondet Doctor præmittendo vnum, ſcilicet quod eſt duplex bonitas actus, ſcilicet naturalis, & moralis. De prima dicit quòd ſicut in corpore pulchritudo eſt ex aggregatione omnium conuenientium illi corpori, &c. ita quòd pulchritudo non eſt propriè aliqua qualitas abſoluta in corpore pulchro; ſed eſt aggregatio omnium conuenientium tali corpori, ſcilicet aggregatio debitæ magnitudinis, figuræ, & coloris, & aggregatio omnium reſpectuum, qui ſunt iſtorum ad corpus, & ad ſe inuicem, & ſic pulchritudo formaliter eſt quædam conuenientia debita iſtorum ad corpus, & ad ſe inuicem, quæ conuenientia eſt tantùm reſpectus, & hoc ſatis patet *in primo, diſt.* 17.

1. *Duplex bonitas. Quid ſit pulchritudo.*

b *Bonum eſt ex cauſa integra*, ita quòd bonitas naturalis actus eſt integrata ex omnibus ſupradictis. Et iſta quæ integrant bonitatem naturalem actus, ſunt omnia illa, quæ nata ſunt conuenire actui naturaliter, & concurrere ad *eſſe* eius naturale; modò *actus natus eſt naturaliter conuenire cauſæ ſuæ efficienti, obiecto, fini, & formæ*, id eſt, quòd tunc actus eſt bonus naturaliter, quando habet cauſam efficientem optimè diſpoſitam, à qua natus eſt eſſe, & obiectum conueniens, ad quòd natus eſt terminari, & finem debitum, ad quem natus eſt ordinari, & formam debitam, ſiue debitum modum, quibus omnibus naturaliter perficitur, ita quòd perfectio naturalis actus non eſt formaliter ipſa cauſa efficiens, nec obiectum, nec finis, nec forma, ſed eſt formaliter quædam conuenientia aggregata ex pluribus reſpectibus, ſiue ex pluribus conuenientiis particularibus, ſcilicet ex conuenientia actus ad cauſam efficientem, & cõuenientia ad obiectum, ad finem, & ad formam; & ſic bonitas naturalis actus non eſt formaliter qualitas abſoluta, ſed eſt *Mirabiliter, cuius doctrina eſt ſingularis.*

tantùm quidam reſpectus totalis integratus ex pluribus reſpectibus, ſcilicet ad cauſam, ad obiectum, ad finem, & ad formam; & ſimiliter ex reſpectibus cauſæ ad obiectũ, & obiecti ad cauſam, cauſæ ad finem, & finis ad cauſam, & ſimiliter cauſæ ad formam, & formæ ad cauſam, & huiuſmodi. Exemplum, nam volitio, quæ eſt actus naturalis voluntatis, tunc eſt bona naturaliter, quando eſt à cauſa ſibi conueniente, puta à voluntate, quæ liberè producit, & ideò ſi volitio eſſet à cauſa merè naturali, & per modum naturæ agente, tunc volitio careret perfectione, quàm nata eſt habere à cauſa ſibi conueniente, quia careret illo reſpectu, qui eſt liberè elici, & ſic non haberet illam conuenientiam ad cauſam efficientem, quam ex natura ſua nata eſſet habere; nam ex natura volitionis eſt, quòd liberè eliciatur, & hoc quia talis actus, ſiue talis entitas.

2. Habet etiam bonitatem ab obiecto, quando ſcilicet tranſit ſuper obiectum debitum, nam obiectum debitum volitionis eſt tantùm bonum, & hoc loquendo de bono in communi, quod eſt commune ad bonum commodi, & ad bonum honeſti; & ideò ſi tranſiret ſuper malum, tunc non haberet obiectum ſibi conueniens; & ſic non haberet illam perfectionem, quam ex natura nata eſſet habere ex obiecto ſibi conueniente. Et licèt volitio non poſſit tranſire ſuper malum, vt malum eſt (vt expoſui ſuprà *diſt. 6. quæſt. 1.* & magis patet *in quodlib. quæſt. 16.* & vide quæ ibi expoſui) tamen ſi per impoſſibile poſſet tranſire ſuper malum, tunc non haberet obiectum ſibi conueniens, & ſic careret perfectione naturali nata ſibi conuenire ex obiecto. Et tunc volitio dicitur bona ex genere, quando tranſit ſuper obiectum conueniens, & hoc ſi tranſit ſecundum dictamen rectæ rationis, vt ſuprà patuit *in ſecundo, diſtin. 7.* Et quia omne per ſe agens agit propter finem, vt patet 2. *Phyſicor. text. comment. 8.* & voluntas eſt per ſe agens, cum ſit agens per cognitionem, quod agens eſt per ſe agens, vt patet 2. *Phyſicor. comment. 59.* ideò ſi voluntas agit, ſiue elicit actum volendi, debet illum elicere ordinando ad finem ſibi conuenientem, & ita ſi careret debito fine, tunc careret perfectione nata ſibi naturaliter conuenire ex fine ſibi naturaliter conueniente: Similiter ex quo volitio nata eſt habere debitum modum, ſi careret illo, tunc careret perfectione, quam naturaliter nata eſt habere.

Dico ergo, quòd bonitas naturalis actus volendi eſt quædam conuenientia totalis integrata ex pluribus conuenientiis, videlicet, ex conuenientia actus terminata ad cauſam liberam, & ex conuenientia terminata ad obiectum ſibi naturaliter conueniens, & ex conuenientia terminata ad finem natum ſibi naturaliter conuenire, & ex conuenientia terminata ad formam, ſiue ad modum natum ſibi naturaliter conuenire. Similiter talis perfectio requirit conuenientiam cauſæ liberæ ad obiectum conueniens, & è contrà. Et ſimiliter cauſæ liberæ ad finem, & ad formam debitam, & è contra. Et ſic cùm illa quatuor, ſcilicet *cauſa libera, obiectũ conueniens, finis, & forma*, habent ad inuicem debitam cõuenientiam, & ſimiliter cum iſta quatuor debitè conueniunt ipſi actui volendi, & tunc omnia iſta integrant nouitatem naturalem actus. Et nota, quòd cùm dicit Doctor quòd bonitas naturalis actus eſt perfectio ſecunda alicuius rei integrata, & ſic perfectio prima actus, ſiue quiditatiua, eſt entitas abſoluta ipſius actus, & vt ſic præcisè conſideratur, eſt quædam qualitas abſoluta: ſed ſecunda perfectio actus naturalis eſt præcisè illa tota conuenientia integrata ex omnibus conuenientiis ſupradictis, ita quòd perfectio ſecunda naturalis ipſius actus, puta actus volendi, eſt tantùm reſpectus, qui formaliter eſt conuenientia, ſiue conformitas actus ad cauſam efficientem ad obiectum, ad finem, & ad formam, & conformitas cauſæ ad obiectum, ad finem, & ad formam, materiam, & è contra. Et addit, *quòd omnibus iſtis déficientibus, & natura ſtante, quæ deberet perfici illis, eſt perfectè mala*, id eſt, quòd ſi actus volendi careret omnibus conuenientiis, ſcilicet conuenientia ad cauſam, ad obiectum, ad finem, & ad modum, &c. tunc natura talis actus eſſet perfectè mala, quia priuata omni perfectione ſecunda nata ſibi naturaliter conuenire; ſed ſi non careret quibuſdam, puta ſi actus volendi careret conuenientia ad finem, & ad formam, & non careret conuenientia ad cauſam, & ad obiectum, tunc natura talis actus, ſiue entitas quiditatiua illius eſſet tantùm mala, ſed non perfectè mala.

3. *Quæſit bonitas naturalis actus volẽdi.*

SCHOLIVM.

Reſoluit ad bonitatem moralem actus requiri omnia, quæ ſecundùm rectam rationem ei debentur. Primum eſt, quòd ſit conueniens agenti, v. g. diligere reſpectu hominis. Secundum, obiectum huius, vt Deus, quia malum diligere, bonum eſt. Tertium ordinatio huius ad finem, & ſic de aliis circunſtantiis quæ continentur hoc verſu:

Quis, quibus auxiliis, quid, vbi, cur, quomodo, quando.

De quibus Ariſt. 3. Eth. c. 1. Greg. Nyſſen. 5. Philoſ. c. 2. D. Thom. 1. 2. q. 7. a. 3. Vide Scot. quodl. 18. §. De primo, & quodl. 16.

3. *Vide quod. 16. q. 4. Prima bonitas, cõueniẽtia actus cum agẽte.*

DE ſecundo dico, b quòd bonitas actus moralis eſt ex aggregatione omnium conuenientium actui: non abſolutè ex natura actus, ſed quæ conueniunt ei, ſecundùm rectam rationem: quia igitur actui ratio recta dictat determinatum obiectum conuenire, & determinatum modum, & alias circunſtantias: non eſt completa bonitas ex ſolo fine: ſed prima ratio bonitatis eius eſt ex conuenientia actus ad

ad efficiens, à quo actus dicitur moralis quia liberè elicitus; & hoc eſt commune actus bono, & malo. neque enim actus eſt laudabilis, nec vituperabilis, niſi ſit à voluntate.

Secũda bonitas ex obiecto eſt & quare ex genere.

Secunda conditio eſt ex obiecto [d], quòd ſi ſit conueniens; tunc eſt actus bonus ex genere, quia eſt indifferens ad bonitates vlteriores, quæ ſumuntur ex circunſtantiis ſpecialibus: ſicut genus eſt indifferens ad multas differentias: poſt iſtud prima circunſtantia eſt ipſius finis: nec iſta ſufficit ſine aliis circunſtantiis, ſicut eſt circunſtãtia formæ, puta, quòd debito modo fiat, quod pertinet ad quartam circunſtantiã: & ſequuntur circunſtantiæ magis extrinſecæ, ſcilicet *quando*, & *vbi*, & huiuſmodi. Patet igitur quòd ſola bonitas finis etiam cum intenditur, ſecundùm rectam rationem, non ſufficit ad bonitatem actus, ſed requiruntur aliæ circunſtantiæ, ſecundùm ordinem prædictum ad hoc, quòd bonitas ſit.

Prima circunſtantia ex fine.

Ad arg. 1. Meritum principaliter ex fine & gratia.

4. Ad auctoritatem Auguſtini, patet, [c] quòd eſt ad oppoſitum, quia etſi finis ſit conditio principalior pertinens ad bonitatem actus: non tamen eſt ſufficiens ſimpliciter: loquendo etiam de bonitate meriti, quæ addit ſuper bonitatem moralem, illa eſt principaliter ex fine: quia ſuppoſita completa bonitate morali ſuperadditur bonitas meritoria ex relatione debita iſtius actus ad finem, quæ relatio debita ſit inquantùm elicitur à charitate, & quo ad hoc poſſunt auctoritates de fine exponi, quòd ſcilicet bonitas meritoria eſt ex fine.

Ad 2. Actus intellectus ſemper verus ex principio ſed voluntas non ſemper bona ex fine.

Ad ſecundum dico, [f] quòd cauſa efficiens actus intelligendi, illa quæ eſt ex parte intellectus, vel habitus intellectus, naturaliter agit: nec poteſt difformiter agere ipſi obiecto: & ideò ſemper rectè agit: non ſic voluntas ſemper conformiter agit ſuo obiecto, quia eſt cauſa libera non naturalis. Quando igitur eſt rectitudo ex parte principali mouentis, totus actus eſt rectus: non ita hîc ex parte finis.

Ad 3.

Ad tertium dico quòd illa vna bonitas integrat in ſe perfectiones omnes conuenientes actui, & non eſt aliqua vna ſola, ſicut nec pulchritudo in corpore.

COMMENTARIVS.

4. c *De ſecundo principali*, ſcilicet de bonitate morali actus.

Aduerte. Hîc aduerte, quòd propriè bonitas moralis actus eſt conformitas ipſius ad rationem rectam, ſiue ad dictamen rectum, vt ſatis patet à Doctore *in prolog. quæſt. vlt. & diſt. 17. primi, & diſt. 7. ſecundi, & 33. tertij, & 14. quarti, quæſt. 2. & 18. quæſt. quodlib.* Licèt enim actus volendi eſſet à cauſa libera, & tranſiret ſuper obiectum conueniens, & eſſet ordinatus ad debitum finem, & haberet debitum modum, & ſimiliter circumſtantiam loci, & temporis, & non eſſet elicitus conformiter dictamini recto, talis actus eſſet quidem bonus naturaliter, ſed non eſſet bonus moraliter, bonitas ergo moralis addit conformitatem actus ad rectam rationem. Nam cùm dictamen rectum, ſiue ratio recta, ſiue notitia actualis practica, (quæ dicitur ratio recta, ſiue dictamen rectum, vt aliàs expoſui) dictat voluntati de omni circumſtantia nata conuenire actui, puta cùm dictat quòd actus volendi debet elici liberè, & non coactè, & quòd debet elici circa obiectum conueniens & propter finem cõuenientem, & modo debito, & loco, & tempore, tunc talis actus ſic elicitus à voluntate conformiter dictamini recto eſt perfectè moralis, & hoc eſt quòd Doct. intendit. Sequitur, *quia igitur actui ratio recta dictat determinatum obiectum conuenire, & determinatum modum & alias circunſtantias*, puta finis, loci, & temporis, non eſt completa bonitas ex ſolo fine, ſed prima ratio bonitatis eius eſt ex conuenientia actus ad efficiens à quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitus, & hoc eſt commune actui bono, & malo neque enim actus eſt laudabilis, niſi ſit à voluntate.

Nota. Aduerte tamen, quòd cùm dicit Doctor quòd prima ratio bonitatis actus eſt ex conuenientia cauſæ, non loquitur de primitate perfectionis, ſed fortè de primitate originis, quia ratio recta, priùs origine dictat actum eſſe eliciendum liberè à cauſa: priùs enim ratio recta reſpicit cauſam actus, & deinde obiectum, ſuper quod debet tranſire actus, & pòſt reſpicit finem, & ſic deinceps de aliis circunſtantiis.

f *Secunda conditio eſt ex obiecto*, id eſt, quod ſecunda circunſtantia requiſita ad actum moralem eſt, quòd talis actus eliciatur à voluntate circa obiectum conueniens; & tunc quando fiẽ elicitus actus eſt bonus ex genere; & dicitur bonus ex genere; quia talis actus, vt includens circunſtantiam obiecti eſt indifferens ad vlteriores bonitates, quæ ſumuntur ex circunſtantiis ſpecialibus; nam talis actus natus eſt vlteriùs perfici circunſtantia finis, modi, temporis, &c. Et dicitur bonus ex genere; non vt præcisè tranſit ſuper obiectum conueniens, ſed vt tranſit ſuper obiectum ſecundùm rectam rationem hoc eſt à recta ratione dictatum eſſe ſibi conueniens, vt patet à Doctore *in iſto ſecundo, diſt. 9.* Ibi: poſt iſtud prima circunſtantia eſt ipſius finis, nec iſta ſufficit ſine aliis circunſtantiis ſicut eſt circunſtantia formæ, puta, quòd debito modo fiat, vt cùm quis dat eleemoſynam pauperi propter Deum, tunc dat debito modo quando promptè,

prompte, & hilari vultu, & modo honeſto dat, ſed dat indebito modo quando dat vultu triſti, & cum impetu, & huiuſmodi, & ſequuntur circunſtantiæ magis extrinſecæ, ſcilicet *quando* & *vbi*, & huiuſmodi.

Ex his ergo patet reſponſio ad quæſtionem quòd ſola bonitas finis, ſiue ſola circunſtantia finis etiam cum talis circunſtantia intenditur à voluntate ſecundùm rectam rationem non ſufficit ad bonitatem moralem actus, ſed requiruntur aliæ circunſtantiæ ſecundùm ordinem prædictum, ad hoc, quòd ſit perfecta bonitas actus moralis, & ſic patet quid dicendum ad quæſtionem.

9. Nunc reſtat ſoluere argumenta principalia, quibus Doctor probat partem oppoſitam, ſcilicet quòd omnis actus ſit bonus moraliter ex ſolo fine. Et arguit primò ſic: Auguſtinus cap. 13. in litera. *Bonum opus intentio facit*, id eſt, quòd intentio finis reddit opus bonum, nam intentio formaliter, vt ſupra patuit *diſtinct.* 38. reſpicit finem.

e Reſpondet Doctor quòd *auctoritas eſt ad oppoſitum, quia etſi finis ſit conditio principalior*, ſiue prima conditio primitate perfectionis, *pertinens ad bonitatem moralem actus, non tamen eſt ſufficiens ſimpliciter, ſupperadditur bonitas meritoria, quæ eſt relatione debita iſtius actus ad finem*, ſcilicet vltimum, *quæ relatio debita tunc fit, quando actus elicitur à charitate*, hoc eſt, vel à charitate inclinante voluntatem ad talem actum, vel à charitate, vt à cauſa partiali ad talem actum, de quo vide Doctorem *in primo, diſt.* 17. ſcilicet quomodo charitas concurrat, an tantùm inclinatiuè, an etiam vt cauſa partialis actus. Et quomodo bonitas meritoria actus præſupponat perfectam bonitatem moralem ipſius, vide Doctorem *in primo, diſtinct.* 17. *& in iſto ſecundo, diſt.* 7. *& in quodlib. quæſt.* 17. Sequitur, *& quoad hoc poſſunt auctoritates de fine exponi*, quòd ſcilicet bonitas meritoria eſt ex fine, patet, quia actus dicitur meritorius, inquantùm eſt à charitate, ſed charitas primò, & principaliter inclinat voluntatem ad eliciendum actum propter vltimum finem, & quomodo hoc, vide Doctorem *in tertio, diſt.* 28. *&* 29. & nota, quæ ibi prolixè

Quomodo charitas concurrat.

7. expoſui.

Secundò principaliter arguit, actus intelligendi eſt verus ex principio, id eſt, eſt euidens ex principio: ſed finis eſt hîc, ſicut ibi principium: patet, quia ſicut principium in ſpeculabilibus, ſic finis in operabilibus, ex 2. *Phyſic. tex. comment.* 89. ergo ſicut actus intelligendi habet euidentem veritatem ex principio, ita opus habet bonitatem ex fine.

f Reſpondet Doctor quòd *cauſa efficiens actus intelligendi, ideò ſemper rectè agit*, nam intellectus eo modo intelligit obiectum, quo eſt ſibi præſens, nec eſt in poteſtate eius ſic, vel ſic intelligere, ſiue ſic, vel ſic aſſentire, cùm ſit cauſa merè naturalis, & de hoc ſatis dictum eſt *in primo, diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. 3. *&* 4. Et voluntas propter ſui libertatem non ſemper conformiter agit ſuo obiecto, nam poteſt elicere actum, & propter vltimum finem, & non propter vltimum finem: poteſt enim frui ente ad finem, & vti vltimo fine, quod tamen eſt maxima peruerſitas, vt patet per Auguſtiuum 83. quæſt. 30. *Omnis itaque humana peruerſio eſt, quod etiam vitium vocatur fruendis vti velle atque vtendis frui*, &c. Sequitur in litera: *Quando igitur eſt rectitudo ex parte principij mouentis, totus actus rectus, non ſic ex parte finis.* Vult dicere, quòd quando rectitudo actus eſt ex ſolo obiecto mouente potentiam, tunc actus ex ſolo obiecto eſt rectus, & ſic in propoſito, quia tota euidentia actus intelligendi eſt ab obiecto, ideò à ſolo obiecto mouente, actus intellectus eſt euidens, & ſimiliter quia tota rectitudo actus intelligendi practici eſt à ſolo fine, vt obiecto, non vt cauſa finali, vt patet à Doctore *in prologo. quæſt. vlt.* & per ea, quæ ibi expoſui, ideò tota rectitudo talis actus eſt ab ipſo fine, vt obiecto; ſed in propoſito bonitas actus moralis non eſt ex ſolo fine, vt ſuprà patuit, ideò actus non eſt moraliter bonus à ſolo fine.

Tertiò, & vltimò arguit ſic: *Bonitas eſt ab aliqua vna cauſa*, patet, quia effectus per ſe eſt ab vna cauſa per ſe, ſed nulla alia poteſt dari niſi finis: ergo, &c.

Reſpondet Doctor quòd illa vna bonitas moralis integrat in ſe perfectiones omnes conuenientes actui, & non eſt aliqua vna ſola perfectio, vt ſuprà patuit, & ideò talis bonitas eſt à pluribus cauſis, & de hoc vide Doctorem *in* 1. *diſtinct.* 17. *& in quodl. quæſtione*, 18.

):(

DISTINCTIO XLI.

An omnis intentio, vel actio eorum qui carent fide, ſit mala?

A CVmque intentio (vt ſuprà dictum eſt) bonum opus faciat, & fides intentionem dirigat: non immeritò quæri poteſt, vtrùm omnis intentio, omneque illorum opus malum ſit, qui fidem non habent? Si enim fides intentionem dirigit, & intentio bonum opus facit, vbi non eſt fides, nec intentio bona, nec opus bonum eſſe videtur. Quod à quibuſdam non irrationabiliter aſtruitur, qui dicunt omnes actiones & voluntates hominis ſine fide malas eſſe, quæ fide habita bonæ exiſtunt. Vnde Apoſtolus ait: *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Quod exponens Auguſtinus ait, [Omnis infidelium vita peccatum eſt, & nihil bonum eſt ſine ſummo bono: vbi deeſt agnitio æternæ veritatis, falſa virtus eſt, etiam in optimis moribus.] Et Iacobus in Epiſtola Canon. ait, *Qui offendit in vno*, ſcilicet in charitate, *factus eſt omnium reus.* Qui ergo fidem & charitatem non habet, omnis eius actio peccatum eſt, quia ad charitatem non refertur. quod enim ad charitatem non refertur (vt ſuprà meminit Auguſtinus) non fit quemadmodum fieri oportet, ideóque malum eſt. Non ergo mandata cuſtodit, qui charitate caret: quia ſine charitate nullum mandatorum cuſtoditur. Vnde Auguſtinus *ſuper epiſtolam ad Gal. 5. cap. ait.* [Cuſtoditionem legis dicit Apoſtolus non inebriari, non occidere, non mœchari, & alia huiuſmodi ad bonos mores pertinentia, quæ ſine charitate, fide, & ſpe impleri non poſſunt.] Nullum ergo mandatum implet, nullum bonum opus facit, qui fidem, & charitatem non habet. *Impoſſibile eſt enim* (vt ait Apoſtolus) *ſine fide aliquid placere Deo.* Quæ ergo ſine fide fiunt, bona non ſunt: quia omne bonum placet Deo.

Rom. 14. d *Aug. in lib. Sent. Proſperi. c. 106.* *Iacob. 2. b* *Diſt. 38. lit. a. circa finem.* *Rom. 13. c.* *Heb. 11. b*

Quæ præmiſſa ſententiæ obiiciuntur ex verbis Auguſtini.

B HIs autem obiicitur, quod ſuprà dixit Auguſtinus, ſcilicet, quòd [in ſeruili timore, etſi bonum fiat, non tamen benè. Nemo enim iuuitus benè facit, etiam ſi bonum eſt quod facit.] Hic enim dicit bonum fieri, ſed non benè, ab illo qui charitatem non habet. qui enim ſeruiliter timet, charitate vacuus eſt: de quo tamen hîc dicit, quia bonum facit, ſed non benè. qui etiam ſuper illum locum Pſal. *Turtur inuenit ſibi nidum vbi reponat pullos ſuos*: dicit quòd Iudæi, hæretici, & Pagani, opera bona faciunt, quia veſtiunt nudos, & paſcunt pauperes, & huiuſmodi: ſed non in nido Eccleſiæ, id eſt, in fide: & ideò conculcantur pulli eorum. quibus illi reſpondent, dicentes bona opera appellari huiuſmodi, quæ ſine charitate fiunt, non quia bona ſint quando ſic fiunt, quod euidenter ſuprà Auguſtinus docuit: ſed quia bona eſſent, ſi aliter fierent: quæ in ſuo genere ſunt bona, ſed ex effectu fiunt mala.

Aug. lib. Confeſ. 1. cap. 12. *1. Ioan. 4. d.* *Pſal. 83.* *Aug. tom. 8 poſt principium enarrationis.* *Diſt. 38. lit. a.*

Aliorum

Aliorum ſententia de præmiſſa quæſtione, qua quærebatur, Si omnis actio eorum mala eſt, qui fidem non habent.

C Alij verò qui trifariam diſtinctionem actuum faciunt, opera cuncta, quæ ad naturæ ſubſidium fiunt, ſemper bona eſſe aſtruunt. Sed quod *Auguſt. in præfatione ad Pſal 31 tom.8.* Auguſtinus mala eſſe dicit, ſi malas habeant cauſas, non ita accipiendum eſt, quaſi ipſa mala ſint: ſed quia peccant & mali ſunt, qui ea malo fine agunt. Item illud aliud ſcilicet [Bonum opus intentio facit,& intentionem fides dirigit,] determinant,dicentes ibi bonum vocatum,quod remunerabile eſt ad vitam: non quod illud ſit ſolum bonum opus, imò etiam alia plura,licèt non ea ratione qua illud ſint bona. Bonum enim multipliciter accipitur,ſcilicet pro vtili,pro remunerabili,pro ſigno boni,pro ſpecie boni, pro licito, & aliis fortè modis. Solaque illa intentio remunerabilis eſt ad vitam,quàm fides dirigit: ſed non illa ſola bona eſt, vt aiunt. Nam ſi quis Iudæus,vel malus Chriſtianus neceſſitatem proximi releuauerit naturali pietate ductus, bonum fecit, & bona fuit voluntas qua illud fecit.

Hîc ponuntur quædam Auguſtini capitula quæ retractauit, non quaſi prauè dicta, ſed quo ſenſu dixerit inſinuans.

D Poſt hæc inueſtigari oportet, qualiter intelligendum ſit quod ait Au- *Cap.14.t.1.* guſtinus *in lib. de vera relig.* Vſque adeò, inquit, peccatum voluntarium malum eſt,vt nullo modo ſit peccatum,ſi non ſit voluntarium.Huius *Retractatio Aug.gemi nam continens determinationẽ. Lib.2.c.13.* dicti rationem Auguſtinus aperiens *in lib. Retract.* dicit. Poteſt videri falſa hæc definitio, ſed ſi diligenter diſcutiatur, inuenitur eſſe veriſſima. Peccatum quippe illud cogitandum eſt, quod tantummodò peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati, ſcilicet peccatum primum hominis, quod fuit peccatum & cauſa peccati, ſed non pœna. Quamuis & illa quæ non voluntaria peccata non immeritò dicuntur: quia vel à neſcientibus, vel à coactis perpetrantur, non omni modo poſ- *Ad Gal.5.* ſunt ſine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate vtique facit, quod cùm faciendum non ſit, putat eſſe faciendum: & ille qui concupiſcente aduerſus ſpiritum carne,non ea quæ vult facit, concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit quod vult:ſed ſi *Rom.7.d* vincitur,concupiſcentiæ conſentit volens,& in eo non facit niſi quod vult & illud quod in paruulis eſt originale peccatum (cùm adhuc non vtantur voluntatis libero arbitrio) non abſurdè vocatur voluntarium,quia ex prima hominis voluntate mala contractum eſt. Non itaque falſum eſt quod dixi: Vſque adeò peccatum voluntarium eſt, &c.] Ecce qualiter accipiendum ſit illud, ſcilicet vel de primo peccato hominis, vel de omnibus generaliter peccatis mortiferis: quorum licèt quædam dicantur non voluntaria, quæ ſcilicet per ignorantiam, vel per infirmitatem fiunt: eadem tamen ea ratione poſſunt dici voluntaria, quia ſine voluntate non committuntur.

Aliud

Aliud capitulum.

E ILlius etiam intelligentia perquirenda eſt, quod in lib. de duabus animabus edidit, inquiens [Nuſquam niſi in voluntate peccatum eſt.] Quod etiam *in lib. Retract.* planè determinat dicens : [Poteſt putari iſta falſa eſſe ſententia qua diximus, Nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum, cùm Apoſtolus dicat, *Quod nolo, hoc facio*, &c. Sed peccatum quod nuſquam eſt, niſi in voluntate illud præcipuè intelligendum eſt, quod iuſta damnatio conſecuta eſt]id eſt, primum hominis peccatum. In eodem quoque libr. de duabus animabus, aliud traddiit conſideratione dignum : ait enim : [Non niſi voluntate peccatur] ipsámque voluntatem definit dicens, [Voluntas eſt animi motus cogente nullo ad aliquid, vel non amittendum, vel adipiſcendum.] Huius dicti cauſam aperiens, & intelligentiam pandens in lib. Retract. ait, [Hoc propterea dictum eſt, vt hac definitione volens à nolente diſcerneretur, & ſic ad illos referretur intentio, qui in Paradiſo fecerunt originem mali nullo cogente peccando, id eſt, libera voluntate: quia & ſcientes, contra præceptum fecerunt : & ille tentator ſuaſit vt hoc fieret, non coëgit. Nam qui neſciens peccauit, non incongruenter nolens peccaſſe dici poteſt: quamuis & ipſe quod neſciens fecit, volens tamen fecit. Ita nec tale peccatum ſine voluntate eſſe potuit, ſed voluntas facti ibi fuit, non peccati voluntas : quod tamen factum fuit peccatum : hoc enim factum eſt, quod fieri non debuit. Quiſquis autem ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, vtique volens peccat : quia qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere, quapropter peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe veriſſimum eſt.] Ex his liquet qualiter ſuperiora accipienda ſint.

Aug. c. 10. to. 6. Li. 1. c. 16.

Rom. 7. d.

Cap. 16.

Lib. 1. cap. 15. Retract. Aug.

Quod mala voluntas eſt voluntarium peccatum.

F SI autem omne peccatum mortale voluntarium eſt, cùm voluntas mala peccatum ſit mortale, conſtat ipſam eſſe voluntarium peccatum: [Quid enim, vt ait Auguſtinus tam in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt?] Voluntas itaque mala rectè voluntarium dicitur peccatum, quod in voluntate conſiſtit. [Voluntas quippe (vt ait Auguſtinus 1. lib. Retract.) eſt prima cauſa peccandi : aut nullum peccatum eſt prima cauſa peccandi, nec eſt cui rectè imputetur peccatum, niſi peccanti. Non ergo eſt cui rectè imputetur, niſi voluntati.] Hoc autem de peccato actuali & morali intelligendum eſt. Neque his verbis aliud voluit oſtendere Auguſtinus vt ipſe ait in Retract. niſi quia voluntas eſt qua peccatur, & qua rectè viuitur.

Aug. li. 1. de libero arbi. c. 12. tom. 1. Et lib. retract. 1. cap. 9. & cap. 22. Ca. 17. lib. 3. de lib. arbi.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrùm aliquis actus poſsit eſſe indifferens?

Alenſis 3.*p.queſt.*35.*m.*3. D. Thom.1.2.*q.*18.*a.*8. & 9. D. Bonau. *hic a.*1.*q.*3. Richard. 40. *a.*2. *q.*3. Durand. *ibi q.*1.Gabr.*q.vn.*Capr.*q.*2.Maior *q.*3.*hic* Herr.*hic d.* 28.*q.*15. Vaſq.1.2.*d.*52. Angles 2. *d.*40.*q.vn.con.*2. Alm.*teact.*1.*mor. c.*14. Angeſt. *in mor.cap.* 8. Aſſor. *in mor.cap.*8.Aſſor. *tom.*1. *l.*2. *cap.* 4. *quæſt.* 3.

Ad arg. 1. CIrca diſtinctionem quadrageſimam primam quæritur, Vtrùm aliquis actus poſſit eſſe indifferens? Quòd non, quia inter habitum,& priuationem non eſt medium:bonum & malum ſunt priuatiuè oppoſita:ergo,&c. Maior patet,quia 10. Metaphyſ.Oppoſita priuatiuè ſunt contradictoriè oppoſita,circa aptum natum:inter contradictoria non eſt medium,4.Metaphyſ.ergo,&c. 1.

Tex.com. 15. *Tex.com.* 27.

Præterea, ex actibus generatur habitus: ergo ſi inter actum bonum, & malum eſſet aliquod medium, aliquis eſſet habitus, qui nec eſſet bonus, nec malus.

Ad 2.

Ratio opp. Contrà,Ambroſius in litera: *Affectus tuus, operi nomen imponit*: ſed ſi nullus actus ex ſe eſſet indifferens,non poſſet ex vno actu eſſe bonus per ſe,& ex alio malus.

SCHOLIVM.

*Refert ſen.D.Thom.& Bon.& reſoluit,probabiliter dari actum indiuiduum, liberum, qui non ſit bonus, nec peccatum, quia non conſtat Deum nos obligare ad ſingulos actus referendos in eum actualiter, vel virtualiter: & alterum horum videtur requiri ad meritum,pro hoc eſt Hieron.ep.ij.apud Aug.Nazian. oratione tertia contra Iul.Greg.hom.27.in Euang.in Mat.*12. de omni verbo ocioſo, *&c. non obſtat, quia Chryſoſt.explicat, verbum ocioſum eſſe quod mendax eſt,& calumniam habet,& ſimiliter Theoph.& Oecum.& fauet textus,quia de pernicioſo agit,interl. exponit de friuolis & fabulis, nec ocioſum eſt, quod habet aliquam vtilitatem naturalem,vt expellere frigus ſine vlla ratione honeſti.*

d.præſ.a. 1.*q.*3.*D. Thom.*1.2. *q.*18.*a.*9.

HIc dicitur, [a] quòd nullus ſingularis actus eſt indifferens, actus tamen in communi eſt indifferens,quære D.Bonauenturam. 2.

Aliter poſſet dici, [b] quòd aliter poteſt eſſe de bonitate,& malitia morali,& de bonitate meritoria,& malitia demeritoria.In prima bonitate,& malitia,comparando ad actum naturalem,videtur poſſe inueniri actus indifferens, qui ſcilicet habeat determinatam ſpeciem in genere naturæ per comparationem ad omnes cauſas ſuas, & poſſit tamen habere indifferenter bonitatem moralem, & malitiam. Quod probatur primò,quia ſecundùm Philoſoph.2.Ethic. habitus iuſtitiæ generatur ex operibus iuſtis,non tamen iuſtè factis:iſte actus non eſt bonus moraliter,quia non ex virtute.Similiter de actibus elicitis poſt virtutem,quia non videtur neceſſitas, quòd voluntas habens virtutem, ſemper vtatur ea neceſſariò, ſed tantùm quando ocurrit paſſio ita vehemens,quæ ſubuerteret rationem,niſi vtatur virtute.

*c.*1.*& inde.*

Secundo etiam [c] modo loquendo de bono, & malo videtur eſſe medium inter actum bonum, & malum: ſuppoſita enim bonitate morali, vt dictum eſt *in quæſt. præcedenti*, meritum videtur eſſe ex relatione ad finem debitum: quæ relatio eſt ex charitate inexiſtente.

Actus refertur in finẽ actualiter, virtualiter & habitualiter & quomodo?

Poteſt autem actus referri ex charitate in finem vltimum tripliciter. [d] Vno modo actualiter,ſicut cogitans actualiter de fine diligit illum, & vult aliquid propter illum. Alio modo virtualiter, [e] ſicut ex cognitione,& dilectione finis deuentum eſt ad volitionem huius entis ad finem, puta ex cognitione, & dilectione Dei pertinente ad portionem ſuperiorem,portio inferior conſiderat talem actum,puta pœnitentiæ,eſſe aſſumendum, & poſtea illum exequitur volendo, non tamen tunc referendo in finem, quia nec tunc actualiter cognoſcitur, nec diligitur. Tertio modo habitualiter, [f] puta,ſi omnis actus referibilis in finem manens cum charitate, quæ eſt principium referendi,dicatur referri habitualiter.

Tripliciter

3. Triplici autem modo g poteſt dici actus non referri. Vno modo negatiuè abſolutè, quia non refertur actualiter, nec virtualiter. Alio modo priuatiuè, quia non eſt natus referri, ſicut peccatum veniale, quia licèt ſtat cum charitate, non eſt tamen natum cum charitate referri in finem. Tertio modo contrariè, ſcilicet quia corrumpit principium referendi, ſcilicet charitatem, vt peccatum mortale. De illis duobus membris vltimis certum eſt quòd illi actus ſunt mali, ſcilicet peccatum veniale, & peccatum mortale. De duobus primis h certum eſt quòd primus actus eſt meritorius, & ſatis probabile eſt de ſecundo. De duobus mediis, ſcilicet de actu qui tantùm refertur habitualiter, & negatiuè, id eſt qui non refertur, nec actualiter, nec virtualiter, dubium eſt vtrùm talis actus ſit meritorius, vel peccatum veniale (quia mortale peccatum non poteſt eſſe) aut ſit talis actus indifferens. Si ponatur alterum duorum primorum membrorum, videtur quòd homo exiſtens continuè in gratia, vel mereatur continuè, vel peccet mortaliter, vel ſaltem venialiter, quia multos tales actus elicit continuè, qui nec referuntur actualiter, nec virtualiter, ſecundùm dictum modum.

Actus dicitur non referri in finem triplicitèr, negatiuè, priuatiuè, contrariè.

4. Ideò probabile videtur i tales actus indifferentes ponere, quia non habent ſufficientem rationem malitiæ pertinentem ad peccatum veniale: quia poſſibile eſt nullam deordinationem eſſe in eis, quæ ſufficiat ad rationem peccati. Non enim tenetur homo, nec tentione neceſſitatis, contra quam ſit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam ſit peccatum veniale, referre ſemper actum ſuum in Deum actualiter, vel virtualiter, quia Deus non obligauit nos ad hoc: neque videtur eſſe in iſtis actibus ſufficiens ratio bonitatis, vt ſint meritorij: quia non videtur minor relatiò ſufficere ad meritum, quam relatio virtualis, qualis non eſt hic.

Ponit veniale eſſe contra præceptum per quod explicat eum ſupra d. 21. q. 1. num. 3.

Sunt ergo multi actus indifferentes, non tantùm ſecundùm *eſſe*, quod habent in ſpecie naturæ, ſed etiam ſecundùm *eſſe*, quod habent in *eſſe* morali: & ſunt etiam indifferentes ad bonum meritorium, & malum demeritorium, quia vnum indiuiduum poteſt eſſe tale, & aliud tale. k Multi etiam ſingulares actus eliciti ſunt indifferentes, qui nec ſunt tales, neque tales, & non ſolum actus non humani, de quibus non eſt ſermo, ſicut mouere barbam, leuare feſtucam, & huiuſmodi, quæ procedunt ex ſolâ imaginatione, non ex libero arbitrio impellente: ſed etiam de actibus liberè elicitis.

5. Ad argumenta. 1 Ad primum dico, quòd non ſunt priuatiuè oppoſita circa actum, loquendo de bonitate, & malitia morali: vel etiam loquendo de bonitate, & malitia meritoria, & demeritoria: non enim eſt actus malus ex hoc ſolo quòd caret bonitate tali, vel tali: ſed quia caret bonitate, quam debet habere: non autem omnis actus debet habere talem bonitatem.

Ad arg. 1. Bonum eſt malum non opponuntur priuatiuè circa actū.

Ad aliud concedo, quòd ex ſimilibus actibus generatur ſimilis habitus: & ita ex multis actibus indifferentibus, poteſt generari conſimilis habitus ad conſimiles actus in genere immobiliter inclinans: non tamen inclinat ad eos, vt bonos, nec vt malos, ſicut etiam ipſe in ſe, neque eſt bonus, neque malus: ſicut nec etiam generatur ex actibus bonis, vel malis, & ita inconueniens, ad quod deducit ratio, non eſt inconueniens, ſed tanquam verum concedendum eſt.

Arg. 2. Dari habitum indifferentem.

COMMENTARIVS.

1. a RESpondendo ad quæſtionem, primò recitat vnam opinionem quæ eſt D. Thomæ 1. 2. *quæſt. 18. ar. 9.* Et ſimiliter D. Bonauen. *in 2. diſt. præſenti*, quæ opinio dicit quòd aliud eſt loqui de actu ſingulari, puta de hac dilectione, & aliud de actu communi, puta de dilectione in communi. Loquendo primo modo, dicit opinio quòd eſt impoſſibile talem actum eſſe indifferentem, quia talis, vel eſt neceſſariò moraliter bonus, vel moraliter malus: loquendo etiam de actu meritorio vel demeritorio, dicit quòd ſignato quocunque actu ſingulari, talis neceſſariò, vel eſt meritorius, vel demeritorius. Nec oportet hîc aliter adducere rationes eorum. Sed loquendo de actu in communi, dicunt quòd talis actus poteſt eſſe indifferens ad actum ſingularem meritorium, & ad actum ſingularem demeritorium, ita quòd talis actus omnino in ſe conſideratus non erit formaliter meritorius, nec formaliter demeritorius, ſicut etiam homo in communi eſt indifferens ad Franciſcum, & Ioannem & quo ad hoc ſecundum membrum opinio dicit verum, ſed non eſt ad intentionem quæſtionis, quia quæſtio tantum quærit de actu ſingulari.

b *Aliter poſſet dici.* Nunc Doctor ponit opinionem ꝓpriam, & duo facit. Primò, quærit an poſſit eſſe actus ſingularis indifferens, loquendo de bonitate, & malitia morali; ita quòd detur aliquis actus, qui nec ſit moraliter bonus, nec moraliter malus. Secundò, loquendo de bonitate meritoria, & malitia demeritoriè oppoſita, an poſsit eſſe actus ſingularis, qui nec ſit bonus meritoriè, nec malus demeritoriè.

Opinio propria Scoti.

De primo actu dicit, quòd *loquendo de bonitate*,

bonitate,& malitia,ſcilicet morali,comparando ad actum naturalem, videtur poſſe inueniri actus indifferens, &c. Hæc litera Doctoris poteſt multipliciter intelligi, nam cùm primò dicit, quòd *actus naturalis in ſpecie determinatus per comparationem ad omnes cauſas ſuas*, &c. iſtæ cauſæ, aut intelliguntur tantùm effectiuè actus: aut accipiuntur pro omnibus circunſtantiis naturaliter natis ineſſe actui. Primo modo erit tantùm actus bonus naturaliter ex potentia, & obiecto tenendo quòd obiectum concurrat ad actum elicitum voluntatis ſecundùm tertiam opinionem recitatam ſuprà *diſt.*25. & talis actus eſt naturaliter bonus ex genere, quia habet bonitatem quam ex natura natus eſt habere à potentia,& obiecto ſibi conuenientibus; talis ergo actus non eſt perfectè bonus bonitate naturali;nec perfectè malus malitia naturali,vt ſuprà patuit *diſt.*40. Sed ſecundo modo dicitur actus naturaliter bonus ex omni cauſa quando talis actus habet conformitatem ad cauſam efficientem,ad obiectum,ac finem, & ad formam: & tunc eſt perfectè bonus bonitate naturali nata ſibi naturaliter competere. Loquendo de iſto actu,ſecundo modo, poteſt intelligi indifferens ad bonitatem moralem, & ad malitiam oppoſitam dupliciter. Primò, quòd actus dicatur moralis,qui elicitur à virtute morali, & ille non dicatur bonus moraliter, qui non elicitur à virtute morali: tenendo enim quòd actus bonus moraliter ſit à virtute morali,vt puta actus iuſtitiæ moralis ſit ab habitu iuſtitiæ morali,vt multi tenent, loquendo hoc modo benè poteſt eſſe actus perfectè bonus bonitate naturali;qui tamen non præſupponit in voluntate virtutem moralem,ſicut quis poteſt dare eleemoſynam pauperi, & hoc liberaliter,propter debitum finem,& modo debito, qui finis erit vt ſubueniat neceſſitati pauperis, & tamen non habebit in voluntate habitum virtutis inclinantem ad hoc; & ſic talis actus non erit bonus moraliter, quia non à virtute morali,nec malus moraliter;patet, quia talis actus non eſt vituperabilis:actus enim malus moraliter eſt actus vituperabilis, & imputabilis, vt patet à Doctore *in quodl.qu.*17.*&* 18.

Litera Doctoris poteſt multipliciter intelligi.

3. *Quomodo habitus generatur ex actibus.*

Et hoc modo poteſt intelligi dictum Philoſophi, quòd *habitus iuſtitiæ generatur ex actibus iuſtis,ſed nõ iuſtè factis*,id eſt, quòd generatur ex actibus bonis,bonitate naturali, *ſed non iuſtè factis*, id eſt, non moraliter factis, quia tales actus non ſunt geniti à virtute morali, & tamen non ſequitur,illi actus ſunt iuſti,id eſt, boni bonitate naturali, & non ſunt iuſti, id eſt, boni bonitate morali;ergo ſunt iniuſti; id eſt,mali malitia morali:non ſequitur, quia ſi eſſent mali malitia morali, eſſent vituperabiles, cuius oppoſitum experimur. Poſito etiam quòd quis habeat habitum virtutis, puta habitum iuſtitiæ, adhuc ſtat,quòd eliciat actum indifferentem ad actum bonum bonitate morali,& ad actum malum malitia morali: patet, quia hon apparet aliqua neceſſitas quòd habens habitum moralem, puta temperantiam, elicitat actum temperantiæ ſecundùm inclinationem talis habitus; ſicut etiam habens charitatem non apparet neceſſitas quòd eliciat omnem actum, etiam non bonum moraliter, ſecundùm inclinationem charitatis. Et ſi apparet aliqua neceſſitas,tunc eſt, quando occurrit paſſio ita vehemens,quæ ſubuerteret rationem,niſi vteretur tali habitu virtutis. Sed quia tamen Doctor non tenet quòd actus ſit præcisè bonus bonitate morali ab habitu virtutis, cùm iſte expreſsè teneat *in* 4.*d.*14.*q.*2. quòd non eſt de ratione actus moralis quòd ſit elicitus à virtute morali, vel quòd ſit generatiuus virtutis moralis, ad hoc enim vt ſit perfectè moralis (poſito etiam quòd nullus habitus virtutis moralis ſit in voluntate) ſufficit quòd ſit elicitus conformiter rationi rectæ, ſiue dictamini recto, vt patet à Doctore *in primo,q.vlt.prolo.& d.*17.*primi,& in* 2.*d.*7.*&*42. *& in* 3.*d.*33.*& in* 4.*d.*14.*q.*2. *& in quodl.q.*18.

Poteſt ergo exponi dictum Doctoris ſecundo modo,ſic intelligendo,quòd actus dicitur præcisè bonus bonitate morali, quia elicitur conformiter rationi rectæ actu dictanti de omni circunſtantia requiſita ad actum moralem, de quibus circunſtantiis dictum eſt ſuprà *diſt.*40. Dicit ergo Doctor quòd poteſt eſſe actus perfectè bonus bonitate naturali,qui erit elicitus à voluntate liberè circa obiectum conueniens propter finem conuenientem, & modo ſibi debito: qui tamen actus,nec erit moraliter bonus,nec moraliter malus. Quòd non ſit moraliter bonus patet,quia licèt habeat omnes circunſtantias ſuprà dictas, non tamen habet eas ſecundùm dictamen rectæ rationis, quod requiritur ad hoc vt ſit moraliter bonus;nec etiam eſt moraliter malus, quia tunc talis actus eſſet vituperabilis, niſi dicatur quòd eſſet moraliter malus priuatiuè,ſeu negatiuè,quia careret conformitate ad rationem rectam. Dico primò,quòd eſſet tantùm negatiuè moraliter malus, non tamen contrariè, quia ſi eſſet contrariè moraliter malus,tũc eſſet vituperabilis,& dicitur negatiuè moraliter malus, quando tantùm negat aliquam circunſtantiam requiſitam ad actum perfectè moralem, vt cùm quis liberè dat eleemoſynam pauperi actu non cogitando de fine, tunc talis datio eſt tantùm mala moraliter negatiuè;ſed quando eſt malus contrariè, tunc ponit circunſtantiam repugnantem circunſtantiæ debitæ,vt cùm quis dat eleemoſynam propter vanam gloriam tanquam propter finem. Sed de hoc prolixè dictum eſt ſuprà *d.*7. *& in quodlib. q.*18. vide quæ ibi expoſui.

4. *Quomodo actus dicatur bonus.*

Dico ſecundò, quòd licèt talis actus non ſit elicitus conformiter rationi rectæ,tamen non eſt malus moraliter, quia vt ſic, natus eſt elici conformiter rationi rectæ, quia vt ſic, non includit aliquam circunſtantiam repugnantem actui morali, imò includit omnem circunſtantiam natam dictari à ratione recta.

Intelligendo ergo hoc modo, poteſt exponi authoritas Philoſophi,quòd iuſtitia generatur ex operibus iuſtis, non tamen iuſtè factis: dicitur enim opus iuſtum, ſiue actus iuſtus, qui habet omnes circunſtantias requiſitas ad actum bonum bonitate naturali;ſed quia tamen talis actus non habet tales circunſtantias actu dictatas à ratione recta, dicitur non iuſtè factus, quia non conformiter elicitus rationi rectæ, & tamen non ſequitur, non eſt iuſtè elicitus, quia non conformiter rationi rectæ,ergo eſt ſimpliciter iniuſtè elicitus, ſeu vituperabilis,eſt tamen ſecundùm *quid* iniuſtè elicitus accipiendo ly *iniuſtè*, provt præcisè dicit negationem actualis conformitatis ad rationem rectam. Et ſimiliter poteſt exponi litera ſequens, cùm dicit, *ſimiliter de actibus elicitis poſt virtutem*, poteſt hic accipi *virtus* non pro habitu virtutis moralis exiſtentis in voluntate,ſed pro habitu virtutis intellectiuæ, ſiue exiſtentis in intellectu, puta pro habitu prudentiæ cauſato

5. *Optima expoſitio verborum Ariſ.*

Expoſitio litera.

cauſato ex pluribus dictaminibus rectis, de quo vide Doctorem *in primo, diſt.* 17. Loquendo ergo de tali virtute, dicit Doctor quòd licèt quis habeat talem habitum virtutis in intellectu, tamen poteſt elicere actum perfectè bonum bonitate naturali, & non ſecundùm actuale dictamen talis virtutis, quia non apparet neceſſitas quòd quando elicit talem actum, quòd actu cogitet de circunſtantiis requiſitis ad bonitatem naturalem illius actus: ſed ſi eſt neceſſitas vtendi tali virtute, tunc eſt quando occurrit talis paſſio, quæ nata eſt obruere dictamen rectum, niſi actu vteretur tali virtute, ſiue recto dictamine talis virtutis.

6. c De ſecundo principali, ſcilicet de bono, & malo meritoriè, vel demeritoriè, & antequam ponat concluſionem, in qua tenet quòd datur actus neuter perfectè moralis, qui tamen non eſt meritorius, nec demeritorius, præmittit aliqua. Primò, quòd actus meritorius, ſiue demeritorius, ſiue ratio meriti actu præſupponit bonitatem moralem actus, ſcilicet quòd actus non poteſt eſſe meritorius, niſi ſit moralis. An modò requiratur bonitas moralis perfecta, ſic, quòd actus non poſſet eſſe meritorius, niſi actu conformiter eliciatur rationi rectæ ſecundùm omnes circunſtantias requiſitas, de hoc non eſt præſens ſermo. Dicit ergo Doctor quòd meritum vltra bonitatem moralem actus addit relationem ad vltimum finem, quæ relatio ſit ex charitate inexiſtente, id eſt, quòd actus non eſt formaliter meritorius, niſi actu eliciatur à voluntate in ordine ad Deum, & hoc charitate inclinante voluntatem, ſiue partialiter concurrente ad talem actum ſic in Deum relatum. Sed de ratione meriti formaliter, in quo conſiſtat, vide Doctorem *in primo, diſt.* 17. *& in tertio, diſt.* 18. & ſpecialiter *in quodlib. quæſt.* 17. vbi videtur addere aliqua vltra dicta in primo, & tertio, & in hoc non videtur multum inſiſtendum, ſed ſufficit hoc habere, quòd actus ad hoc vt ſit meritorius, oportet quòd ſit relatus in Deum, ſiue propter Deum elicitus, & hoc ex charitate non exiſtente.

Actus ad hoc ſit meritorius.

d Secundò præmittit, quòd actum referri in Deum ex charitate, poteſt tripliciter intelligi, ſcilicet vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter. Primo modo, refertur *actualiter* quando intellectus actu dictat, quòd voluntas velit diligere proximum propter Deum, & ex charitate, tunc talis dilectio actualis ſic conformiter elicita rationi rectæ, eſt actus, actu relatus in Deum ex charitate. Similiter idem dico de actibus imperatis in aliis potentiis, puta de actu temperantiæ, vt quando voluntas imperat actum temperantiæ in parte ſenſitiua propter Deum ex charitate, & ratione recta ad hoc dictante, talis actus imperatus eſt actus actualiter relatus in Deum.

7. *Opinio aliquorum Scotiſtarum.*

e Secundo modo *virtualiter, ſicut ex cognitione, & dilectione finis*, &c. Aliqui Scotiſtæ, ſic dicunt, *Virtualiter*, inquiunt, *cùm ex amore actuali ipſius Dei deueni in cognitionem peccati mei, & hoc ob amorem eius, quia eſt eius offenſiuum, triſtor, & pœnitentiam facio, non tamen tunc actualiter illum actum pœnitentiæ in Deum refero actualiter, quia nec de Deo cogito, nec tunc Deũ actualiter amo, talis actus pœnitentiæ eſt virtualiter tantùm in Deum relatus.* Hæc illi. Tamen pro clariori intelligentia nota aliqua. Primò, quòd dicit Doctor *in quarto, diſtinct.* 14. *q.* 1. de pœnitentia virtuali, puta de diſplicentia peccati, quæ tunc dicitur virtualis, non quòd actu eliciatur aliquis actus diſplicentiæ de peccato, ſed ex hoc ſolo, quòd quis intensè diligit Deum in ſe, & propter ſe, talis dilectio Dei poteſt dici pœnitentia virtualiter, ex hoc ſolo, quòd dilectio Dei ita intenſa, virtualiter includit diſplicentiam de peccato; & hoc patet, quia ſi quis intensè diligit Deum propter ſe, ſi actu cogitaret de peccato, vt Dei offenſiuo, ſtatim eliceret actum diſplicentiæ, quia iſta non videntur ſimul ſtare, quòd quis diligat Deum, & non doleat de offenſione Dei. Et de tali actu virtuali non loquitur hîc Doctor quia hîc loquitur de actu virtuali actu elicito ex amore Dei priùs habito.

8. Nota etiam quæ dicit Doctor ſuprà *in iſto, ſecundo, diſt.* 35. de auerſione virtuali, & per conſequens de conuerſione virtuali; quis enim virtualiter auertitur à Deo, quando committit actũ oppoſitum conuerſioni virtuali in Deum, vt patet de odio proximi, dilectio enim proximi, etſi non formaliter eſt conuerſio in Deum, eſt tamen virtualiter conuerſio in ipſum, quia pro quanto dilectio proximi virtualiter continetur in dilectione Dei, quia iſta non ſtant ſimul; quòd quis diligat Deum, propter ſe, & odiat proximum, & hoc de potentia Dei ordinata, ſecus de potentia Dei abſoluta, vt expreſsè patet à Doctore *in tertio, diſt.* 28. & nota quæ ibi expoſui. Dicitur ergo ibi conuerſio virtualis cùm quis diligit proximum propter Deum: & licet talis dilectio proximi ſit actu relata in Deum, tamen dicitur conuerſio virtualis ex hoc ſolo, quòd non formaliter, & immediatè eſt in Deum, ſicut dicimus, quòd odium Dei formaliter auertit à Deo, & per conſequens dilectio Dei in ſe conuertit formaliter in Deum. Adhuc loquendo de tali actu virtuali, non eſt ſermo in propoſito, quia talis actus virtualis ſimul ſtat cum actuali dilectione Dei, ſed actus virtualiter relatus in Deum in propoſito, non ſimul eſt cum dilectione Dei actuali, propter quam elicitur talis actus, quia tunc eſſet actus relatus in Deum.

9. Dico ergo quòd hæc litera Doctoris poteſt habere multiplicem ſenſum: nam primò poteſt ſic intelligi, quòd quis diligat Deum in ſe, & propter ſe, quæ dilectio duret per horam, & poſt illam horam actu diligat proximum, non in ordine ad Deum; & talis ſenſus non videtur ad mentem literæ, quia ſi talis amor proximi natus ſit virtualiter contineri in amore Dei, quia tamen non præcedit ex amore Dei, vt patet, quia tunc non eſt amor Dei, ideò ad mentem literæ non dicitur virtualiter relatus in Deum.

Secundò, poteſt ſic intelligi, quòd quis actu diligat Deum, & ſtante dilectione illa, conuertat ſe ad proximum, diligendo illum ex amore ipſius Dei, ſic, quòd dilectio Dei ſit continua per mediam horam, & ſimiliter dilectio proximi, & poſt vltimũ inſtans medietatis horæ ceſſat dilectio Dei in ſe; ſed continuetur dilectio proximi per aliam mediam horam, tunc dilectio proximi, quæ ſimul fuit cum dilectione Dei, actu fuit relata in Deũ, & eadem dilectio per aliam medietatem horæ dicitur virtualiter relata in Deum; & hic ſenſus videtur ſtare cum intentione literæ.

Tertiò, poteſt ſic intelligi, quòd quis actu diligat Deum in ſe, & propter ſe, & ſtante dilectione Dei actu diligat proximum, non tamen referendo illum amorem in Deum, ſed quòd tantùm abſolutè ipſum diligat, talis dilectio fortè non dicitur virtualiter relata in Deum, & hoc ſi non procedit

cedit ex dilectione Dei. Si verò talis dilectio procedat ex dilectione Dei, vt cùm quis diligit Deum propter ſe, & pòſt cogitando de proximo, quòd eſt creatura Dei, diligat ipſum proximum abſolutè, ita quòd talis amor procedat ex amore Dei, tunc talis ſenſus erit ad mentem literæ.

Quarto modo poteſt intelligi, & magis ad ſenſum literæ, quando quis actu diligit Deum propter ſe, & ſimul cogitat peccatum, vt offenſiuum Dei, & actu elicit diſplicentiam de peccato propter Deum, & actu imperat in parte ſenſitiua, puta abſtinentiam, vel peregrinationem, & huiuſmodi, & immediatè pòſt ceſſet ipſa dilectio Dei, ſed continuetur abſtinentia, & peregrinatio, tunc talis actus abſtinentiæ, vel peregrinationis, qui originaliter præceſſit ex amore Dei, dicitur virtualiter relatus in Deum. Non enim credo quòd diſplicentia peccati, vel actus abſtinentiæ imperatus, ſi tantùm eliciatur poſt amorem Dei, quòd virtualiter ſit actus relatus in Deum, niſi modò præexpoſito. Et hoc etiam fortè poteſt eſſe conforme dicto Doctoris, *in 4. diſt. 6.* de intentione actuali, & virtuali, vt cùm quis actu propter Deum aſſumit pœnitentiã, actu cogitando de illa, & de Deo, ſed pòſt continuat illam non cogitando de Deo, tunc talis actus pœnitentiæ dicitur virtualiter contineri in actuali pœnitentia actu relata in Deum, & ſic talis actus dicetur etiam virtualiter relatus in Deum.

10. f Tertio modo dicitur actus relatus in Deum tantùm *habitualiter*, puta quia habet habitum, qui eſt principium referendi actum in Deum, & ſic omnis actus referibilis in finem, manens cum charitate, dicitur referri habitualiter, ita quòd talis actus elicitus à voluntate informata charitate nec actualiter, nec virtualiter ſit ex charitate relatus in Deum, vt cùm quis actu diligit proximũ non conſiderando nec Deo, nec de lege ipſius, talis actus non actu refertur in Deum ex charitate, nec etiam virtualiter, cùm non procedat ex amore Dei, &c.

g Tertiò principaliter præmittit, quòd actus tripliciter poteſt non referri in Deum. Primò negatiuè abſolutè, vt quando actus nec actualiter, nec virtualiter refertur ex charitate in Deum, ſicut cùm quis actu dat eleemoſynam pauperi non ex amore Dei, nec cogitans de ipſo Deo, ſed vt præcisè ſubueniat indigentiæ pauperis, talis actus nec virtualiter, nec actualiter refertur in Deum.

An actus referatur in Deum.

Secundò, actus non refertur in Deum priuatiuè, puta, quia non eſt natum referri, ſicut peccatum veniale, quia licèt ſtet cum charitate, non eſt tamen natum cum charitate referre in finem; & dicitur talis actus non referri priuatiue, ex hoc, quòd eſt ibi priuatio alicuius circunſtantiæ, quæ nata eſſet ineſſe actui, vt cùm quis corrigit proximum, ſed non debito modo, tunc talis actus correctionis carens tali circunſtantia, erit communiter peccatum veniale; dicitur ergo talis actus irreferribilis priuatiuè, non quòd ſit actus natus referri, ſed dicitur priuatiuè ex hoc, quòd priuat aliquam circunſtantiam, propter quam priuationem non poteſt referri in Deum ex charitate.

Tertiò, dicitur actus non referri contrariè, quia ſcilicet corrumpit principium referendi, ſcilicet charitatem, vt peccatum mortale; nam peccatum mortale corrumpit charitatem, non quòd contrarietur ſibi formaliter, vel virtualiter; ſed tantùm demeritoriè, vt ſuprà patuit *in iſto 2.d.* 28.& ſatis patet *in quarto*, *d.*1. *q.*1. reſpondendo ad argumenta principalia, & *quæſt.* 6. & ſingulariter *d.*16.*q.*2. vbi quærit Doctor an infuſio gratiæ, & expulſio culpæ ſint duæ mutationes reales.

h Iſtis præmiſſis ponit Doctor aliquas concluſiones. Prima eſt, quòd loquendo de actu non referibili in Deum, ſecundo, & tertio modo, tantùm actus eſt malus, quia actus ſecundo modo eſt peccatum veniale, & tertio modo peccatum mortale. Secunda eſt, quòd loquendo de actu referibili in Deum ex charitate, dicit quòd actus primo, & ſecundo modo eſt meritorius, cùm talis actus referatur in Deum ex charitate, & licèt hîc dicat de actu ſecundo modo, quòd ſit probabile ipſum eſſe meritorium, tamen abſolutè videtur dicendum ipſum eſſe meritorium, quia ſaltem elicitur virtualiter ex charitate, vt ſatis euidenter poſſet deduci ex dictis Doctoris *in primo*, *diſt.*17. & *in tertio*, *diſt.*18. & *in quolib. quæſt.*17. Tertia concluſio eſt de actu, qui tantũ refertur habitualiter, & negatiuè, id eſt, qui non refertur in Deũ ex charitate, nec actualiter, nec virtualiter. Dicit, quòd hoc eſt dubium; an ſcilicet talis actus ſit meritorius, vel peccatum veniale, quia mortale peccatum non poteſt eſſe; & patet, quia ſtat cum charitate, aut quòd talis actus ſit indifferens, ſcilicet quòd non ſit meritorius, nec demeritorius. Si ponatur quòd talis actus ſit meritorius, tunc videtur quòd homo exiſtens in charitate continuè mereatur, cùm multos tales actus quaſi continuè eliciat, qui nec actualiter, nec virtualiter referuntur in Deum ex charitate. Si verò ponat quòd talis actus ſit peccatum mortale, vel veniale, tunc videtur quòd homo continuè pecet, vel mortaliter, ſi ponatur peccatum mortale; vel venialiter, ſi ponatur peccatum veniale, quia multos tales actus elicit continuè, qui non referuntur in Deum, nec actualiter, nec virtualiter.

Tertia concluſio.

An poſſit dari actus indifferens.

Dicit ergo Doctor ad quæſtionem reſpondendo, an ſcilicet poſſit dari actus indifferens ad bonitatem meritoriam, & malitiam demeritoriam, quòd *videtur, probabile tales indifferentes ponere, quia* illi actus, qui tantùm habitualiter referuntur in Deum *non habent ſufficientem rationem malitiæ pertinentem ad peccatum veniale*, &c.

k *Quia vnum indiuiduum poteſt eſſe tale, & aliud tale*, puta vnus actus poteſt eſſe meritorius & alius demeritorius. *Multi etiam ſingulares actus eliciti ſunt indifferentes, qui nec ſunt tales, neque tales*, id eſt, qui non ſunt meritorij, nec demeritorij, *& non ſolùm actus non humani*, &c. Actus humani ſunt illi, qui procedunt à libero arbitrio, quod includit intellectum, & voluntatem, vt ſuprà patuit. Dicit ergo Doctor quòd non ſolùm actus non humani poſſunt eſſe indifferentes, ſed etiam multi actus eliciti à libero arbitrio, poſſunt eſſe indifferentes.

l *Ad argumenta principalia.* Doctor primò arguit, probando quòd non poſſit dari actus indifferens ad bonum, & ad malum. Et arguit primò ſic; quia inter habitum, & priuationem non eſt medium, vt patet 10. Metaphyſic. *tex. comm.*15. vbi habetur quòd oppoſita priuatiuè ſunt contradictoriè oppoſita circa aptum natum, *Priuatio*, inquit, *quædam eſt contradictio, aut in potentia determinata, aut concepta cum ſuſceptiuo.* Hæc ille. Sed inter contradictoria nullum eſt medium, vt patet *quarto Met. t. com.*17. ſed in propoſito bonũ, & malum ſunt priuatiuè oppoſita; ergo non datur actus medius, qui non ſit nec bonus, nec malus.

Reſpondet

Reſpondet Doctor quòd bonitas, & malitia moralis circa actum non ſunt priuatiuè oppoſita; patet, quia actus non eſt malus ex hoc ſolo, quòd caret bonitate tali, vel tali, ſed quia caret bonitate, quam debet habere, non autem omnis actus debet habere talem bonitatem; vt puta actus dandi eleemoſynam pauperi propter indigentiam, & hoc ſine dictamine rationis, quamuis talis actus careat tali conformitate ad rationem rectam, tamen non dicitur formaliter malus, quia non tenetur habere illam; ſimiliter patet de bonitate meritoria, & malitia oppoſita.

Secundum argumentum cum reſponſione patet.

DISTINCTIO XLII.

An voluntas, & actio mala in eodem homine & circa eandem rem ſint vnum peccatum, an plura?

A CVM autem voluntas mala & operatio ſit peccatum, quæri ſolet, Vtrùm in eodem homine, & circa eandem rem hæc duo vnum ſint peccatum, an diuerſa: vt ſi quis voluntate furatur, voluntatem habuit malam, quæ peccatum eſt: & actum malum, qui item peccatum eſt. Hæc autem duo diuerſa ſunt, ſcilicet voluntas, & actio. Sed nunquid diuerſa ſunt peccata, an vnum? Quidam dicunt vnum eſſe peccatum, alij verò dicunt diuerſa eſſe peccata. Quia cùm conſtet hæc duo eſſe diuerſa, aut diuerſa duo peccata dicuntur, aut duo diuerſa non peccata? Quibus alij reſpondent, hæc duo diuerſa eſſe non peccata. Non enim plura peccata ſunt, ſed peccatum vnum: quia vna præuaricatio, vel inobedientia in vtroque admittitur, ſiue quando vult, ſiue quando agit; & vnus eſt ibi contemptus, ſed minor cùm in voluntate ſolum peccatum continetur, maior verò cùm voluntati etiam operatio additur: & ideò maius fit peccatum, ſed non plura, cùm voluntas operi mancipatur. *Reſponſio.*

Alia contra eoſdem oppoſitio.

B SEd adhuc eiſdem obiicitur. Si vnum tantùm illa duo peccatum ſunt: igitur cùm quis voluntate mala priùs concepta, deinde opus patrauerit, non pro aliquo reus eſt, niſi pro quo ante opus reus erat, cùm adhuc in ſola voluntate peccatum conſiſtebat. Nullus enim reus eſt æternæ mortis, niſi pro peccato; ſed peccatum aliud non eſt admiſſum actione, quam priùs admiſſum erat voluntate. Non ergo pro aliquo alio iſte damnabilis fit actu peccando, quàm antè fuerat, cùm ſola voluntate delinquebat. Ad hoc etiam & illi reſpondent dicentes, propter peccatum quidem tantùm illum furem reum conſtitui; & quamuis eius voluntas & actio vnum ſint peccatum, pro alio tamen reus factus eſt actu peccando, quàm priùs erat ſola voluntate delinquendo; quia pro actu, qui eſt aliud quàm voluntas, licèt non aliud peccatum. *Reſponſio.*

Alia aduerſus eoſdem obiectio.

C ITem & adhuc quæſtioni inſtant: dicentes hæc duo ideò diuerſa eſſe peccata, quia diuerſorum legis mandatorum præuaricationes ſunt. Alio enim mandato legis prohibetur actio furti, ſcilicet, *Non furaberis*: alio furandi voluntas, ſcilicet, *Non concupiſces rem proximi tui.* Cùm autem hæc duo diuerſa mandata ſint, quibus illa duo prohibentur, patet illa duo diuerſas eſſe præuaricationes: diuerſa igitur peccata. Ad quod etiam illi dicunt, diuerſa quidem eſſe mandata quibus illa duo diſtinctim prohibentur, vt Auguſtinus docet ſuper Exod. Veruntamen in illis non obſeruatis vna tantum præuaricatio incurritur, vnumque contrahitur peccatum, licèt duo diuerſa illis prohibeantur. Sicut èconuerſo duo ſunt mandata charitatis, quibus duo præcipiuntur diligi: vna tamen in eis nobis commendatur charitas.

Exo. 20. c.

Reſponſio lib. 2. q. 71. tom. 4.

Si peccatum ab aliquo admiſſum in eo ſit quouſque pœniteat.

D PRætereà ſolet quæri, cùm ab aliquo perpetrato voluntate peccato voluntas id agendi, & actio tranſierint, nondum tamen vera habita pœnitentia, vtrùm illud peccatum vſquequo pœniteat, ſit in eo? Quod non eſſe videtur: quia voluntas illa quæ priùs fuit, non eſt, neque actio: quia non vult illud, vel agit, quod antè voluit & egit. Sed non eſt ignorandum, peccatum duobus modis dici eſſe in aliquo, & tranſire, ſcilicet actu & reatu. Actu eſt in aliquo, dum ipſum quod peccatum eſt, vt actio, vel voluntas, in peccante eſt. Reatu verò, cùm pro eo, ſiue tranſierit, ſiue adſit, mens hominis polluta eſt & corrupta, totúſque homo ſuppliciis obligatur perpetuis. Nec vnquam eſt in aliquo peccatum actu, præter originale, quin ſit etiam reatu: ſed eſt reatu interdum, poſtquam tranſierit actu.

Reſponſio quæſtionem determinans.

Quibus modis dicitur in Scriptura reatus.

E REatus autem in Scriptura multipliciter accipitur, ſcilicet pro culpa, pro pœna, pro obligatione pœnæ temporalis, vel æternæ. Si enim mortale eſt, obligat nos pœnæ æternæ: ſi veniale, obligat nos pœnæ temporali. Duo enim ſunt genera peccatorum, mortalium ſcilicet, & venialium. Mortale eſt, per quod homo mortem æternam meretur. [Crimen enim, vt ait Auguſtinus, eſt, quod eſt dignum accuſatione & damnatione.] Veniale autem, quod hominem vſque in reatum perpetuæ mortis non grauat, veruntamen pœnam meretur, ſed facilè indulgetur.

Quid ſit mortale peccatum & quid veniale. Aug. ſuper Io. hom. 41. Prima diſt.

De modis peccatorum, qui multipliciter aſſignantur.

F MOdi autem peccatorum, varias in Scriptura habent diſtinctiones: in qua dicitur peccatum duobus modis committi, ſcilicet cupiditate & timore, vt Auguſtinus tradit ſuper illum locum Pſal. *Incenſa igni & ſuffoſſa.* [His enim duobus modis dicit omnia peccata mortalia includi. Et *incenſa igni*, ea dicit, quæ ex cupiditate malè incendente oriuntur. *Suffoſſa* verò, quæ ex timore malè humiliante proueniunt,] quod eſt, quando quis cupit non cupienda, vel timet non timenda. Alibi verò dicitur peccatum fieri

tom. 8. poſt medium enarrationis. Pſal. 79. Secunda diſt. Super cap. 43.

fieri tribus modis,ſcilicet cogitatu,verbo, & opere. Vnde Hieronymus *ſuper Ezech.* [Tria generalia delicta ſunt, quibus humanum ſubiacet genus. Aut enim cogitatione, aut ſermone, aut opere peccamus.] His aliquando etiam additur quartus modus,ſcilicet conſuetudinis: quod in quatriduano Lazaro, ſignificatum eſt. Dicitur quoque homo peccare in Deum, in ſe,& in proximum. In Deum, cùm de Deo malè ſentit, vt hæreticus: vel quæ Dei ſunt, vſurpare præſumit, indignè participando Sacramentis: vel quando nomen Dei peierando, contemptibile facit. In proximum peccat,cùm proximum iniuſtè lædit. In ſe verò,cùm ſibi & non alij nocet. *Aug. hom. 49. ſuper Ioan. Tertia diſt.*

Quomodo differant delictum & peccatum.

G VAriam quoque appellationem habet. Dicitur enim peccatum etiam delictum. [Et delictum fortaſſe eſt (vt ait Auguſtinus *in quæſtionibus Leuitici*) declinare à bono. Peccatum eſt facere malum. Aliud eſt enim declinare à bono, aliud eſt facere malum. Peccatum ergo eſt perpetratio mali, delictum deſertio boni, quod & ipſum oſtendit nomen. Quid enim aliud ſonat *delictum*, niſi *derelictum*? & qui delinquit, quid derelinquit, niſi bonum? Vel delictum eſt, quod ignoranter fit: peccatum quod ſcienter committitur. Indifferenter tamen & peccatum nomine *delicti*, & delictum nomine *peccati* appellatur.] *Aug. lib. 3. q. 20.*

De ſeptem principalibus vitiis.

H PRæterea ſciendum eſt, ſeptem eſſe vitia capitalia, vel principalia, vt Gregorius *ſuper Iob* ait, ſcilicet inanem Gloriam, Iram, Inuidiam, Acediam, vel Triſtitiam, Auaritiam, Gaſtrimargiam, Luxuriam: quæ vt ait Ioannes Chryſoſtomus ſignificata ſunt in ſeptem populis: qui terram promiſſionis Iſraël promiſſam tenebant. De his quaſi ſeptem fontibus cunctæ animarum mortiferæ corruptelæ emanant. Et dicuntur hæc capitalia, quia ex eis oriuntur omnia mala. Nullum enim malum eſt, quod etiam non ab aliquo horum originem trahat. *Greg. lib. mor. 31. cap. 31.*

De ſuperbia, quæ eſt radix omnium malorum.

I EX ſuperbia tamen omnia mala oriuntur, & hæc, & alia: quia vt ait Gregorius [Radix cuncti mali eſt ſuperbia. De qua dicitur, *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*: quæ eſt amor proprię excellentiæ. Cuius quatuor ſunt ſpecies, vt Gregorius ait. Prima eſt, cùm bonum, quod habet quis ſibi tribuit. Secunda, cùm credit à Deo eſſe datum, ſed tamen pro ſuis meritis. Tertia, cùm ſe iactat habere quod non habet. Quarta, cùm cæteris deſpectis ſingulariter vult videri. Meritò ergo radix omnis mali dicitur ſuperbia. Huic autem videtur obuiare quod Apoſtolus ait, *Radix omnium malorum eſt cupiditas*: quia ſi radix omnium malorum eſt cupiditas, ergo ſuperbiæ. Quomodò ergo ſuperbia radix eſt & initium omnis peccati?] *Greg. lib. & cap. iiſdem. Lib. 23. mor. cap. 7. Eccl. 10. b. Aug. ſuper Geneſ. lib. 11. cap. 15. tom. 3. 1. Tim. vltimo c.*

Quo

Quo ſenſu vtrunque radix dicatur omnium malorum, ſcilicet & ſuperbia, & cupiditas.

SEd vtrunque rectè dictum eſſe intelligitur, ſi genera peccatorum ſingulorum, non ſingula generum vtrâque locutione includi intelliganturnullum quippe genus peccati eſt, quod interdum ex ſuperbia non proueniat: nullum etiam, quod ex cupiditate aliquando non deſcendat. Sunt enim nonnulli hominum, qui ex cupiditate fiunt ſuperbi: & aliqui ex ſu-
Ibid. 15. perbia fiunt cupidi. Eſt enim vt ait Auguſtinus, [homo qui non eſſet amator pecuniæ, niſi per hoc putaret ſe excellentiorem eſſe: ideóque vt excellat, diuitias cupit:] tali homini ex ſuperbia oboritur cupiditas. Et eſt aliquis, qui non amaret excellere, niſi putaret per hoc diuitias maiores habere. Ideò ergo excellere laborat, quia diuitias habere amat. Huic innaſcitur ſuperbia, id eſt, amor excellentiæ, ex cupiditate. Patet ergo quòd ex ſuperbiâ aliquando cupiditas, & ex cupiditate aliquando ſuperbia oritur, & ideò de vtraque rectè dicitur, quod ſit radix omnis mali.

QVÆSTIO I.

Vtrùm peccatum poſſit eſſe in cogitatione?

Alenſis 2.*p.q.*107.*m.*1.*art.*2. D. Thom. 1.2. *q.*20. *art.*4. *& q.* 72. *art.*7. *Vbi* Caiet. Contra. Med. D.Bon. *hîc art.*1.*q* 1.*&* 2.*& d.*41.*art.*2.*q.*1.*&* 2. Ric. *ibi art.*2.*q.*1.2. Gabr. *q.*1. Aug. 1. *contra duas, c.*31. *&* 22.*contra Fauſt.*27. Greg. 4.*mor.*27.

Propter variationẽ circa hunc locum putãtur quatuor ſeq. quæſ. deſumpta ex Report.

CIRCA iſtam quadrageſimam ſecundam diſtin. in qua Magiſter recitat dictum Hieronymi, in quo innuitur, quòd peccatum conſiſtit in cogitatione, ſermone & opere: quæruntur quinque, Primo, Vtrùm peccatum poſſit eſſe in cogitatione? Secundò Vtrùm, in ſermone? Tertiò, Vtrùm conſiſtat in opere? Quartò, Vtrùm diuiſio Hieronymi de peccato ſit ſufficiens? Quintò, poſſet quæri de diſtinctione ſeptem peccatorum capitalium.

Arg. 1. Circa primum arguitur quòd non, quia ſecundùm Auguſtinum de duabus animabus, *Peccatum nuſquam eſt, niſi in voluntate.*

Arg. 2. Item de vera religione, *Peccatum adeò voluntarium eſt*, &c. ſed non eſt voluntarium, niſi quia in voluntate, vel in poteſtate voluntatis: cogitatio autem non eſt in poteſtate voluntatis, dicente Auguſtino 3. de lib. arb. c. 15. *Non eſt in poteſtate noſtra, quin viſis tangamur*: ergo non eſt in cogitatione peccatum.

Arg. 3. Prætereà, nihil eſt peccatum, niſi ſit cognitum, quia non eſt peccatum, niſi volitum, & nihil eſt volitum niſi cognitum: ſed cogitatio non eſt cognita, vel intellecta: quia ſi ſic, aut igitur quando eſt, quod non contingit, quia tunc duo actus eſſent ſimul in intellectu, quod non eſt neceſſe ad hoc, quòd aliquis peccet: nec antequam inſit, quia tunc de iſta intellectione quærerem, vrrùm eſſet intellecta, vel non? & ſi ſic, iterum quærerem de illa, & ſic in infinitum: nec etiam poſtquam inſuit, quia tunc in illa non eſſet peccatum actualiter, quod eſt propoſitum.

Arg. 4. Prætereà in cogitatione non eſt malum: ergo non peccatum. Probatio antecedentis, quia ſi hoc eſſet verum, non eſſet, niſi quia talis cogitatio eſt alicuius mali: ſed intellectio mali, non eſt mala: habet enim Deus cogitationem mali, in quo tamen non eſt malum, vel peccatum. Scientia etiam eſt eadem reſpectu oppoſitorum, & reſpectu vnius oppoſiti eſt bona: igitur, & reſpectu alterius.

SCHO

SCHOLIVM.

Citatis auctoritatibus ad oppoſitum, reſoluit quæſitum q. 4. à n. 3 explicans primò, quomodo cogitatio ſit voluntaria & ſecundò, quomodo in ea ſit peccatum, & ſoluit argumenta hîc poſita, ibi num. 15.

CONtrà eſt Hieronymus *ſuper Ezech.* Idem etiam dicit Auguſtinus 2. de Trin. c. 12. Magiſter in litera, c. illo, *Modi autem*, &c. *Ratio opp.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm peccatum poſſit eſſe in ſermone?

Alenſis 2. *p. q.* 106. *m.* 3. *& q.* 107. *m.* 3. *a.* 4. D. Thom. *hîc qu.* 1. *a.* 1. *&* 5. D. Bonauen. *a.* 1. *quæſt.* 1. Rich. *ar.* 1. *quæſt.* 1. *&* 2. (*& diſt.* 40. *a.* 1. *quæſt.* 4.) Gabr. *quæſt.* 1. *ar.* 1. Capr. *quæſt.* 1. *a.* 1. Durand. *quæſt.* 1. Vaſq. 1. 2. *diſt.* 76.

ITEM ſecundum, vtrùm peccatum poſſit eſſe in ſermone? arguitur quòd non. Vtens inſtrumento ad finem illum, ad quem eſt ordinatum, non peccat ſic vtendo: ſed ſermo inuentus eſt ad exprimendum mutuæ voluntatis indicia, ſecundùm Platonem in Timæo. *Arg.* 1.

Prætereà, ſi eſſet peccatum in ſermone, hoc eſſet, vel inquantùm eſt vox, vel inquantùm ſignificatiua: non inquantùm vox, quia tunc in brutis eſſet peccatum, nec vt ſignificatiua, quia ad ſignificandum eſt impoſita, & eius impoſitio non eſt peccatum: tum etiam, quia ex hoc, quòd eſt ſignificatiua non imprimitur ſibi aliqua qualitas: ergo. *Arg.* 2.

SCHOLIVM.

Adductis auctoritatibus ad oppoſitum, reſoluit quæſitum quæſt. 4. *à num.* 16. *explicans optimè quomodo ratio peccati poſsit eſſe in ſermone, & ſoluit argumenta hîc oppoſita, ibi, num.* 15.

CONtrà Matth. 5. *Qui dixerit fratri ſuo raca, reus erit iudicio.* Prætereà, Iac. 3. *Si quis verbo non offendit.* Item ibidem. *Lingua ignis eſt.* *Ratio opp.*

QVÆSTIO III.

Vtrum peccatum conſiſtat in opere?

Alenſis 2. *p. q.* 106. *m.* 3. D. Thom. 1. 2. *q.* 18. *a.* 4. *vbi* Caiet. Conrad. Baſſolus *hîc qu. vn. a.* 1. Leuchet. *&* Tartaret. *hîc.* Vaſq. 1. 2. *diſt.* 76. *& omnes citati pro q. præced.*

ITEM tertium. Vtrùm peccatum conſiſtat in opere? arguitur quòd non. Quia quod non eſt voluntarium, non eſt peccatum: opus non eſt voluntarium, ad Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc facio, ergo.* Prætereà, in eo, quod eſt commune brutis, & hominibus, non poteſt eſſe peccatum: per illud enim commune, non poſſumus nos conuertere ad finem, nec auerti à fine: ſed in multis operibus, in quibus deberet eſſe peccatum, communicamus cum brutis: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Poſitis auctoritatibus ad oppoſitum, reſoluit quæſitum, quæſt. 4. *à num.* 18. *explicans quomodo*

modo actus aliarum ſint in poteſtate voluntatis, & quomodo in eis poteſt eſſe peccatum.

Pſal. 17. cap. 14. CONtrà, in Pſal. *Reddet vnicuique iuxta opera ſua.* Et Apoc. *Opera enim illorum ſequuntur eos.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm diuiſio D. Hieronymi de peccato ſit ſufficiens?

D. Hieron. *in c. 43. Ezechiel.* D. Thom. 1. 2. *q. 72. a. 7. vos* Caiet. Conrad. Vaſq. Baſſol. *hîc qu. vn. a. 2. & 3.* Leuchet. & Tartaret. *hîc* Aſſor. *tom. 1. l. 4. cap. 4.*

CIr ca quartam, vtrùm diuiſio D. Hieronymi de peccato, ſit ſufficiens; Proceditur ſine argumentis. 1.

SCHOLIVM.

Hic oſtenſo malitiam eſſe primariò in voluntate aſſerit tamen malitiam diſtinctam eſſe in actibus externis, ſed minùs principaliter, quod expreſsiùs tractat quodl. 18. ar. 3. ita Gabr. Baſſol. Leuch. Rubion. Tartar. hîc Rada 2. tom. con. 18. ar. 1. Herrera hîc diſp. 33. qu. 2. Angles 2. d. 40. qu. 1. Alenſis 4. p. q. 77 m. 3. a. 5. & 2. p. q. 107. m. 3. a. 2. & q. 106. m. 3. gloſ. c. ſi cui. de pœn. diſt. 1. oppoſitum tenent D. Thom. 1. 2. qu. 20. a. 4. vbi expoſ. Vaſq. d. 76. c. 2. Aſſor. to. 1. l. 2. c. 6. qu. 6. nec obſtat, quòd hic dicat Scot. peccatum eſſe tantùm materialiter extra voluntatem, quia intendit, non habere malitiam, niſi dependenter à voluntate, qua tamen non rectificante potentias ſubiectas, in ipſis etiam poteſt eſſe diſtincta malitia, ſed maior in voluntate, ſic ſuprà diſt. 37. qu. 2. §. Concedo igitur explicando definitionem peccati, dicit, velle eſſe eius materiale, ſcilicet in ordine ad priuationem, quæ eſt eius formale, non tamen negat velle habere malitiam intrinſecam. Hic autem explicat ideò peccatum materialiter competere aliis potentiis, quia libertati voluntatis ſubſunt.

AD quæſtiones iſtas, [a] præmitto quoddam generale, ſcilicet quòd malitia, primò & formaliter non eſt niſi in aliquo actu voluntatis. Probatio, quia iuſtitia habitualis, vt diſtinguitur contra peccatum originale, & actualis iuſtitia, vt diſtinguitur contra peccatum actuale, eſt in voluntate: ergo peccatum originale, & actuale eſt in voluntate, hoc ſatis patet per Anſel. de peccato originali. cap. 4.

In voluntate eſt peccatum primariò. Item Auguſtinus 3. de lib. arb. [b] *Cauſa prima peccandi eſt voluntas:* nihil enim eſt peccatum, niſi quod eſt in poteſtate facientis: & nihil eſt in poteſtate facientis, niſi quod eſt in poteſtate voluntatis eius: quia nihil præter hoc eſt imputabile, & ideò dicit 12. *de Ciuit. cap.* 8. quòd defectus voluntarios ſequitur debita pœna, ex quo ſequitur quòd in ſolo *velle* eſt peccatum primò, & in aliis non niſi mediante *velle.*

Prætereà, omnis cauſa actiua in vniuerſo, præter voluntatem eſt naturaliter actiua ergo nulla præter voluntatem eſt vituperabilis propter ſuam actionem: hoc enim, patet per Auguſtinum 3. *de lib. arb.* cauſa enim naturalis ſecundùm eum, non agit, niſi ſecundùm quòd accipit, vt agat ab alio; & ideò in nulla ſua propria actione eſt vituperabilis, & ideò in nulla actione ſua eſt peccatum: ex quo ſequitur quòd in cogitatione, ſermone, & opere, non eſt peccatum formaliter & primò, ſed hoc eſt in ſolo actu voluntatis.

Ideo materialiter in aliis actibus quia dependent à motione voluntatis. Actum externum habere propriam malitiam. Scot. quodl. 18. ar. 3.

Secundò dico, quòd licèt peccatum non poſſit eſſe formaliter niſi in voluntate, vel in actu eius, materialiter tamen poteſt eſſe in iſtis actibus dictis, ſcilicet, cogitatione, ſermone, & opere; quia ſecundùm Anſelmum *vbi ſuprà*, voluntas eſt motor in toto regno animæ, & omnia obediunt ſibi: ſicut ergo voluntas, tenetur habere in actu ſuo rectitudinem, ſic tenetur habere illam in aliis actibus exterioribus, ad quos cooperatur, vt motor. Sicut igitur mouendo rectè potentias inferiores, actus earum ſunt recti rectitudine participata; ita etiam per oppoſitum, mouendo non rectè, ſunt actus earum non recti quam rectitudinem debet voluntas illis dare: & ita mouendo 2.

eas

eas, non rectè, priuat eas illa rectitudine: & hoc habetur expreſſè ab Anſelmo, *vbi ſuprà*, capit. 4. vbi loquens in forma aliarum potentiarum dicit: *Dediſti nobis Dominum cui obedire non poſſumus*, &c. & dicit quòd mouet alias potentias in nobis, ſicut inſtrumenta. Ex quo etiam ſequitur, quod nullus actus poſſit eſſe malus, etiam materialiter, niſi qui poteſt imperari ab actu voluntatis formaliter malo.

COMMENTARIVS.

1. *An malitia ſit in actu voluntatis.*

a ADiſtas quæſtiones Doctor reſpondendo præmittit quoddam generale dictum, ſcilicet quòd malitia primò, & formaliter, non eſt niſi in aliquo actu voluntatis; & hoc multipliciter probat. Primò, quia iuſtitia habitualis, vt diſtinguitur, &c. eſt formaliter in voluntate, & hæc iuſtitia actualis nihil aliud eſt, niſi rectitudo actus, de qua ſuprà dictum eſt *in ſecundo, diſt.* 34. 35. 36. & 38. & ſimiliter patet *in quarto, diſt.* 14. *q.* 1. Si ergo talis iuſtitia habitualis, & actualis eſt formaliter in voluntate, etiam peccatum originale, & actuale erit formaliter in voluntate, & de peccato originali ſatis patet per Anſelmum *de peccato originali. cap.* 4. Patet etiam per rationem, quia priuatio, & habitus ſunt contradictoria circa idem, vt patet 10. *Metaph. tex. commen.* 15. nam peccatum originale eſt carentia iuſtitiæ originalis, vt patet per Anſelmum de peccato originali, cap. 27. *Per peccatum*, inquit, *quod originale dico aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus niſi factam per inobedientiam Adæ iuſtitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes ſunt filij iræ*, & ſic patet quomodo talis nuditas nihil aliud eſt, niſi carentia iuſtitiæ originalis, & de hoc vide Doctorem ſuprà *in iſto ſecundo, diſt.* 31. Similiter peccatum actuale eſt formaliter carentia, ſiue priuatio iuſtitiæ actualis, non quæ inſit actui, ſed deberet ineſſe, & de hoc prolixè dictum eſt *in iſto ſecundo, d.* 34. 35. 36. & 37.

Quid peccatum actuale.

b Secundò probat idem per Auguſtinum 3. de lib. arbit. cap. 1. *Cauſa prima peccandi eſt voluntas*, & nihil eſt in poteſtate facientis, niſi quòd eſt in poteſtate voluntatis eius, quia nihil præter hoc eſt imputabile, vt prolixè patet à Doctore *in quodli. q.* 17. & 18. & hoc idem per Auguſtinum 13. *de Ciui. cap.* 8. qui vult, quòd defectus voluntarios ſequitur debita pœna, & quia ſolum peccatum eſt punibile, ideò eſt voluntarium, & nihil eſt primò, & formaliter voluntarium, niſi actus elicitus voluntatis.

Quomodo peccatum ſit volũtarium.

Tertiò, & vltimò patet hoc idem: quia *omnis cauſa actiua in vniuerſo præter voluntatem eſt naturaliter actiua*, accipiendo *naturaliter*, non vt diſtinguitur contra *ſupernaturaliter*, ſed vt diſtinguitur contra agens à propoſito, ſiue per voluntatem, & ſic hîc accipitur *naturaliter*, id eſt, per modum naturæ, &c.

2. *Dubium* 1.

Sed occurrit difficultas in hoc, quod dicit, quòd peccatum eſt tantùm materialiter in actu aliarum potentiarum à voluntate. Contrà, quia priuatio rectitudinis, quæ debet ineſſe actui, eſt formaliter peccatum, & talis priuatio ineſt formaliter actui imperato in parte ſenſitiua, ſicut etiam rectitudo actualis actus eſt actu, & formaliter in iſto.

Dubitatur 2.

Secundò etiam dubitatur in hoc, quòd dicit, quòd *eſt à ſola voluntate*, quia actus bonus, vel malus voluntatis non eſt bonus, vel malus, niſi quia elicitus à libero arbitrio; ſed liberum arbitrium includit tam intellectum, quam voluntatem; ergo actus bonus, vel malus ita eſt ab intellectu, ſicut à voluntate.

Reſponſio ad primum.

Reſpondeo ad primum, quòd Doctor non negat quin priuatio rectitudinis, quæ deberet ineſſe actui imperato in aliis potentiis ſit formaliter in tali actu, ſicut etiam iuſtitia actualis oppoſita eſt formaliter in iſto, vt patet, *in tertio, d.* 33. Nec etiam habet negare quin talis priuatio rectitudinis ſit formaliter peccatum, cùm talis priuatio ſit formaliter quædam deformitas, vocat ergo talem priuationem peccatum materialiter, pro quanto talis actus imperatus immediatè elicitur à tali potentia, quæ nullo modo tenetur dare rectitudinem actui, ſi ergo actus eſt rectus, vel malus, hoc non eſt quia præcisè à tali potentia, ſed quia imperatur à potentia libera, quæ tenetur dare rectitudinem actibus aliarum potentiarum, quæ ſubſunt imperio ipſius: ſed actus immediatè elicitus à voluntate dicitur formaliter bonus, vel malus ex hoc ſolo, quòd immediatè elicitur à potentia, quæ tenetur dare rectitudinem tali actui. Patet etiam quòd ideò in actibus aliarum potentiarum dicitur peccatum materialiter, quia tales actus non poſſunt eſſe primò boni, vel mali, ſed neceſſariò præſupponunt actum elicitum voluntatis bonum, vel malum, quo tales actus imperantur, & hoc ſatis patere poteſt ex dictis *in* 1. *diſt. vlt. & diſt.* 17.

Reſponſio ad ſecundum.

Ad ſecundum dubium dico breuiter, tenendo quòd intellectus ſit pars liberi arbitrij, eo modo, quo ſuprà expoſui in iſto ſecundo, diſt. 38. quòd licèt intellectus concurrat partialiter ad actum voluntatis quoad ſubſtantiam, & intenſionem actus, tamen non concurrit ad rectitudinem, vel deformitatem actus; ſed hoc eſt ſolùm à voluntate; nam vt voluntas partialiter elicit actum, ſi illum elicit conformiter intellectui recto, dat rectitudinem actui: ſi verò elicit difformiter, tunc priuat actum tali rectitudine, & quia in ſola poteſtate voluntatis eſt ſic conformiter, vel difformiter elicere actum intellectui recto, ideò conformitas in actu eſt formaliter rectitudo actus; & difformitas eſt formaliter priuatio rectitudinis, vt ſatis patet à Doctore *in* 1. *diſt in.* 17. & de hac conformitate vide quæ ibi expoſui, & in iſto ſecundo, *diſt.* 41. Et quòd voluntas poſſit conformiter elicere, & difformiter, hoc expreſsè patet à Doctore *in iſto* 2. *diſt.* 9. & 39.

SCHOLIVM.

Pro reſolutione q. primæ obiicit, multipliciter probans cogitationem non ſubeſſe imperio voluntatis.

EX iſtis [c] reſpondeo ad primam quæſtionem, vbi primò videndum eſt, ſi cogitatio ſit in poteſtate voluntatis, & quomodo. Secundò, quomodo poteſt eſſe mala: primum enim eſt neceſſarium ad ſecundum: cùm enim in cogitatione non ſit formaliter malitia, vel peccatum ad hoc quòd ſit aliqualiter mala, oportet quòd ſubſit imperio voluntatis, ex qua ſubiectione contrahat malitiam à malitia voluntatis. 3.

An cogitatio ſit in poteſtate voluntatis.

Quantùm ad primum, non videtur [d] quòd ſubſit imperio voluntatis, quia omnis volitio requirit neceſſariò intellectionem naturaliter priorem, licèt ſimul duratione: quæro igitur, quam cogitationem poteſt imperare? non illam priorem, patet: nec aliam ſecundam, quia ad nihil mouet voluntas ſimul duratione, niſi ad illud, quod fuit præcognitum: igitur ſi mouetur ad cogitationem ſecundam, illa erat iam cognita, & ſic poſſet procedi in infinitum.

Arguit cogitationem non ſubeſſe voluntati.

Aliter deducitur argumentum ſic [e]. Si voluntas poteſt imperare intellectui cogitationem alicuius obiecti, tunc aut illam, à quo auertit intellectum: aut illam, ad quam conuertit ipſum. Non primum, quia tunc non auerteret ab ea: nec ſecundum quia, vt dictum eſt, volitio requirit in intellectu actualem cognitionem ſimul duratione, & priorem natura: cogitatio verò ad quam conuertit, eſt poſterior natura volitione, per quam intellectus conuertitur ad illam: igitur non videtur quòd voluntas poſſit imperare cogitationem aliquam intellectui, nec ipſum auertere à conſideratione alicuius obiecti, & conuertere ad aliud.

Tex. co. 6. Præterea, in per ſe cauſis eiuſdem ſpeciei non poteſt eſſe circulus, *ex primo Poſteriorum*, tunc enim idem eſſet eſſentialiter prius, & poſterius: ſed cogitatio in intellectu eſt per ſe cauſa requiſita ad volitionem, cùm voluntas non poſſit velle, niſi præcedente cogitatione in intellectu: ergo non erit è conuerſo voluntas cauſa cogitationis in intellectu, & per conſequens, nec imperabit illam. 4.

Dices, [f] quòd cogitatio in intellectu non eſt per ſe cauſa volitionis in voluntate, ſed tantùm cauſa ſine qua non. Contrà, cauſa prior, non ſolùm non habet *eſſe* à cauſa poſteriori, ſed nec ad actum ſuum præſupponit actum cauſæ poſterioris: ſed ſi voluntas imperat cogitationem in intellectu, oportet eam eſſe cauſam priorem intellectu: ergo non præſupponit actum intellectus, vt cauſam ſine qua non.

Præterea [g] quilibet effectus habens cauſam ſufficientem, poteſt cauſari ab ea: ſed quælibet intellectio habet cauſam ſufficientem, ſcilicet, memoriam perfectam, ad cuius rationem non concurrit voluntas: vt patet in diuinis, vbi ad actum memoriæ perfectæ non concurrit voluntas concauſans, quia voluntas non concurrit ad productionem Filij, *ex diſtin. 6. primi libri*: ergo non poteſt imperare, nec intellectum mouere ad actum intelligendi.

Præterea, cauſa efficiens intellectionis meæ, videtur eſſe obiectum intelligibile cum intellectu agente; ex quo ſequitur quòd voluntas non habet cauſalitatem ſuper illam, quia cauſæ naturales habentes cauſalitatem ſuper effectum communem, cauſant illum totaliter.

COMMENTARIVS.

1. [c] EX iſtis reſpondeo ad primam quæſtionem, quæ eſt de cogitatione. Doctor facit duo. Primo, præmittit an cogitatio poſſit eſſe in poteſtate voluntatis, & quomodo poſſit eſſe. Secundò, oſtendit quomodo cogitatio poſſit eſſe mala, & primum præſupponitur ſecundo, quia, vt dictum eſt ſuprà, actus alterius potentiæ à voluntate non poteſt eſſe bonus, vel malus materialiter, niſi ſubſit imperio voluntatis.

Cogitatio non poteſt ſubeſſe imperio voluntatis.

[d] *Quantùm ad primum.* Hîc Doctor plura facit. Primò, probat tribus rationibus, quòd cogitatio non poſſit ſubeſſe imperio voluntatis. Secundò in generali oſtendit quomodo actus intellectus ſit in poteſtate voluntatis adducendo aliquas auctoritates, & aliquas rationes. Tertiò concedit quòd aliqua intellectio vel cogitatio eſt à voluntate imperata, diſtinguendo tamen de prima, & ſecunda cogitatione, & de prima nullus dubitat quòd non eſt in poteſtate voluntatis, ſed de ſecunda eſt difficile, & loquendo de iſta ſecunda antequã ponat opinionem propriã, ponit quinque modos reſpõdendi, quos etiã improbat.

Quoad primum, vbi probat tribus rationibus actum intellectus non ſubeſſe imperio voluntatis, Arguit primò ſic: *omnis volitio requirit neceſſariò intellectionem naturaliter priorem, licèt ſimul duratione*, quia voluntas non fertur niſi in præcognitum, vt patet per Auguſtinum: *quæro igitur quam cogitationem poteſt imperare? non illam priorem, vt patet*, quia eſt priùs elicita actu elicito voluntatis, & non poſſet imperari à voluntate, niſi mediante actu ſuo elicito: nec aliam ſecundam poſſet voluntas imperare, quia tunc talis ſecunda fuiſſet præcognita, quia voluntas ad nihil mouet etiam ſimul duratione, niſi ad illud, quod fuit præcognitum. Si ergo mouet intellectum ad talem cogitationem, ſcilicet imperando intellectui, vt eliciat talem cogitationem, ſeu intellectionem circa tale, vel tale obiectum: ergo talis intellectio fuit priùs præcognita

gnita per aliam intellectionem, quia voluntas (vt dixi) non poteſt ferri, niſi in præcognitum; & tũc quæro de illa alia, quæ erit tertia in ordine, aut poteſt mouere intellectum ad illam eliciendam, aut non? Si non, ergo nec ſimiliter poterit mouere intellectum ad ſecundam eliciendam, cùm non ſit maior ratio de ſecunda quam de tertia; ſi ſic, ergo illa tertia fuit præcognita per aliam, ſcilicet per quartam, & tunc vel oportebit procedere in infinitum in actibus intelligendi, aut oportebit concedere quòd nullus actus intelligendi ſubſit imperio voluntatis.

2. *Voluntas poteſt imperare intellectui.*

e Deinde arguit ſic, & redit in idem: cùm primò dicis quòd voluntas poteſt imperare intellectui cogitationem alicuius obiecti, tunc quæro, aut poteſt imperare illam, à qua auertit intellectum, puta imperare intellectui, quòd deſinat à cognitione lapidis; aut poteſt imperare illam ad quam conuertit illum intellectum, puta an poſſit imperare intellectui quòd eliciat cognitionem circa lapidem? Non primum, quia tunc non auerteret ab ea; patet, quia ſi voluntas vult auertere intellectum à cognitione, puta hominis, imperando intellectui vt deſinat à tali cognitione, hoc non poteſt imperare, niſi talis ſit præcognita ab intellectu, & ſic oportebit voluntatem imperare intellectui vt conuertat ſe ad illam cognitionem cognoſcendo illam, & tunc imperando talem cognitionem, qua cognoſceret cognitionem hominis non auerteret à cognitione hominis; imò magis firmaret illam, imò oporteret ſi vellet auertere intellectum à cognitione hominis, quòd etiam ſimul auerteret ab illa ſecunda cognitione: ſed hoc non poſſet facere niſi talis ſecunda cognitio foret præcognita per aliam cognitionem quæ erit tertia, & ſic oporteret voluntatem imperare intellectui vt eliciat illam tertiam, quam etiam non poſſet imperare, niſi eſſet præcognita, & ſic eſſet procedere in infinitum. Non ſecundum, quia, vt dictum eſt in prima ratione, volitio requirit in intellectu actualem cognitionem ſimul duratione, & priorem natura, cogitatio verò ad quam conuertit, id eſt, quam imperat eliciendam ab intellectu circa tale, vel tale obiectum eſt poſterius natura volitione, per quam intellectus conuertitur ad illam, ſiue per quam intellectus imperatur ad illam cognitionem eliciendam; ſed hoc non poteſt eſſe quia talis cognitio imperata erit neceſſariò prior natura, quia voluntas non poteſt ferri in illam, niſi priùs fuerit cognita ab intellectu.

3. f *Dices*, ſcilicet ad iſtam tertiam rationem, concedendo ipſam de per ſe cauſis, ſed negatur, quòd cogitatio ſit per ſe cauſa volitionis, ſed tantùm ponitur cauſa ſine qua non.

Nota. *Contra*, Hìc inſtat contra hanc reſponſionem, *cauſa prior non ſolùm non habet eſſe à cauſa poſteriori, ſed nec ad actum ſuum præſupponit actum cauſæ poſterioris*: hoc patet, nam Sol ponitur cauſa prior cauſa particulari reſpectu, puta ignis generandi, ſicut ergo entitas Solis non dependet ab entitate cauſæ particularis in eſſendo ſic, nec actio Solis circa ignem generandum dependet ab actione cauſæ particularis, nec neceſſariò præexigit illam, quia in eſſentialiter ordinatis cauſa prior priùs in fuit in effectum, vt patet in lib. de Cauſis. Sed in propoſito, ſi voluntas imperat cognitionem in intellectu oportet eam eſſe cauſam priorem intellectu reſpectu talis cogitationis; ergo non præſupponit actum intellectus vt cauſa ſine qua non; & tamen ſi voluntas imperaret intellectui ad cogitationem eliciendam, eſſet cauſa ſuperior ipſo intellectu reſpectu talis cogitationis eliciendæ, & ſic imperando illam, illa voluntas nullo modo præexigeret aliquem actũ intellectus, quod tamen eſt manifeſtè falſum; quia nunquam voluntas poteſt habere aliquem actum circa actum alterius potentiæ niſi præexigat actum aliquem intellectus, cùm voluntas nunquam feratur niſi in præcognitum.

g *Quilibet effectus.* Hæc eſt tertia ratiò principalis, qua probat, quòd nullus actus intellectus ſubſit imperio voluntatis, & ratio ſtat in hoc, quia quælibet intellectiò præter omnem actum voluntatis habet ſufficientem cauſam reſpectu ſuæ productionis; ergo non dependet à voluntate vt à cauſa. Antecedens patet, quia memoria perfecta (quæ ſecundùm Doctorem *in primo, d. 2. parte 2. q. 3. & di. 3. q. 7. 8. & q. prima, & ſecundo, d. 1. quæſtio. 1.* includit intellectum, & obiectum præſens vel in ſe, vel in ſpecie intelligibili, vt duas cauſas partiales intellectionis integrantes vnam totalem) eſt principium effectiuum ſufficiens cuiuſcunque actus intelligendi, ſicut etiam memoria fœcunda in Diuinis eſt principium perfectum tam notitiæ eſſentialis, quàm notitiæ genitæ, nullo actu voluntatis diuinæ quouis modo concurrente; vt prolixè oſtenſum eſt à Doctore *in primo, diſt. 6. q. vnica*, ſic erit in propoſito.

4. *Confirmatio rationis.*

Confirmatur iſta ratio, quia cauſæ naturales habentes cauſalitatem ſuper effectum communem ipſis cauſis, totaliter cauſant illum effectum, ita quòd cauſationem illius non concurrit voluntas; nam calor qui ponitur cauſa naturalis caliditatis ligni ſic cauſat caliditatem in ligno, quòd nulla voluntas creata concurrit ad talem cauſationem. Sed in propoſito, intellectus, & obiectum ſunt cauſæ naturales cuiuſcunque intellectionis, & agentes per modum naturæ; vt ſatis patet à Doctore *diſt. 3. q. 7. primi. & 15. q. quolib.* vbi etiam videtur tenere, quòd non ſolùm intellectus agens ſit partialis cauſa intellectionis; ſed quòd etiam intellectus poſſibilis: ergo quælibet intellectio ſic dependet à ſolo intellectu; & obiecto præſente in ſe, ſi eſt intellectio intuitiua; vel à ſpecie intelligibili obiecti, ſi eſt abſtractiua, vt patet à Doctore *in primo, diſt. 3. quæſt. 7. & 8. & diſt. 17.* quòd nullo modo dependet ab actu alicuius voluntatis creatæ, & ſic patent iſte tres rationes.

SCHOLIVM.

Ratione & auctoritate clarè probat cogitationem aliquam ſubeſſe voluntati, id tamen de prima cogitatione non poſſe dici, quia præcedit omnem actum voluntatis.

5. REſpondeo [h] & dico, quòd oportet actum intellectus eſſe in poteſtate voluntatis, ita quòd poſſit intellectum auertere ab vno intelligibili, ad aliud intelligibile

Cogitationem ſubeſſe voluntatis imperio alioquin non poſſet intelligi obiectũ minus perfectum, præſente perfectiori. Tex. 60. ca. 9. & circiter. idem 3. de anima comm. 18.

conuertendo, aliàs intellectus ſtaret ſemper in cognitione obiecti perfectiſſimi habitualiter ſibi noti. Probatio, agens perfectius circa idem paſſum fortius agit, & impedit minùs perfectum (patet de igne, & aqua, quæ ſi agant circa idem, ignis totaliter impediet aquam in ſua actione, ita quòd non habebit effectum ſuum) ſed obiecta intelligibilia reſpectu intellectionis ſunt cauſæ naturales actiuæ, & intellectus agens, & poſſibilis, ſi ponantur agere ad intellectionem: igitur minùs perfectum intelligibile, præſente magis perfecto intelligibili mouente, nunquam moueret: neque auerteretur intellectus ab illo magis perfecto, & efficaciſſimo intelligibili.

i Præterea Auguſtinus 11. *Trin. cap. 2. & 15. cap. 27.* dicit quòd voluntas vult, & copulat intelligentiam proli, verum eſt tamen quòd in 11. loquitur de ſenſu: ſed in 15. de intellectu. Præterea 2 de Anima. *Intelligimus cùm volumus*, ſcilicet quorum notitiam habitualem habemus. Præterea, *Habitus eſt, quo quis poteſt vti cùm voluerit*, primo Ethicorum; ergo.

Prima cogitatio non eſt in noſtra poteſtate.

Dicitur igitur k quòd aliqua intellectio, vel cogitatio, eſt à voluntate imperata: & cùm poſſit diſtingui cogitatio generaliter in primam, & ſecundam. De prima probo quòd non poteſt eſſe in poteſtate voluntatis: quia aliqua cogitatio præcedit neceſſariò omne *velle* (ſaltem natura) ſed quod præcedit omne *velle*, & eſt prius, natura ſaltem, non eſt in poteſtate noſtra, hoc etiam dicit Auguſtinus 3. de lib. arbit. cap. 15. *Non eſt in poteſtate noſtra, quin viſis tangamur.*

COMMENTARIVS.

1. *Actus intellectus ſubeſt imperio voluntatis.*

h *Reſpondeo, & dico:* Hoc eſt ſecundùm principale in iſto articulo vbi Doctor probat in generali, quòd actus intellectus ſubeſt imperio voluntatis; ſi enim nullus actus intellectus ſubeſſet imperio voluntatis, tunc intellectus ſemper intelligeret obiectum perfectiſſimum, vel obiectum perfectius, ita quòd nunquam poſſet intelligere obiectum imperfectius, cuius oppoſitum experimur, & quòd hoc ſequatur, patet, quando duæ cauſæ naturales agunt circa vnum paſſum, quarum vna eſt valde perfectior alia, tunc perfectior impedit actionem ſecundæ; ſed in propoſito, quodcunque obiectum comparatum ad intellectum vt ad paſſum, ſiue receptiuum intellectionis, eſt cauſa meræ naturalis: ergo obiectum perfectius ſic concurreret ad intellectionem ſui vnà cum intellecto, quæ eſt alia cauſa partialis, quòd totaliter impediret actionem obiecti imperfectioris, & ſic tanquam præſentia obiecti perfectiſſimi, nunquam intellectus poſſet ſe auertere à cognitione talis obiecti, & conuerteret ſe ad cognitionem imperfectioris, quod videtur abſurdum.

2. i Hoc idem probat Auctoritatibus. Prima eſt Auguſtini. Hoc etiam patet auctoritate Philoſophi 2. de Anima. tex. com. 60. qui dicit, quòd *intelligimus cùm volumus*, ſcilicet quorum notitiam habitualem habemus, & accipitur hic *notitia habitualis* non pro habitu cauſato ex actibus, ſed pro obiecto præſente, ſaltem in ſpecie intelligibili, & ſic voluntas poteſt vti modò vna ſpecie, modò alia ad intelligendum aliud, & aliud obiectum, vt ſuprà expoſitum eſt *in iſto ſecundo, diſt. 9.* Habetur etiam primo Ethic. quòd *habitus eſt quo quis poteſt vti cùm voluerit*, ita quòd eſt in poteſtate voluntatis ad libitum vti quocunque habitu, ſiue appetitiuo, ſiue intellectiuo, accipiendo etiam *habitum* pro ſpecie intelligibili, quæ dicitur habitus ex illa conditione, quòd eſt qualitas firmata in intellectu, vt patet à Doctore in primo, diſt. 3. quæſt. 6.

Cap. 9. & crearetur.

Quomodo ſpecies intelligibilis vocetur habitus.

3. k *Dico igitur.* Hoc eſt tertium principale in 1. arti. vbi Doctor vult quòd aliqua intellectio ſubſit poteſtati voluntatis, ſed reſpectu eiuſdem obiecti poteſt eſſe intellectio ſecunda, & loquendo de prima, patet quòd illa non eſt in poteſtate voluntatis, cùm ſit prior natura quocunque actu voluntatis elicito circa tale obiectum, & hoc, quia voluntas nunquam fertur, niſi in præcognitum, id eſt, nunquam elicit aliquẽ actum circa aliquid obiectum, niſi priùs natura fuerit cognitum per intellectum, quia obiectum nũquam eſt perfectè præſens voluntati in ratione obiecti, vel amabilis, vel odibilis, niſi vt actu cognitum non quòd eſſe cognitum ſit ratio formalis obiecti voluntatis, vt expoſui prima quæſt. quodl. vide ibi.

SCHOLIVM.

Ponit quinque modos explicandi, quomodo cogitatio ſubſit imperio voluntatis, & omnes refutat efficaciter & clarè.

Nota.

6. Sed de ſecunda cogitatione l videtur difficile, quòd ſit in poteſtate noſtra, cùm ad nihil videatur mouere voluntas, niſi ad cognitum, & dicitur hic multipliciter. Vno modo, quòd ſufficit ad hoc, quòd voluntas moueat ad cogitationem alicuius quòd illud ſit cognitum ſolùm habitualiter, non actualiter. Alio modo dicitur, quòd ſufficit cognitio, vel cogitatio alicuius obiecti in vniuerſali, vel in aliquo ſimili,

vel

vel contrario. Alio modo dicitur, quòd ſufficit cognitio illius obiecti remiſſa, vè quòd voluntas remittat intellectum ad cogitationem inexiſtentem ſibi: & tunc illa cogitatione remiſſa occurrit aliud cogitabile.

Alij dicunt, quòd intellectus habet actum collatiuum, ita quòd inquantùm cognoſcit vnum correlatiuum comparando ipſum ad aliud, voluntas mouet ad ſtandum in cognitione illius. Alij dicunt, quòd in poteſtate voluntatis non eſt cognitio ſimplex, ſed diſcurſiua: ſed ex ſimplici mouet ad diſcurſiuam, ita quòd intellectui apprehendenti cognitione ſimplici aliqua duo obiecta, voluntas imperat collationem vnius ad alterum:

7. Contra primum modum Impoſſibile eſt voluntatem velle actu, niſi ſit actualis intellectio in intellectu: ſi enim ſufficeret habitualis, tunc dormiens, vel quantumcunque diſtractus poſſet velle aliquod notum in habitu. *Non datur actuale velle ſine actuali intellectione.*

Nec ſecundus modus valet, [m] quia tunc cùm in lapide intelligatur ſubſtantia corporea, intellectio lapidis ſufficeret ad volendum auem, vel bouem, quia hæc intelliguntur in ſubſtantia corporea, vt in vniuerſali: ſimiliter ad intelligendum auem determinatè, vel bouem determinatè, & ſimiliter de quacunque alia ſubſtantia corporea. Item, illa intellectio in vniuerſali, vel eſt idem cum intellectione in particulari, vel alia: non poteſt eſſe alia, quia ſicut vniuerſale in ſingulari non eſt aliud quàm ſingulare: ſic nec intellectio vniuerſalis in particulari, eſt alia à particulari: ergo eſt idem in particulari: ſed per hanc non intelligitur niſi aliquid determinatum: ergo.

Prætereà [n], intelligendo vniuerſale, poſſum velle quodlibet contentum ſub vniuerſali, quod eſt volibile, vel appetibile: puta intelligendo animal, poſſum velle ouem, vel bouem: hoc tamen non poſſum ſine ſpecie propria ouis, vel bouis, quam ſpeciem non cauſat illa intellectio vniuerſalis, nec etiam voluntas: ſed obiectum ſingulare & intellectus agens: igitur intellectio vniuerſalis non ſufficit. *Ad velle in ſpecie non ſufficit notitia in genere.*

8. Tertius etiam [o] modus non eſt conueniens: benè enim concedo quòd voluntas poteſt remittere cogitationem inexiſtentem: ſed tunc à caſu accidit, quòd occurrit aliud intelligibile, vel cogitatio alterius intelligibilis, vel eiuſdem aliter, quàm priùs, quod quidem intelligibile moueat intellectum, & voluntatem, & ſic ſolùm caſualiter & non per ſe eſſet cogitatio in poteſtate voluntatis. Prætereà [p], non ſaluat propoſitum, quia quantumcunque voluntas moueat ad aliud, remittendo priorem cogitationem; hoc tamen non eſt per ſe ad aliquod determinatum: quia hoc ſolum eſt ad phantaſma fortius, quod fortiùs mouet: & hoc per accidens, inquantùm ſcilicet remittit illam cogitationem.

Quartus etiam modus [q] non ſufficit: non enim ſemper ad hoc quòd voluntas auertat intellectum ab vno, & conuertat ad aliud, oportet quòd cognitio, vel cogitatio ſit comparatiua: quia vnum obiectum poteſt cognoſci per ſe ſine comparatione ad aliud, & ab intellectione illius, poteſt voluntas auertere intellectum. Item in comparatione non eſt intellectio alterius, ſed tantùm cointellectio.

9. Vltimus etiam modus non valet, quia ſi non eſt in poteſtate noſtra illud, ſine quo non poteſt haberi diſcurſus, nec etiam ipſe diſcurſus erit in poteſtate noſtra: diſcurſus autem neceſſariò præſupponit cognitionem apprehenſiuam obiecti: & illa ſimplex intellectio obiecti, ad quam debet intellectus diſcurrere non eſt in poteſtate voluntatis, vt probatum eſt ſuprà, ergo nec diſcurſus.

Item, contra omnes modos ſimul, quia nullus eorum poteſt aſſignare aliquem actum in intellectu in eodem inſtanti cum volitione, qui ad hoc ſufficiat. Non primus, quia ille nullum actum ponit, ſed ſolùm cognitionem habitualem: nec ſecundus, quia volitio eſt in ſe diſtincta: ſed actus, vel cognitio in vniuerſali eſt indiſtincta nec tertius, quia remiſſio intellectionis vnius obiecti, non ponit aliquam intellectionem alterius obiecti, niſi à caſu: nec quartus, quia quando intelligo lapidem abſolutè, non habeo comparationem præuiam, nec abſoluta intellectio ſufficit ad hoc, quòd velit comparatiuam: nec quintus, quia in inſtanti, in quo voluntas conuertit, non intelligit extremum, à quo diſcurrit, quia ab intellectione illius auertit: nec extremum, ad quod diſcurrit: quia illius intellectio eſt naturaliter poſterior volitione. Stat ergo difficultas prædicta. *Impugnat omnes modos relatos ſimul.*

COMMENTARIVS.

1. 1 SEd *de ſecunda* intellectione, ſiue cogitatione eiuſdem obiecti, videtur difficile quòd ſit in poteſtate voluntatis, cùm ad nihil videatur voluntas poſſe mouere intellectum, niſi ad prius cognitum, & ſic videtur quòd non poſſit mouere intellectum ad aliquam cognitionem, ſiue primam, ſiue ſecundam, ſiue tertiã, quin priùs natura ſit cognita ab intellectu, vt ſuprà patuit *in primo, arg.* Tamen quantùm ad hoc recitat quinque modos ponendi, quos etiam improbat.

Prima opinio Prima opinio eſt quòd ſufficit ad hoc, quòd voluntas moueat intellectum ad cognitionem, puta lapidis, quòd lapis ſit cognitus ſolùm habitualiter, non actualiter, & hoc poteſt dupliciter intelligi, vel quòd ſit cognitus habitualiter, id eſt, per aliquem habitum intellectiuum cauſatum ex pluribus actibus cognoſcendi; vel quòd dicatur cognitus habitualiter eo modo, quo expoſitum eſt *in primo, diſt. 2. par. 2. q. 3. & diſt. 6.* ſcilicet, quòd obiectum perfectè præſens intellectui, & hoc in ſe, vel in ſpecie intelligibili, dicitur notum habitualiter, quia vt ſic, poteſt ſtatim haberi cognitio illius obiecti; ſicut etiam habens habitum acquiſitum ex pluribus actibus poteſt faciliter, & promptè exire in actùm. Sed quocunque modo accipiatur *habitualiter*, illa opinio improbatur à Doctore ſic, quia impoſſibile eſt voluntatem velle actu aliquid obiectum, niſi tale obiectum ſit actu intellectum, vt patet per Auguſtinum. Si enim ſufficeret habitualis intellectio, tunc dormiens, vel quantuncunque diſtractus circa aliquid obiectum, poſſet illud idem obiectum actu velle, cuius tamen oppoſitum experimur.

2. *Secunda opinio.* Secundus modus dicendi eſt, quòd ſufficit cognitio obiecti in vniuerſali, vel in aliquo ſimili, vel in contrario, & ſic voluntas actu poſſet velle lapidem, licèt non habeatur cognitio particularis ipſius lapidis, dummodò habeatur cognitio lapidis in vniuerſali, vel in aliquo ſimili lapidi, vel in aliquo contrario.

m Hunc ſecundum modum ponendi improbat Doctor tribus mediis. Primò, quia cùm in lapide intelligatur ſubſtantia corporea, intellectio lapidis ſufficeret ad volendum auem, vel bouem, cùm illa intelligantur in ſubſtantia corporea, vt in vniuerſali, quod eſt manifeſtè falſum.

Secundò illa intellectio in vniuerſali, vel eſt idem cum intellectione in particulari, vel alia, &c. Hîc nota, quòd aliud eſt cognoſcere vniuerſale, vt in particulari; & aliud cognoſcere particulare, vt in vniuerſali; & aliud eſt cognoſcere vniuerſale abſolutè. Exemplum primi, vt cùm cognoſco animal vt in Franciſco. Exemplum ſecundi, vt cùm cognoſco Franciſcum in animali. Exemplum tertij, vt cùm cognoſco animal abſolutè. Primo modo, animal vt in Franciſco eſt idem quòd Franciſcus, & ſic non poteſt eſſe alia cognitio animalis, vt in Franciſco & alia ipſius Franciſci, præſertim ſecundùm iſtos, qui ponunt ſingulariratem non dicere aliquam entitatem poſitiuam additam naturæ; tenendo tamen, vt tenet Doctor quòd addat entitatem poſitiuam, vt patet *in iſto ſecundo, diſt. 3. quæſt. 6.* poteſt eſſe alia cognitio ipſius naturæ, & alia ipſius hæcceitatis, vt patet per ipſum Doctorem *in hoc ſecundo, diſt. 3. quæſt. 11.* quæ eſt vltima in ordine. Tamen tenendo etiam quòd dicat entitatem poſitiuam aliam ab entitate naturæ, adhuc ratio Doctoris concludit, quia cùm dico *animal vt in Franciſco*, dico præcisè quoddam totum, quod eſt Franciſcus conſtitutus ex animali, & hæcceitate contrahẽte illud animal, quia tunc conſidero Franciſcũ, vt eſt præcisè indiuiduum animalis, & ſic animal, vt in Franciſco, nihil aliud eſt, niſi ipſe Frãciſcus, vt indiuiduũ animalis in cõmuni; & hoc modo eſt ſimpliciter eadẽ cognitio, qua cognoſcitur Franciſcus, vt præcisè indiuiduum animalis, & qua cognoſco animal, vt in Franciſco. Et ſi ſic intelligat opinans benè argumentum Doctoris cõcludit, quia tunc cognitio in vniuerſali eſt cognitio præcisè alicuius determinati ſub tali vniuerſali, & ſic cognitio animalis vt in Franciſco ſufficeret ad volendum auem, vel bouem. Secundo modo dicitur cognoſci Franciſcus in animali quando animal in ſe abſolutè cognoſcitur, & ſic tunc dicitur cognoſci in vniuerſali, & nullo modo cognoſcitur Franciſcus in particulari, ſicut etiam dicit Philoſophus, quòd contingit cognoſcere mulã in vniuerſali ignorando ipſam in particulari, & ſi iſta opinio ſic intelligat de vniuerſali, tunc ad volendũ bouẽ, vel aſinum, vel lapidem, ſufficeret cognitio animalis vel ſubſtãtiæ in ſe, quod eſt valde abſurdum: nec iſto ſecundo modo videtur opininans intelligere, ſed primo modo improbato per ſecundum argumentum. Tertium patet, quia cognoſcendo animal in ſe abſolutè, poteſt alia cognitione cognoſci à cognitione cuiuſlibet inferioris, & hoc ſatis patuit *in 1. d. 3. q. 2.*

3. In Tertiò arguit Doctor deducendo ad quoddam inconueniens, quia tunc ſequeretur quòd intelligendo vniuerſale poſſem velle quodlibet contentum ſub vniuerſali, quod eſt volibile, vel appetibile; puta intelligẽdo animal, poſſum velle ouem, vel bouem, quod eſt falſum: patet, quia non poſſum cognoſcere ouem ſine ſpecie propria ouis, quam ſpeciem non cauſat intellectio vniuerſalis; & hoc patet, tum, quia ſpecies intelligibilis non videtur poſſe cauſari ab aliquo actu intelligendi, licèt per alium, & alium actũ intelligendi poſſet intendi, vt patet à Doctore *in 1. d.* ;, Tum etiã, quia non videtur quòd intellectio alicuius ſuperioris poſſit cauſare ſpeciem intelligibilẽ alicuius inferioris, quia ſi animal in cõmuni poſſet cauſare ſpeciem hominis, vel intellectio animalis, tunc talis intellectio poſſet cauſare intellectionẽ hominis, & ſic talis intellectio virtualiter cõtineret intellectionẽ hominis, quæ eſt perfectior; imò virtualiter cõtineret entitatẽ hominis, vt patet per ea quæ dixi *in 1. d. 3. q. 1. d. 8. q. 1. & in iſto 2. d. 3. q. 10. & in quodl. q. 14. a. 2.* Si verò accipitur intellectio animalis pro ſpecie intelligibili animalis, patet quòd illa non poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem hominis. Tum, quia eſt valde imperfectior. Tum etiam, quia vna ſpecies intelligibilis, etſi poſſit cauſare aliam partialiter, tamen eiuſdem rationis, & eiuſdẽ obiecti, vt ſuprà patuit *in iſto 2. d. 9.* nõ tamẽ videtur, quòd poſſit cauſare aliã alterius rationis, & alterius obiecti. Nec etiã volũtas poteſt cauſare

Exemplum.

Quomodo ſpecies intelligibilis non poſſit cauſari.

Voluntas non poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem.

cauſare ſpeciem intelligibilem alterius obiecti, cùm talis non ſit cauſabilis à voluntate, ſed ſpecies intelligibilis, puta bouis cauſatur ab obiecto ſingulari, & obiecto agente: quod tamen debet ſanè intelligi, quia ſpecies intelligibilis, puta albedinis, non immediatè cauſatur ab albedine ſingulari extrà, ſed tantùm mediatè, ſic, quòd albedine ſingulari extra priùs cauſatur in potentia viſiua ſpecies ſenſibilis eiuſdem, & ſimiliter viſio, & poſt cauſatur in virtute phantaſtica ſpecies eiuſdem albedinis, quæ dicitur phantaſma, quod phantaſma eſt ſingulare & in eſſendo, & in repræſentando, à quo phantaſmate, & intellectu immediatè cauſatur ſpecies intelligibilis albedinis, & de huiuſmodi materia vide quæ expoſui ſuper primo *diſt.3.q.1.2.6.7. & 8.* Si ergo non poteſt haberi intellectio bouis, niſi per ſpeciem propriam ipſius, & talis intellectio eſt neceſſaria ad hoc vt voluntas poſſit habere actum elicitum circa bouem, ſequitur quòd per ſolam cognitionem alicuius vniuerſalis, ſiue communis boui, non poterit velle ipſum bouem. Aduerte etiam, quòd cum dicit quòd voluntas non poteſt velle bouem, niſi per ſpeciem propriam bouis, hoc non dicit ſecundùm intentionem propriam, quia tunc ſibi contradiceret. Nam oppoſitum expreſsè vult, vt patet *in primo, diſt.3. quæſt.3.* vbi probat quòd pro ſtatu iſto non poteſt cognoſci aliqua ſubſtantia per ſpeciem propriam. Dicit ergo hoc vel ſecundùm opinionem eorum, qui tenent quòd ſubſtantia pro ſtatu iſto poteſt diſtinctè cognoſci per propriã ſpeciem: vel hoc dixit tantùm exemplariter, ſicut Philoſophus primo Priorum, *Exempla ponimus non vt ita ſint, ſed vt magis addiſcentes aſſentiant.* Vel tertiò, hoc dicit, quia voluntas non poſſet velle bouem ſub ratione diſtincta, & perfecta ipſius, niſi diſtinctè fuerit præcognitus, quæ cognitio diſtincta non poſſet haberi, niſi per propriam ſpeciem.

4. *Tertia.*

Tertius modus ponendi eſt, quòd ſufficit cognitio illius obiecti remiſſa, ſiue quòd voluntas remittat intellectum ad illam cognitionem obiecti ſibi inexiſtentem, & tunc illa cognitione remiſſa occurit aliud cogitabile, & ſic voluntas poteſt velle illud. Vult dicere iſta opinio quòd quando intellectus multum intensè intelligit, puta lapidem, tunc voluntas non poteſt velle, puta ouem, quia ſtante tali intellectione lapidis ſic intenſa; tunc ouis non occurrit vt obiectum actu cogitabile: ſed quando voluntas remittit cognitionem lapidis, tunc illa remiſſa poteſt occurrere ouis vt obiectum cogitabile, & tunc intellectus conuertit ſe ad ouem intelligendo illam, & ſic voluntas poteſt velle ouem, & per conſequens cogitatio ouis eſt in poteſtate voluntatis.

o Contra hunc modum ponendi arguit Doctor, quia tunc ſequeretur quòd cogitatio ipſius ouis non eſset per ſe cauſata à voluntate, ſed tantùm occaſionaliter, quia ex hoc ſolo, quòd remittit cognitionem lapidis, licèt enim per ſe remittat illam cognitionem, accidit tamen, quòd aliud obiectum, puta ouis, occurrat intellectui.

p *Præterea iſte modus non ſaluat propoſitum, quia quantumcunque voluntas moueat intellectum* &c. Et tamen communiter conceditur quòd voluntas poteſt mouere intellectum ad determinatum obiectum, puta imperando, quòd actu cogitet hoc, vel illud, & hoc non eſt ex ſola remiſſione intellectionis alterius obiecti, quia ex ſola illa remiſſione, ſi aliquod obiectum occurrit intellectui, illud præcisè occurrit; cuius phantaſma fortiùs mouet, & phantaſma fortiùs mouet, id eſt, fortiùs excitat ſpeciem intelligibilem, cuius ſingulare extrà fortiùs mouet ſenſum, & de hoc prolixè expoſui ſuper primo *diſt.3. quæſt.2.* 5. *Quarta.*

Quartus modus ponendi eſt, quòd intellectus habet actum collatiuum, ita quòd inquantum cognoſcit vnum correlatiuum, comparando ipſum ad aliud, voluntas mouet ad ſtandum in cognitione illius.

q Contra hoc arguit Doctor, quia hic modus non eſt ſufficiens, quia non ſemper ad hoc, quòd voluntas auertat intellectum ab vno, & conuertat ad aliud, oportet quòd cognitio ſit comparatiua, quia vnum obiectum poteſt cognoſci per ſe ſine comparatione ad aliud, vt patet de obiecto abſoluto, & ab intellectione illius poteſt voluntas auertere intellectum.

Quintus, & vltimus modus eſt, quòd in poteſtate voluntatis non eſt cognitio ſimplex, vel diſcurſiua, ſed ex ſimplici mouet ad diſcurſiuam, ità quòd intellectui apprehendenti cognitione ſimplici aliqua duo obiecta voluntas imperat collationem vnius ad aliud. *Quinta.*

Dicit Doctor quod modus non valet, & patet ratio.

SCHOLIVM.

Præmiſſis tribus inſignibus propoſitionibus, explicat quomodo voluntas imperat cogitation ſcilicet dum complacendo, aut diſplicendo intellectioni, hæc firmatur aut remittitur; quod clarè explicat, n.11. & ſoluit argumenta quæ incipiunt n.3.

10. *Intellectus noſter intelligit vnum diſtinctè & plurà indiſtinctè.*

Respondeo a ergo præmittendo tres propoſitiones. Prima, quòd vna intellectione perfecta, & diſtincta exiſtente in intellectu, multæ intellectiones indiſtinctæ, & imperfectæ poſſunt ineſſe. Patet in exemplo in viſu, qui in pyramide, & infra baſim videt vnum punctum in cono diſtincte, & tamen in eadem pyramide, & infra eandem baſim videt multa imperfectè & indiſtinctè, & tamen vna eſt tantùm viſio perfecta iſtius, ſcilicet ſuper quod cadit axis pyramidis: ſi hoc eſt poſſibile in ſenſu, multò magis in intellectu.

Secunda propoſitio eſt b quòd intellectione inexiſtente, licèt non cognita, vt obiectum, poteſt voluntas velle, & complacere ſibi in obiecto illius intellectionis, & in illa intellectione, & non complacere ſibi; aliter enim voluntas non poſſet copulare parentem cum prole, quod eſt contra Auguſtinum quaſi vbique in lib. de Trinitate. *maximè lib.9.*

Tertia propoſitio eſt, c quòd voluntate complacente intellectioni, intellectio firmatur, & intenditur, ipſa autem non complacente, vel nolente, infirmatur, & remittitur, & hoc declaratur ſic, agens, quod eſt diuerſarum operationum, & actionum, ſi circa vnum & idem agit, fortiùs agit & perfectiùs, quàm ſi ſimul agat circa diſparata (virtus enim vnita fortior eſt & perfectior) igitur ſi anima, ſecundùm omnes ſuas potentias agit circa idem, fortiùs & perfectiùs agit, quàm ſi circa diuerſa, ſecundùm diuerſas potentias ageret: & ideò ſi voluntas operatur circa idem, circa quod intellectus, confirmatur intellectus in actione ſua: & hæc eſt ratio propter quid. Quòd verò ita ſit, patet per experientiam certam, ſicut quilibet poteſt experiri in ſe.

Voluntate complacente intellectioni, firmatur & intenditur intellectio & ratio huius.

Præterea d agens inferius, perfectius agit concurrente agente ſuperiori, licet non neceſſario requiſito: ſed voluntas eſt agens ſuperius, reſpectu intellectus, licet non neceſſariò requiratur ad actionem intellectus: ergo, &c.

Dico igitur quod vna intellectione intellectus exiſtente perfecta, poſſunt ibi eſſe multæ confuſæ, & imperfectæ, niſi illa intellectio eſſet ita perfecta & actualis, quòd non pateretur ſecum aliam: illis ergo confuſis & imperfectis ibi exiſtentibus, poteſt voluntas, ſecundùm propoſitionem ſecundam, complacere in qualibet earum, etiamſi illa intellectio non fuerit cognita, vt obiectum actualiter: & ex tertia voluntate complacente in aliquà intellectione, confirmat illam, & intendit. Illa igitur, quæ fuit remiſſa, & imperfecta, fit per iſtam complacentiam perfecta & intenſa: & ſic poteſt imperare cogitationem & conuertere intellectum ad illam. Voluntate autem nolente aliam intellectionem, & non complacente in ea, illa remittitur, vel definit eſſe: & ſic dicitur voluntas auertere intellectum ab intellectione illius in comparatione eadem ad aliquod corpus viſum ſine motu aliquo, & manente eadem pyramide, poteſt virtus viſiua in aliud punctum, quod priùs videbat, licèt imperfectè; niſi fortè viſio illa eſſet ita perfecta, quod non permitteret ſecum aliam. 11.

Quomodo Voluntas conuertit & auertit intellectum à conſideratione alicuius.

Ad argumenta e ad primum dico, quòd volitio requirit intellectionem priorem natura ſed ſufficit quòd illa intellectio ſit imperfecta ad hoc, quòd voluntas illi complaceat, vt dictum eſt. 12.

Ad arg. poſita n. 3. & 4.

Ad ſecundum dico, f quòd non eſt inconueniens eſſe circulum, vbi cauſa ſuperior non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed contingenter concurrit cum inferiori, & poteſt effectus inferioris eſſe ſine illa: ſic autem eſt in propoſito, voluntas enim non eſt cauſa neceſſaria intellectionis. In cauſis autem naturalibus, & neceſſariis inordinatis ſimpliciter illa propoſitio eſt vera.

Ad 2. Circulum dari quando non inconueniens.

Ad tertium dico, g quòd intellectiones habent cauſam ſufficientem memoriam, quoad perfectionem, quam illa poteſt cauſare: ipſa tamen eadem cauſa concurrente cum ſuperiori, vel habente ordinem eſſentialem circa illud, circa quod agit ipſa, perfectius agit propter quem ordinem natæ ſunt iſtæ potentiæ ſe inuicem impedire, cum circa diuerſa operantur: ideo circa idem ſe intendunt: & tunc ſequitur operatio intenſior, & perfectior. Vnde quando intellectus intelligeret aliquid, ſi eſſet operatio voluntatis circa idem, & imaginatio circa idem imaginabile, & ſenſus circa idem particulare, vt puta, quòd eſſet præſens, perfectior eſſet intellectio, quia potentiæ diſtinctæ circa diuerſa remittuntur in actionibus ſuis.

Ad 3. Perficitur actus vnius potentiæ ex cõcurſu alterius circa idem.

Aliter poſſet dici, quòd voluntas habeat immediatam actionem ſuper intellectum: ſed tamen hoc eſt difficilius.

Dubtum an voluntas cauſet intellectionem.

COMMENTARIVS.

1. *Reſponſio Scoti.*

a *Reſpondeo ergo.* Nunc reſpondet Doctor ad hanc difficultatem, quæ eſt, An intellectio poſſit ſubeſſe imperio voluntatis, quomodo hoc ſit poſsibile. Et primò præmittit tres propoſitiones ſatis ſingulares, quarum prima eſt, quòd *Vna intellectione, perfecta, & diſtincta exiſtente in intellectu, multæ intellectiones indiſtinctæ, & imperfectæ poſſunt eſſe*, & probat per exemplum de viſu, qui perfectè in figura pyramidali in cono ſcilicet ipſius figuræ, videt vnum punctum diſtinctè, & tamen in eadem pyramide, & infra baſim videt plura puncta indiſtinctè, & ſi hoc conceditur de ſenſu, de quo minùs videtur, multò magis conceditur de intellectu, de quo magis videtur. Ex iſta propoſitione vult poſtea inferre Doctor quòd voluntas poteſt imperare aliquam intellectionem, non de nouo eliciendam circa obiectum, ſed præexiſtentem intendere, & firmare, & ſimiliter aliam remittere; ita quòd quando intellectus intelligit vnum obiectum perfectè diſtinctè, & ſimul plura alia obiecta intelligit imperfectè, & indiſtinctè, tunc voluntas poteſt imperare intellectui, vt auertat ſe ab illo obiecto perfectè, & indiſtinctè cognito, conuertendo illum ad aliud obiectum actu cognitum, ſed imperfectè, & indiſtinctè, & ſic conuertendo intellectum, & firmando illum in tali intellectione, illam intellectionem imperfectam intendit;

intendit; non enim poteſt intellectum conuertere ad obiectum nullo modo actu priùs cognitum, quia nunquam voluntas poteſt imperare aliquem actum circa obiectum omnino ignotum.

2. *Dubium.* Sed eſt dubium, An intellectus poſſit ſimul cognoſcere plura obiecta perfectè, & diſtinctè, ita quòd ſimul perfectè diſtinctè cognoſcat albedinem, & nigredinem. *Reſponſio:* Dico breuiter, quòd poteſt plura ſimul diſtinctè cognoſcere, non tamen æquè perfectè, & æquè intensè, & hoc pro ſtatu iſto, quia fortè non poſſunt eſſe duo obiecta æquè perfectè præſentia ipſi intellectui. Et poſito etiam quòd æquè perfectè eſſent præſentia, tunc fortè intellectus vel nullum intelligeret, vel vtrunque remiſsè intelligeret, vel vnum intensè, & aliud remiſsè, quia ad intellectionem non tantùm concurrunt obiecta, ſed etiam concurrit intellectus vt cauſa partialis, vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 7. *& in quodl. q.* 15. imò concurrit vt cauſa magis principalis, vt patet à Doctore *in* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 8. Sed modò intellectus ſaltem pro ſtatu iſto non poteſt habere conatum circa duo obiecta, ita perfectum, & intenſum, ſicut poteſt circa vnum ſeorſum ſumptum. Sed an intellectus creatus, ſeparatus tamen, poſſit æquè perfectè, & æquè intensè ſimul plura obiecta intelligere? De hoc dicit ſpeciales difficultates in Quodlibetis. Et breuiter teneo etiam partem negatiuã de intellectu ſeparato, & hoc loquendo de naturali potentia ipſius intellectus. Sed quicquid ſit, ad hoc vt voluntas poſſit imperare aliquam intellectionem, ſcilicet vel auertendo intellectum ab vno obiecto, & conuertendo ad aliud, ſufficit quòd intellectus cognoſcat illa plura, licèt vnum diſtinctè, & perfectè, & alia indiſtinctè, & imperfectè. *Doctrina ſingularis.* Sed non ſufficit quòd intellectus ſimul plura cognoſcat indiſtinctè, & imperfectè ad hoc vt voluntas poſſit imperare intellectionem auertendo intellectum ab vno obiecto, & conuertendo ad aliud. Et ſi ſic, ad quid ergo ponit Doctor quòd cum vna intellectione perfecta, & diſtincta vnius obiecti poſſunt ſimul eſſe plures imperfectæ, & indiſtinctæ. Dico, quòd hoc ſpecialiter dicit. Tum, quia communiter quando intellectus plura obiecta ſimul cognoſcit, illa obiecta non ſunt intellectui æquè præſentia, ſed vnum communiter eſt magis præſens alio, aliud ſcilicet cuius phantaſma fortiùs mouet, de quo dictum eſt ſuprà. Tum etiam, quia voluntas conuertendo intellectum ad aliquod obiectũ priùs notũ, tunc illã intellectionem magis firmando intendit, & ſtante illa ſic intenſa, adhuc voluntas poteſt auertere intellectum ab illa, & conuertere ad aliud obiectum actu cognitum licèt imperfectè, quæ intellectio imperfecta, ſi ſimul non poſſet ſtare in eodem intellectu cum alia intenſa, & perfecta, tunc voluntas non poſſet conuertere intellectum ad tale obiectum. Et ſic patet prima propoſitio.

3. b Secunda propoſitio eſt, quòd *Intellectione in exiſtente, licèt non cognita, vt obiectum, poteſt voluntas velle, & complacere ſibi in obiecto illius intellectionis, & in illa intellectione, & non complacere ſibi.* Ex iſta litera habetur primò, quòd voluntas poteſt ſibi complacere in aliqua re, licèt talis res non ſit præcognita, & ſimul in eadem re præcognita poteſt ſibi complacere. Exemplum primi. Quando lapis cognoſcitur ab intellectu, tunc voluntas vult lapidem priùs cognitum, quia nunquam lapis eſt præſens voluntati in ratione obiecti volibilis, niſi priùs natura ſit cognitus. Exemplum ſecundi, quando voluntas complacet ſibi in ipſa intellectione lapidis, volendo eam, & tunc contingit quando firmat intellectum in tali intellectione, & tamen talis intellectio non eſt prius cognita. Sed tunc eſt dubium quomodo voluntas poteſt velle aliquid, & non præcognitum, cùm voluntas non feratur niſi in præcognitum? Dico, quòd complacere ſibi in aliquo, ſiue velle, illud poteſt dupliciter intelligi ſcilicet, vel, quòd complaceat ſibi vt in obiecto, vel quòd complaceat ſibi non vt in obiecto, ſed vt in eo quo attingit primum obiectum. Primo modo, non poteſt ſibi complacere niſi in præcognito quia nunquàm voluntas elicit actum volendi circa aliquod vt obiectum, niſi illud ſit actu cognitum: ſed ſecundo modo poteſt ſibi complacere non in præcognito, quia non reſpicit illud vt obiectum. Et cùm dicitur, quòd voluntas non fertur niſi in præcognitum. Hoc verum eſt de primo obiecto, quia non poteſt immediatè velle lapidem, niſi ſit præcognitus; & ſimiliter hoc eſt verum de omni, eo quod reſpicitur obiectum. *Nota.* Nam voluntas in multis poteſt ſibi complacere, & velle ea quæ tamẽ nõ ſunt præcognita, vt patet, quia vult actu voluntas diuina multa contingentia, & complacet ſibi in illis, quæ tamen non ſunt præcognita ab intellectu diuino, vt patet à Doctore *in primo, diſtinct.* 39. *& in quodl. qu.* 14. Sic ſimiliter poteſt ſibi complacere in intellectione alicuius obiecti actu nõ præcognita. Et ſimiliter poteſt ſibi complacere in obiecto cognito, & non complacere ſibi in intellectione obiecti, etiam poteſt complacere in intellectione obiecti, & non complacere ſibi in obiecto, vt infra patebit. Exemplum tertij eſt, quando voluntas reſpicit eandem intellectionem, non vt præcisè hîc, quo intellectus attingit primum obiectum, ſed vt eſt quoddam obiectum volibile, & tunc voluntas non poteſt ſibi complacere in tali intellectione, niſi fuerit priùs cognita ab intellectu actu reflexo.

4. Secundò dicit Doctor quòd voluntas poteſt ſibi complacere in obiecto, & non complacere; patet, quia ſi non poteſt ſibi cõplacere in obiecto, tunc voluntas non poſſet conuertere intellectum ad tale obiectum, vel conuerſum tenere. Et ſimiliter ſi non poſſet ſibi non complacere in tali obiecto, tunc non poſſet auertere intellectum à tali obiecto. Et ſimiliter ſi non poſſet ſibi complacere in obiecto, & in intellectione illius obiecti, & tunc non poſſet coniungere parentem cum prole. Nam in propoſito parens eſt memoria fœcunda, quæ includit intellectum, & obiectum, & proles eſt intellectio perfecta obiecti, quæ dicitur verbum, quæ ſi eſt perfecta, dicitur verbum perfectum; ſi imperfecta dicitur verbum imperfectum, vt ſatis patet, *in primo, diſtinct.* 27. & tunc dicitur contingere parentem cum prole quando conuertit intellectum ad obiectum, vel tenet ipſum intellectum in conſideratione talis obiecti; & ſimiliter poteſt ſibi non complacere in tali obiecto, & in tali intellectione; patet, quia ſi non poſſet ſibi non complacere, tũc non poſſet ipſum intellectum auertere à tali intellectione, & conuertere ad aliud obiectum, & ſic non poſſet coniungere alium parentem cum alia prole.

Tertia

c Tertia propoſitio eſt, quòd *Voluntate complacente intellectioni, intellectio firmatur, & intenditur ipſa autem non complacente, vel nolente, infirmatur, & remittitur.* Hoc probat, quia *agens, quod eſt diuerſarum operationum*, quale eſt agens per intellectum, & ſenſum, *ſi circa vnum, & idem agit, fortiùs & perfectiùs agit, quàm ſi ſimul agat circa diſparata*, &c. *Quòd verò ita ſit, patet per experientiam* certam, videlicet, quòd intellectus, & voluntas poſſint ſimul agere circa idem obiectum reſpectu vnius, & eiuſdem actionis quilibet in ſe poteſt experiri. Nam experimur quòd tunc viſio eſt intenſior, quando voluntas ad eandem concurrit, tenendo, & firmando potentiam viſiuam in tali viſione: & quod ſic firmet, & teneat, hoc patet experimento: ſtante ergo hoc vero, ſcilicet, quòd voluntas, & intellectus poſſint ſimul agere circa idem obiectum reſpectu eiuſdem actionis, ratio concludit *propter quid*, quæ eſt, quòd plures potentiæ natæ agere circa idem, ſi ſimul agunt, fortiùs agunt, quàm ſi vna ſola ageret.

Nota.

d Secundò probat hoc idem, quia *agens inferius perfectius agit concurrente agente ſuperiori*, &c. 5.

Sed occurrit aliquid paruum dubium, quia dictum eſt quòd voluntas non cauſat intellectionem in ſe, ſed cauſatur ab intellectu, & obiecto, qua cauſata tunc voluntas firmat intellectum in tali intellectione, & tunc intellectio illa fit intenſior. Quæro tunc, à quo cauſatur intenſio talis intellectionis, ſi à voluntate, ergo & intellectio illa cauſatur à voluntate. Probatur conſequentia, quia cauſans intentionem alicuius actus cauſat etiam ſubſtantiam actus, vt probat Doctor *in primo, diſt.* 17. contra opinionem Gotfredi, qui volebat quòd ſubſtantia actus eſſet à potentia, & intenſio actus ab habitu, & Doctor ibi arguit, probando quòd ab eodem eſt intenſio actus, & ſubſtantia eiuſdem. Sed in propoſito intellectio obiecti, quo ad eius ſubſtantiam, non eſt à voluntate, quia illa eſt prior natura actu elicito voluntatis; ergo nec intenſio erit à voluntate. Si dicatur, quòd talis intenſio eſt ab intellectu, & ab obiecto. Contra, quia in illo priori natura quo cauſatur intellectio ab intellectu, & obiecto cauſatur perfectæ quantùm cauſari poteſt ab eiſdem, quia intellectus, & obiectum ſunt cauſæ naturales cauſantes intellectionem per modum naturæ, ideò perfectè cauſant quantum poſſunt. Si dicatur quòd intellectus, & obiectum per imperium voluntatis ſunt magis diſpoſita ad cauſandum. Contrà, quia per tale imperium nihil recipitur neq; in intellectu, nec in voluntate, quo dicantur magis diſpoſita. ¶ Præterea, in cuius poteſtate non eſt actio, in eius etiam poteſtate non eſt intenſio, vel remiſſio, Hoc patet à Doctore *in 4. diſt. 49. quæſt. 9. & ſimiliter in 1. diſt. 1. qu. 4.* vbi vult, quòd in cuius poteſtate non eſt actio, nec in eius poteſtate eſt modus actionis, puta intenſio, vel remiſsio actionis, Sed intellectio ſecundùm eius ſubſtantia non eſt in poteſtate voluntatis: patet, quia illa eſt prior natura actu elicito voluntatis; ergo nec eſt in poteſtate voluntatis intentio vel remiſsio intellectionis.

Dubium.

6. Præterea habetur à Doctore *in 4. in quæſt.* de corporum impaſsibilitate, & in quæſt. de claritate corporum *diſt.* 49. quòd nulla natura creata poteſt impedire naturales actiones, ſtante debita approximatione agentis, & paſsi. Nam ſtante igne approximato ligno perfectè diſpoſito, à tota natura creata non poteſt impediri combuſtio ligni, nec intenſio combuſtionis: & ſimiliter ſtante potentia viſiua debitè approximata colori à nullo poteſt impediri quin viſio, & intenſio viſionis ſequatur; ergo ſtante potentia obiecti ipſi intellectui, quæ ſunt cauſæ naturales intellectionis à nullo agente creato poſſunt impediri quin ſequatur intellectio, quo ad ſubſtantiam, & quo ad intenſionem eius; ergo talis intellectionem non poſſunt ex ſolo imperio voluntatis intendi, vel remiiti.

Nulla natura creata poteſt impedire naturales actiones.

Reſpondeo breuiter, concedendo quòd nec intenſio, nec remiſsio intellectionis ſunt per ſe à voluntate vt à cauſa cauſante, ſed ideò dicitur intellectio intendi à voluntate pro quanto habent in poteſtate ſua firmare intellectum in tali obiecto, ita quòd quantò magis firmatur, tantò perfectius agit circa obiectum, quia tunc minùs diſtrahitur circa alia obiecta, quod etiam patet de potentia, viſiua, quæ quantò magis firmatur in viſione coloris, tantò illa viſio intenditur; quia ergo voluntas habent in poteſtate ſua firmare intellectum circa obiectum, & auerte illum ab obiecto; quantò magis firmatur à voluntate, tantò ab intellectu illa, intellectio intenditur, & quantò magis auertitur à tali intellectione, tantò intellectio remittitur, quia tunc intellectus minùs perfectæ agit. Concedo ergo quòd ſtante perfecta approximatione intellectus ad obiectum, voluntas non poteſt impedire intellectionem, & intenſionem eius, ſed eſt in poteſtate voluntatis quòd vnum obiectum prius cognitum magis fiat præſens intellectui, videlicet conuertendo intellectum circa tale obiectum, quàm aliud.

Reſponſio.

Nota.

Poſſet etiam fortè ſubſtineri, quòd intenſio intellectionis ſit à voluntate, non ſic intelligendo vt opinio recitata *in primo, diſt.* 17. intelligit, ſcilicet, quòd ab vno ſit intenſio actus, & ab alio ſit ſubſtantia actus, quia hoc eſt ſimpliciter impoſsibile, cùm ab eodem ſit ſubſtantia, & intenſio actus; ſed quòd actus ſit perfectior quando ſimul eſt à potentia, & habitu vt patet à Doctore *in primo vbi ſuprà, & in tertio diſt.* 27. Poteſt enim eſse, quòd voluntas non habituata diligat Franciſcum, & quòd ſtante tali dilectione infundatur ab eo habitus caritatis, tunc ille idem actus erit perfectior, ſi ſimul eliciatur à charitate, & voluntate agente æquali conatu cùm illo habitu, ſicut priùs agebat ſine illo. Sic dico in propoſito, quòd quamuis prima intellectio obiecti, accipiendo primam intellectionem pro illo primo inſtanti naturæ, quo elicitur vt prior actu elicito voluntatis, non ſit in poteſtate voluntatis, vt ſuprà patuit, tamen eadem intellectio vt continuata per aliquod tempus poteſt eſſe in poteſtate voluntatis, ſic quòd voluntas poteſt imperare intellectui, vt ſtet in tali intellectione: & tunc talis intellectio vt ſic continuata, ſimul poteſt eſſe ab intellectu, & voluntate, & quo ad eius ſubſtantiam, & eius intenſionem, quæ ſi eſſet à ſolo intellectu, & ab obiecto agentibus toto conatu, non eſset ita perfecta, ſicut eſset concurrente voluntate; & ſic fortè poſset concedi quòd eadem intellectio, quo ad ſubſtantiam, & intenſionem eius, ſit ab intellectu, & à voluntate, ſed perfectior quando ſimul eſt ab vtroque. Si dicatur quomodo intellectio ſecundùm ſubſtantiam poteſt eſse à voluntate cum ipſa vt cauſata in aliquo priori naturæ ante actū voluntatis elicitum.

Dico,

Dico, quòd talis intellectio quandiu continuatur tandiu etiam cauſatur; licèt ergo in illo primo inſtanti naturæ non poſſit à voluntate cauſari, poteſt tamen cauſari in omni alio inſtanti, ſiue naturæ, ſiue temporis, & hoc partialiter, & benè nota quæ dixi.

8. e Ad illa argumenta ſuperiùs facta reſpondet Doctor & primò ad primum, concedendo quòd *volitio requirit intellectionem priorem natura*, &c. Vult dicere in iſta litera, quòd ex quo intellectio dicitur intendi ex hoc, quòd voluntas complaceat ſibi in illa, vt ſuprà patet, & ſufficit quòd talis intellectio ſit imperfecta, quia vt ſic, conuertendo intellectum ad illam, ſiue firmando intellectum in illa, tunc talis intellectio intenditur, & pro quanto intenditur dicitur ſubeſſe imperio voluntatis. Non requiritur ergo quòd ad hoc vt complaceat ſibi, & illa ſit præintellecta, ſed ſufficit quòd obiectum talis intellectionis, illa intellectione ſit præintellectum: nam vt talis intellectio eſt præcisè id, quo intellectus immediatè tendit in obiectum, non poteſt voluntas ſibi complacere in illa, vt præcognita, ſed vt eſt id, in quod intellectus mediatè tendit mediante alia intellectione, qua reflectitur ſuper illam, tunc voluntas poteſt ſibi complacere in illa, vt priùs cognita illa cognitione reflexa, imò nullo modo vt ſic, poteſt ſibi complacere in illa, niſi vt præcognita; ſed in illa intellectione reflexa complacet ſibi vt non præcognita, quia talis intellectio eſt præcisè id, quo intellectus immediatè tendit in primam intellectionem, & ſic pariformiter poteſt dici de omni intellectione reflexa in infinitum.

9. f Ad ſecundum dicit Doctor duo Primò, quòd in cauſis eſſentialiter ordinatis vbi ſuperior eſt libera in agendo, poteſt eſſe circulus, & ſic voluntas ſit cauſa ſuperior, & libera, & intellectus cauſa inferior per modum naturæ ſiue cogitatio obiecti, & ſic cogitatio obiecti poteſt eſſe cauſa actus volendi, & actus volendi poteſt eſſe cauſa talis cogitationis, & ſic circulus. Sed hoc dictum debet ſanè intelligi, poteſt enim habere multiplicem ſenſum. Primò ſic poteſt intelligi, quòd ipſa cogitatio obiecti ſiue intellectus mediante cogitatione ſit cauſa actus volendi quantùm ad ſuum *eſſe*, & quòd actus volendi, ſiue voluntas mediante actu ſuo volendi, ſit cauſa talis cogitationis, & ſic cogitatio in eſſendo dependeret à volitione, & volitio ſimiliter in eſſendo dependeret à cogitatione, & hic ſenſus videtur manifeſtè impoſſibilis, niſi ſic limitando ſenſum, videlicet, quòd intellectus mediante cogitatione vt priùs natura partialiter cauſat volitionem eiuſdem obiecti, tenendo illam tertiam opinionem recitatam ſuprà *in iſto 2. diſt. 25.* & quòd volitio ipſa in iſto priori non intelligatur eſſe cogitationis, quia in illo priori naturæ, quo ponitur cogitatio non intelligitur habere *eſſe*, ſed in tempore ſequenti voluntas mediante tali actu priùs cauſato à voluntate, & ab intellectu poteſt intendere eandem intellectionem firmando intellectum in illa intellectione, & ſic talis intellectio vt intenſa, & firmata poteſt eſſe cauſata à voluntate mediante actu volendi, & hoc tantùm partialiter. Sed poteſt eſſe difficultas, quòd ſi intellectus mediante cogitatione obiecti imperfecta, eſt cauſa partialis volitionis imperfectæ: ergo iſte intellectus mediante tali cogitatione intenſa, & perfecta erit volitionis perfectæ, & intenſæ, & ſic eadem volitio intenſa dependebit à cogitatione intenſa & è contra. Dico adhuc, quòd non eſt propriè circulus, quia voluntas mediante volitione imperfecta firmando intellectum in cogitatione, partialiter intendit illam cogitationem, & pòſt, illa cogitatione ſic intenſa, eadem volitio priùs imperfecta, poteſt vlteriùs intendi vt à cauſa partiali, & maximè non apparet inconueniens quòd vna cauſa partialis partialiter intendat aliquem effectum, & quòd eadem cauſa partialiter intendatur ab eodem effectu, ſed eſſet inconueniens in cauſis totalibus.

10. *Intellectio eſt prior volitione.*

Secundò poteſt ſic intelligi, quòd intellectus mediante actu ſuo dicatur cauſa inferior reſpectu volitionis, non cauſando illam, ſed pro quanto voluntas non poteſt elicere illam, niſi talis intellectio præexigatur & quòd voluntas mediante actu ſuo ſit cauſa talis intellectionis, ſcilicet, quòd ſit cauſa, quòd intellectus immediatè eliciat illã, & hic ſenſus eſt ſimpliciter falſus; quia tunc idē reſpectu eiuſdem eſſet ſimpliciter prius, & poſterius; patet, quia intellectio vt præexigitur volitioni, neceſſariò eſt prior volitione, & ſi voluntas mediante tali volitione eſt cauſa quòd intellectus eliciat illam, tunc volitio erit ſimpliciter prior tali intellectione, & ſic idem reſpectu eiuſdem erit ſimpliciter prius, & poſterius, quòd non eſt intelligibile.

Dico ergo, quòd ſic debet intelligi, quòd illa intellectio vt imperfecta in aliquo inſtanti priori naturæ, eſt ſimpliciter prior volitione, & præexigitur ipſi volitioni, & quoad hoc dicitur ſuo modo cauſa volitionis: ſed quoad intenſionem, & continuationem eiuſdem cogitationis, ipſa cogitatio poteſt eſſe poſterior volitione, quia voluntas firmando intellectum mediante ſuo *velle* in tali cogitatione, intendit illam, & ſic eadem cogitatio vt imperfecta, eſt prior volitione, & vt perfecta, eſt poſterior.

Secundum dictum eſt, quòd loquendo de cauſis eſſentialiter ordinatis naturalibus, & per modum naturæ agentibus, & præcipuè de cauſis totalibus tunc ibi nullo modo poteſt eſſe circulus, & hoc ſatis patet.

11. g Ad tertium dicit Doctor quòd intellectiones habent cauſam efficientem, ſcilicet memoriam quoad perfectionem, quam illa poteſt cauſare, ipſa tamen eadem cauſa concurrēte cum ſuperiori, vel habente ordinem eſſentialem circa illud, circa quod agit ipſa, propter quem ordinem natæ ſunt iſtæ potentiæ ſe inuicem impedire, cùm circa diuerſa operantur, ideò circa idem ſe intendunt, & tunc ſequitur operatio intenſior, & perfectior. Vnde quando intellectus intelligit aliquid, ſi eſſet operatio voluntatis circa idem, & imaginatio circa idem imaginabile, & ſenſus exterior circa idem particulare, puta quòd eſſet ſibi præſens, tunc perfectior eſſet intellectio, quia potentiæ diſtinctæ circa diuerſa remittuntur in actionibus ſuis, vt experimento patet. Aliter poſſet dici, quòd voluntas habeat immediatam actionem ſuper intellectum. Sed eſt hoc difficilius, quia non apparet quòd voluntas vt cauſa ſuperior ſit cauſa intellectionis, & ſimiliter intellectus; videtur enim quòd intellectus vnà cum obiecto ſit cauſa ſufficiens intellectionis, voluntate nullo modo concurrente.

Quomodo voluntas habeat immediatam actionem ſuper intellectum.

SCHO

SCHOLIVM.

Decidit delectationem de obiecto malo ſine conſenſu ad opus vel periculo eius eſſe mortale, ex Auguſt. citato, & Chryſ. hom. 19. m. 5. Mat. Hil. ibidem, in can. 4. Iſidor. 2. de ſummo bon. 39. habetur c. non ſolum 32. quæſt. 7. Greg. 21. Mor. 3. & in p. Paſtoral. c. 11. habetur c. hinc etenim d. 49. Doctores fere omnes hic, & D. Thom. 1. 2. quæſt. 74. a. 8. Summiſtæ v. delectatio, vnde cenſuratur oppoſita ſententia, vt temeraria, pro quo vide Sanchium 1. in decal. cap. 2. num. 8. Aſſor. to. 1. l. 4. c. 6. q. 1. Sed multi tenent delectationem de opere iure poſitiuo prohibito, non eſſe mortalem. Sanchius ſupra, Cord. l. 2. q. 30. d. 1. Leſſius l. 4. c. 3. n. 113. Vaſq. etiam 1. 2. d. 111. c. 4. tenet non omnem delectationem de opere etiam iure naturæ prohibito, eſſe mortalem, ſed ſententia communis D. Thom. & Scot. eſt vniuerſaliter vera: probabilis tamen ſententia eſt, delectationem de opere malo ſub conditione iuſtificante, non eſſe mortalem, etiamſi ſit appetitus ſenſitiui, de quo Sanchius ſupra.

13.

Deciſio quæſt. primæ.

SEquitur ſecundum,[h] quomodo ſcilicet poteſt eſſe peccatum in cogitatione? Ad quod dico, quòd ipſius voluntatis ſunt duo actus, ſcilicet complacentiæ, & concupiſcentiæ: & actus complacentiæ prior eſt, quia priùs complacet voluntati ex dilectione in illo cui concupiſcit, quàm concupiſcat aliquid ſibi. Voluntas igitur poteſt aliquid ſibi inordinatè concupiſcere, & complacere in illo: & etiam potentiis inferioribus poteſt aliquod inordinatum concupiſcibile concupiſcere, & in hoc complacere in illo: & eodem modo poteſt, quoad actum intellectus.

Quomodo cogitatio ſit mala.

Quando igitur i voluntas imperat cogitationem alicuius illiciti, quia vult, quòd obiectum ſit ſibi præſens ad continuandum delectationem, & complacentiam in illo, ſi illud cogitatum ſit illicitum in complacentia plena illo modo prædicto, eſt peccatum mortale: & hoc non ſolùm de carnalibus, vt cogitare luxuriam, ſed etiam in actibus intellectus reſpectu aliorum obiectorum, vt imaginari, & morari cum delectatione in cogitatione mortis inimicorum, & ſic patet quòd cogitatio de obiecto illicito procedens ex complacentia voluntatis in illo poſt deliberationem, eſt peccatum mortale: ſicut enim eſt peccatum mortale voluntati concupiſcere ſibi delectationem de obiecto illicito, & illam etiam, vel aliam concupiſcere potentiæ inferiori, ſic etiam peccatum eſt ad hoc velle cogitationem de iſto obiecto.

14.

ſhuius. 2.

Hæc eſt ſententia[k] Auguſtini 12. de Trin. cap. 12. & Magiſter allegat diſt. 24. capitu. illo, *Itaque, vt breuiter ſummam perſtringam*, &c. Et quòd Auguſtinus ibi intelligat quòd delectatio ſine conſenſu in opus, ſit peccatum mortale, patet per illud, quod dicit: *Si ſola mulier cogitat de re illicita, totus homo damnabitur, niſi mediatoris gratia interueniente liberetur*, quod ſi eſſet veniale, poſſet ſine gratia oppoſita liberari. Ex quo patet 1 quòd in eadem cogitatione poteſt eſſe peccatum, & non eſſe: quia quantumcunque cogitatio ſit delectabilis, cùm tamen obiectum non ſit delectabile, non eſt peccatum: vnde vir ſanctus poteſt delectari in cogitatione alicuius peccati, quatenus obiectum ſit ſibi præſens, vt delectetur in illo, vt in obiecto, eſt peccatum: & hoc patet per Auguſtinum 9. *Trin. cap.* 10. Definire intemperantiam, verbúmque eius dicere, pertinet ad artem moralem: eſſe autem intemperatum pertinet ad illud, quod in illa arte culpatur, ſicut noſcere, & definire quid ſit Solœciſmus pertinet ad artem loquendi: facere autem illud, vitium eſt, quod in eadem arte reprehenditur. Sic ergo ſi cogitatio placet, & continuatur, non propter cogitatum, ſed vt per eam quis ad finem debitum deducatur; non eſt peccatum ſed ſi propter obiectum illicitum, vt in ipſo delectetur, ſic eſt peccatum: & iſto modo ſancti viri deteſtantur cogitationes illicitas.

Delectationem ſine conſenſu ad opus eſſe mortale.

Quo ratione delectatio de obiecto malo eſt peccatum.

Ad arg. q. prima.

Ad primum patet per prædicta; m concedo enim quòd peccatum formaliter non eſt niſi in voluntate, ſed materialiter poteſt eſſe in aliis actibus: non tamen niſi vt imperantur à voluntate. Vnde prima cogitatio, vt patet ſuprà, non inducit peccatum: ſed toties habet homo primas cogitationes, quoties ſibi occurrunt diuerſa obiecta, & quoties ſurgit à ſomno.

15.

Ad 2.

Ad ſecundum, concedo quòd prima cogitatio non eſt in poteſtate voluntatis: ſed ſic complacere cogitationi, & ſic acceptare, & tenere intellectum ibi, benè eſt in poteſtate voluntatis.

Ad 3. Non omne volitum eſt cognitum.

Ad tertium dico,[n] quòd non ſequitur, cogitatio non eſt prius cognita: ergo nec volita, nam ſufficit, quod actus cogitationis ſit præſens in ratione actus, non in ratione

ratione obiecti conſideratiſ: nec rectè, nec reflexè ad hoc, quod voluntas velit illam, & complaceat ſibi in illa: vnde ad hoc, quod aliquid ſit volitum, ſufficit eius cogitationem actualiter intellectui inhærere.

Ad vltimum patet, ex alio articulo quæſtionis, quomodo ſcilicet peccatum eſt in cogitatione.

COMMENTARIVS.

1. h *Sequitur ſecundum.* Hic eſt ſecundus articulus principalis huius quæſtionis qui eſt quomodo cogitatio poſſit eſſe mala. Ad hoc dicit Doctor quòd ipſius voluntatis ſunt duo actus, ſcilicet complacentiæ, & concupiſcentiæ; & actus complacentiæ prior eſt, quia priùs complacet voluntati ex dilectione in illo, cui concupiſcit quàm concupiſcat aliquid ſibi. Exemplum. *Duo actus voluntatis.* Nam auarus qui vult ſibi pecunias, priùs ſibi complacet, id eſt, priùs amat ſe, quàm pecunias ſibi concupiſcat; ſemper enim amor concupiſcentiæ eſt poſterior amore amicitiæ, ſiue complacentiæ, vt clarè patuit ſuprà *d. 6. q. 2.* Hoc præſuppoſito, dicit Doctor quòd voluntas poteſt aliquid ſibi inordinatè concupiſcere, puta actum fornicandi, & complacere in illo, id eſt, complacere ſibi in illo actu, & cùm dico, *complacet ſibi in tali actu,* dico duo, ſcilicet amorem concupiſcentiæ, quo concupiſcit ſibi actum fornicandi, & amorem complacentiæ, quo complacet ſibi in illo actu. Et non tantum poteſt ſibi complacere in aliquo, puta voluntas non tantum poteſt ſibi complacere in aliquo ordinatè, vel inordinatè concupito, ſed etiam poteſt complacere potentiis inferioribus in aliquo ordinatè, vel inordinatè illis concupito, vt cùm voluntas concupiſcit aliquid viſibile potentiæ viſiuæ, & complacet potentiæ viſiuæ in tali viſione, ita quòd hîc ſunt duo amores in voluntate, vnus quo concupiſcit viſionem obiecti delectabilis potentiæ viſiuæ, & alius quo complacet illi potentiæ viſiuæ in tali viſione, & non tantum hoc, ſed etiam alij, puta alicui proximo, poteſt aliquid concupiſcere, & hoc ordinatè, vel inordinatè, & complacere proximo in tali concupito, & eodem modo poteſt voluntas, quo ad actum intellectus. Poteſt enim voluntas complacere intellectui in aliqua cogitatione.

2. i Nunc applicando ad propoſitum dicit Doctor quòd *quando voluntas imperat cogitationem alicuius illiciti qua vult,* &c. Et nota benè quæ dicit Doctor de complacentia plena, id eſt, quòd quando voluntas plenè, & determinatè deliberat complacere ſibi in cogitatione illiciti, vt ibi delectetur, & tunc dicitur deliberatio plena quando per verum ſyllogiſmum practicum ſibi oſtenditur fornicationem eſſe illicitam, & lege diuina prohibitam, & per conſequens nullo modo volendam, & habet tempus, quo poteſt aſſentire tali dictamini, & conformiter elicere actum nolendi, ſi tunc determinatè contra illud dictamen rationis elicit actum, quo vult luxuriam, ita & taliter, quòd non eliciat actum ex quadam ſurreptione, vel ex quodam impetu, quia tunc non crederem illum eſſe peccatum mortale; ſed quando perfectè oſtenditur ſibi eſſe malum, ita quòd in ratione nulla eſt ſurreptio, nec impedimentũ, ſi poſt tale dictamen determinat velle fornicari, etiam ſi opus non ſequatur, mortaliter peccat. Sic pariformiter dico, quòd ſyllogiſmo practico concludatur eſſe peccatũ mortale delectari in cogitatione illiciti, & legi diuinæ ſimpliciter prohibiti, & hoc dictetur expreſsè voluntati, ſi tunc voluntas determinat contrà tale dictamen complacet ſibi in tali cogitatione illiciti, imperando intellectui vt firmiter ſtet in tali cogitatione, tũc nulli dubium quin illa cogitatio poſt talem deliberationem, eſt peccatum mortale, quod probat, quia ſicut eſt peccatum mortale concupiſcere ſibi delectationem de obiecto illicito, & illã etiam, vel aliam concupiſcere potentiæ inferiori, ſic etiam eſt peccatum ad hoc velle cogitationem de ipſo obiecto, vt ſcilicet delectetur in illo.

3. k Et hæc eſt ſententia Auguſtini. Auctoritas Auguſtini debet intelligi de pleno conſenſu modo præexpoſito, qui videlicet ſequatur dictamen rectæ rationis, &c. Nota etiã quòd quando voluntas pleno conſenſu imperat cogitationem de obiecto illicito, vt delectetur in tali illicito, quòd ſi delectatio actu non ſequitur, adhuc talis cogitatio eſt peccatum mortale, quia ſi talis delectatio non ſequitur non eſt ex defectu voluntatis, cùm ipſa pleno conſenſu velit delectari in tali cogitatione.

l Addit etiam Doctor quòd *in eadem cogitatione poteſt eſſe peccatum, & non eſſe,* &c. *Definire intemperantiam, verbúmque eius dicere pertinet ad artem moralem,* id eſt, cauſare cognitionem intemperantiæ, quæ cognitio dicitur verbum, hoc pertinet ad artem moralem, qua cognoſcuntur mala vt fugienda, & bona vt proſequenda.

4. m Ad argumenta principalia. Primò arguit Doctor, probando quòd peccatum non ſit in cogitatione, quia ſecundùm Auguſtinum de duabus animabus, peccatum nunquam eſt niſi in voluntate.

Peccatum quomodo ſit in voluntate. Reſpondet, concedendo quòd *peccatum formaliter non eſt niſi in voluntate. Sed tamen materialiter poteſt eſſe in aliis actibus vt inordinatè imperantur à voluntate.* Vnde prima cogitatio, vt patet ſuprà, non inducit peccatum, quia illa eſt prior actu elicito voluntatis, eadẽ tamen vt continuata, & firmata, vt ſuprà dixi, poteſt eſſe peccatum mortale, non enim aliqua noua cogitatio, vt ſimpliciter noua, poteſt eſſe bona, vel mala moraliter, cùm omnis talis ſit prior voluntate, ſed poteſt dici noua, quo ad nouam intenſionẽ, nam voluntas non poteſt imperare nouam intellectionem, ſed benè primam poteſt intendere. Pono ergo quòd intellectus meus ante omnem actum voluntatis cogitet obiectum illicitum, & quòd voluntas in eodem inſtanti temporis conuertat intellectum ad illam cogitationem, complacendo ſibi in illa, & in obiecto illius cogitationis. adhuc non credo pro ſtatu iſto, quòd voluntas peccet in tali cogitatione, quia oportet quòd priùs ſibi oſtendatur per verum ſyllogiſmum practicum, quòd delectari in tali cogitatione ſit peccatum, & hoc pro ſtatu iſto non ſit in inſtanti. Sed ſi poſt verum dictamen pleno conſenſu imperat

Quæ ſit cogitatio noua.

talem cogitationem, tunc erit peccatum mortale. Deinde declarat Doctor quæ ſit ſecunda cogitatio, ſiue noua, & dicit quòd illa eſt noua, vel prima, quoties obiectum ſibi occurrit, ſi enim nunc non intelligo lapidem, & immediatè pòſt intelligo illum, talis intellectio dicitur noua, ſiue prima, & ſi poſt horam non intelligo eundem lapidem, & poſt aliam horam intelligo illum eundem, adhuc illa dicitur noua, ſiue prima, & hoc etiam patet, quando homo ſurgit à ſomno, tunc omnis intellectio quam habet dicitur noua, quia in ſomno nullam habebat.

Ad ſecundum patet reſponſio.

Tertiò arguit ſic; *Nihil eſt peccatum, niſi ſit cognitum*, &c.

n Reſpondet quòd *non ſequitur, cogitatio non eſt prius cognita, ergo nec volita*, &c. *Vnde ad hoc, quòd aliquid ſit volitum, ſufficit eius cogitationem actualiter inhærere intellectui*, id eſt, quòd ad hoc, quòd obiectum ſit volitum, ſufficit quòd intellectio illius actu inhæreat intellectui, & talis cogitatio actu inhærens intellectui poteſt eſſe volita, licèt actu non ſit præcognita, & de hoc ſatis dictum eſt ſuprà.

SCHOLIVM.

Duo hîc oſtendit: primum, potentiam motiuam deſpoticè ſubeſſe voluntati, ſunt tamen aliqua membra, quæ ex quadam ſympathia cum imaginatione, quandoque contra voluntatem mouentur, de quo D. Thom. 1.2. q. 17. art. 9. ad 3. & Aug. 14. Ciuit. 16. Secundum, in ſermone, ſicut & in omni alio actu externo ſubdito voluntati, non benè regulato, eſſe malitiam, materialiter tamen, id eſt, dependenter à voluntate. Soluit argumenta allata q. 2.

Deci. q. 2. An ſermo ſit in poteſtate voluntatis.

AD quæſtionem ſecundam [o] ſoluendam, primò videndum eſt quomodo ſermo ſit in poteſtate voluntatis: ſecundò, quomodo in eo ſit malitia. 16.

Quantùm ad primum, dico, quòd potentia motiua in homine eſt in obedientia ſeruili reſpectu voluntatis, quæ 1. *Polic. c.* 3. vocatur deſpotica. Vnde in tantùm ſibi obedit, quòd nullum membrum habile ad motum, niſi ſit aridum, reſiſtit imperio voluntatis: ſed formare voces articulatas eſt actus potentiæ motiuæ, licèt non poſſit elici niſi præcedente actu imaginationis, vel intellectus: ergo ſermo eſt in poteſtate voluntatis, ſi lingua non ſit impedita, ſed diſpoſita ad motum.

Quomodo malitia ſit in ſermone, & in voluntate.

Quantùm ad ſecundum dico, [p] quòd malitia, vel peccatum eſt in ſermone materialiter, formaliter verò in voluntate. Nam recta ratio iudicat omnes actus humanos debere eſſe rectè circunſtantionatos rectitudine ſibi debita, ſcilicet participata, loquendo de actibus potentiarum inferiorum: ſed actus potentiæ motiuæ ſubeſt voluntati: ergo debet eſſe circunſtantionatus & rectus, rectitudine ſibi debita, vt quòd tranſeat ſuper materiam debitam, vt ordinetur ad debitum finem, vt ſcilicet ædificet proximum, & quòd notificet illud, quod eſt in conceptu mentis: aliter enim eſſet mendacium. Ex defectu igitur alicuius circunſtantiæ, quam debet imperare voluntas, eſt peccatum, & malitia formaliter in voluntate, & materialiter in ſermone.

Ad arg. q. ſecundæ.

Ad primum [q] argumentum dico, quòd vſus inſtrumenti ad finem ſuum, licèt in ſe non ſit formaliter malus: poteſt tamen eſſe malus materialiter, inquantùm imperatur à voluntate, in qua eſt malitia formaliter, vt cùm intendit malum finem: ſi autem talis vſus ſit ſecundùm dictamen rectæ rationis, non eſt in eo malitia aliquo modo. 17.

Vox non cauſat cõceptum ſignificati, alias quilibet caperet omne idioma.

Ad ſecundum dico [r], quòd illa malitia eſt in voce materialiter prout eſt ſignificatiua. Et cùm dicis, [s] quòd impoſitio ad ſignificandum nullam qualitatem voci tribuit; concedo, nec aliquam intentionem, nec aliquem conceptum. Vnde nihil valet, quòd dicunt aliqui, quòd vox ſignificatiua continet in ſe conceptum rei, quem cauſat in animo audientis. Si enim hoc eſſet verum: tunc vox ſignificatiua audita mouere poſſet intellectum audientis, ſecundùm illam intentionem, inquantùm ſcilicet eſt ſic ſignificatiua, & tunc vox Latina ſignificatiua moueret intellectum Græci audientis eam, ad conceptum, quem exprimit, quod falſum eſt. Vnde per hoc, quod *eſt ſignificatiua*, nulla qualitas ſibi imprimitur, nec aliquem conceptum in ſe continet: ſicut nec in circulo cauſatur qualitas aliqua de nouo, per hoc, quod imponitur ad ſignificandum vinum.

Voce immutante auditũ, memoria recordatur rei ſignificatæ, ſi nouit ad eã ſignificãdã fuiſſe impoſitam, non aliter.

Ideò dico, quòd vox ſignificatiua ſolùm eſt ſignum rememoratiuum ad placitum. Vnde vox tantum immutat ſenſum auditus: nec habet cauſare in ſenſu, vel in phantaſia, vel in intellectu, niſi conceptum vocis ex ſe: auditu tamen immutato à voce ſignificatiua, immutatur phantaſia, & memoria, & rememoratur rei, cui tale nomen fuit impoſitum, & ſic excitat intellectum ad conſiderationem illius rei, cuius prius habuit

habuit notitiam. Aliter enim nihil moueret, niſi res cui imponitur, prius fuerit ſibi nota, & quod ad rem illam ſignificandam imponebatur: & ſic reducit intellectum ad actualem intellectionem rei prius notæ habitualiter: & iſto modo poteſt eſſe materialiter malitia in voce, vt eſt inſtrumentum voluntatis.

COMMENTARIVS.

1. o AD ſecundam quæſtionem ſoluendam, quæ eſt. An in ſermone poſſit eſſe peccatum, &c.

Quantùm ad primum dicit Doctor quòd *potentia motiua in homine eſt in obedientia ſeruili reſpectu voluntatis*, &c. ſic quòd talis potentia nullo modo poteſt rebellare voluntati ſic diſpoſitæ, ſed in viribus ſenſitiuis, quibus voluntas dominatur principatu politico, poſſunt aliquando rebellare imperio voluntatis, & de hoc vide *primo Politic.* Sic in propoſito formare voces articulatas eſt actus potentiæ motiuæ, quo mouetur lingua, & alia inſtrumenta ad vocem articulatam requiſita, ipſa tamen vox articulata non poteſt immediatè elici niſi mediante actu imaginationis, vel intellectu, imò priùs formatur vox in mente, quàm extrà formetur, vt patet per Doctorem primo Periher. qui vult quòd ſit vox in mente, & vox in voce, & vide quæ ibi expoſui. Patet ergo quomodo ſermo ſenſibilis eſt in poteſtate voluntatis, ſi lingua non ſit impedita ad motum, & ſimiliter alia inſtrumenta. Cap. 3.

p Quantùm ad ſecundum dicit, quòd *malitia, vel peccatum, eſt in ſermone materialiter, formaliter verò in voluntate. Nam recta ratio iudicat omnes actus humanos*, &c. & dicuntur actus humani, qui eliciuntur ex imperio voluntatis, vel liberi arbitrij. Non enim omnes actus dicuntur humani ex hoc ſolo, quòd ſubſunt imperio voluntatis, quia poſſunt imperari à voluntate, quia ſic mouere barbam, vel leuare feſtucam ex ſola imaginatione, eſſent actus humani, cùm huiuſmodi actus ſubſint etiam imperio voluntatis. Dicuntur ergo actus humani ex hoc, quòd actu eliciuntur imperio liberi arbitrij, cùm ergo voluntas teneatur imperare actibus, qui ſubſunt imperio eius conformiter rationi rectæ, ſequitur quòd teneatur dare illis rectitudinem eis conuenientem, & per conſequens ſi tales actus imperat contra dictamen rectæ rationis, priuat eos rectitudine nata eis conuenire, & ſic in talibus actibus erit peccatum materialiter, quia in eis eſt priuatio rectitudinis natæ ineſſe. Sed in propoſito actus potentiæ motiuæ ſubeſt imperio voluntatis, loquendo tamen de illis actibus, qui ſubſunt voluntati, nam multi ſunt actus, qui non ſubſunt vt motus, pulſus, & actus vegetatiuæ, & huiuſmodi.

2. q Ad primum argumentum principale dicit Doctor quòd ex quò vſus ſermonis eſt in poteſtate voluntatis, & tenetur vti ſermone ſecundùm dictamen rectæ rationis, & quia recta ratio dictat quòd vtatur ſermone cum omnibus circunſtantiis dictatis à ratione, videlicet, vt ſit ſuper debitam materiam, ædificet proximum, &c. & ideò non vtendo ſic ſermone, peccatū eſt formaliter in voluntate, & materialiter in ſermone.

Quomodo peccatum ſit in voce.

r Ad ſecundum dicit Doctor, quòd in voce, vt ſignificatiua, eſt peccatum materialiter, quia voci, vt ſignificatiuæ, cùm ſubſit imperio voluntatis, tenetur voluntas dare rectitudinem ſibi debitam, quæ rectitudo eſt, vt voluntas actu ſuo elicito imperet talem vocem conformiter dictamini recto, quæ vox ſi ſic conformiter ex imperio voluntatis elicitur à potentia motiua, eſt bona materialiter bonitate morali. Si verò difformiter, eſt mala materialiter malitia oppoſita bonitati morali, & hoc quoad argumentum.

3. ſ Et cùm dicitur, quòd impoſitio ad ſignificandum nullam qualitatem voci tribuit: hoc concedit Doctor quòd ſola impoſitio non tribuit voci, nec qualitatem aliquam, nec intentionem, nec conceptum. Vnde nihil valet, quod dicunt aliqui, vt Thomas, qui dicit quòd vox ſignificatiua continet in ſe conceptum rei, quem cauſat in animo audientis, & quia conceptus aliquando accipitur pro obiecto conceptibili; aliquando pro obiecto actu cognito, aliquando pro actu cognoſcendi; aliquando pro ſpecie intelligibili, vt patet à Doctore in ſuis Theorematibus; aliquando accipitur pro quodam idolo fabricato ab intellectu, de quo Ocham *in primo*. Sed quomodocunque accipiatur *conceptus*, ſecundùm diſtinctionem Doctoris talis conceptus non continetur in voce ſignificatiua. Si enim hoc eſſet verum, tunc vox ſignificatiua audita poſſet mouere intellectum audientis ſecundùm illam intentionem, inquantùm ſcilicet eſt ſignificatiua, & tunc vox Latina ſignificatiua, puta hæc vox *lapis* moueret intellectum Græci audientis eam, cauſando in eo conceptum lapidis, quem in ſe continet, & per conſequens Græcus per hanc vocem auditam ſtatim conciperet quiditatem lapidis; patet, quia conceptus ſignificat idem apud omnes, quòd tamen eſt abſurdū. Vndè per hoc, quod eſt ſignificatiua, nulla qualitas ſibi imprimitur, nec aliquem conceptum in ſe continet, ſicut nec in circulo cauſatur aliqua qualitas de nouo per hoc, quod imponitur ad ſignificandū vinum. Ideò dico, quòd vox ſignificatiua ſolùm eſt ſignum ad ſignificandum ad placitum, Vndè vox tantùm immutat ſenſum auditus, nec habet cauſare in ſenſu, vel in phantaſia, vel in intellectu, niſi conceptum vocis ex ſe, per quem ſcilicet illa vox tantùm concipitur, auditu tamen immutato à voce ſignificatiua, immutatur phantaſia, & memoria, & rememoratur res, cui tale nomen fuit impoſitum. Niſi enim phantaſia haberet ſpeciem rei, & ſimiliter vocis, memoria ſenſitiua non cōſeruaret illas ſpecies, non rememoraretur rei, cui tale nomen fuit impoſitum, qua rememoratione habita, excitatur intellectus ad conſiderationem illius rei, cuius priùs habuit notitiā. Aliter enim nihil moueret intellectum, niſi vox, cui imponitur, priùs fuerit ſibi nota, quæ ad rem illam ſignificandam imponebatur; & ſic talis vox reducit intellectum ad actualem intellectionē rei priùs notæ habitualiter, & iſto modo poteſt eſſe materialiter malitia in voce, vt eſt inſtrumentum voluntatis, pro quanto ſcilicet illa voluntas tenetur imperare talem vocem ſecundùm rectum dictamen rationis.

Contra ſanctum Thom.

SCHOLIVM.

Docet opera ſenſitiua, & vegetatiua, mediante motiua, ſubeſſe voluntati, in quibus eſt malitia, ſicut in cogitatione & ſermone, & hoc eodem modo explicat, quo explicuit de malitia cogitationis & ſermonis.

Dec. q. 3. Opus linguæ cur diſtinguitur ab aliis.

AD quæſtionem tertiam ſoluendam, [a] videndum eſt primò, vt priùs quomodo operationes aliarum potentiarum ſunt in poteſtate voluntatis: ſecundò, quomodo in eis eſt malitia. 18.

Quantùm ad primum, dico, quòd *opus* accipitur in propoſito pro operatione potentiarum inferiorum, aliarum à potentia motiua linguæ: licèt enim ſermo ſit quoddam opus, diſtinguitur tamen contra alia opera, quia ſecundùm illud opus ſermonis maximè ſe habet homo ciuiliter, & politicè.

Dico ergo, quòd potentia motiua eſt in poteſtate voluntatis, vt ſuprà viſum eſt, & ſimiliter potentiæ ſenſitiuæ, & etiam vegetatiuæ, quatenus dependent à motiua, ſicut potentia vegetatiua quantum ad nutritiuam requirit appoſitionem nutribilis, & ſimiliter approximationem actiui ad paſſiuum: & ſecundùm hoc potentia generatiua eſt in poteſtate noſtra, & in ea poteſt eſſe peccatum materialiter, inquantùm ad actum inordinatum præcedit potentia motiua, quæ eſt in poteſtate voluntatis. Similiter etiam quantùm ad potentias ſenſitiuas, quatenus operationes earum dependent à potentia motiua. Vnde Auguſtinus 11. *de Trin. cap.* 8. dicit, quòd quia operatio palpebrarum neceſſariò requiritur ad viſionem, & motus localis palpebrarum obedit animæ: eatenus viſio eſt in poteſtate voluntatis.

Loquitur de potẽtiis externis interna enim non dependent à motiua

Quomodo sẽſatio ſub eſt volũtati ſine motu locali.

Sed ſúntne huiuſmodi potentiæ aliter in poteſtate voluntatis, quàm per principium motiuum? Dico, quod ſic, inquantum ſcilicet, perfectiùs poſſunt in actum ſuum, ex hoc, quòd voluntas habet actum ſuum circa idem obiectum. Patet in viſu, nam ſtante eadem diſpoſitione obiecti, & oculi, poteſt viſus imperari à voluntate, vt abſque motu locali intueatur, nunc aliquem punctum perfectiùs quàm priùs, & hoc in eadem pyramide, & infra eandem baſem, propter copulationem voluntatis.

De ſecundo dico, [b] quod malitia eſt in eis materialiter eodem modo ſicut in aliis, ſcilicet, ſermone, & cogitatione, ſcilicet quando non ſunt cum debitis circunſtantiis elicitæ, & carent rectitudine participata, quam debent habere.

COMMENTARIVS.

4. a AD *tertiam quæſt. ſoluendam*, quæ eſt, an in opere ſit peccatum? Duo ſunt principaliter videnda.

Quantùm ad primum: dicit, Doctor quòd *potentia motiua eſt in poteſtate voluntatis, & ſimiliter potentia ſenſitiua, & etiam vegetatiua, quatenus dependet à motiua, ſicut potentia vegetatiua quantùm ad nutrimentum, requirit appoſitionem nutribilis*, & ideò nullus ſe nutrire poteſt, niſi cibus applicetur ori, & niſi fiat maſticatio, & deglutitio, qui actus ſunt potentiæ motiuæ, quæ ſubeſt imperio voluntatis; & quoad hoc poteſt dici vegetatiua ſubeſſe imperio voluntatis, *& ſimiliter requirit approximationem actiui ad paſſiuum, & ſecundùm hoc vegetatiua generatiua eſt in poteſtate noſtra, & in ea poteſt eſſe peccatum materialiter*, inquantùm *ad actum inordinatum præcedit potentia motiua, quæ eſt in poteſtate voluntatis*, nam ſi potentia motiua imperio voluntatis applicat actiuum paſſiuo debito modo, & ad finem debitum, vt cum quis cognoſcit ſuam modo debito, & ad finem debitum, & ſecundùm dictamen perfectæ rationis. *Similiter etiam quantum ad potentias ſenſitiuas*, puta *viſus, auditus, odoratus, olfactus, & tactus, quatenus operationes earum dependent à potentia motiua*, poteſt in eis eſſe peccatum materialiter: licèt enim actus videndi non ſit immediatè in poteſtate voluntatis, ſtantibus oculis apertis circa viſibile approximatum, tamen illa viſio eſt in poteſtate voluntatis, pro quanto poteſt imperare potentiæ motiuæ, vel vt auertat oculos, vel vt eos claudat.

b *De ſecundo* principali, patet quòd malitia eſt in eis materialiter, quando, ſcilicet tales operationes non ſunt elicitæ imperio voluntatis cum debitis circunſtantiis à ratione recta dictatis.

SCHOLIVM.

In ſolutione ad primum, videtur negare vllum actum in voluntate ſine aliqua libertate, quod habet etiã in 4. diſtinct. 49. quæſtione 10. & quodl. 16. cum Alenſi 2. parte, quæſt. 125. m. 3. & videtur D. Thom. 1. 2. quæſtione 10. articulo 2. Sed conſtat pueros & amentes, velle non liberè, & nos diſtractos, continuare velle, illud etiam elicere libere, nihil cogitando de moralitate obiecti, quando ergo Scot. dicit motus primos voluntatis eſſe peccata, loquitur de in quibus eſt aliqua libertas: nec vult omnem actum voluntatis eſſe liberum, niſi ſit adulti

adulti, sani, & aliqualiter deliberati: ad replicam, videtur admittere actus aliarum potentiarum esse peccata, sine actu positiuo voluntatis, quòd est verius, de quo Vasq. 1. 2. disp. 107. cap. 2. Sayr. l. 8. cap. 7. Asson. 1. l. 4. cap. 6. quæst. 5. multi tamen negant mortale in illis sine actu positiuo voluntatis. Vide Sanchium 2. in Decal. cap. 2. num. 13. ad secundum, negat bene omnem libertatem appetitui, licet non despoticè subsit voluntati, sed politicè, qui habet certum obiectum in quod tendat, quod non habet potentia motiua. Caiet. 1. 2. quæst. 74. a. 4. tribuit ei propriam libertatem sufficientem ad veniale, sed contra libertatem Caiet. oppositum definitur in Trid. Sess. 5. de peccato originali.

19. AD primum de Apostolo [c] dico quòd illud debet intelligi quoad primos motus de quibus non videò quòd sint peccatum, quia præcedunt omnem actum voluntatis: & nulla ratio culpæ est in aliquo præcedente actum volũtatis. Delectationes verò, [d] quæ sunt in voluntate tanquam primi motus, sunt peccatum: quando sunt de obiecto illicito, vt quando voluntas delectatur appetitui sensitiuo: quia illæ non sunt sine actu rationis, & voluntatis præcedente. *Ad arg. 3. tertia.*

Si dicas, [e] quòd primi motus sunt peccata ex eo, quòd voluntas non præuenit. Tunc non est peccatum commissionis, sed omissionis & sic illa opera, quæ sunt peccata formaliter, sunt illa opera interiora.

Ad secundum dico, quòd appetitus noster in quo conuenimus cum brutis, est liber, & rationalis per participationem: non autem per actum suum, sed per actum alterius potentiæ, scilicet voluntatis, cui subest: & ideò potest conuerti ad bonum; & auerti à bono: in brutis autem licèt sit appetitus sensitiuus, non tamen est particeps rationis in eis, sicut in nobis. *Ad. 2.*

COMMENTARIVS.

CONtra hoc arguitur, quia opus est voluntarium, vt patet ad Rom. 8. *Non quod volo bonum hoc facio.* Secundò, quia talia opera sunt communia brutis, & hominibus, ergo in illis non est peccatum, sicut etiam bruta per illa non peccant.

c Respondet Doctor ad primum, quòd dictum Apostoli intelligitur quo ad primos motus, qui præcedunt omnem actum voluntatis, & per consequens nulla culpa potest esse in eis, quia vt sic, non subsunt imperio voluntatis.

d *Sed delectationes, quæ sunt in voluntate tanquam primi motus, sunt peccatum*, &c. Hoc tamen debet sanè intelligi, quia non est peccatum mortale talis delectationis; nisi sequatur plenum consensum, vel plenam deliberationem, præcedente verò dictamine rationis, quod est communiter cognitio conclusionis syllogismi practici plenè, & actualiter dictans esse illicitum, & lege diuina prohibitum voluntatem velle cõdelectari sensui de re illicita, vt suprà dixi.

Difficultas. e *Si dicas, quòd primi motus non sunt peccata*, &c. Hîc mouet vnam difficultatem, quia delectatio immoderata in parte sensitiua, quæ natà est subesse imperio voluntatis, siue operatio, ad quam sequitur talis delectatio, licèt sit prior actu voluntatis elicito, quia voluntas non tantùm tenetur non imperare huiusmodi actus, sed etiam tenetur præuenire potentias sensitiuas, ne tales actus eliciant.

f Dicit Doct. quòd tunc si erit peccatũ, quod tãtũ erit peccatũ omissionis in volũtate, quia omittit quod tenetur non omittere, omittit enim talẽ præuentionẽ, quã tenetur non omittere. In illis ergo operationibus sensitiuis elicitis non ex imperio voluntatis non est peccatum, etiam materialiter, sed tantùm est peccatum omissionis in voluntate. Sed quomodo voluntas tenetur præuenire potentias ne eliciant tales actus, hoc non pertinet ad præsentem materiam.

Ad secundum patet responsio ex supradictis, quia appetitus noster, cùm subsit imperio voluntatis per participationem, ideò potest esse in eo peccatum materiale.

SCHOLIVM.

Diuisionem in peccata cordis, oris, operis, non dari de formali peccati, nec de subiecto formali eius quod est actus voluntatis tantùm, qui: in eo est immediatè libertas; sed de subiecto materiali eius, id est, de omnibus actibus aliarum potentiarum subiectis voluntati, in quibus est mediata libertas.

20. AD quæstionem [g] quartam dicendum, quòd Hieronymus non diuidit hîc peccatum actuale formaliter, nec subiectum peccati formalis: quia hîc est actus voluntatis, & non cogitatio, nec sermo, nec opus exterius: nec etiam originale peccatũ, quia illud est solùm in anima, sed distinguit hîc tantùm, subiectum materiale peccati: & posset cõtineri illa diuisio peccati sub duplici membro, scilicet quòd quoddã est peccatum in actu interiori, quoddam consistit in actu exteriori. Primo modo est peccatum cogitationis: secundum subdiuiditur quia sic continet locutionem, & *Dec. qu. 4.*

operationem, quia locutio maximè conuenit homini, vt eſt rationalis, & vt eſt homo, quia vt ſic, eſt communicatiuus, & ſic circumloquimur actum exteriorem per duo membra: & debet intelligi diuiſio poſitiuè quoad peccatum commiſſionis; negatiuè, quoad peccatum omiſſionis in cogitatione, locutione, & opere.

Vide 2. de anima t. c. 88. & 3. de anima 1. com. 68.

COMMENTARIVS.

6. *Peccatū formaliter eſt in actu voluntatis.*

AD quæſtionem quartam, quæ eſt, An diuiſio Hieronymi de peccato ſit ſufficiēs? Dicit Doctor primo, quòd Hieronymus non diuidit hîc peccatum formaliter, quia peccatum formaliter eſt tantùm in actu voluntatis elicito, cùm ſit carentia rectitudinis, quæ deberet ineſſe tali actui ex recto dictamine rationis, vt ſuperiùs patuit. Secundò dicit, quòd Hieronymus non diuidit hîc ſubiectum peccati formalis, quia tale ſubiectum eſt tantum actus voluntatis elicitus; peccatum enim, ſiue formale, ſiue materiale, immediatè fundatur in actu, vt ſuprà patuit *in iſto ſecundo, diſt.* 34. & ſic ſubiectum peccati formalis; vt diſtinguitur contra ſubiectum peccati materialis, eſt actus voluntatis elicitus. Tertiò dicit, quòd Hieronymus non diuidit peccatū originale, quia illud eſt tantùm in voluntate, vt ſuprà patuit *in iſto ſecundo, diſt.* 29. & 31. Quartò dicit, quòd Hieronymus hîc tantùm diuidit ſubiectum peccati materialis, quale ſubiectum eſt cogitatio, ſermo, & operatio. Et addit Doctor quòd illa diuiſio poſſet contineri ſub duplici membro, ſcilicet quòd quoddam eſt peccatum in actu interiori, vt cogitatio; & quoddam in actu exteriori, & hoc ſecundum membrum ſubdiuiditur, quia continet ſermonem, & operationem, quia locutio maximè conuenit homini, vt eſt rationalis, & vt eſt homo, quia vt ſic, eſt communicatiuus; & ſic circumloquimur actum exteriorem per duo membra, & debet intelligi diuiſio poſitiuè quo ad peccatum commiſſionis, puta quando actu dicitur ſermo, vel opus ſine debitis circunſtantiis à ratione dictatis, & ſimiliter cogitatio negatiuè quo ad peccatum omiſſionis in cogitatione, locutione, & opere, vt cùm voluntas tenetur imperare cogitationem, & locutionem, & opus & non imperat.

QVÆSTIO V.

De diuiſione peccatorum capitalium.

Alenſis 2. *pag.* 152. *m.* 1. *& 2. & poſtea agit de ſingulis* 7. D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 84. *ar.* 4. *vbi eius expoſ.* D. Bonau. *hîc dub.* 3. *circa lit.* Rich. *circa liter. ſi.* Greg. 31. *Mor.* 17. Iſid. 2. *de ſum. bono cap.* 37 Dur. *hîc qu.* 5.

SCHOLIVM.

De hac quæſt. quoad ſeptimembrem diuiſionem peccati, egit ſuprà diſt. 6. *qu.* 2. *vbi tenet non eſſe ſufficientem, niſi per reductionem, quia multa peccata ſub nullo ſeptem continentur de qua videri poſſunt Patres, & Doctores ſuprà in titulo citati.*

quæſt. 1. CIrca quintam, ſcilicet, de diuiſione peccatorum capitalium, eſt ſciendum, quòd eius ſolutio patet, diſt. 6. huius, vbi quæſitum fuit de peccato Angeli. Voluntas enim coniuncta appetitui ſenſitiuo, nata eſt tendere in delectabilia talis appetitus, & maximè in maxima delectabilia, & appetibilia appetitui ſenſitiuo excellentiori: ſicut intellectus coniunctus natus eſt intelligere ſenſibilia, & priùs ea, quæ ſunt priùs ſenſibilia.

Voluntas igitur noſtra propter coniunctionem ſui cum appetitu ſenſitiuo, nata eſt tendere in delectabilia tali appetitui: & ſecundùm iſta delectabilia, poſſent aſſignari peccata capitalia carnalia: ſpiritualia autem ſecundùm illud, quod eſt delectabile voluntati in ſe, non propter appetitum ſenſitiuum. Peccatum autem auaritiæ non videtur eſſe niſi circa appetibile vtile quod ordinatur ad appetibile ſecundùm ſe, altero dictorum modorum ſcilicet ad voluptatem, vel honorem. Secundùm tamen formalem rationem peccatorum, iſta diuiſio ſeptimembris non eſt ſufficiens: imò eſſet per ſe accipienda diſtinctio peccatorum, vel ex carentia, vel ex obliquitate præceptorum, ita quòd ſicut ſunt decem præcepta, ita ſunt decem peccata capitalia, & ex oppoſitione ad virtutes, & de hoc dictum eſt prædicta diſt. 6.

Auaritia ordinata eſt ad voluptatē vel honorem.

DISTIN

DISTINCTIO XLIII.

De peccato in Spiritum ſanctum.

A EST præterea quoddam peccati genus, cæteris grauius & abominabilius, quod dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, de quo in Euangelio veritas ait, *Qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futuro.* Et Ioannes in epiſtola Canonica, *Eſt peccatum ad mortem, non pro eo dico vt quis oret. Qui enim peccat in Patrem, remittetur ei, & qui peccat in Filium, remittetur ei: qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque hic, neque in futuro.* Sed quæritur quid ſit illud peccatum in Spiritum ſanctum, vel ad mortem? Quidam dicunt illud peccatum eſſe deſperationis, vel obſtinationis. Obſtinatio eſt induratæ mentis in malitia pertinacia, per qua homo fit impœnitens. Deſperatio eſt, qua quis diffidit penitùs de bonitate Dei, æſtimans ſuam malitiam diuinæ bonitatis magnitudinem excedere: ſicut Cain, qui dixit: Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear. Vtrunque verò dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, quia Spiritus ſanctus eſt amor Patris & Filij, & benignitas, quaſe inuicem & nos diligũt: quæ tanta eſt, cuius finis non eſt. Rectè ergo in Spiritum ſanctum delinquere dicuntur, qui ſuam malitiam Dei bonitatem ſuperare putant, & ideò pœnitentiam non aſſumunt: & qui iniquitati tam pertinaci mente inhærent, vt eam nunquam relinquere proponant, & ad bonitatem Spiritus ſancti nunquam redire velint, patientia Dei abutentes, & de miſericordia Dei nimis præſumentes: quibus placet malitia propter ſe, ſicut piis bonitas. [Iſti nimia pertinacia & præſumptione, peccant, autumãtes Deum non eſſe iuſtum. Illi deſperatione, Deum non bonum exiſtimant, tollentes in hoc turbulentiſſimo iniquitatum mari portum diuinæ indulgentiæ, quò ſe recipiant fluctuantes. Atque ipſa deſperatione addunt peccata peccatis, dicentes miſericordiam Dei nullam eſſe, & quod ſuper peccatores neceſſaria damnatio debetur.]

Luc. 12. b

1. Ioan. 5. e.

Gen. 4. b

Aug. ho. 33. ſuper Ioan. nem.

Vtrum omnis obſtinatio vel deſperatio, ſit peccatum in Spiritum ſanctum?

B SEd quæritur, vtrùm omnis obſtinatio mentis in malitia obduratæ, omníſque deſperatio, ſit peccatum in Spiritum ſanctum? Quidam dicunt omnem obſtinationem, & omnem deſperationem eſſe peccatum in Spiritum ſanctum. Quod ſi eſt, aliquando illud peccatum remittitur: quia multi etiam obſtinatiſſimi & deſperatiſſimi conuertuntur, vt Auguſtinus ait ſuper illum locum Pſal. *Conuertam in profundum maris*, id eſt, eos qui erant deſperatiſſimi: & ibi, *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas*, id eſt, obſtinatos facit aliorum doctores. Talium conuerſio ibi etiam euidenter oſtenditur,

Pſal. 67. Aug. l. 8. poſt medium enarrationis.

Ibidē in fine enarrationis ad Pſ.147.Pſ. 67. Serm. de blaſph. in ſpiritum ſanctum, qui eſt de verbis Domini,11.& de veritate & ſal.pœniten.ca.4. Ad Bonif. ep.50. Super Marcū cap.3. Ioan.5. Iob.41.

vbi ait, *Qui educit vinctos in fortitudine:ſimiliter & eos qui exaſperant,qui habitant in ſepulchris.* Secundùm iſtos illud peccatum dicitur irremiſſibile,non quin aliquando remittatur, ſed quia vix & rarò & difficulter dimittitur. Non enim ſoluitur cryſtallus, niſi vehementi ſpiritus impetu. Alij verò tradunt non quamlibet obſtinationem, vel deſperationem appellari peccatum in Spiritum ſanctum, ſed illam tantùm quam comitatur impœnitentia: qui etiam impœnitentiam dicunt eſſe peccatum in Spiritum ſanctum. Sed quia Auguſtinus dicit impœnitentiam eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, ſed cùm ſic obſtinatus eſt aliquis, vt non pœniteat, diſcuti oportet an aliud ſit obſtinatio, aliud impœnitentia ſit in eo peccatum, an idem, ſed diuerſis modis commiſſum. Secundùm iſtos peccatum illud dicitur irremiſſibile, eo quòd nunquam dimittatur. Vnde Auguſtinus etiam dicit, quod hoc ſolum peccatum veniam mereri non poteſt, & Hieronymus quòd taliter peccans,dignè pœnitere nō poteſt. Et ideò rectè Ioannes dicit,vt non pro eo oret quis:quia qui ſic peccat, orationibus Eccleſiæ hîc vel in futuro iuuari non poteſt, habens cor induratum tanquam lapis,ſicut de diabolo legitur: quia poſt hanc vitam qui valde mali ſunt, meritis Eccleſiæ iuuari non poſſunt.

Quod aliter accipitur peccatum in Spiritum ſanctum.

Aug.in l.1. nō longè à fine to.4. Ibidē paulo inferius.

EST etiam alia huius peccati aſſignatio. Hoc enim peccatum Auguſtinus definiens in lib. de ſermone Domini in monte ait, Peccatum ad mortem eſt,cùm poſt agnitionem Dei per gratiam Chriſti oppugnat aliquis fraternitatem, & aduerſus ipſam gratiam, qua reconciliatus eſt Deo, inuidentiæ facibus agitatur:quod fortaſſe eſt peccare in Spiritum ſanctum quod peccatum dicitur non remitti,non quòd non ſit ignoſcendum peccanti ſi pœniteat: ſed quia tanta eſt labes peccati illius,vt deprecandi humilitatem ſubire non poſſit: etiamſi peccatum ſuum mala conſcientia agnoſcere & enunciare cogatur, vt Iudas cùm dixit: Peccaui: faciliùs deſperans cucurrit ad laqueum, quàm humilitate veniam peteret: quod propter magnitudinem peccati, iam ex damnatione peccati tales habere credendum eſt. Ecce quædam aſſignatio peccati in ſpiritum ſanctum, vel ad mortem hîc poſita eſt, qua illud peccatum eſſe traditur opugnatio fraternitatis poſt agnitionem, & inuidentia gratiæ poſt reconciliationem: quod ſpecies quædam obſtinationis intelligi poteſt, illam tamen definitionem Auguſtinus in libro Retract. rememorans, aliquid adiiciendum ibi fore,nec aſſerendo ſe dixiſſe aperit, ita dicens:Quod quidem non confirmaui,quoniam hoc putare me dixi. Sed tamen addendum fuit, ſi in hac ſcelerata mentis peruerſitate finierit hanc vitam: quoniam de quocunque peſſimo in hac vita conſtituto, non eſt deſperandum: nec pro illo imprudenter oratur de quo non deſperatur.His verbis inſinuatur peccatum præmiſſa definitione deſcriptum, tunc ſolum debere dici ad mortem, vel in Spiritum ſanctum, cùm non habet comitem pœnitentiam: nec de aliquo peccatore deſperandum eſt in hac vita: & ideò pro omni eſſe orandum. Vnde illud Ioan. *Non pro eo dico vt quis oret*: ſic accipiendum videtur, vt pro aliquo peccante ad mortem, vel in Spiritum ſanctum poſtquam finierit hanc vitam non oremus. Dum autem in hac vita eſt: nec peccatum illius iudicare, nec de illo deſperare, ſed pro illo orare debemus. Vnde

Matt.27.a

Lib.1.c.19.

1. Ioan.5. d

Auguſtinus

Auguſtinus de verbis Domini de impœnitentia, quæ eſt blaſphemia in Spiritum ſanctum ſic ait, Iſta impœnitentia, vel cor impœnitens, quamdiu quiſque in hac carne viuit, non poteſt iudicari. De nullo enim deſperandum eſt, quamdiu ad pœnitentiam patientia Dei adducit. Paganus eſt hodie, Iudæus infidelis eſt hodie, hæreticus eſt hodie, ſchiſmaticus eſt hodie: quid ſi cras amplectatur Catholicam fidem, & ſequatur Catholicam veritatẽ? Quid ſi iſti, quos in quocunque genere erroris notas, & tanquam deſperatiſſimos damnas antequam finiant iſtam vitam, agant pœnitentiam, & inueniant veram requiem & vitam in futuro? Nolite ergo ante tempus iudicare quenquam. Ex his oſtenditur pro ſingulis peccatoribus in hac vita eſſe orandum: nec de aliquo eſſe diffidendum: quia conuerti poteſt dum in hac vita eſt: quia non poteſt ſciri de aliquo vtrùm peccauerit ad mortem, vel in Spiritum ſanctum, niſi cum ab hac vita diſceſſerit: niſi fortè alicui per Spiritum ſanctum mirabiliter reuelatum fuerit. Ex prædictis aliquatenus capi poteſt, quomodo accipiatur peccatum in Spiritum ſanctum, ſcilicet inuidentia gratiæ fraternitatem impœnitenter oppugnans: quæ vtique obſtinatio eſſe videtur: & omnis impœnitentis obſtinatio atque deſperatio. Notandum verò eſt quod non omnis qui non pœnitet impœnitens dici poteſt: quia impœnitentia propriè obſtinati eſt, & vt quidam volunt etiam deſperati.

Sermone 11. poſt medium eiuſdem, tom. 10.

1. Cor. 4. d.

Alia aſſignatio peccati in Spiritum ſanctum.

D DE hoc quoque peccato in Spiritum ſanctum Ambroſius in lib. de Spiritu ſancto diſſerens definitam aſſignationem tradit dicens: Cur Dominus dixerit, *qui blaſphemauerit in Filium hominis remittetur ei: qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, neque hîc neque in futuro remittetur ei*, diligẽter aduerte. Nunquid alia eſt offenſio Filij, alia Spiritus ſancti? Sicut vna dignitas, ſic vna iniuria. Sed ſi quis corporis ſpecie deceptus humani remiſſiùs aliquid ſentit de Chriſti carne quàm dignum eſt, habet culpam: non eſt tamen excluſus à venia. Si quis verò Sancti ſpiritus dignitatem, maieſtatem, & poteſtatem abneget ſempiternam, & putet non in ſpiritu Dei eiici dæmonia, ſed in Beelzebub, non poteſt ibi eſſe * exhortatio veniæ, vbi ſacrilegij plenitudo eſt. Satis hîc apertè explicatur quid ſit peccatum in Spiritum ſanctum. Quod illi Auguſtini deſcriptioni congruere videtur, quia illud peccatum dicitur eſſe inuidentia gratiæ oppugnans fraternitatem. Qui enim poſt cognitionem veritatis Sancti ſpiritus veritatem negat, eiúſque opera dicit eſſe Beelzebub, poteſtati, bonitati & gratiæ Dei inuidere non dubitatur. Non itaque diſtinctio illa verborum ſic accipienda eſt, quaſi trium perſonarum diuiſæ ſint offenſæ: ſed ibi peccatorum genera diſtincta ſunt. Peccatum enim in Patrem id intelligitur, quod fit per infirmitatem, quia Patri Scriptura frequenter attribuit potentiam: Peccatum in filium quod fit per ignorantiam, quia ſapientia filio attribuitur. Tertium expoſitum eſt. Qui ergo peccat per infirmitatem, vel per ignorantiam, facilè veniam adipiſcitur: ſed non ille peccat in Spiritum ſanctum. Cùm autem vna ſit potentia, ſapientia, bonitas trium: quare Patri potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas ſæpius aſſignetur, ſuperiùs dictum eſt.

Amb. li 1. cap. 3. in fine tom. 2. Matt. 12.

al. exortatio.

Matt. 12. b.

Li. 1. d. 34.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Vtrùm voluntas peccare posſit in Spiritum ſanctum.

D. Thom. 1.2.*quæſt.*78.*&* 2.2. *quæſt.* 14. *art.*1.*&* 3. *&* *hìc quæſt.*1.*a.*1. Alenſ.2.*q.*173. *m.*1. D.Bonau. *hìc a.*1.*q.*1.Richard.*a.*1.*q.*1.Dur.*q.*1. Gabr.*q.*1.

Videtur eſſe ex reportat

CIrca iſtam quadrageſimam tertiam diſtinctionem, in qua Magiſter agit de peccato in Spiritum ſanctum, quæruntur duo, primò, Vtrum voluntas poſſit peccare in Spiritum ſanctum? Secundò, Vtrùm voluntas creata poſſit peccare ex malitia, volendo aliquid non oſtenſum ſibi ſub ratione boni veri, id eſt, boni ſimpliciter, vel boni apparentis, & ſecundùm quid? 1.

Ad arg. 1. Circa primum arguitur, quòd non, quia *qui odit me, odit & patrem meum.* Ioann. 15. vbi dicit Glo. Quod *qui peccat in vnam perſonam, peccat & in aliam.* Et Ioan. 15. *Qui diligit me, diligit & patrem meum.*

Ad 2. Item, ſi poteſt eſſe peccatum in Spiritum ſanctum, hoc erit peccatum quod opponitur charitati. quia ſecundùm Magiſtrum *diſt.* 17. *primi libri* charitas eſt Spiritus ſanctus, & patet primæ Ioann. 4. *Deus charitas eſt*: ſed charitati opponitur odium: ſed voluntas non p teſt odire Deum, quia in eo nulla ratio mali eſt.

Ad 3. *Cap.*19. Prætereà, ſi eſt aliquod peccatum in Spiritum ſanctum, illud eſt irremiſſibile ſecundùm ſententiam Saluatoris, *Matth.* 12. ſed nullum peccatum eſt irremiſsibile ſecundum Auguſtinum *primo Retractationum*: ergo nullum peccatum eſt in Spiritu ſancto.

Contra eſt Magiſter in litera.

SCHOLIVM.

Explicat, ſicut datur actualis conuerſio ad vnam perſonam, non ad alias; vt conſtat ex orationibus Eccleſiæ: ſimiliter dari auerſionem actualem ab vna, non ab aliis: hæc tamen continet virtualem auerſionem ab aliis, de quo 1.*d.*1.*q.*2.*n.*2.

Auerſio à Deo duplex.

REſpondeo: [a] hìc primò videndum eſt, quomodo poteſt eſſe peccatum aliquod præcisè in Spiritum ſanctum. Vbi ſciendum eſt, quòd peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam. Inquantùm autem peccatum formaliter, vel virtualiter auertit à Deo, & inquantùm cedit in irreuerentiam alicuius perſonæ, ſic non poteſt auertere ab vna perſona quin auertat ab alia virtualiter: nec vt ſic, poteſt quis peccare in vnam perſonam, quin peccet in aliam. Sed ſi intelligatur [b] quæſtio de auerſione actuali, poſſet videri eadem ratione, quòd nec auerſio actualis poſſet fieri ab vna perſona, niſi actualiter fieret ab omnibus. 2.

Quomodo ſtat auerſio ab vna perſona diuina, & non ab aliis?

Eccleſia dirigit orationem ad vnam perſonam actu, & non ad alias actu.

Videtur tamen mihi contrarium, ſcilicet quòd poſſet fieri auerſio actualis ab vna perſona, non ab alia. Quod probatur, primò ſic, cùm ſint tres articuli reſpicientes diſtinctè tres perſonas, poſſibile eſt aliquem errare in vno articulo, & non in alio: & per conſequens peccare actualiter in vnam perſonam, & non in aliam: quia habita actuali conſideratione de vna, non oportet quòd habeatur de alia: in qualibet autem perſona inuenitur ratio vltimi finis, quia ratio omnis boni: igitur illi, vt ſic poteſt fieri reuerentia, & irreuerentia, non habita conſideratione ad alias perſonas: & hoc videtur facere Eccleſia, vt patet in collectis, in quibus concluditur in fine, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Primò enim præmittitur Pater, ad quem oratio communiter dirigitur, & in fine ſubnectitur mediator, in cuius nomine petit, & orat Eccleſia: vnde ſi quis orando, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* intenderet petere in nomine Trinitatis, nihil peteret, quia petitur in nomine mediatoris, qui Chriſtus eſt. Videtur ergo Eccleſia in orando, orare vnam perſonam, & non aliam actualiter. Hoc etiam patet in illo Hymno, *Veni creator ſpiritus*: vbi multa ponuntur, quæ non conueniunt niſi Spiritui ſancto, vt puta quòd ſit donum, & talia.

Prætereà [c] magis diſtinguitur perſona à perſona, quàm eſſentia à perſona: quia 3.

inter

inter perſonas eſt oppoſitio relatiua, non ſic autem inter eſſentiam, & perſonam: ſed poſſibile eſt aliquem ſtare in actuali conſideratione eſſentiæ diuinæ, nihil cogitando de perſona (vt patet in Philoſophis) & ſic conſiderare eſſentiam non conſiderando perſonam, inueniet in ea rationem finis, & omnis boni, & per conſequens eſſentiæ, vt eſſentia eſt, poteſt facere reuerentiam vel irreuerentiam, non faciendo alicui perſonæ: ergo poteſt facere vni perſonæ non faciendo alteri. *De hoc 1. d.1.q.2. n.2.*

Dices, [d] quòd non eſt ſimile de perſonis, & de perſona, & eſſentia: quia perſonæ ſunt correlatiuæ, & intellectus non poteſt habere actum circa vnum correlatiuum, quin habeat circa aliud, & ſic non poteſt fieri irreuerentia vni perſonæ, quin fiat omnibus.

Sed hoc non valet, quia quantumcunque ſint correlatiua, tamen circa extrema ſunt duo actus intellectus, ſicut patet de accidente, & ſubiecto: qui enim intelligit accidens, non propter hoc intelligit ſubiectum eadem intellectione, licèt actus comparandi ſit vnus.

4. Præterea, Pater ſub ratione Patris non dicitur correlatiuè ad Spiritum ſanctum: igitur Patri poteſt fieri reuerentia actualiter, licèt actualiter non fiat Spiritui ſancto, & ſic poſſibile eſt, quòd actualiter quis peccet in vnam perſonam, non pecando in aliam actualiter: ſed tamen virtualiter neceſſe eſt ipſum cogitare de omni, cùm faciat reuerentiam, vel irreuerentiam vni, & ita virtualiter facere idem omni. Et ſi eliciat aliquam opinionem erroneam circa vnam perſonam virtualiter elicit circa omnes, quia earum eſt vna bonitas, & vna ſapientia: non tamen eſt neceſſe, ſi actualiter peccat in vnam, quòd peccet actualiter in aliam. *Auerſus actu ab vna perſona, virtualiter eſt auerſus ab aliis. Vide Mag. hîc.*

Sed iſto modo non accipitur peccatum in Spiritum ſanctum, vt ſi aliquis peccet in ipſum, & non in aliam perſonam: ſed dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, non propriè, ſed appropriatè, vt quia peccatum aliquod eſt contra appropriatum Spiritui ſancto: ſecundùm quod dicimus, quòd bonitas eſt appropriata Spiritui ſancto, ideò peccatum ex certa malitia dicitur eſſe peccatum in Spiritum ſanctum; Patri autem appropriatur potentia, ideò peccatum ex infirmitate dicitur appropriatè contra Patrem: ſapientia autem appropriatur filio; ideò peccatum ex ignorantia dicitur eſſe contrà filium. *Peccatum ex malitia dicitur contra Spiritum S. ex infirmitate, cõtra Patrẽ: ex ignorantia contra Filium.*

COMMENTARIVS.

1. a *Reſpondeo.* Ad primam quæſtionẽ dicit Doctor duo. Primò, quòd oportet videre quomodo poteſt eſſe peccatum aliquod præcisè in Spiritum ſanctum. Secundò quomodo poteſt committere tale peccatum.

Quoad primum, recitatur vna opinio, ſcilicet quòd peccatum in Spiritum ſanctum dicitur inquantùm præcisè cedit in irreuerentiam perſonæ Spiritus ſancti. Et Doctor reſpondendo infrà, dicit quòd propriè non dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, quod præcisè committitur in vnam perſonam, & non in aliam, vt infrà patebit. Sed priùs præmittit, an voluntas creata poſſit actu auerti ab vna perſona quin virtualiter auertatur ab alia. Secundò an actu poſſit auerti ab vna, quin actu auertatur ab alia, & quid ſit auerſio actualis, & virtualis patuit ſuprà *in iſto ſecundo, diſt.* 35. De primo dicit, quòd *non eſt poſſibile quòd aliqua voluntas actu auertatur ab vna perſona, quin virtualiter auertatur ab alia*, & hoc patet, quia quælibet perſona æquè eſt volibilis, & amabilis, cùm in qualibet ſit perfectiſsima ratio obiecti amabilis, quod eſt eſſentia diuina; & ideò ſicut quis non poteſt actu conuerti ad vnam perſonam immediatè, puta diligendo illam ex charitate, quin ſaltem habitualiter, vel virtualiter conuertatur ad aliam ex charitate, cùm ratio obiecti amabilis ex charitate ſit æquè perfectè in iſta ſicut alia. Sic pariformiter dico de auerſione formali, qualis dicatur pro nunc odium Dei, licèt fortè non ſit poſsibile habere illud, non poaliqua voluntas creata actu odire, ſiue actu nolle eſſe vnam perſonam, vel nolle perfectionem vnius perſonæ quin virtualiter odiat aliam, & nolit eam.

Sed hîc eſt dubium, quia licèt Deitas ſit obiectum ſummè diligibile, tamen non videtur ſequi, quòd ſi diligo Deitatem puta mihi, quòd etiam virtualiter diligam illam Franciſco, quæ nata eſt diligi à Franciſco, & hoc ſatis patet *in tertio, diſt.* 28. & 29. & ibi oſtenſum eſt, quòd de potentia Dei abſoluta benè quis poteſt ex charitate diligere Deum in ſe, & diligere Deum ſibi, & tamen non diligere Deum alteri. Sic ſimiliter videtur dicendum, quòd aliqua voluntas creata poſsit ex charitate diligere Deum in ſe, & vt in aliqua perſona, & non in alia perſona. Tum etiam, quia tenendo, quod perſonæ conſtituantur per relationes, ſiue per abſoluta, cùm tamen illa conſtituentia, ſiue relatiua, ſiue abſoluta, non dicant formaliter aliquam perfectionem, vt patet à Doctore *in primo, diſt.* 26. ideò non videtur ſequi quòd ſi actus amoris ex charitate poteſtate alicuius voluntatis creatæ immediatè terminetur ad vnam perſonam, quòd etiam virtualiter terminetur ad aliam. 2. *Dubium.*

Dico breuiter, quòd etſi perſonalitas, ſiue proprietas conſtitutiua perſonæ, non ſit obiectum, nec habeat rationem obiecti diligibilis, cùm nullam perfectionem formaliter includat, tamen eſt conditio obiecti diligibilis; & ideò non poteſt

rectè

rectè diligi ratio formalis obiecti diligibilis, quin etiam diligatur conditio illius obiecti, id eſt, quin diligatur, vt includit ſuo modo talem proprietatem: & ideò bene ſequitur quòd quis non poteſt ex charitate actu diligere vnam perſonam, quin virtualiter diligat aliam, cùm in illa alia ſit ratio formalis obiecti diligibilis, & conditio talis obiecti, & de hoc aliqua dicta ſunt *in tertio, diſt.* 27. Et ſic ſimiliter ſi eſſentia diuina eſſet communicata alicui creaturæ, puta Franciſco, & Ioanni, non poſſet quis ex charitate diligere eam in Franciſco, quin ſaltem virtualiter diligeret eam in Ioanne.

3. b De ſecundo, ſcilicet an quis actu poſsit auerti ab vna perſona, quin etiam actu auertatur ab alia, licèt multi teneant quòd ſit impoſsibile actu diligere vnam perſonam, non diligendo aliam actu, & per conſequens etiam non ſit poſsibile actu auerti ab vna, quin actu auertatur ab alia, vt patuit *in primo, diſt.* 1. *quæſt.* 2. vbi adduxi multas opiniones, quas etiam ibi improbaui. Doctor tamen expreſsè tenet in loco ſuprà allegato quòd quis poteſt frui vna perſona non fruendo alia, & ſic quis actu poteſt auerti ab vna perſona, licèt actu non auertat ab alia, & probatio in litera eſt ſatis clara, *cùm enim ſint tres articuli diſtinctè reſpicientes tres perſonas*, &c.

c Secundò hoc idem probatur, arguendo à minori, quia minus videtur quòd quis actu poſſet cogitare eſſentiã, nec cogitando actu perſonam, quàm poſsit cogitare vnam perſonam non cogitando illam. Hoc patet, qui eſſentia minùs diſtinguitur ab vna perſona quàm vna perſona ab alia. Nam eſſentia ſecundùm communem opinionem ſi aliquo modo diſtinguitur à perſona, tantum ratione diſtinguitur, licèt Doctor teneat quòd diſtinguatur ex natura rei, vt patet *in primo, diſt.* 2. *par.* 2. *quæſt.* 1. imò quòd diſtinguatur formaliter, vt patet *in primo, diſt.* 8. *quæſt. penult.* Sed vna perſona realiter diſtinguitur ab alia, ergo à fortiori poteſt quis actu conſiderare vnam perſonam non conſiderando aliam, & ſic auerti actu ab vna perſona, & actu non auerti ab alia.

d *Dices, quòd non eſt ſimile de perſonis adinuicem, & de perſona, & de eſſentia*, ſed eſſentia nullo modo refertur ad perſonam, nec perſona ad eſſentiam, vt oſtenſum eſt in primo, diſt. 5. quæſt. 1. Modò *intellectus non poteſt habere actum circa vnum correlatiuum, quin habeat circa aliud*, &c.

4. Dicit Doctor quòd *hoc non valet, quia quantumcunque ſint correlatiua, tamen circa extrema ſunt duo actus intellectus*, &c. Vult dicere quòd ſi eſſet tantum vnus actus intelligendi reſpectu Patris, & Filij, tunc non poſſet eſſe actualis conſideratio vnius, quin & alterius, & ſic fortè non poſſet eſſe actualis auerſio ab vno, quin eſſet ab alio. Sed hoc non videtur ſoluere rationem, quia etiam poſito quòd ſint duo actus intelligendi, illi duo actus erũt ſimul, quia correlatiua ſunt ſimul naturali intelligentia, & ſic non poteſt eſſe actualis conſideratio vnius, quin & alterius. Niſi dicatur quòd vnus actus intelligendi de neceſsitate eſt prior alio, ita quòd quis poteſt actu intelligere Patrem, non ſimul in eodem inſtanti intelligendo Filium, & ſic oportebit dicere quòd licet correlatiua ſint ſimul natura: quantùm ad *eſſe* eorum, quia in quocunque inſtanti ponitur vnum, in eodem ponitur aliud: & ſimiliter quoad eorum cognoſcibilitatem, quia ſunt nata ſimul cognoſci, licèt non ſit neceſſe ea eſſe ſimul quoad actualem eorum cognitionem, quia fortè vnum prius poteſt cognoſci alio, ſed de hoc aliàs erit prolixior ſermo. Poſito ergo quòd etiam ſimul intelligantur diſtinctis actibus, non tamen ex hoc ſequitur quòd ſi voluntas creata actu auertitur ab vno, quòd etiam actu auertatur ab alio.

SCHOLIVM.

Reſoluit peccatum contra Spiritum ſanctum eſſe finalem impœnitentiam ex deſperatione, ita Aug. de ver. & fal. pœn. cap. 4. l. 4. contra Creſc. c. 8. & ep. 50. Fulg. de fide ad Petr. 3. ſumitur tamen peccatum in Spiritum ſanctum latius pro omni peccato ex malitia contra effectum Spiritui ſancto appropriatum, & ſic diuiditur in ſex ſpecies. Vide D. Bon. hîc art. 3. q. 1. peccatum primo modo ſumptum eſt omnino irremiſsibile. Secundo modo ſumptum dicitur irremiſsibile propter difficultatem remiſsionis. Vnde Chryſ. hom. 42. in Matt. dicit fortè aliquos ex illis, quibus loquebatur Chriſtus, conſequutos fuiſſe miſericordiam illius peccati, quod dictum eſt irremiſsibile, notat etiam dici irremiſsibile in hoc ſæculo & futuro, quia in vtroque punitur, idem ſignificat D. Thom. 3. p. q. 86. a. 1. ad 3.

Quid peccatum ex malitia.

5. Dico tamen breuiter quòd omne peccatum, quod eſt in voluntate, non præcedente perturbatione, vel paſſione, nec ex ignorantia in ratione, eſt peccatum ex certa malitia: & ſic fortè peccauit Adam, quia in eo non fuit perturbatio ex paſſione præcedente, nec ignorantia: ſed tamen non omne peccatum ſic ex malitia & ſine perturbatione voluntatis, & ignorantia rationis commiſſum, eſt peccatum in Spiritum ſanctum, quia ſic peccatum in Spiritum ſanctum, non eſſet peccatum grauiſſimum: peccatum enim ex certa malitia, poteſt eſſe contra præcepta ſecundæ tabulæ, quæ non ſunt grauiſſima, quia tantùm virtualiter auertunt à fine.

Oportet igitur vt ſit contra præceptum primæ tabulæ: quia tunc actualiter, & formaliter auertit ab obiecto illo perfectiſſimo, & vltimo fine, nec adhuc omnia præcepta primæ tabulæ, ſunt in Spiritum ſanctum, quia oportet ad hoc, quòd

ſit

ſit peccatum grauiſsimum,quod opponatur actui perfectiſsimo conuerſiuo ad Deum & ſic quia actus charitatis vt dilectio Dei, eſt actus perfectiſsimus conuerſiuus ad Deum,ſi haberet oppoſitum,ſcilicet odium Dei, hoc eſſet maximum peccatum. Sed non credo,quod talis actus charitatis habeat oppoſitum actum contrarium:quia Deus non poteſt odiri ab aliqua voluntate,vt dicitur in quarto: ergo peccatum in Spiritum ſanctum,non eſt odium Dei: quia formaliter non poteſt Deus odiri. Cùm igitur poſt dilectionem Dei actus perfectiſsimus, quo voluntas tendit in Deum, ſit actus ſpei, oppoſitum eius erit peccatum grauiſsimum. [f] Et hoc eſt peccatum deſperationis,ſiue obſtinationis in malo cum deſperatione,& propoſito non pœnitendi, & hoc eſt peccatum in Spiritum ſanctum.

6. Et ſecundùm hoc ad peccatum in Spiritum ſanctum,requiruntur tria,ſcilicet quòd ſit ex certa malitia:quòd ſit contra præceptum primæ tabulæ:& quòd ſit actus oppoſitus perfectiſsimo actui conuerſiuo:& hoc modo eſt peccatum in Spiritum ſanctum, & eſt finalis impœnitentia: non quia homo decedit ſine pœnitentia, ſed quia habet propoſitum de nunquam pœnitendo: & oritur ex deſperatione: & ſic dicit Auguſtinus de Fid. ad Pet. quod peſsimi homines incidunt in hoc peccatum, vt patet de Cain,qui dixit Gen.4. *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* credidit enim miſericordiam Dei eſſe minorem ſuo delicto: & miſericordia Dei eſt bonitas, quæ appropriatur Spiritui ſancto, & ideò dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, vt patet in litera. Eodem modo Iudas *Matth.27.* & ponitur in litera cap.illo:Eſt autem peccati huius aſsignatio,de quo dicit Auguſtinus lib.1.de Ser. Domini in monte, quòd *Iudas deſperans facilius cucurrit ad laqueum quàm humiliatus veniam peteret*: & de numero iſto fuit Achitophel ille,2.*Reg.*17.

Ad peccatum in Spiritum ſanctum tria requiruntur.

7. Dicitur autem peccatum hoc irremiſsibile, non ſimpliciter,vnde ſecundùm Magiſtrum in litera hoc peccatum non remittetur hîc, nec in futuro, quando non habet pœnitentiam comitem:ſed hoc conuenit cuilibet peccato mortali. Verumtamen hoc peccatum dicitur irremiſsibile,eo modo,quo nullum aliud peccatum dicitur irremiſsibile dupliciter. Primò,quia nullum peccatum aliud opponitur directè principio remiſsionis in remittente, niſi iſtud: quia hoc ſolùm directè aufert à Deo miſericordiam,quæ eſt principiũ remittendi peccata, & non dat ſibi niſi iuſtitiam: & hoc habet inquantùm eſt cum deſperatione:talis enim diffidit, & deſperat de miſericordia Dei. Secundò, quia corrumpit diſpoſitionem ad remiſsionem in eo cui debet remitti, quia ſicut dicitur in quarto,principium diſpoſitiuum ad remiſsionem peccati in peccatore, eſt aliqualis diſplicentia de peccato cum conuerſione ad Deum: hoc autem peccatum,inquantùm habet propoſitum de non pœnitendo in tali obſtinato,tollit omne tale diſpoſitiuum.

Peccatum in Spiritum ſanctum quare irremiſſibile?

Ad primum patet per prædicta quòd non poteſt aliquis diligere, nec odire vnam perſonam,niſi virtualiter diligat,vel odiat aliam;poteſt tamen actualiter diligere vnã non diligendo actualiter aliam.

Ad ſecundum etiam patet reſponſio in quæſtionis ſolutione, quia illud peccatum eſt principaliter contra ſpem, & poteſt ſic dici, etiamſi teneatur opinio Magiſtri de charitate. Ad tertium patet quomodo eſt irremiſsibile.

COMMENTARIVS.

5. [e] *Dico tamen breuiter.* Hîc Doctor inſtat contra opinionem immediatè præcedentem,probando quòd peccatum ex malitia non ſit peccatum in Spiritum ſanctum;& hoc patet,quia illud eſt peccatum ex malitia,quod eſt in voluntate,non præcedente perturbatione,vel paſſione, nec ex ignorantia in ratione, ſicut fortè peccauit Adam,in quo non fuit perturbatio, nec ignorantia,vt ſatis patuit ſuprà ex d. 21. & 22. & tamen non omne peccatum ex malitia eſt in Spiritum ſanctum, quia quis contra præcepta ſecundæ tabulæ ex certa malitia poteſt peccare. Et quòd tale peccatum ex certa malitia contra præcepta ſecundæ tabulæ non ſit peccatum in Spiritum ſanctum, patet, quia communiter ponitur peccatum in Spiritum ſanctum eſſe maximum peccatum,ſed peccatum,quod formaliter, & immediatè auertit à Deo,quale eſt peccatum contra præcepta primæ tabulæ,eſt ſimpliciter magis peccatum peccato commiſſo contra præcepta ſecundæ tabulæ, cùm illud tantùm auertat virtualiter ab ipſo Deo,vt clarè patuit ſuprà *diſt.35.* Ponit ergo Doctor quòd ſolum peccatum ex certa malitia commiſſum contra præcepta primæ tabulæ, eſt peccatum in Spiritum ſanctum, non tamen omne peccatum commiſſum contra præcepta primæ tabulæ,ſed ſolum illud,quod inter illa peccata eſt maximum, & eſt illud, quod magis formaliter auertit à Deo, & ille actus dicitur magis auertere, cuius actus oppoſitus magis conuertit, Amor Dei in ſe, & propter ſe elſcitus ex charitate pro ſtatu iſto perfectiſſimè conuertit ad Deum. Tum, quia procedit à perfectiori habitu, ſcilicet à charitate. Tum quia amor amicitiæ eſt ſimpliciter perfectior quocunque amore concupiſcentiæ.Tum,quia ille actus immediatè terminatur ad Deum ſub ratione Deitatis, vt eſt ſummum bonum in ſe. Amor verò concupiſcentiæ terminatur ad Deum, vt eſt ſummum bonum mihi, & iſta omnia ſatis patere poſſunt

ex dictis Doctoris ſuprà *diſt.6.quæſt.2. & in tertio,diſt.* 25. & 27. cùm ergo amor Dei in ſe, & propter ſe,ſit actus perfectiſſimus, quem voluntas poteſt elicere pro ſtatu iſto, qui immediatè terminatur ad Deum ſub ratione Deitatis, & per conſequens perfectiſsimè coniungens voluntatem ipſi Deo, ſit actus perfectiſsimus inter omnes actus humanos, ſequitur quòd actus oppoſitus,qualis eſt odium Dei, ſit maximus in malitia, quia talis actus immediatè auertit voluntatem à Deo, ita quòd talis auerſio eſt formaliter maior quacunque alia auerſione, & odium Dei nihil aliud eſt,niſi actus nolendi Deum in ſe.

6. *Dubium.*

Sed oritur aliqualis difficultas. An negatio amoris Dei in ſe, quæ contradictoriè opponitur actui amoris, ſit peccatum in Spiritum ſanctum; & ſi ſic,an ſit maius peccatum,quàm odium Dei: Videtur prima facie,quòd ſic,quia malitia oppoſita actui immediatè conuerſiuo in Deum,& hoc loquendo de actu perfectiſsimò,videtur quòd ſit peccatum in Spiritum ſanctum; ergo cùm quis diligendo Deum in ſe, & propter ſe,habeat actũ perfectè conuerſiuum in Deum, ſequitur quòd non diligendo Deum nec in ſe, nec propter ſe, quòd talis negatio dilectionis immediatè auerſiua à Deo ſit oppoſita tali dilectioni, & per conſequens ſi quis ex certa malitia non actu diligat Deum in ſe, & propter ſe, quòd tunc peccet in Spiritum ſanctum. Videtur etiam quòd tale peccatum ſit maius odio Dei;hoc probatur, quia illud eſt maius peccatum, quod magis auertit à Deo: hoc patet per Doctorem hîc, & ſuprà *diſt.*25. Sed negatio dilectionis Dei in ſe,& propter ſe magis auertit à Deo,quàm odium Dei.Patet iſta,quia illud peccatum magis auertit à Deo, quod magis opponitur actui perfectiùs conuerſiuo in Deum. Hæc patent per Doctorem hîc, & ſuprà *diſt.*35. Sed negatio talis dilectionis magis opponitur,quia opponitur ſibi contradictoriè, & odium Dei tantùm contrariè, & oppoſitio contradictoria eſt maior oppoſitione contraria, ergo,&c.

7. *Reſponſio.*

Reſpondeo, quòd aliud eſt loqui de peccato commiſſionis, & aliud de peccato omiſſionis: peccatum enim commiſſionis,ſi ſit ſimpliciter ſine paſsione in voluntate, & ſine ignorantia in ratione procedit ex maiori malitia,quàm peccatum omiſſionis. Exemplũ.Pono enim quòd quis teneatur lege diuina diligere proximum in Deũ hoc eſt velle proximum diligere Deum propter ſe,tunc eſt maior malitia,vt cùm odit proximum, id eſt, vt cùm actu nollet proximum diligere Deum propter ſe, quàm cùm habet negationem dilectionis proximi: quia in primo non tantùm eſt negatio dilectionis proximi, & vltra hoc eſt etiam actualis nolitio, & ſic odium proximi vltra negationem amoris, quam includit,addit etiã actualem nolitionem, & ſic in propoſito non actu diligere Deum propter ſe,eſt tantùm peccatum omiſſionis, & hoc quando tenetur actu diligere Deum, ſi actu omittit talem dilectionem. Sed odire Deum in ſe peccatum commiſſionis, quia tunc elicit actum nolendi,quo nollet Deum eſſe in ſe; cùm ergo odium Dei non tantùm includat negationem moris Dei, ſed etiam addat *nolle* actuale ipſius Dei, ſequitur quòd ipſum odium Dei ſit grauiſsimum peccatum, quod maximè opponitur actui perfectiſsimo conuerſiuo: patet, quia non tantùm deſtruit illum actum per negationem incluſam, ſed vltra hoc ponit actum omnino incompoſsibilem.Et ex his patet reſponſio ad difficultatem. Poteſt etiam breuiùs dici, quòd loquitur de maiori auerſione, quæ eſt illa, quæ opponitur maiori conuerſione,ſiue actu magis conuerſiuo, & ſic odium Dei magis auertit, quàm negatio amoris Dei;patet,quia odium Dei non tantùm dicit *non diligere* Dei,ſed dicit nolitionem ipſius Dei,& ſic magis auertit;licèt ergo negatio amoris Dei magis repugnet amori Dei, quia contradicit,tamen in ratione auertendi non magis opponitur;nam amor Dei eſt actus maximè conuerſiuus in Deum, & odium eſt actus maximè auerſiuus;& ſic in ratione malitiæ maximè opponitur actui amoris Dei; ſicut enim amor in ratione bonitatis tam moralis, quàm meritoriæ eſt actus perfectiſsimus, ita odium Dei in ratione malitiæ tam moralis, quàm demeritoriæ eſt actus maximè malus.

Odire Deum grauiſsimum eſt peccatum.

Nota.

Dicit ergo Doctor quòd ſi odium eſſet poſsibile, illud propriiſsimè eſſet grauiſsimum peccatum, ac per conſequens peccatum in Spiritum ſanctum,ſed tale odium Dei in ſe non videtur eſſe poſsibile, vt probatum eſt à Doctore aliqualiter *in* 4.*diſt.*50. quæ eſt vltima in ordine. Et licèt Doctor alibi dicat,*vt in primo*, *d.*1.*q.*4.quòd adhuc non eſt probatum odium Dei non eſſe poſsibile,tamen Doctor hîc & in quarto, aſſerit eſſe ſimpliciter impoſsibile. Et ratio poteſt aſsignari, quia impoſsibile eſt potentiam aliquam elicere aliquem actum circa aliquod obiectum, quod impoſsibile eſt eſſe obiectum talis actus;nõ enim potentia viſiua poteſt elicere actum viſionis circa ſonum, quia eſt ſimpliciter impoſsibile ſonũ eſſe obiectum terminatiuum talis actus, & nulla alia ratio videtur poſſe aſsignari,niſi quia actus viſionis eſt talis entitas, quæ tantùm nata eſt terminari ad colorem,vel lucem. Sed in propoſito obiectum nolitionis eſt ſola miſeria, ſiue ſola carentia boni, ideò talis actus non eſt natus terminari,niſi ad aliud,quod habet rationem mali, & hoc vel exiſtentis,vel apparentis, & per hoc non eſt natus terminari ad obiectum,in quo nulla eſt ratio mali, nec in exiſtentia, nec in apparentia, quale eſt ſummum bonum;& ideò voluntas non poteſt nolle Deum in ſe, cùm in illo non ſit aliqua ratio mali,nec exiſtentis,nec apparentis,imò in illo eſt ratio ſummi boni, nam vt ſic oſtenditur ab intellectu, quia intellectus benè percipit quòd illud ens,quod nominamus Deum, eſt tale bonum, quòd in illo non poteſt eſſe ratio alicuius mali. Sic ſimiliter voluntas non poſſet immediatè velle aliquid,quod tantùm habet rationem mali,ſiue exiſtentis, ſiue apparentis, quia obiectum volitionis eſt tantum bonum, vel exiſtens, vel apparens. Et de hoc aliqua dixi ſuprà, ſuper d.6. q.1. & multò clariùs vide quæ expoſui ſuper q. 16.quodlib. & ſic patet quomodo odium Dei ſit ſimpliciter impoſsibile, & ideò non ponitur odium Dei,cùm ſit impoſsibile, eſſe peccatum in Spiritum ſanctum.

8.

Obiectum nolitionis eſt ſola miſeria.

f *Cùm igitur poſt dilectionem Dei.* Hîc Doctor vltimatè determinat, quid ſit peccatum in Spiritum ſanctum, & quale ſit: quid ſit, patet, quia peccatum grauiſsimum ex malitia illud dicitur peccatum in Spiritum ſanctum; ſed quale ſit probat per actum conuerſiuum oppoſitum, & breuiter dicit, quòd deſperatio, ſiue finalis impœnitentia, quæ procedit ex deſperatione, eſt peccatum in Spiritum ſanctum, patet, quia tale peccatum immediatè opponitur

opponitur actui ſpei, nam actus ſpei eſt actus conuerſiuus in Deum, quo voluntas vult ſibi Deum, vt ſummum bonum, & licèt talis actus habeat Deum, ſub ratione Deitatis, vt obiectum, tamen reſpicit ipſum, vt ſummum bonum alteri. Et de hoc vide Doctorem *in 3. diſt. 26.* & quæ ibi prolixè expoſui; actus ergo ſpei, qui propriè eſt amor ſuæ concupiſcentiæ, quo voluntas appetit ſibi ſummum bonum, & quomodo hoc, vide intertio *vbi ſuprà*, & talis actus, excepto amore amicitiæ, eſt perfectior omni alio actu, tam ſenſus, quàm intellectus, & ideò perfectiùs conuertit in Deum, quia mediante illo voluntas vult ſibi immediatè Deum, vt ſummum bonum; ergo actus oppoſitus erit grauiſsimum peccatum, quia maximè auertit à ſummo bono, vt ſummè commodo, & talis eſt actus deſperationis: patet, quia deſperans diffidit, nam ſicut ſperans appetit ſummum bonum, vt ſummè ſibi commodum, & credit ſe poſſe habere illud ex meritis, ſed deſperans de illo ſummo bono diffidit ſe poſſe habere illud, quia diffidit de miſericordia, ſiue bonitate Dei, & ſic deſperatio, ſiue obſtinatio in malo cum deſperatione, & propoſito non pœnitendi eſt peccatum in Spiritum ſanctum. cætera patent.

QVÆSTIO II.

Vtrùm voluntas creata poſsit peccare ex malitia, volendo aliquid non oſtenſum ſibi, ſub ratione boni veri, id eſt, boni ſimpliciter, vel boni apparentis, & ſecundum quid?

D. Tho. 1. 2. q. 8. a. 1. & p. q. 19. a. 8. & 2. d. 3. q. 2. a. 2. D. Bon. 2. d. 25. p. 2. a. 1. q. 3. Dur. *ibi q.* 4. Ric. *a.* 2. *q.* 2. & *d.* 39. *q.* 2. Occam 3. *q.* 13. *d.* 5. Mayr. 2. *d.* 28. *q.* 1. Cord. *l.* 2. *q.* 12. Alm. *trac.* 3. *Mor. c.* 4. Vaſq. 1. 2. *d.* 31. *vbi non benè citat. Bon. & Ric.*

1.

IC dicitur [a] quòd non, ſecundùm auctoritatem Dionyſij 4. de Diui. nom. *nullus operatur ad malum aſpiciens.* *D. Bon. lib. 1. d. 34. a. 1. q. 3. vide Henr. quodl. 1. q. 17.*

Sed contra hoc [b], quia tunc videtur quòd voluntas creata non poſſet tendere in obiectum ſub aliqua ratione, ſub qua non poſſet tendere voluntas diuina: voluntas enim diuina poteſt tendere in omne bonum ſubſtratum illi deformitati, licèt non in illam rationem malitiæ concomitantem. Et ſi concedatur quòd omne volibile ab vna voluntate ſit volibile ab alia, quia omnis voluntas habet obiectum æquè commune, non tamen illud quod eſt ordinatè volitum ab vna voluntate, eſt ordinatè volitum ab alia: quia ordinatum *velle*, non eſt ex ſolo obiecto, ſed ex conuenientia actus, & obiecti circa illam potentiam. poteſt enim conuenire vni voluntati aliquis actus circa aliquod obiectum, qui non conuenit alteri.

Aliter arguitur [c] contra illam opinionem, quia apprehendatur odium Dei ab aliqua potentia intellectiua creata non errante, nec per conſequens oſtendente illud ſub ratione boni, ſed tantùm mali, ſi voluntas poteſt iſtud velle, patet propoſitum: quia nulla eſt bonitas in iſto actu prior ipſo actu volendi: ſi enim aſſignatur aliqua bonitas, propter actum volendi, hoc non eſt in obiecto vt præcedit actum, ſed eſt in ipſo, vt ſequitur actum volendi.

d Si autem non poteſt in illud malum oſtenſum, niſi ſub aliqua ratione boni, & non mali: ergo vel ſimpliciter non poteſt in illud, vel oportet rationem eſſe excæcatam priùs naturaliter, quod videtur inconueniens, & contra illud 7. Ethicorum, *Stante ratione vniuerſali, & particulari*, &c. *c. 3. & 5.*

COMMENTARIVS.

1. a *Opinio ſancti Bonauen.*

DOctor in iſta quæſtione videtur dubiè loqui, nec enim firmiter aſſerit quòd aliqua voluntas poſſit velle malum, in quo non apparet aliqua non boni, nec ſimiliter oppoſitum videtur aſſerere. Primò ergo in hac quæſt. exſtat opinio D. Bonauenturæ *lib. 2. diſt. 34. art. 1. quæſt. 3.* qui dicit, quòd voluntas creata non poteſt velle aliquid ſub ratione mali, id eſt, quòd ſi aliquid oſtendatur à ratione ſub ſola ratione mali, ita quòd nullo modo oſtendatur ſub aliqua ratione boni, ſiue exiſtentis, ſiue apparentis, non poteſt velle illud, & hoc probat auctoritate Dionyſij 4. de diui. no. qui dicit, quòd nullus operatur ad malum aſpiciens.

b *Sed contra hoc.* Hîc Doctor inſtat probando contra Bonauenturam, quis poteſt velle aliquid tantùm ſub ratione mali, & ratio ſtat in hoc, quia ſi voluntas creata non poſsit velle aliquid ſub ratione mali, tunc non poſſet tendere in aliquod obiectum ſub aliqua ratione, ſub qua non poſſet tendere voluntas diuina, quod videtur inconueniens, quia tunc ſequeretur quòd voluntas creata non poſſet peccare: patet, quia ex quo voluntas diuina volendo aliquid, ſub quacunque ratione velit, non peccat: ſed voluntas diuina poteſt tendere in omne bonum ſubſtratum illi deformitati, ergo ſi voluntas creata in illud idem poteſt tendere, non peccat. Sed voluntas diuina non poteſt tendere in illam rationem malitiæ concomitantem, quia ſic poſſet

ſet peccare ; ergo ſi voluntas creata non poſſet tendere in illam rationem malitiæ , nullo mõdo poſſet peccare. Et ſi concedatur quòd omne volibile ab vna voluntate, eſt volibile ab alia, quia omnis voluntas habet obiectum æquè commune,non tamen illud , quod eſt ordinatè volitum ab vna voluntate eſt ordinatè volitum ab alia, quia ordinatum *velle* non eſt ex ſolo obiecto volito, ſed ex conuenientia actus , & obiecti circa illam potentiam ; poteſt enim conuenire vni voluntati aliquis actus circa aliquod obiectum, qui non conuenit alteri ; patet exemplo , licèt enim mors Chriſti fuerit volibilis tam à voluntate increata , quàm creata, tamen volitio mortis Chriſti fuit peccatum Iudæis , & non fuit peccatum voluntati diuinæ , quia talis volitio tranſiens ſuper mortem Chriſti non eſt conueniens voluntati creatæ , & tamen fuit conueniens voluntati diuinæ , & hoc fortè , quia licèt voluntas diuina abſolutè voluerit mortem Chriſti , tamen noluit me velle talem mortem, imò voluit me nolle mortem illam acerbiſſimam , & ſic volitio diuina eſt ordinata , quia voluntas diuina non habet regulam ſuperiorem , cui teneatur conformiter agere, & volitio creata circa idem obiectum poteſt eſſe inordinatà , quia habet regulam ſuperiorem , cui tenetur conformiter agere.

Mors Chriſti fuit volibilis.

2. c *Aliter arguitur contra illam opinionem.* Hîc Doctor ſpecialiter inſtat contra illam opinionem , probando quòd voluntas creata poſſit velle aliquid ſub ſola ratione mali,quia apprehendatur odium Dei ab aliqua potentia intellectiua creata non errante , nec per conſequens oſtendente odium Dei ſub ratione boni , ſed tantùm mali,ſic voluntas creata poteſt velle odium Dei; patet propoſitum , quia nulla eſt bonitas in iſto actu , ſcilicet in odio Dei prior ipſo actu volendi : nam odium Dei propriè eſt actus nolendi Deum eſſe : an modò voluntas creata poſſit velle talem nolitionem , qua nolit Deum eſſe, patet ſuprà. Si enim aſſignatur aliqua bonitas propter actũ volendi,id eſt,quòd ſi dicatur,quòd quamuis in odio Dei abſolutè ſumpto,non ſit aliqua ratio bonitatis,tamen in odio Dei,vt actu volito à voluntate creata,habet aliquã rationẽ boni,quæ ratio boni eſt eſſe volitũ.Dicit Doctor quòd hoc nõ eſt ad propoſitum, quia odium Dei eſſe volitum, vt ſic,eſt poſterius actu volendi:nam volitio priùs terminatur ad odium Dei, quàm intelligatur habere eſſe volitum,ſed in iſto priori,in quo odium Dei non intelligitur eſſe volitum , habet tantum rationem mali, & ſic voluntas creata volendo illud,vult ſimpliciter ſub ratione mali.

d *Si autem non poteſt in illud malum oſtenſum,niſi ſub aliqua ratione boni , & non mali ergo ſimpliciter non poteſt in illud*,vt ſcilicet habet rationem mali;quia odium Dei , vt huiuſmodi habet tantum rationẽ mali.Si dicatur,quòd quamuis habeat rationem mali, tamen voluntas creata non poteſt tendere in illud, niſi ſub aliqua ratione boni. Contrà , quia tunc oporteret prius natura rationem eſſe excæcatam ; non enim voluntas creata poteſt velle aliquìd ſub aliqua ratione non ſibi præoſtenſa à ratione,& ſic ſi vult odium Dei ſub ratione boni , ergo ratio priùs oſtendit odium Dei eſſe bonum,vel habere rationem boni,quàm voluntas velit illud,& ſic talis ratio erit excæcata,cùm odium Dei nullam rationem boni includat , ſed hoc videtur inconueniens , ſcilicet quòd ratio,vt priùs natura actu volendi ſit excæcata,oſtendendo aliquam rationem boni ibi eſſe, vbi impoſsibile eſt ipſam eſſe , & eſt contra illud ſcilicet quòd ſtante ratione vniuerſali , & particulari,ratio errare non poteſt, & hoc habetur 7. *Ethic.* & eſt articulus condemnatus Pariſiis. Ratio vniuerſalis in propoſito eſt principium practicum notum ex terminis,ſiue notitia talis principij , & ratio particularis eſt concluſio deducta ex tali principio virtualiter contenta in illo, ſiue cognitio talis concluſionis ſic deductæ. Stante enim hoc principio, quòd ſummum bonum , in quo nullus eſt defectus boni , nec aliqua ratio mali,eſt obiectum ſummè volibile,& ſummè appetibile , ſequitur , ſi Deus eſt huiuſmodi , ergo Deus eſt ſummè volibilis.Stante ergo cognitione talis principij, & cognitione concluſionis deductæ ex tali principio , tunc in ratione non contingit error:& ſic ſequitur quod notitia talis cõcluſionis, quæ poteſt dici ratio , vt aliàs expoſui, non poteſt actu dictare quòd Deus non ſit ſummè appetibilis,& volibilis.In propoſito ergo hoc eſt vnum principium , ſummum bonum nullo modo eſt odibile;ſed Deus eſt ſummè bonus: ergo Deus nullo modo eſt odibilis.Et ſimiliter hoc eſt vnum principium , quòd ſicut actus volendi ſummũ bonũ in ſe, ſiue volendo ſummum bonũ eſſe,habet tantum rationem boni, & nullo modo rationem mali , ita actus nolendi ſummum bonum eſſe, habet tantum rationem mali;ſed actus volendi Deum eſſe , eſt actus volendi ſummum bonum eſſe,& actus nolendi Deum eſſe,eſt actus nolendi ſummum bonum eſſe ; ergo ſicut actus volendi Deum eſſe,habet tantum rationem boni, ita & actus nolendi Deum eſſe,habet tantùm rationem mali.

SCHOLIVM.

Impugnata opinione dicente voluntatem non poſſe tendere in malum ſub ratione mali; dubius manere videtur an ſic poſsit necne , & ſic manſit 1. *diſt.* 1. *quæſt. q.* §. *ad arg. pro opin. & ſupra diſtinct.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 13. *tamen* 4 *diſtinct.* 49. *quæſt.* 10. §. *ad ſecundam art. reſoluit , non poſſe nos habere circa malum , niſi nolle , nec circa bonum niſi velle , explicat clarè quomodo peccatum ex paſsione ſit contra Patrem , ex ignorantia contra filium , ex malitia ſeu ex plena libertate , contra ſpiritum ſanctum.*

SI tenetur e in iſta quæſtione quòd ſic,facile eſt diſtinguere peccatum in Spiritum ſanctum ab aliis peccatis. Voluntas enim quia coniuncta eſt appetitui ſenſitiuo, nata eſt condelectari ſibi : & ideò peccans occaſionaliter ex inclinatione appetitus ſenſitiui ad ſuũ delectabile,peccat ex paſſione, quod dicitur peccatũ ex infirmitate, ſiue 2.

ſiue ex impotentia, & eſt appropriatè in Patrem, cui attribuitur potentia. Ipſa etiam agit per cognitionem intellectualem: & ideò ratione errante, ipſa rectè non vult, & peccatum eius ex errore rationis dicitur peccatum ex ignorantia, & eſt contra Filium, cui attribuitur ſapientia. Tertium etiam eſſet peccarum ipſius ſecundùm ſe ex libertate ſua non condelectando appetitui ſenſitiuo, neque ex errore rationis, & iſtud eſt rectè ex malitia, & appropriatè contra Spiritum ſanctum, cui appropriatur bonitas.

Si tamen non ponatur voluntas f creata poſſe velle malum ſub ratione mali, adhuc poteſt aſſignari peccatum ex certa malitia, quando voluntas ex libertate ſua abſque paſſione in appetitu ſenſitiuo, & errore in ratione, peccat. ibi enim eſt pleniſſima ratio peccati: quia nihil aliud eſt à voluntate alliciens eam ad malum, ſed ex pura libertate ſine alia occaſione extrinſeca, eligit ſibi malum velle, non tamen ex malitia, ita quod voluntas ſic peccans tendat in malum, inquantùm malum.

De iſta triplici differentia peccandi patet, 83. q. 26.

COMMENTARIVS.

13. e *Stetur in iſta.* Doctor dicit, quòd ſi teneatur quòd volũtas creata poſſit velle aliquid tantum ſub ratione mali, quòd tunc facilè eſt diſtinguere peccatum in Spiritum ſanctum à peccato in Patrẽ, & in Filium; nam voluntas creata, quia coniuncta eſt appetitui ſenſitiuo, nata eſt condelectari ſibi, & ideò peccans occaſionaliter ex inclinatione appetitus ſenſitiui ad ſuum delectabile, peccat ex paſſione, quod dicitur peccatum ex infirmitate, ſiue ex impotentia; & tale peccatum appropriatè eſt in Patrem, cui attribuitur potentia. Ipſa etiam voluntas agit per cognitionem intellectualem, & ideò ratione errante, ipſa rectè non vult, & peccatum eius ex errore eius dicitur peccatum ex ignorantia, & eſt contra Filium, cui attribuitur ſapientia. Quando autem voluntas agit ſecundùm ſe ex libertate ſua, non ex condelectando appetitui ſenſitiuo, neque ex errore rationis, & iſtud eſt rectè ex malitia, appropriatè contra Spiritum ſanctum, cui appropriatur bonitas.

Aduerte. Aduerte tamen, quod ſi peccatum in Spiritum ſanctum dicatur illud, quod eſt ex ſola malitia modo præexpoſito, tunc omne peccatum ex ſola malitia tam contra primam, quàm contra ſecundam tabulam, erit peccatum in Spiritum ſanctum. Si verò teneatur quòd non quodlibet peccatum ex malitia eſt peccatum in Spiritum ſanctum, ſed tantum peccatum grauiſsimum, & tale eſt odium Dei, ſi odium Dei eſt poſsibile, vel ſi non ſit poſſibile, erit tantùm deſperatio, vel obſtinatio, ſiue finalis impœnitentia, vt ſuprà patuit. Dicendum eſt ergo quòd in præſenti quæſtione accipit peccatum in Spiritum ſanctum ſatis largè, & impropriè, ſed in præcedenti quæſtione accipit peccatum in Spiritum ſanctum propriiſſimè, & ſtrictiſsimè.

f *Si tamen non poteſt voluntas creata poſſe velle malum ſub ratione mali*, ſed tantùm ſub ratione boni, vel exiſtentis, vel apparentis, *adhuc poteſt aſſignari peccatum ex certa malitia*, &c. & ſic fortè blaſphemans Deum, in quo non eſt error in ratione, nec aliqua paſsio extrà, peccat ex ſola malitia, & licèt non velit blaſphemiam ſub ratione mali abſolutè, ſed ſub aliqua ratione boni apparentis, tamen quia vult eam ex ſola libertate voluntatis, nullo errore præcedente, nec aliqua paſsione in appetitu ſenſitiuo.

Nota etiam, quòd hîc Doctor non aſſerit quòd aliqua voluntas creata poſsit velle odium Dei, quia vt ſupra oſtenſum eſt, odium Dei eſt ſimpliciter impoſsibile. Poſſet vltra dubitari, an poſſet dari aliquis actus volũtatis, qui ex ſua ratione eſſet formaliter malus, ſed hoc ſuprà expoſitum eſt.

DISTINCTIO XLIV.

Vnde habeat ortum potentia peccandi.

A *Aug. lib. de fide ad Pet. cap. 3. ad medium cap.*

POst prædicta conſideratione dignum occurrit, vtrùm peccandi potentia ſit nobis à Deo, vel à nobis? Putant quidam potentiam rectè agendi nobis eſſe à Deo, potentiam verò peccandi non à Deo, ſed à nobis, vel à diabolo eſſe, ſicut mala voluntas non à Deo nobis eſt, ſed à nobis, & à diabolo: bona autem à Deo tantùm nobis eſt. [Bonæ nanque voluntatis & cogitationis initium non homini ex ſeipſo naſci, ſed diuinitùs parari, & tribui in eo Deus euidenter oſtendit, quia nec diabolus, nec aliquis Angelorum eius, ex quo in hanc caliginem ſunt detruſi, bonam potuit, vel poterit reſumere voluntatem, quia ſi poſsibile foret vt humana natura, poſtquam à Deo auerſa bonitatem perdidit voluntatis, ex ſeipſa rurſus eam habere potuiſſet, multò poſſibiliùs hoc natura haberet Angelica: quæ quantò minùs grauatur terreni corporis pondere, tantò magis hac eſſet prædita facultate.] Non ergo homo, vel Angelus à ſe voluntatem bonam habere poteſt, ſed malam. Similiter & de potentia inquiunt, per ſimilitudinem voluntatis de potentia boni, vel mali differentes, quod illa ſit à Deo, non iſta.

Auctoritatibus aſtruit potentiam peccandi eſſe à Deo.

B *Aug. l. de natura boni c. 32. Tom. 9. Rom. 13. a. Ioan. 19. b. Super Pſal. 32. Tomo 8. concione 2. ennarrationis ad Pſal. 32. Iob. 1. c. Prou. 8. a. Iob. 34. c. Oſee 1. d. 11. de Ge. ad lit. cap. 3. Greg. li. 26. cap. 24.*

SEd pluribus Sanctorum teſtimoniis indubitanter monſtratur quòd poteſtas mali à Deo eſt, à quo eſt omnis poteſtas. Ait enim Apoſtolus; *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Quod non de poteſtate boni tantùm, ſed & mali intelligi oportet. Cùm Pilato etiam veritas dicat: *Non haberes in me poteſtatem, niſi datũ eſſet tibi deſuper.* Malitia nempe hominum (vt ait Auguſtinus) cupiditatem nocendi per ſe habet: poteſtatem autem ſi ille non dat, non habet. Ideóque diabolus antequam aliquid tolleret Iob, dicebat domino, *Mitte manum tuam*, id eſt, da poteſtatem: quia etiam nocentium poteſtas non eſt niſi à Deo; ſicut ſapientia ait, *Per me reges regnant, & Tyranni per me terram tenent.* Vnde Iob de Domino ait, *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi.* Et de populo Iſraël Dicit Deus: *Dedi eis regem in ira mea.*] [Nocendi enim voluntas poteſt eſſe ab homine, poteſtas autem non eſt niſi à Deo, & hoc abdita aptaque iuſtitia.] nam per poteſtatem diabolo datam iuſtos Deus facit ſuos. De hoc etiam Gregorius in Moralibus ait; Tumoris elatio non poteſtatis ordo in crimine eſt. Potentiam Deus tribuit, elationem verò potentiæ malitia noſtræ mentis inuenit. Tollamus ergo quod de noſtro eſt: quia non potentia iuſta ſed actio praua damnatur. His auctoritatibus aliiſque pluribus, euidenter oſtenditur,

oſtenditur, quòd non eſt poteſtas boni, vel mali cuicunque, niſi à Deo æquo, etſi te lateat æquitas.

An aliquando reſiſtendum ſit poteſtati?

C HIc oritur quæſtio, non tranſilienda ſilentio. Dictum eſt enim ſuprà, quòd poteſtas peccandi & nocendi non eſt homini, vel diabolo, niſi à Deo. Apoſtolus autem dicit, quòd *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Cùm ergo diaboli ſit poteſtas mali Dei ordinatione, eius poteſtati non eſſe reſiſtendum videtur. Sed ſciendum, eſt Apoſtolum ibi loqui de ſæculari poteſtate, ſcilicet Rege & Principe, & huiuſmodi: quibus non eſt reſiſtendum in his, quæ iubet Deus ei exhiberi, ſcilicet in tributis, & huiuſmodi. Si verò princeps aliquis, vel diabolus aliquid iuſſerit, vel ſuaſerit contra Deum, tunc reſiſtendum eſt. Vnde Auguſtinus determinans quando reſiſtendum ſit poteſtati, ait, [Si illud iubeat poteſtas, quod non debeas facere, hîc ſanè contemne poteſtatem, timendo maiorem poteſtatem. Ipſos humanarum rerum gradus aduerte. Si quid iuſſerit Procurator, nunquid faciendum eſt ſi contra Proconſulem iubeat? Rurſus ſi quid ipſe Proconſul iubeat, & aliud Imperator, nunquid dubitatur illo contempto illi eſſe ſeruiendum? Ergo ſi aliud Imperator, aliud iubeat Deus, contempto illo, obtemperandum eſt Deo.] Poteſtati ergo diaboli, vel hominis tunc reſiſtimus, cùm aliquid contra Deum ſuggeſſerit: in quo Dei ordinationi non reſiſtimus, ſed obtemperamus. Sic enim Deus præcepit, vt in malis nulli poteſtati obediamus. Iam nunc his intelligendis atque pertractandis, quæ ad Verbi incarnati myſterium pertinent, integra mentis conſideratione intendamus: vt de ineffabilibus vel modicum aliquid fari, Deo reuelante, valeamus.

Rom. 13. a.

Matt. 23. & 22.

Serm. 6. de verbis Domini.

Act. 5.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum potentia peccandi ſit à Deo?

D. Thom. 2. *d.* 44. *art.* 1. *q.* 1. D. Bon. *art.* 1. *q.* 1. Ric. *q.* 2. *art.* 1. Duran. *q.* 1. Gabr. *q.* 1.

1. QVÆRO circa diſtinctionem quadrageſimamquartam, & vltimam ſecundi, Vtrùm potentia peccandi ſit à Deo? Videtur quòd non, ſecundùm Anſelmum de liber. arbitr. *Poſſe peccare non eſt libertas, nec pars libertatis:* ergo ex hoc, quòd liberum arbitrium eſt à Deo, non eſt ab eo poteſtas peccandi: ergo nullo modo eſt à Deo.

c. 2. 3.

Contrà, Magiſter adducit in litera auctoritates, cap. 2. & allegat Paulum ad Roman. 13. vbi vult, quòd *non eſt poteſtas, niſi à Deo.*

al. *Auguſt. de nat. boni, quòd poteſtas nocendi non eſt, niſi à Deo: potentia autem nocendi eſt potentia peccandi igitur, &c.*

SCHOLIVM.

Reſoluit potentiam peccandi ſumptam pro abſoluto eius, eſſe à Deo, quia ſic eſt ipſa voluntas: ſimiliter etiam dicendum ſi ſumatur pro reſpectu ad ſubſtratum peccati, ſed vt dicit reſpectum ad formale peccati, non eſt à Deo, quia formale eius nihil eſt.

REſpondeo, [a] aut potentia peccandi dicit immediatum ordinem ad actum peccandi: aut dicit ipſum fundamentum huius ordinis, ratione cuius, habens illud, dicitur potens peccare.

Si primo modo, aut ordo eſt ad actum ſubſtratum deformitati: aut ad illam deformitatem, quæ eſt in actu: ſi primo modo ille ordo eſt à Deo, ſicut & vtrumque extremum ordinis; & ad illud etiam ſubſtratum Deus habet potentiam, quia ipſe illud cauſat, & non tantùm voluntas creata, ſecundùm vnam opinionem. Si ſecundo modo, iſte ordo ad peccare nihil eſt, ſicut & terminus, ſcilicet peccare nihil eſt, *Vide ſup. diſt. 37. q. 2.* & ideò non eſt à Deo.

Si autem loquamur de fundamento huius ordinis, dico, quia aliquid poſitiuum eſt fundamentum illius ordinis vtroque modo ſumpti. Sicut enim in potentiis paſſiuis, idem eſt proximum ſubiectum habitus, & priuationis: ita potentia actiua libera defectibilis eſt immediatum ſubiectum agendo, & deficiendo oppoſitorum: agendo quidem, rectitudinis; deficiendo autem, peccati: & iſtud abſolutum eſt propria potentia, reſpectu vtriuſque, eo modo, quo potentia poteſt eſſe, reſpectu eorum, ſcilicet effectiue & defectiuè. Hoc modo potentia peccandi eſt à Deo, hoc eſt, illa natura, quam habens, eſt potens peccare: potens quidem non efficiendo, ſed deficiendo, cuius tamen deficere, iſtud poſitiuum, eſt proxima ratio.

Et ſi obiicitur, quòd voluntas ſemper deficit, inquantùm eſt ex nihilo, non per aliquid poſitiuum in ea. Reſpondeo, eſſe defectibile, id eſt, eſſe vertibile in nihil, conſequitur omnem creaturam, quia eſt ex nihilo: ſed eſſe ſic defectibile, ſcilicet peccando, eſt proprium huic naturæ, & conſequitur eam ratione, qua hæc natura ſpecifica, quæ poteſt eſſe principium oppoſitorum agendo ſcilicet & deficiendo.

Ad arg. Libertas eſt perfectio ſimpliciter. Ad Anſelmum dico, quòd libertas abſolutè eſt perfectio ſimpliciter: vnde formaliter ponitur in Deo ſecundùm eundem, libertas in nobis eſt limitata. Poteſt tamen conſiderari ſecundùm rationem eius formalem ſine illa limitatione, & tunc non eſt perfectio limitata, ſed perfectio ſimpliciter. Exemplum, ſapientia eſt perfectio ſimpliciter, & illius ratio abſolutè eſt in nobis; non tamen ſic, ſed cum limitatione, ita quòd ſapientia noſtra includit duo, quorum alterum eſt perfectio ſimpliciter, alterum non: ita dico, quòd hæc voluntas huius ſpeciei, quæ eſt in nobis, includit libertatem, quæ eſt perfectio ſimpliciter: ſed non eam ſolam, ſed cum limitatione: quæ limitatio non eſt perfectio ſimpliciter ratione primi, non conuenit ſibi peccare poſſe, nec eſt fundamentum proximum huius ordinis ad deficere actualiter, ſed ratione ſecundi. 2.

Voluntas quia limitata, ideò defectibilis.

Ita igitur exponenda eſt auctoritas Anſelmi, quia poſſe peccare nihil eſt libertatis, vt libertas eſt perfectio ſimpliciter: nec aliud probat ratio ſua per hoc, quod non eſt in Deo. Si autem accipiatur iſta libertas cauſata, ſecundùm ordinem ſuum, adhuc non eſt aliquid eius: ſed vt dicit fundamentum proximum huius ordinis, eſt aliquid ipſius. Sicut autem iſta poteſtas eſt aliquod ens poſitiuum, ita eſt à Deo, *quoniam ex ipſo, & in ipſo, & per ipſum ſunt omnia, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.* Amen.

COMMENTARIVS.

1. *Potentia peccandi poteſt dupliciter accipi.*

REſpondet Doctor præmittendo vnum ſcilicet quòd *potentia peccandi, aut dicit immediatum ordinem ad actũ peccati*, &c. Et vult dicere, quòd potentia peccandi poteſt dupliciter accipi, ſcilicet vel formaliter, vel fundamentaliter. Formaliter talis potentia dicit tantùm ordinem fundatum in aliquo, & terminatum ad aliud. Et fundamentaliter accipitur pro fundamento talis ordinis, ſicut dicimus quòd potentia calefaciendi, ſi accipitur formaliter, dicit ordinem fundatum in calore, & terminatum ad calefactibile, & fundamentaliter accipitur pro ipſo calore.

Sic in propoſito. Cùm potentia peccandi formaliter ſumpta dicat ordinem. Tunc quærit Doctor, aut præcisè dicit ordinem ad actum peccandi, ſiue ad ipſam deformitatem, aut dicit ordinem ad ſubſtratum illius deformitatis. Exemplum: Velle dare eleemoſynam pauperi propter vanam gloriam, tale velle dicitur peccatum, & ſic aut poteſt accipi pro volitione abſolutè tranſiens ſuper debitum obiectum, & talis volitio eſt ens poſitiuum, & abſolutum, vt patet à Doctore *quæſtio. 13. quodlib.* & dicitur peccatum fundamentaliter. Sed carentia rectitudinis, quæ deberet ineſſe tali volitioni, dicitur peccatum formaliter, ſiue deformitas, & ſic potentia peccandi aut dicit ordinem ad illam deformitatem, aut dicit ordinem ab ſubſtratum, ſeu fundamentum talis deformitatis.

His præmiſſis, ponit Doctor aliquas concluſiones, quarum prima eſt iſta: *Si potentia peccandi formaliter accepta, dicit ordinem ad ſubſtratum, ſeu fundamentum deformitatis, talis potentia eſt à* 2.

eſt à Deo, patet, quia vt ſic, eſt ens poſitiuum: eſt enim quædam relatio ordinis, & vtrunque extremum eſt poſitiuum, & reale, nam talis relatio ordinis immediatè fundatur in voluntate creata, & terminatur ad fundamentum deformitatis, quod eſt ſemper ens poſitiuum, vt patet. An modò talis relatio ſit ens rationis an ens reale, videtur enim abſolutè quòd eſt ens reale cum ſit inter extrema realia realiter diſtincta, & oriatur ex natura extremorum, ſed de hoc alias erit ſermo. Cùm ergo Deus concurrat ad omne poſitiuum, vt cauſa prima, tenendo quòd ipſe Doctor tenet ſuprà *diſt.* 37. quòd prima cauſa concurrat ad omnem effectum, & non tenendo illam aliam opinionem, quæ tenet quòd benè Deus cauſat voluntatem, ſed non concurrit poſtea ad actum voluntatis. Potentia ergo peccandi formaliter accepta, cùm ſit ens poſitiuum, eſt à Deo, & ſimiliter potentia peccandi fundamentaliter, quæ eſt ipſa voluntas creata eſt à Deo.

3. *Secunda concluſio.*

Secunda concluſio eſt: *Si potentia peccandi formaliter accepta dicit tantùm ordinem ad ipſam deformitatem, talis potentia in ſe nihil eſt.* Patet, quia relatio fundata in nihil, nihil eſt, & licèt habeat fundamentum reale, ſi tamen ad nihil terminetur adhuc nihil eſt. Cùm ergo talis deformitas ſit ſimpliciter nihil, cùm ſit tantum negatio rectitudinis, quæ deberet ineſſe actui, vt ſuprà patuit *diſt.* 34. 35. & 37. ſequitur quòd potentia peccandi hoc modo accepta, ſit ſimpliciter nihil, & vt ſic, nullo modo eſt à Deo. Loquendo tamen de fundamento proximo huius potentiæ formaliter acceptæ, dicentis ordinem ad deformitatem, tale fundamentum eſt à Deo, quia illud eſt voluntas creata, quæ eſt immediatum fundamentum potentiæ peccandi formaliter acceptæ, & vt dicit ordinem ad fundamentum deformitatis, & vt dicit ordinem ad ipſam deformitatem. Et quòd ſit fundamentum proximum ordinis vtroque modo ſumpti, probat in ſimili, quia ſicut in potentiis paſſiuis, ſiue receptiuis, idem eſt proximum fundamentum habitus, & priuationis habitus; patet, quia priuatiuè oppoſita nata ſunt fieri circa idem, ita in potentiis actiuis eadem eſt potentia actiua actus recti, & actus non recti; ſic patet quomodo potentia actiua libera defectibilis, ſiue creata, eſt immediatum ſubiectum agendo, & deficiendo, oppoſitorum agendo quidem, rectitudinis; deficiendo autem, peccati; nam eadem voluntas, vt elicit actum cum omnibus circunſtantiis à ratione dictatis, dicitur actiua rectitudinis actus; vt verò elicit actum ſine debitis circunſtantiis à ratione dictatis, tunc dicitur deficere à rectitudine, quia non dat rectitudinem actui, quam tenetur dare; & ſic ſimpliciter eſt eadem voluntas potentia actiua vtriuſque eo modo, quo poteſt eſſe potentia reſpectu eorum, ſcilicet effectiuè, & defectiuè; & ſic potentia peccandi, accepta pro natura, ſiue pro ipſa voluntate, non vt aliquid efficit, ſed vt à rectitudine deficit, eſt ab ipſo Deo, nam voluntas ipſa, vt defectibilis eſt à Deo.

An potentia peccandi ſit à Deo.

Et ſi obiicitur, quòd voluntas ſemper deficit non per aliquid poſitiuum in ea, ſed inquantùm eſt ex nihilo. Si ergo non eſt defectibilis per aliquid poſitiuum in ea, tunc vt defectibilis, non erit à Deo, cùm eſſe defectibile nihil poſitiuè dicat, & quòd nihil poſitiuè dicat, patet, quia dicitur defectibilis ex hoc ſolo, quòd eſt ex nihilo.

Defectibile poteſt dupliciter accipi.

Reſpondet Doctor quòd eſſe defectibile poteſt dupliciter accipi. Primò eſſe defectibile idē eſt, quòd eſſe vertibile in nihil, & hoc modo eſſe defectibile conſequitur omnem creaturam ex hoc, quòd eſt ex nihilo, & ſic eſſe defectibile non ineſt per aliquid poſitiuum. Secundò accipitur eſſe defectibile, quòd idem eſt, quòd poſſe deficere à rectitudine danda actui, & hoc modo eſſe defectibile eſt proprium naturæ liberæ creatæ, & conſequitur eam ratione, qua hæc natura ſpecifica, quæ poteſt eſſe principium oppoſitorum, agendo ſcilicet, & deficiendo, & hoc modo eſſe defectibile ineſt naturæ liberè creatæ per aliquid poſitiuum.

Nunc reſtat ſoluere argumentum principale, per quod probatur auctoritate Anſelmi quòd potentia peccandi non ſit à Deo. Et breuiter vult dicere quòd peccatum eſt tantùm à libero arbitrio, ſed liberum arbitrium non eſt porentia peccandi, vt eſt à Deo, id eſt, quòd non habet à Deo, vt ſit potentia peccandi, quia poſſe peccare non eſt à Deo.

Si dicatur, quòd poſſe peccare eſt ab aliquo alio, quā à libero arbitrio, & illud tale eſt à Deo,

Contrà, quia poteſtas peccandi eſt tantùm à libero arbitrio; licèt ergo liberum arbitrium ſit à Deo abſolutè ſumptum, non tamen vt eſt poteſtas peccandi, ſiue potentia peccandi, ergo potentia peccandi non eſt à Deo.

Liberum arbitrium poteſt dupliciter conſiderari.

Dicit Doctor quòd liberum arbitrium, ſiue libertas, poteſt dupliciter conſiderari. Vno modo ſecundum rationem eius abſolutam, ſecundùm quam poteſt eſſe communis libertati creatæ, & increatæ, & hoc modo eſt perfectio ſimpliciter, quia vt ſic, nullam imperfectionem includit. Et in aliquo, puta in Deo, eſt formaliter infinita, vt prolixè expoſui de perfectione ſimpliciter *in 1. d. 2. par. 2. q. 1. & in quodlib. q. 1. & 5.* Alio modo poteſt accipi libertas, vt includit limitationem, ſicut dicimus, quòd omnis natura creata habet perfectionem limitatam, quia finitam. Accipiendo libertatem primo modo, conceditur quòd potentia, ſiue poteſtas peccandi non eſt libertas, neque pars libertatis, quia poſſe peccare tantum conuenit naturæ limitatæ. Sed accipiendo libertatem ſecundo modo, potentia peccandi eſt libertas, vel pars libertatis, quia vt ſic, accipitur tantùm pro natura libera creata, ſiue limitata. Anſelmus ergo intelligit primo modo ſcilicet quod poſſe peccare non eſt libertas, nec pars libertatis. Et ſecundo modo eſt benè libertas, vel pars libertatis, quæ libertas limitata eſt ab ipſo Deo, cui ſit honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Potentia peccandi eſt libertas vel pars libertatis per Anſelmum de lib. arb. c. 2. & 3.

FINIS.

INDEX

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc ſexto Tomo continentur.

Prior numerus paginam, poſterior numerum marginalem denotat.

A B

ABSOLVTVM *in cauſa immediatè ſequitur abſolutum in effectu.* 38.8
Abſolutum in effectu quomodo ſequatur ad abſolutum in cauſa. 40.2
Abſolutum non eſt de eſſentia relatiui. 14.16
Abſolutum non repugnat eſſe ſine poſteriori. 695.39
Abſolutum prius alio poteſt eſſe ſine eo. 682.3
Abſolutum, quod eſt charitas, poteſt dupliciter conſiderari. 908. 3

A C

Accidens *abſolutum, & reſpectiuum quomodo differant.* 69. 5
Accidens aliquando ſumitur pro omni eo, quod non inuoluitur in conceptu quiditatiuo. 394.20
Accidens aliquod egredi à principijs ſubiecti poteſt intelligi dupliciter. 891.4
Accidens per accidens procedit ſæpè ab eo, in quo eſt. 890. 25
Accidentia faciunt differentiam numeralem, non primam. 394. 19
Accidentia quam differentiam faciant in ſubſtantia. 394. 18
Accidentium varietas qualem facit in ſubſtantia differentiam? 400.18
Accidentia ſubiectari in compoſito. 393.17
Actio *aliqua quomodo poſſit dici continua.* 128.5
Actio in medium duplici ex cauſa præcedit actionem in terminum. 607. *in text. Exemplum vtriuſque.* ibid.
an Actio intellectus diuini ſit prior actione voluntatis diuinæ. 28. *col.* 1
Actio quomodo maneat, & tranſeat? 157.5
Actio quomodo perficiat rationem formalem. 9.8
Actio ſequens omne ens quæ? 638. 33
Actiuum *naturale non impeditum agit in medium ſphericè.* 712.9
Actus, *ad hoc quòd ſit meritorius, quid requirit?* 1037.6
an Actus aliquis poſſit eſſe indifferens? 1034.1. *& ſeq.* 1039. 5. 1038.10
Actus beatificus Angeli an menſuretur æuo. 167
Actus coniugalis non eſt per ſe malus. 825.1
Actus dicitur non referri in finem tripliciter. 1035.3
Actus duplex. 531.6
Actus duplex poſitiuus in Beato. 850. 3
Actus elicitus à quo ſit? 1003.9
Actus eſt duplex. 113.1
Actus eſt nobilior potentia, *an propoſitio ſimpliciter vera?* 182. 52
Actus, & potentia multipliciter accipiuntur. 113.2
Actus & potentia quomodo diuidunt ens. 314.12
Actus & potentia ſunt oppoſita. 315.1
Actus intellectus ſemper verus ex principio, ſed voluntas non ſemper bona ex fine. 1029.4
Actus intellectus ſubeſt imperio voluntatis. 1048.1
Actus intelligendi qui ſit. 618.1
Actus meritorius dignus vitâ æternâ ſolùm à voluntate diuina ſic acceptante. 571. 3
Actus meritorius eſt in voluntate. 906.3
Actus meritorius quomodo dicatur poſſibilis? 573.8
Actus neuter quoad circunſtantias, & meritum datur. 567. 13
Actus non poteſt eſſe ratio volendi voluntati oppoſito modo naturæ eius. 560.6
Actus noſter non eſt formaliter actus voluntatis diuinæ, ſed effectus eius. 1003.21
Actus nullus elicitus voluntatis eſt naturalis, modò præcedat aduertentia. 852.10
Actus nullus neceſſariò perpetuus. 577. *in com.*
Actus omnis an ſit bonus ex fine? 1027.1. *in text.*
Actus primus inordinatus Angeli quis? 535.4. 536.3
Actus quomodo dicatur bonus? 1036.4
Actus quomodo feratur in finem? 1034.2
Actus vnius potentiæ perficitur ex concurſu alterius circà idem. 1052.12
Actui entitatiuo correſpondet potentia obiectiua, actui formali potentia ſubiectiua. 689.18
Actum æternum habere propriam malitiam. 1044.2
ad Actum nihil deducitur quod eſt eiuſdem rationis cum eo. 800.4
in Actu eſſe dupliciter poteſt intelligi. 8.2
Actu, & potentiâ quomodo dicatur aliquid tale? 880.12
Actus intenſiſſimi quomodo non augeant habitum? 579.27
Actus poſſunt dupliciter conſiderari. 118.17
Actus voluntatis duo. 1057.1
Actuum Angeli oſtenditur ordo. 560.6

A D

Adæquatè *poteſt dupliciter expon.* 99.134
Adæquatio *duplex.* 622.4
Adæquatio ſpeciei ad obiectum triplex. 455.12
Adam *an grauius peccauerit quàm Eua, vel è contra.* 837.4
Adam fuit perfectiſſimus Logicus, vt creditur. 845.3
Adam in quo deceptus? 841.E
Adam non peccauit ex errore. 844.2
Adam potuit primò proferre verbum ocioſum. 831.2
Adam quomodo dicendus immortalis? 838. *col.* 1.

Index rerum.

Adam quomodo non fuit seductus? 840.D
Adam quomodo peccauit? 833.4. 834.2
Adam transfunderetne iustitiam in filios in statu innocentiæ? 819.3
Adæ peccatum occasio peccati filiorum. 821.6
Adæ peccatum quàm fuerit graue. 835.3. *non fuit grauissimum.* 835.3
Adæ primum peccatum quale fuerit. 835.2

Æ

Æqualitas *Dei potest apprehendi sine errore.* 519.6
Æqualitatis fundamentum est duplex. 339. 10
Æqualitatem Dei appetere quid sit? 838.col.2
de Æqualitate Dei contingit loqui dupliciter. 531.4
Æqualium in vno quod potest esse, & in reliquo, si non obstet figura. 198.12
Æternitas *est mensura indiuisibilis.* 158.8
Æternitas quid sit? 129.8
Æternitas quomodo conueniat diuinæ existentiæ? 180.27
Æua *quomodo appetiit æqualitatem Dei?* 839.*in com.*
Æua peccatum grauius peccato Adæ per se, & conuerso accidentaliter. 837.4
Æuiternum *sicut necessariò est prius temporali, ita Euum necessariò est prius tempore.* 169.2
Æuiterna quomodo dependeant ab æuo. 164.4
Æuiternorum omnium an sit vnum æuum. 161.1.*& seq.*
Æuum *an possit separari à tempore.* 141.4
Æuum an sit indiuisibile? 128.8
Æuum an sit quid realiter distinctum ab existentia. 145.3
Æuum necessariò coëxistit tempori, secundùm Henricum, quod impugnatur à Doctore. 130.12
Æuum nihil aliud est, quam vnitas per modum mensuræ talis immutabilitatis. 183.54
Æuum non mensurat intrinseca Angeli, sed tantùm existentiam eius quoad durationem. 178.19
Æuum quid sit? 176.14

A F

Affectio *commodi & iustitiæ in quo differant?* 540.8
de Affectione duplici. 539.8

A G

Agendorum *recta ratio vnde formetur.* 1018.1
Agens *an sit prius effectu?* 41.5
Agens, & patiens quomodo æquiuoca, & vniuoca. 310.9
Agens materiale quomodo agat propter finem? 22.32.
Agens naturale non causat contraria in idem passum. 896.6
Agens naturale non dominatur actui, nec modo eius: liberum vtroque modo. 564.9
Agens naturale semper fortius agit perpendiculariter, quàm obliquè. 713.17
Agens omne corporeum semper agit in distans. 608.17
Agens potest habere sufficientem propinquitatem ad mouendum, licèt non habeat partem aliquam mobilis æquè immediatè propinquam. 279.49
Agens quando debeat repati? 736.2
Agens quando post quietem mutatur, non datur vltimum instans illius quietis. 330.8
Agens quod remittit calorem successiuè, necessariò in vltimo instanti illius temporis inducet gradum incompossibilem: si verò immediatè ipsum corrumpit, casus non est ad propositum. 287.79
Agens quomodo assimilet sibi passum? 735.2.*in com.*
Agens supernaturale non præsupponit materiam. 398.12
Agenti, siue monenti quo sensu nulla pars mobilis sit immediatè propinqua? 279.47.*& 48*
in Agente tria sunt consideranda. 89.91
Agere *per essentiam stat dupliciter.* 762.10
Agere *præsupponit* esse. 13.14

A L

Albedo *quomodo dicatur forma partis:* 678.8
Albedo si poneretur intensa vt vnum, & esset extensa super magnam superficiem, ita esset intensa in minima parte, sicut in tota superficie. 247.25
Album *an contrarietur nigro.* 542.21
Alteratio, *augmentatio, & diminutio quomodo incipiant, & desinant, ostenditur.* 264.31.*& seq.*
Alteratio in quo genere ponatur? 786.3
Alteratur *aliquid dupliciter.* 299.26

A M

Amatum *amare eiusdem est, cuius est concupiscere bonum amato.* 547.18
Amatur *magis quod ex iustitia amatur, quàm ex concupiscentia.* 835.2
Amicitia *quare non sit ad inanimata?* 532.11
Amor *concupiscentiæ supponit amorem amicitiæ.* 518.10
Amor inordinatus sui, qui fundat ciuitatem Diaboli, quemodo dicatur præsumptio, vel superbia? 545.15
Amor inordinatus sui quomodo dicatur præsumptio vel superbia? 545.15
Amor proprius fecit ciuitatem Diaboli. 518.10
Amor vitæ, & patriæ an distinguantur specie. 899.5
Amor vtilis quid sit. 538.4
Amores duo fecerunt duas ciuitates, vnam Dei, alteram Diaboli. 535.4

A N.

Angelus *ad* vbi *indistans potest moueri indiuisibiliter, non transeundo medium.* 327.3. *ad distans non, & quare? ibid.*
Angelus an acquirat habilitatem ad sciendum? 484.18
Angelus an habeat notitiam naturalem distinctam essentiæ diuinæ. 447.1.*& 2.*
Angelus an habuerit speciem essentiæ diuinæ? 454.7. *habuisse rationabile videtur.* 455.11
Angelus an moueatur motu continuo? 229.12.
Angelus an perfectior anima, anècontra? 118.18
Angelus an possit esse causa totalis intellectionis. 655.6
Angelus an possit esse in puncto? 201.6
Angelus an possit moueri ab extremo in extremum non transeundo medium. 326.328.*in comm. col.1.& 2.*329.3.4.*& seq.*
Angelus an possit moueri in instanti? 317.1
Angelus an possit moueri motu continuo de loco ad locum. 219.1.*in text.*220.*per totum.*221.*per totum.*
Angelus an possit moueri motu continuo. 291.1
Angelus an possit se mouere? 304.1.*& seq.*
Angelus an prius meruerit Beatitudinem, quàm eam acceperit. 504.1. *non potest generare.* 485.1
Angelus an sit limitatus ad vnum vbi *naturaliter?* 214.2
Angelus, cùm sit spiritualis, & indiuisibilis, non potest circumscribi. 191.1
Angelus cur non producat animalia imperfecta secundùm D. Thomam? 742.16
Angelus custodiens possitnè effectiuè aliquid causare in intellectu hominis custoditi? 652.1
Angelus custos quid faciat? 658.8
Angelus, etiamsi foret statim annihilandus, mensuraretur tamen æuo, dum manet. 167.4

Angelus etiamſi non acciperet notitiam à rebus adhuc eſſet loquutio. 636.29.
Angelus fortè poteſt partialiter cauſare ſpeciem in intellectu hominis. 658.7
Angelus habet intellectum poſſibilem. 489.5. *dependeatne à corpore in intellectione corporis.* 489.6. *acquirit ſpecies ſingularium.* 492.11. *& neceſſariò notitiam exiſtentiæ à rebus.* ibid.
Angelus habet locum determinatum, indeterminatum tamen, & quo ſenſu. 202.7
Angelus habuit plura inordinata nolle, *& velle.* 543.13
Angelus hominem docere poteſt. 655.5. *& quomodo.* 656.1
Angelus inferior non poteſt impedire ſuperioris volitionem. 630.30. *Poſſitne illuminare ſuperiorem.* ibid.
Angelus in quo nunc *poſſit annihilari circumſcripto tempore.* 142.25
Angelus intelligit ſemper ſuam eſſentiam. 437.8
Angelus licèt tranſeat in inſtanti, & acquirat nouum vbi, *non dicitur tamen propriè mutari.* 276.36
Angelus malus licèt poſſit inordinatè velle, non ſequitur tamen quòd poſſit illud, quod ſic vult. 329.6
Angelus malus poſſitne ſe diſponere ad gratiam. 569.15. *caret gratiâ.* 571.2
Angelus malus potueritne appetere æqualitatem Dei. 527.1
Angelus mouens cælum an quieſcat. 190.4
Angelus mouet totum cælum, tamen non eſt in toto. ibid.
Angelus mouetur ſuper ſpatium, tangendo illud præcisè in alio, & alio puncto, & nunquam in parte diuiſibili. 297.21
Angelus non eſt creatus in puris naturalibus. 477.4 *ſecundùm Henricum non poſſet ſe intelligere ſine habitu.* 476.13. *ſine ſpecie non cognoſcit non exiſtentia, & poteſt ſe cognoſcere per ſpeciem.* 479.16
Angelus non eſt in aliquo loco naturaliter. 202.9
Angelus non eſt in loco naturaliter. 199.12
Angelus non eſt tantùm in loco per operationem. 218.2
Angelus non eſt ſua intellectio & quare. 446.17
Angelus non fruſtra audit, quod ante intellexit. 635.27
Angelus non poteſt eſſe in loco quantumuis magno. 198.11
Angelus non poteſt eſſe naturaliter in duobus locis adæquatis, an autem poſſit eſſe in inadæquatis, dubium eſt. 214.2
Angelus non poteſt exercere operationes vitæ in corpore aſſumpto. 587.4
Angelus nõ poteſt moueri in inſtãti de loco ad locũ. 230.13
Angelus non poteſt rapere hominẽ ad intellectionem. 654.4
Angelus plura peccata habuit, potuitque pœnitere in via. 547.17
Angelus poſſitne ſe cognoſcere per eſſentiã ſuã. 433.1. & 2.
Angelus poteſt cauſare motum localem. 588.1. *ſed veram nutritionem non.* ibid.2.
Angelus poteſt cognoſcere ſeipſum per ſpeciem intelligibilem. 483.8. *cognoſcit quiditates creatas alias à ſe.* ibid.
Angelus poteſt moueri de loco ad locum motu continuo. 222.8. & 1. *& talem motum localem eſſe continuum docet Scotus.* ibid.
Angelus poteſt tollere turbationem phantaſiæ. 657.7
Angelus qualem habet cognitionem. 458.4. *quomodo cognouerit Deum.* 465.27. *vt cognoſcat quiditates creatas alias à ſe, an requirarur neceſſariò, vt habeat proprias diſtinctas rationes cognoſcendi eas.* 465.1
Angelus quando deſerit punctum, in quo actu exiſtit, ſit in alio puncto. 297.20
Angelus quando mouetur ſuper ſpatium, nunquam habet aliquam partem ſic propinquam, quin ſemper habeat propinquiorem. 279.50
Angelus quare poſſit non eſſe, & quare non poſſit non eſſe. 138.20
Angelus quare ſe intelligat, & intellectus noſter ſe non. 443.14
Angelus, qui mouet cælum aliquod non eſt primò in aliqua parte, & quo ſenſu. 192.4
Angelus quomodo alteri exprimat, quòd nouit ſingulare? 598.8. *quomodo alium illuminet?* ibid.9
Angelus quomodo appetiit æqualitatem Dei? 839. *in com.*
Angelus, quomodo de facto non poſſit eſſe in pluribus locis? 215.1.
Angelus quomodo dependeat à corpore. 641.8
Angelus quomodo dependeat à corpore in generãdo? 636.30
Angelus quomodo formam corpori inducere poſſit. 586.3. *non aſſumit corpus cæleſte.* ibid.2.
Angelus quomodo inordinatè concupierit Beatitudinem? 538.1
Angelus quomodo loquatur vni, non alij? 621.24.
Angelus quomodo moueatur? 223.4
Angelus quomodo non ſit neceſſariò in loco. 200.1
Angelus quomodo poſſit eſſe in diuerſis locis. 216.3
Angelus quomodo poſſit eſſe in duobus locis adæquatis? 275.30
Angelus quomodo poſſit eſſe in omni loco? 224.6
Angelus quomodo poſſit ſe reducere ad talem, vel talem locum. 202.8
Angelus quomodo poſſit perfici. 230.14
Angelus quomodo poſſit ſe cognoſcere. 480.2. *non poteſt generare.* 482.4
Angelus quomodo ſe perfectiùs cognoſcat. 640.6
Angelus quomodo ſit ex natura ſua defectibilis. 180.25
Angelus quomodo ſit limitatus? 215.2
Angelus quomodo ſit limitatus ad omne vbi. 224.6
Angelus quo ſenſu eſt magis imago Dei, quam ſpecies Dei, *ſi daretur.* 456.15
Angelus quo ſenſu non moueatur continuè, non tranſeundo per medium. 327.2
Angelus quo ſenſu virtute naturali poſſit mutari de vno extremo in aliud, non tranſeundo per medium; & quo non. 329.3
Angelus, ſecundùm D. Thomam, factâ ſemel electione, eſt immobilis. 558.3
Angelus, ſecundùm quoſdam, non demeretur niſi primo peccato. 560.6. *Ex D. Thoma non potuit peccare.* 563.7. *non poſſet peccare poſtquàm elicuit bonum actum, ſecundùm eundem.* ibid.
Angelus, ſi mouetur motu continuo propriè accepto, neceſſariò fit in alio puncto in tẽpore, & non in inſtanti. 298.22
Angelus ſi poteſt eſſe in loco quantumcunque paruo, poterit eſſe in virgula extenſa à cælo in terram vſque, & quare? 198.12
Angelus ſuperior, & inferior quomodo differant. 629.27
Angelus ſuperior poteſt neceſſitare inferiorem ad audiendũ nõ èconuerſo. 632.25. *an poſſit illuminare inferiorẽ.* 592.1
Angelus videns verbum in ſe, qualem viſionem poſſit cauſare in intellectu alterius Angeli. 634.7
Angelus vnde ſumat notitiam intuitiuam. 493.12
Angelus vnus an poſſit eſſe ſimul in pluribus locis. 213.1. *in tex. hæc quæſtio multiplicẽ poteſt habere ſenſũ. ib.1. in co.*
Angelus vnus non cognoſcit intuitiuè aliquod obiectum in intellectu alterius per aliquam ſpeciem intelligibilem, & quare. 628.23
Angelus vnus poſſitne intellectualiter loqui alteri? 593.1
Angelus vnus quòd coexiſtat eſſe, *& non* eſſe *alterius, non ideò in ſuo* eſſe *habet prius, & poſterius.* 140.24
Angelus vnus quomodo ſit prior alio. 143.1. *in com.*
Angelus vtrùm ſit in loco. 188. *quæſt.5.n.1.*
Angeli eſſe *quomodo ſit immutabile?* 182.51
Angeli eſſentia eſt ratio recipiendi vbi *paſſiuè.* 224.7
Angeli locus an ſit determinatus, punctualis, maximus, & minimus. 188. *quæſt.6.n.1. & 2.*
Angeli peccatum quomodo non fuerit ſuperbia. 548.2

Index rerum.

Angeli virtus possitne moueri in instanti? 325.3
Angelum assumere corpus quid sit. 586.1
Angelum audire quid sit. 609.3
Angelum cognoscere singulare sub propria ratione. 639. 34
Angelum conseruare quid sit? 127.3
Angelum creatum non fuisse, quomodo possibile? 139.21
Angelum esse in puncto, necne problema. 199.12
Angelum habere locum determinatum, vt non possit habere maiorem, vel minorem, problema. 499.12
Angelum loqui alij Angelo quid sit. 605.1
Angelum scire posse secreta cordis. 635.27
Angelum superiorem creasse inferiorem, erroneum est. 426.6
Angelum transire instantaneè ab vno extremo ad aliud quo sensu videtur impossibile. 329.4
Angelum vnum quomodo lateat, quod alius nouit? 595.7. 596.7
in Angelo annihilato reparato est successio oppositi ad oppositum, & non successio simpliciter. 142.25
in Angelo non est phantasma. 880.5
in Angelo supremo quomodo nullum sit euum. 184.57
Angeli an fuerint in gratia creati, necne, problema. 523. 15. *siue sic, siue non sic, adhuc tres habuerunt morulas.* 523.16
Angeli an in primo instanti suæ creationis potuerint esse beati. 513. *in comm. erant in via vniformes, & difformes, malique peccata multa commiserunt.* 523.15
Angeli an mittantur. 648.1. *& seq.*
Angeli an omnes fuerint in tribus æquales? 331.*B*
Angeli an possint proficere, accipiendo cognitionem à rebus. 487.1. *in text.*
Angeli beati merentur præmium accidentale, & non anxiantur expectando illud. 506.4
Angeli boni non habuerunt actum elicitum commodi, vt opponitur affectioni iustitiæ. 541.12. *nec potuerunt nolle Beatitudinem.* *ibidem.*
Angeli boni quòd post confirmationem non possint peccare, est ex gratia, non natura. 554. *D*
Angeli duo suntne simul in eodem loco? 217.1. *in text. sub dubio relinquit Doctor, sed Dei potentiâ posse esse simul dicit esse certum.* 217.2
Angeli habent species intelligibiles. 479.1
Angeli loquentur nobis in gloria. 658.8
Angeli mali an summo conatu peccauerunt? 564.9
Angeli mali quare non potuerint producere cinifes, qui ranas, & serpentes fecerunt. 557.*L*
Angeli mali quòd non fuerint præsciy sui casus, boni verè fortè fuerint præsciy Beatitudinis. 500.*A*
Angeli omnes an einsdem speciei? 627.20
Angeli omnes vniformes creati, & via omnium æqualis. 510. 6. *habuerunt gratiam omnes, & illorum fuerunt tres vel quatuor moræ.* 511.7
Angeli plures an possint esse in eadem specie? 422.1 *& 2.* 424.1
Angeli plures an possint simul loqui vni Angelo? 625.15
Angeli quales facti sint auersione & conuersione cadentium? 502.*A. meruerunt, & hoc antequàm essent beati.* 506. 3
Angeli quales facti sint confirmatione, & obstinatione? 553.*A*
Angeli quomodo cognoscebant Deum? 853.7
Angeli quomodo peccauerint? 529.4. 539.5
Angeli si vno tantùm instanti fuerunt in peccatis, non fuerunt tentati. 512.9
Angeli subiectum multorum accidentium. 689.18
Angeli superiores quomodo se habeant loquentes. 610. 7. *& quomodo inferiores?* *ibid.*
Angelorum moris quid correspõdeat in tempore nostro? 511.8
Angelorum quod sit maximum præmium? 507.4. *& in illis quæ sit difficultas merendi?* *ibid.*
Angelos non fuisse creatores. 796.*E*
in Angelis qualis sit discursus? 524.3. 564.3
Angulus *communis quid sit?* 234.23
Animal, *&* non animal *prædicata non solùm repugnant formaliter, sed simpliciter subiecto.* 296.17
Animal, & rationale nec differunt, nec sunt idem specie. 365.12
Animal quamuis sit pars hominis, prædicatur tamen de homine per modum totius. 372.34
Animali repugnat diuidi in plura genera. 377.4
Animalia imperfecta quæ causæ producant? 742.15
Animalia perfecta quæ sint, & quæ imperfecta? 742.15
Anima *an producta sit sine corpore?* 787.5
Anima Christi an perfectior anima Iudæ? 338.7
Anima Christi omnia habitualiter nouit, 112.4
Anima contrahatne peccatum originale à carne infecta, concupiscibiliter seminata. 939.1
Anima est principale formale vitæ, efficiens operationis. 762.5
Anima est principium operandi. 764.3
Anima intellectiua est indiuisibilis. 83.31
Anima quomodo contineat intellectum? 115.6.
Anima quomodo contrahat peccatum originale mediante carne? 952.12
Anima quomodo inficiatur à carne. 954.18
Anima quomodo non esset beata nisi per accidens? 770.15
Anima quomodo recipiat intellectionem. 765.7
Anima quomodo vniatur corpori? 641.9
Anima semper nouit se, explicatur. 442.13.443.1
Anima sensitiua quomodo sit intellectiua. 482.7
Anima separata potest se loco mouere. 881.14
Anima, si esset ante corpus, operaretur. 786.5
Anima si haberet partes essentiales physicas, non informaret corpus. 767. *in text.*
Anima Virginis potuit esse in peccato præcisè per instans. 185.62
Anima immortalitas non potest demonstrari via naturali. 787.6
Animam intellectiuam non esse actiuam suarum perfectionum, absurdum est. 881.14
Anima nihil est superius, quo sensu. 118.18
in Anima, secundùm Philosophum, sunt tantùm tria. 467.5
in Animatis quomodo contingat corruptio. 812.4
Animus *inordinatus est sibi pœna.* 1004.22
Annihilare *non dicit aliquid positiuum.* 158.7
Annihilari negatiuè quid sit, & quid positiuè. 143.2
Annihilatum possitne reparari. 386.4
inter Antecedens *& consequens quando cadit aliquod medium, potest quis velle antecedens nolendo consequens.* 533.11

A P

Appetens *antecedens an velit consequens.* 529.7
Appetere *aliquid contingit dupliciter.* 508.5
Appetibile *moueatne appetitum.* 891.3
Appetitus *Beatitudinis an fuerit superbia.* 547.1
Appetitus inferior in statu innocentiæ fortè tristaretur quandoque. 923.5
Appetitus naturalis non sequitur cognitionem. 542.1
Appetitus quid primò appetit. 537.5
Apprehensio *sufficit ad volitionem.* 844.3
in Apprehensione simplici est error secundùm Philosophum. 529.6

A Q

Aqua *eleuatur ad eleuationem Lunæ.* 732.3

Aqua alia quare non moueantur à Luna, ſicut mare. 740. 12
Aqua quomodo poſſint eſſe ſuper cælos, & quales ſint? 718. *A*
Aqua quomodo ſint in locum vnum congregata? 719. *E*

A R

Arbitrium *liberum an pateat in bonis, & malis?* 871. *P*
Arbitrium liberum duobus modis conſideratur. 580. 6
Arbitrium liberum hominis an poſſet ſine gratia omne peccatum mortale cauere? 911. 1. *& ſeq.*
Arbitrium liberum in quibus ſit? 868. *C*
Arbitrium liberum poteſt conſiderari dupliciter. 912. 1 1077
Arbitrium liberum quomodo poſſit vitare peccatum? 913. 2
Arbitrium liberum ſi non eſſet, nulla eſſet contingentia in rebus. 747. *in text.*
Arbitrium quando liberius? 868. *E*
Artifex *quid primò intuetur?* 5. 2
Artificiale *dupliciter contra naturale diſtinguitur.* 801. 5

A S

Aſinus *ſi ab æterno potuiſſet produci, & generare aſinos, an illi fuiſſent infiniti.* 50. 16
Aſſimilari *aliqua magis poteſt intelligi duplicitèr.* 418. 10
Aſtra *generant metalla.* 740 5
Aſtra multùm faciunt ad ſanitatem, vel infirmitatem. 747. *in text.*
Aſtra non mouentur per cælum, penetrando ipſum. 728. 5
Aſtra quid poſſint in ſenſus? 741. 6 *non nec ſtitant voluntatem. licèt Aſtrologi ſæpè vera prognoſticent de moribus hominum.* *ibid.*
Aſtrologi *cur non cognoſcant, quando erunt cometæ, Angeli autem ſic?* 741. 13
Aſtrologi non poſſunt præſcire motum, autem vitam, aut collationes dignitatum. 744. 22
Aſtrologi quare certa non iudicent de effectibus Aſtrorum? 740. 5

A T

Attributa *ſunt infinita formaliter ex ſe, ſed non à ſe, & quare?* 23. 34
Attributa ſunt infinita formaliter ex ſe, & per ſe, pullulant tamen ab eſſentia. 771. 2

A V

Auaritia *ordinata eſt ad voluptatem vel honorem.* 1062. 1
Audiens *paſſiuè ſe habet.* 617. 22
Auditionis *ordo ad intellectionem* 617. 23. *quid ſit?* 619. 7
Auerſio *ab vna perſona diuina quomodo ſtet, & non ab aliis?* 1066. 2
Auerſio à Deo duplex. *ibid.*
Auerſio duplex à Deo. 984. 8. 985. 3
Auerſio formalis poteſt ſumi dupliciter. 985. 3
Auerſio virtualis à Deo in omni peccato mortali. 984. 8
Auerſus actu ab vna perſona, virtualiter eſt auerſus ab aliis. 1067. 4
Auerti *à ſe contrariè eſt odire ſeipſum.* 1000. 5
Auctore *ſapiente nemo fit deterior.* 996. 12

B A

in Baptiſmo *an remittatur peccatum originale.* 944. 1

B E

Beatitudo *an poſſit dici naturalis reſpectu creaturæ* 507. 1
Beatitudo in quo conſiſtat? 508. 4. 772. 4
Beatitudo quid ſit? 778. 15
Beatitudo ſupernaturalis cur non obtineatur in primo inſtanti, ſicut naturalis? 5. 4. 17
Beatitudinis appetitus an fuerit propriè ſuperbia? 547. 1
Beatitudinis pars potiòr quæ? 820. 1
Beatus *vt ſic caret potentia ad non eſſe beatum, ſicut cælum ad non eſſe rotundum.* 177. 15
in Beato eſt duplex actus poſitiuus. 850. 3
Beati tenentur adimplere illud præceptum: diliges Dominum, *&c.* 833. 6
Beneficiorum *maiorum ſubſtractio non ſemper arguit maiorem grauitatem culpæ.* 837. 5

B O

Bonitas *actus moralis vnde ſit?* 1028. 3
Bonitas eſt duplex. 1027. 1. *in com.*
Bonitas eſt voluntatis, rectitudo intellectus. 102. 6
Bonitas moralis triplex. 566. 11. 567. 1
Bonitas naturalis actus volendi quid ſit? 1028. 3
Bonitas naturalis quid ſit? 1027. 2.
Bonum *eſt triplex.* 538. 3
Bonum & malum non opponuntur priuatiuè circa actum. 1035. 5
Bonum quomodo ſit cauſa mali? 988. 5
Bonum cuius eſt concupiſcere amato, eiuſdem eſt amare amatum. 547. 18
Bonum immoderatè amans, prius vult illud eſſe magnum in ſe, quam comparatiuè ad alia. 544. 14
in Bonum infinitum neceſſario tendere, non infert ſic tendere in finitum. 851. 8

B R

Bruta *non habent liberum arbitrium.* 855. *E*

C A

Cæcus *natus imaginaretur de colore per phantaſma infuſum.* 657. 6
Cæcus non iudicat de coloribus, & quare? 653. 3
Cæleſtia *agunt in imperfecta.* 741. 13
Cælum *an ſit ſphæricum.* 291. 2
Cælum aliquod mobile an ſit aliud à ſtellato? 725. 1
Cælum non eſt corpus fluidum 727. 3
Cælum non poteſt eſſe ſine motu, & tamen non eſt idem realiter cum motu, quoniam talis inſeparabilitas prouenit ab extrinſeco. 160. 15
Cælum nonum an detur? 729. 8. *& an decimum?* *ibid.*
Cælum quodlibet quanto tempore ſuum curſum conficiat? 731. 11
Cælum quomodo careat potentia? 177. 15
Cælum quomodo ſit animatum. 724. 7
Cælum, ſecundum Philoſophum non eſſe animatum. 722. 3. *contrarium ſentit Auicenna.* *ibid.*
Cælum, ſi eſſet perfectius animali imperfecto, poſſet dici, quòd etiam perfecto. 743. 19
Cælum ſydereum de qua materia factum. 718. *A*
Cælum vtrùm ſtet, an moueatur, & quare dicatur firmamentum. 719. *C*
Cæli forma non dat actum oppoſitum omni priuationi. 721. 3

Cæli incorruptibilitas vnde sit. 724.4
Cæli materia complet totum suum appetitum. 723.5
Cæli materiam eiusdem esse rationis secundùm Ægidium. 721.2
de Cælo empyreo cur hìc non egerit Doctor. 729.8
Cæli an habeant quantitatem? 728.8
Cæli an sint distinctæ speciei, incertum est. 731.10
Cæli circumferunt secum localiter superiorem partem aëris. 736.4
Cæli concentrici qui sint, & qui decentrici? 732.6
Cæli non mouentur à propria forma. 731.12. *non sunt animati, & mouentur ab Angelis.* ibid.
Cæli non sunt tot, quot stellæ non errantes. 729.6
Cæli per quid agant? 744.23. *non per lucem, sed per qualitates occultas.* ibid.
Cæli quem habeant inter se ordinem? 730.9
Cæli quot dentur? 728.6
Cæli solium producunt vltimas dispositiones ad animalia imperfecta. 743.20
Cæli superiores an perfectiores? 731.10
Cæli vt agant in subiecta distantia, fortè diffundunt per totum medium qualitates occultas. 747.24
Cælorum diuersitas vnde benè colligatur. 729.7
Calefaciens *habens calefactibile præsens, & perfectè dispositum, necesse est calefaciat infinitas, si aliquam calefaciat.* 280.52
Calor *quomodo formalis ratio calefaciendi?* 766. *in com.*
Calor remittendus non habet vltimum sui esse *secundùm Philosophum.* 265.31
Calor remittendus nullum vltimum habet sui esse, *sed habet vltimum in* esse *quieto; conclusio est Scoti.* 286. 77. *contra quam ipse arguit. ibid. &* 287.78. *suisque obiectionibus respondet.* ibid. & seq.
Calorem mensurari suo benè stat, & quietem eius tempore. 171.10
Calorem nullum habere vltimum sui esse, *sed habere vltimum in* esse *quieto, quomodo debeat intelligi.* 269.10
Caro *punctualis cum alia carne punctuali an faciat aliquod continuum.* 241.44. & 45
Causa *æquiuoca est nobilior effectu.* 879.4
Causa æquiuoca totalis est perfectior suo effectu. 878.9 887.9
Causa duplex est. 988.5
Causa est prior causato. 561.3
Causa est prior effectu. 156.3
Causa & effectus necessariò simul sunt. 306.5
Causa finalis quomodo causet. 686.7
Causa in esse, *& fieri semper æquè causat.* 435.4
Causa materialis quomodo dependeat à suo effectu. 395.3
Causa per accidens duplex. 987.13
Causa per accidens multiplex. 988.5
Causa per se aliquando prior, aliquando est origine posterior causa per accidens. 887.21
Causa per se quomodo prior causa per accidens. 888.13
Causa per suam entitatam sine superueniente determinatiuo, est causans. 39.10
Causa potens partialiter producere effectum, potest totaliter, si habeat virtutem sufficientem. 713.19
Causa prima liberè agit. 562.4
Causa principalis debet habere aliquem influxum in effectum. 742.17
Causa principalis immediatè attingit effectum. 780.20
Causa productiua animalis imperfecti non est aliquod animal indeterminatum. 742.17
Causa, quæ potest producere infinitas species duplici ratione dicitur formaliter infinita. 624.12
Causa quare hìc dicatur intrinseca? 96.125
Causa quomodo sit prior effectu. 250.25
Causa sine qua non *quid sit?* 885.4
Causa successionis in motu locali quæ? 292.6
Causa totalis alicuius quid sit. 991.4
Causa vna dicitur agere in virtute alterius dupliciter. 638.34
Causam aliter causare potest multipliciter intelligi. 571.2
Causam naturalem non producere vltimam dispositionem ad formam supernaturalem. 603.14
Causam primam necessariò agere, & tamen esse in rebus contingentibus, inuoluit contradictionem. 48.15
Causæ duæ an possint concurrere ad eundem effectum? 442.9
Causæ duæ totales non dantur respectu eiusdem effectus. 383.4
Causæ essentialiter ordinatæ requirunt coëxistentiam in agendo. 804.9. *accidentaliter ordinatæ non.* 805.9
Causæ rerum naturalium sunt quatuor. 670.8
Causa secundæ non possunt causare, nisi sint approximatæ. 83.39
Causæ secundæ sunt in duplici differentia. 992.1
Causarum ordo quomodo seruaretur sine concursu Dei immediato. 993.7
Causandi *modus diuersus non variat causatum.* 47.12
Causatio *necessaria duplex.* 34.8

C E

Centrum *non attrahit graue.* 306.5
Centrum terræ est immobile. 195.3
Certitudinem *propriam haberi ab aliquo intelligi potest dupliciter.* 64.9

C H

Charitas *& gratia an distinguantur?* 907.4
Charitas & gratia quomodo differant? 907.4
Charitas quomodo sit causa magis principalis actus meritoris. 562.4
Charitatis actus non potest malè fieri. 849.5
Charitatis, & gratiæ idem effectus. 907.3
in Charitate existens an semper mereatur? 568.5

C I

Circulationem *non dari in causis æquinocis.* 947.6
Circulum *dari quando non inconueniens.* 1052.12
Circulum totum tangens est circulare. 289.36
Circumscriptio *est duplex.* 212.44

C O

Coëxistere *posse infinitis partibus successiuè virtute propriâ quid sit?* 159.11
Cogitatio *an sit in potestate voluntatis?* 1046.3
Cogitatio noua quid sit? 1058.4
Cogitatio potestne subesse voluntati. 1046.1
Cogitatio prima non est in nostra voluntate. 1048.5
Cogitatio quomodo sit mala. 1056.13
Cogitatio quomodo subest voluntati. 1011.3
Cogitationem subesse voluntatis imperio quid probat. 1048.5
Cognitio *Dei non mensuratur æternitate participatâ.* 182.50
Cognitio duplex. 453.6. 459.8
Cognitio intuitiua abstractiua perfectior. 494. *col.* 2
Cognitio intuitiua & abstractiua quomodo distinguantur. 457.1
Cognitio in verbo an sit perfectissima. 497.11

Cognitio matutina, vel veſpertina vnde dicatur? 459. 8. 460.8. *matutina eſt naturalis non beatifica.* ibid.9
Cognitio naturalis triplex in Angelis ante caſum. 334.1
Cognitio phantaſtica eſt abſtractiua reſpectu ſenſus particularis. 454.7
Cognitio principiorum quomodo poſſit dici intuitiua? 458.2
Cognitio quomodo poſſit eſſe intuitiua per ſpeciem? 458. 3. *an abſtractiua potuit eſſe meritoria in Angelo.* 459.5
Cognitio rei in alterius intellectu an ſit propriè intuitio? 617.23
Cognitio relationis de neceſſitate dependet à fundamento, & termino. 86.45
Cognitio ſpeculatiua eſt duplex. 861.3
Cognitio vltimi finis an dicatur contemplatiua. 862.5
per Cognitionem matutinam quid intellexerit Auguſtinus? 455.10
ex Cognitione abſtractiua Deitatis quomodo ſequatur ſequi cognitio creaturarum? 400.10
Cognitum *per imaginem, quæ eſt ratio cognoſcendi cognita, diſcurrendo naſcitur.* 459.5
Cognoſcere *ſingulare perfectionis eſt.* 491.9
Cognoſci *per propriam ſpeciem dupliciter contingit.* 98. 14
Cognoſci poteſt aliquid intuitiuè dupliciter. 496.9
Cognoſcitur aliquid intuitiuè, & abſtractiuè differenti modo. 472.4
Color *eſt qualitas mouens actu perſpicuum.* 708.13
Color quomodo dicatur obiectum? 866.11
Color ſi eſſet ſeparatus à quantitate, poſſet immediatè mouere intellectum, & non ſenſum. 262.9
Cometa *quid ſit.* 587.4
Cometa *crinitus, & barbatus quid?* 737.8. *Item quid caudatus?* ibid.
Cometa non eſt aggregatio plurium planetarum, nec ſtellarum errantium, nec vna aliqua ſtella errans. 737.8
Cometa ſub cælis gignitur. 738.9
Commune *eſt notius proprio.* 349.45
Commune, & vniuerſale diſtinguuntur. 361.9
Commune quod determinatum eſt, nequit eſſe in alio, licèt hoc ſibi ſecundùm ſe non repugnet. 361.9
Communitas, *& ſingularitas alio, & alio modo conueniunt naturæ.* 361.10
Communicabilitas *triplex.* 431.10
Communicari *alteri multipliciter poteſt intelligi.* 245. 10
Comparatio *non fit in genere.* 351.23
Comparatio quare non fiat in genere, ſicut in ſpecie. 336.3. 339.8
Comparatio quomodo dicatur fieri in ſpecie atoma. 341. 19
Complexa *quomodo ſint contradictoria, & quomodo incomplexa?* 267.34
Componi *poteſt aliquid tripliciter.* 672.13
Compoſitio *non dicit abſolutè duo abſoluta.* 84.34
Compoſitionis modi tres. 349.44
Compoſitum *a quo habet eſſe.* 107.151
Compoſitum duplex. 415.1
Compoſitum nullum reale poteſt eſſe ſine vnione partium componentium. 65.12
Compoſitum per ſe generatur. 786.4
Compoſitum per ſe propriè exiſtit. 249.24
Compoſitum poſterius forma. 561.3
Compoſitum quomodo producatur? 106.150
Compoſitum totum eſt idem eſſentialiter partibus componentibus. 78.10
Compoſiti partes habent duplex eſſe. 689.17
Concauſa *intellectionis non requiritur per ſe, quòd informet intellectum.* 436.6
Conceptus *albi quare non prædicetur in* quid? 347. 38
Conceptus multos incomplexorum habens addiſcit complexiones. 656.5
Concupiſcentia *pronitate inordinata in appetitu rationali eſt materiale in originali.* 948.6
Conditio *cauſæ in cauſando non poteſt eſſe ab eius effectu.* 388.9
Conformatum *neceſſariò recto, non poteſt non eſſe rectum.* 849.5
Coniunctio *fundamentalis eſt clara viſio, & fruitio eſſentiæ Dei.* 20.17
Conſcientia *an ſit in voluntate?* 1017.1
Conſcientia eſt habitus practicus. 1023.7
Conſcientia fit ex vno actu, non ita habitus appetitiuus. 1018.3
Conſcientia quid ſit? 1020.4. *quomodo ſtimulat ad bonum?* ibid.
Conſequentia *ſi ſunt incompoſſibilia, & illa ad quæ conſequuntur.* 239.17
Conſeruare *eſt verè agere.* 127.3
Conſeruare rem dicit aliquam actionem poſitiuam. 156.2
Conſeruare rem quid ſit? 187.66
Conſeruari & annihilari quomodo ſtent ſimul? 140.2
Conſtitutum *ex abſoluto, & relatiuo in creaturis non dicit vnum per ſe conceptum, in diuinis tamen relatio originis facit vnum per ſe conceptum.* 14.16
Conſtituta non æquè differunt, ac conſtituentia. 408.14
Contentum *quomodo imperfectius continente.* 452. 9
Continens *reſpectu contenti duo dicit.* 100.139
Continentia *duplex.* 452.9
Continentia virtualis duplex. 482.5
Continentia virtualis nobilior formali. 887.
Continere *vnitiuè eſt perfectionis in continente.* 99.135
Contineri aliquid ſub aliquo contingit duobus modis. 371. 31
in Contingentibus *notitia terminorum non repræſentat complexionem, nec oppoſitum.* 493.11
Continuitas *temporis vnde?* 318.1
Continuum *an componatur ex minimis?* 260.2
Continuum diuidi poteſt. 254.7
Continuum non componitur ex partibus minimis. 237.1
Continuum permanens non eſt compoſitum ex punctis. 235. 29
Continuum poteſt dupliciter accipi. 253.4
Continuum poteſt dupliciter conſiderari. 240.37
Continuum poteſt dupliciter diuidi. 153.17
Continuum quomodo immediatum ſuo termino? 267.35
Continuum diuidi ſecundùm omnem partem pro aliquo vno inſtanti determinato, vel indeterminato, an ſit poſſibile? 255.10
Continuum diuidi ſecundùm quodlibet ſignum poſſibile eſſe, quare Doctor neget? 254.6
Continuum fieri ex minimis rationes ſuadentes ſoluuntur. 259.29
Continuum non componi ex indiuiſibilibus. 230.10
Continuum poſſibile eſt diuidi in omnia, in quæ diuiſibile eſt, *explicatur.* 250.22. & 23
Continuum ſecundùm omnem partem eſſe diuiſum, quomodo repugnet, declaratur exemplo. 252.26
Continua in naturalibus quæ ſint? 241.44
Continua permanentia quomodo non componantur ex indiuiſibilibus. 234.22
Continua ſunt illa, quorum vltima ſunt ſimul. 186.65
Contradictio *in terminis abſolutè ſumptis vnde accipiatur præcisè?* 295. 16
Contradictio latens dicitur vix intelligibilis. 48.14
Contradictio quomodo accipiatur, cùm dicitur, Angelus eſt, & non eſt? 158.9
Contradictio vnde ſumatur ſecundùm Doctorem? 288. 83

Contradictoria *complexa quæ sint?* 296.16
Contradictoria quæ dicantur, & quæ non? 260.34
Contradictoria si tantùm sumerentur respectu eiusdem instantis, tunc esse, *&* non esse *non contradicerent.* 288.84
Contradictoria dici de eodem est oppositum primi principij. 59.5
ad Contradictoria nulla potentia. 383.4
de Contradictoriis complexis debet intelligi, quando dicitur in Elenchis, contradictoria sunt ad idem, simul, & in eodem tempore. 288.84
Contrarium *vnum quomodo possit destrui à Deo?* 157.7
Contraria duo quomodo possint esse simul? 624.11
Contraria quâ vnitate vnum? 336.4
Contraria quomodo insint eidem? 215.3
Contraria quomodo possint esse simul? 284.71
Corporale *quomodo agat in spiritum?* 493.13
Corpus *an agat in spiritum?* 638.34
Corpus cæleste an sit essentia simplex? 721.1. *& seq.*
Corpus Christi an mutetur? 276.34
Corpus Christi in Eucharistia quomodo non mensuretur? 175.8
Corpus cubum quid sit? 291.5
Corpus glorioſum potest conuertere corpus non glorioſum in seipsum. 587.5
Corpus locatum quomodo sit in loco? 197.15
Corpus mixtum assumit Angelus. 585.2
Corpus mistum perfectius corpore simplici. 485.2
Corpus omne non est in loco, secundùm Theologos. 197.12
Corpus omne, secundùm Philosophum, est in loco quanto. 193.10
Corpus quomodo contineat superficiem, & lineam. 131.3
Corporis imperfectè mixti assumpti quod signum? 586.3
Corpori cuilibet, præter vltimum, cuius non est aliud extra continens, conueniunt quinque. 192.6. *&* 7.194.1. *seq.*
Corpus idem facere circumscriptiuè, & localiter in diuersis locis Deo est possibile. 215.2
Corpora cælestia agunt in elementa. 736.3
Corpora cælestia agunt in inferiora. 735.2. *in com.*
Corpora cælestia non habent imperfectiores formas substantiales, quàm sublunaria non viuentia. 704.3
Corpora cælestia non possunt corrumpi ab agente naturali. 642.12
Corpora cælestia non producunt animas animalium imperfectorum. 743. 19. *indirectè tantùm agunt in animam rationalem.* *ibid.* 20.
Corpora cælestia quare habeant suas qualitates concreatas, Angeli non? 637.31
Corpora lucida cur in medio obscuriori melius videantur? 709.16
Correlatiuum *vnum quare non possit esse sine alio?* 145.1
Corrumpens *quare corrumpat?* 665.5
Corruptibile, & incorruptibile differunt pluſquàm genere, *quomodo intelligenda?* 179.23
Corruptio *compositi per materiam.* 668.4
Corruptio duplex. 748.2
Corruptio intrinseca quomodo in animali? 756.9
Corruptio quando præmittitur, tunc futura est generatio. 52.20
Corruptio quomodo contingat in animatis? 812.4

C R

Creandi *formalis ratio est etiam ratio formalis terminandi.* 463.22
Creandi ratio formalis quæ? 11.11
Creare *quid sit?* 1. *A*
Creari, & conseruari an differant? 44.6
Creatio *eadem an possit reparari?* 104.18
Creatio est opus omnipotentiæ. 28. *col.* 2
Creatio, & conseruatio non distinguuntur formaliter, sed sunt eiusdem rationis. 106.149
Creatio, & conseruatio quomodo differant secundùm vtramque sententiam de duratione Angeli, explicatur. 138. 12
Creatio non mensuratur tempore, nec instanti eius. 172.13
Creatio propriè sumpta non est mutatio. 107.154
Creatio quomodo dicatur mutatio, & quomodo non. 105. 30
Creatio quomodo non habeat ex se non esse? 31.3
Creatio quomodo non sit mutatio propriè? 108.155
Creatio quomodo possit dici mutatio? 108.155
Creatio rerum quantùm ad principium efficiens. 1. *A*
Creationem passiuam distinctam esse à fundamento formaliter. 74.25
Creator *vnde propriè dicatur?* 1. *A*
Creatura *corporalis, & spiritualis an simul creata fuerit?* 122. *G*
Creatura distinguitur realiter à verbo. 15.19
Creatura, & relatio sunt vna res realiter, & formaliter. 100.136
Creatura omnis quomodo ab æterno habuit esse cognitum? 31.4
Creatura quare non sit tantùm relatio vestigialis. 71.2
Creatura quomodo contingenter sit? 53.2
Creatura quomodo fiat supernaturaliter impeccabilis? 842.7
Creatura quomodo possit dici accidens. 73.2
Creatura rationalis quomodo sit distincta? 2. *D*
Creaturæ ad Deum triplex relatio. 71.19. 72.5
Creaturæ definitio. 56.14
in Creaturis non esse causas omnium, quæ fiunt. 796. *F*
in Creaturis quomodo aliquid dicatur communicari per identitatem. 373.36
Credendi *actus non potest stare cum visione clara Dei.* 613.7
Credere *Dæmonum an sit bonum.* 577.25
Credere quid sit determinatur. 895.5

C V

Culpa *& gratia an sint oppoſita immediata.* 916.4
Culpa omnis non est propriè demeritoria. 581.10

D A

DAmnati *pœna non crescit, sicut nec gloria Beati, intensiuè loquendo.* 579.28
Damnati de potentia ordinaria non possunt habere gratiam. 570.18
Damnatos ob solum originale habere perfectiorem cognitionem naturalem, quàm nos. 961.3
Damnatos ob solum originale non habituros inordinatum motum. 960.2

D E

Debitum *iustitiæ originalis in Baptismo commutatur in debitum gratiæ.* 953.16
Defectibilitas potest dupliciter accipi. 1077.2
Defectibilitas *quomodo non sit causa peccati.* 988.6
Definitio *cuius sit propriè.* 429.6
Definitio quid sit. 372.34
Definitio simpliciter quid sit. 315.1
Delectabile, *& turpe quomodo simul mouent voluntatem.* 877. *in text.*
Delectabile omne immoderatè volitum dici potest luxuria. 546.16

Index rerum.

Delectatio *de obiecto malo quare ſit peccatum?* 1056.14
Delectationem ſine conſenſu ad opus eſſe moxale? 1056 14
Deliberatio *quid ſit?* 521.6
ad Deliberationem an requirantur plures intellectiones precedere! 517.7
Denominatiua *qua dicuntur, eorum predicatio duplex.* 675. 18.
Dependentia *duplex.* 886.7
Dependentia eſt formaliter imperfectio. 376.3
Dependentia multiplex. 103.144
Dependet idem à ſe accidentaliter. 882.17
Definiendi *duplex modus explicatur per vltimum* eſſe, & non eſſe. 132.15
Definere *poteſt exponi dupliciter.* 137.17
Deus *actu intelligit ſimul infinita obiecta.* 21.31
Deus an poſſit facere graue tendere ſurſum. 853.8
Deus an poſſit odiri in ſe! 544.2
Deus an poſſet operari, vbi non eſſet præſens? 191.3
Deus cauſa priuationis gratiæ & quomodo! 996.13
Deus eſt cauſa partialis volitionis. 93.3
Deus eſt cauſa pœnæ. 980.2
Deus eſt primum efficiens. 32.4
Deus expectauit, quia ſic voluit, primum inſtans temporis, non vt menſuram ſua operationis, ſed vt illud menſuraret. 41.7
Deus facit accidens ſine ſubiecto. 787.4
Deus illuminat per luminis infuſionem. 633.2
Deus intendit indiuidua. 428.10
Deus non cauſat neceſſariò, 34.8
Deus non eſſet omniſcius, nec omnipotens, ſi non ageret immediatè in actus noſtros. 994.8
Deus non vult me velle quod vult me velle *explicatur.* 998.18
Deus poſſitne eſſe prima cauſa deficiendi! 998.16
an Deus poſſit facere voluntatem creaturæ rationalis impeccabilem ex naturam! 848.1.& ſeq.
Deus poſſitne facere prius ſine poſteriori? 82.28
Deus poteſt facere materiam ſine forma. 752.6
Deus poteſt immediatè calefacere totum aërem, cuius tamen nulla pars erit æque immediatè propinqua. 280 52
Deus poteſt producere effectum abſque ſui nouitate. 38.7
Deus potuit condere hominem miſerum in pœna. 513.3
Deus potuit dare gloriam ſimul cum natura. 512.10
Deus producit animas animalium generatorum ſine ſemine. 743.20
Deus quare cauſa pœnæ, & non culpæ! 996.12
Deus quare non poſſit peccare! 998.16
Deus quare poſſit eſſe cauſa priuationis gratiæ, ſed non rectitudinis debitæ. 998.17
Deus quare poſſit facere effectum nouum ſine noua volitione! 33.7
Deus quod facit per cauſam ſecundam facere poteſt per ſe, ſi cauſa non ſit de eſſentia cauſati. 682.3
Deus quomodo creare poſſit aliquid de nihilo! 39.1
Deus quomodo determinatus, & quomodo indeterminatus! 456. 14. *an poſſit cauſare ſpeciem intelligibilem* 464.25
Deus quomodo dicatur cauſa obſtinationis. 574.9
Deus quomodo dicatur de nouo creator. 9 .98
Deus quomodo dicatur menſura extrinſeca omnium 155.1
Deus quomodo eſſet cauſa meriti ſine concurſu in actum. 993.6
Deus quomodo finis creaturæ! 901.1
Deus quomodo poſſit facere abſolutum ſine poſteriori 87 46
Deus quomodo poſſit producere aliquid de nihilo! 32.4
Deus quomodo poſſit velle eſſe, & non eſſe *Angeli cum æternitate.* 139.21
Deus quomodo præſens viatoribus? 116.10
Deus quomodo ſit ſingularis! 324.11
Deus quo ſenſu dicatur aliquid facere! 3. 2
Deus ſecundum aduerſarios neceſſariò prædeſtinaret. 517.7
Deus, ſi alicubi non eſſet, an ibi ageret? 608.17
Deus ſi immediatè concurreret ad actus noſtros, libertatem tolli arguitur. 990.1.in text.
Deus ſi immediatè concurreret ad actus noſtros, tolleretur contingentia. 991.2
Deus tot animas poteſt creare in vna hora, ac in tempore infinito, ſi daretur. 51.20
Dei æqualitatem appetere quid ſit! 838.col.2
Deo eſſe æqualem quomodo includat rationem entis aut voluibilis! 519 5
Deum eſſe cauſam defectuum peccati. 989.18
Deum eſſe cauſam actus ſubſtrati malitiæ. 980.1
Deum Manichæorum eſſe figmentum. 986.13
Deum non cauſare ſubſtratum peccati, arguitur. 980.3
Deum non concurrere immediatè ad volitionem noſtram authoritate ſuadetur. 994.5
Deum non eſſe an quis appetere poſſit! 543.13
Deum non eſſe poſſitnè quis appetere! 543 13
in Deo non eſt noua relatio realis. 91.9
de Deo quæ dicuntur, quomodo ſint tranſcendentia! 68.1
de Deo quod dicatur formaliter non eſt in genere. 67.15

D I

Diabolus *quare fœminam prius tentauerit!* 827. *A & quare in aliena forma venerit?* *ibid. B.*
Diabolus quomodo in potentia remota ad meritum? 570 17
Diabolus ſummum malum, & quomodo? 1002.19
Diaboli peccatum quale. 544.14
inter Diabolum & meritum non eſt repugnantia intrinſeca. 570. 8
Diameter *quid ſit?* 43 .13
Differentia *formalis poteſt accipi duobus modis.* 428.2
Differentia indiuidualis excludit omnem ambiguitatem. 411 11
Differentia indiuidualis non dicit negationem. 378.12
Differentia indiuidualis quo ſenſu accidens naturæ. 406 21
Differentia omnis formalis non ideò eſt ſpecifica, quia non formalis non eſt ſpecifica. 4 7.2
Differentia omnis formalis ſpecifica. 396.5
Differentia per differentias formales aliqua habent idem genus. 344.29
Differentia propriè quæ dicantur! 556.66
Differentia, quam ponit D. Thomas inter hominem & Angelum quoad diſcurſum, refutatur. 563.7
Differentia ſi includeret genus, in definitione eſſet tautologia. 408.12
Differentia ſpecifica ad quæ comparetur. 407.11
Differentia vltima quomodo primo diuerſa ab alia. 408 13.
Differentiæ indiuiduales contrahunt naturam hominis. 345.13
Diff rentiæ indiuiduales ſunt primò diuerſæ. 410.6
Differentia quales habent conceptum ſimpliciter ſimplicem! 412.14
Diluuium *non accidit naturaliter.* 782.8
Diluuium non peruenit ad Paradiſum. 789.4
Diſcurſus *ſupponit notitiam illius, ad quod diſcurritur* 459.5
Diſpoſitio *eſt duplex.* 571.3
Diſtincta *realiter eſſentialiter diſtinguntur.* 115.7
Diſtinctio *eſſentialis dupliciter poteſt accipi.* 76.5

Index rerum.

Diſtinctio eſſentialis quid propriè reſpiciat. 62.2
Diſtinctio exiſtentiæ ſupponit diſtinctionem eſſentiæ. 379.1
Diſtinctio ex natura rei quid propriè reſpiciat. 62.2
Diſtinctio formarum aliud eſt, & aliud Diſtinctio formalis. 426.7
Diſtinctio in priori infert diſtinctionem in poſteriori, non è contrà. 469.8
Diſtinctio per intrinſeca duplex. 69.8
Diſtinctio rationis quæ dicatur. 75.& 1.& *quæ ex natura rei,& formalis.* ibid.2
Diſtinctio realis quatuor modis inueſtigatur. 79.14
Diſtinctio realis vnde colligatur. 145.3
de Diſtinctione formali. 772.17
Diſtingui *aliqua æqualiter, intelligi poteſt dupliciter.* 408 14
Diuerſum,& *differens quomodo differant.* 356.67
Diuerſa primò quænam dicantur. 355. 64. 356.67. 343 26
Diuerſa ſpecie quæ dicantur. 356.66
Diuerſa primò aliqua eſſe poteſt intelligi dupliciter. 343 2)
Diuidi *eſt quædam imperfectio.* 376.3
Diuidi in plura genera ſimpliciter repugnat animali. 377.4
Diuidi *non magis conuenit maximo, quàm minimo.* 239 17
Diuiſibile *ſecundùm illam dimenſionem, ſecundùm quam eſt diuiſibile, non poteſt eſſe immediatè applicatum alicui, vt continens ipſum.* 192.7
Diuiſibilitas *duobus modis ſumi poteſt.* 276.33
Diuiſibilitas quo ſenſu conueniat, vel non conueniat ſpeciei. 414 18
Diuiſibilitatis & diſtinctionis non eſt idem principium. 415.19

D O

Dœmon *probabiliter poteſt habere actum bonum ex genere, licèt eo non vtatur.* 577.24
Dæmonis voluntatem ceſſare poſſe à malo. 575.23
Dæmonem nolle pœnam quomodo non malum eſt. 575.22
Dæmonem non poſſe inclinari ad malè operandum ſemper per habitum. 575.23
Dæmones non generant, ſed ipſorum opera naſcitur proles. 587.5
Dæmonum peccata non ſunt demeritoria, & quare. 579 28
Dæmones non poſſe habere actum bonum moralem negantes impugnantur. 575.22
Doceri quid ſit. 655.5
Doctor *quare pro nunc non poſſit cauſare in diſcipulis ſcientiam.* 658.8
Dominium *ſecundùm diuerſas complexiones eſt in appetitu cognitiuorum ad diuerſa.* 537.6
Donum *aliquod perfectius charitate poſſet dari quoad ſedandam rebellionem.* 928.28
Donum particulare infundebatur parti ſenſitiuæ. 926 15
Donum tollens rebellionem eſt quo redditur Deus delectabilior voluntati, quàm vllum obiectum delectabile. 925 9.*quantùm eſt ex parte voluntatis eſt aggregatum ex virtutibus intellectualibus.* 926.11

D V

Durare *aliquid magis contingit dupliciter.* 159.11
Duratio *maior non facit maiorem perfectionem.* 159 11

E A

EAdem *formaliter aliqua eſſe, dupliciter intelligi poteſt.* 409.3

E C

Eccleſia *dirigit orationem ad vnam perſonam actu,& non ad alias.* 1066.2
Eclipſis *quare quandoque diutiùs duret.* 730.4

E D

ly Eden *æquinocum in ſcriptura.* 793.10

E F

Effectus *gratiæ,& charitatis idem.* 907.3
Effectus idem numero non petit eandem numerò cauſam. 822.3
Effectus idem numero non poteſt dependere à duabus cauſis totalibus. 350.49
Effectus idem poteſt eſſe à cauſis diſtinctis genere, vel ſpecie. 439.12
Effectus non eſt priùs à cauſa prima quàm à ſecunda. 997.15
Effectus quandoque perfectior ſua cauſa partiali. 481.17
Effectus viſibilis non eſt eiuſdem rationis in medio, & organo. 608.17
Effectus identitas quomodo non poſſit eſſe à pluribus cauſis. 865.10
Effectum deſtruens non ideò deſtruit eius cauſam contingentem. 981.4
in Effectum potens, poteſt eum producere in quodcunque receptiuum proportionatum. 604.15
Effectu datur aliquid prius, quod non ſit cauſa eius, ſed aliquid, ſine quo non. 883.19
Effectus non ducunt in cognitionem Deitatis. 451.7
Efficiens, & *agens quomodo diſtinguantur.* 882.17
Efficiens vnum primum datur. 723.3

E L

Electio *duplex.* 529.4
Electio quæ ſit impoſſibilium. 528.4
Electio voluntatis quomodo dicatur electio. 845.4
Elementum *quomodo dicatur manere in mixto.* 755.6
Elementum vnum poteſt eſſe quaſi ratio ſeminalis mixti. 805.11
Elementa quomodo non maneant in mixto. 757.1
Elementa ſecundùm ſe tota, iuxta Philoſophum, ingenerabilia,& incorruptibilia, mixta non ſic. 308.11
Elenchus *eſt contradictio ſecundùm idem, ſimiliter eodem tempore,& cùm aliter ſit, eſt ignorantia Elenchi.* 214.5
Elenchus verus quid ſit. 216.5

E N

Enoch,& *Elias tranſlati ad Paradiſum.* 793.11
Ens *dicit vnum conceptum.* 370.28
Ens in ſua latitudine ſumptum eſt vnum obiectum intelligibile numero. 362.1
Ens niſi ſit vniuocum creato, & in creato, intellectus non habet obiectum adæquatum vnius rationis. 864.7
Ens per accidens non recipit vllius prædicabilis prædicationem. 385.7
Ens per ſe vnum quid ſit. 673.13
Ens omne habet rationem intelligibilis. 642.13

Index rerum.

Ens quando diuiditur per quantum, & non quantum, diuiſio eſt Theologica. 68.2
Ens quodlibet ſequitur vnitas propria. 384.6
Ens rationis vnum non eſt perfectius alio. 350.48
Entia abſoluta, & reſpectiua quæ ſint. 205.17
Entia naturalia ſecundùm graue, & leue ſunt actiua. 310.8
Entia omnia ſunt ad aliquid denominatiuè, non quidditatiuè, & formaliter. 95.115
Ex Entibus duobus in actu non poteſt fieri vnum, quomodo intelligendum. 689.19
Entitas *aliqua poſitiua an ſit in ſubſtantia generabili, & corruptibili, realiter diſtincta à forma.* 664.1. *& ſeq.*
Entitas indiuidualis quæ ſit, & an ſit de ſe hæc. 413. *col.* 1. *in com.*
Entitas quantò perfectior, vnitas conſequens tantò erit perfectior. 337.2
Entitas ſpecifica dicitur formalis, & indiuidua materialis, & quare. 408.13

E Q

Equinitas eſt tantùm equinitas *explicatur.* 104.28
Equinitas non eſt de ſe vniuerſalis, nec particularis *falſa propoſito.* 344.31
Equinitas quomodo ſit ſingularis. 344.30

E S

Eſſe *ad aliquid contingit tripliciter.* 102.141
Eſſe *bis poteſt haberi ab eodem, quomodo.* 157.5
Eſſe *Dei ſi penderet a creatura, nulla creatura per poſſibile, vel impoſſibile, exiſtente, Deus non eſſet.* 10. 8 *in comm.*
Eſſe *diuini ordinis nobilius eſt* eſſe *naturali.* 177.15
Eſſe *eſſentiæ & exiſtentiæ ſunt idem realiter.* 380.1
Eſſe *eſſentiæ quomodo differat ab exiſtentia, & quomodo non.* 359.6
Eſſe *eſſentiæ realiter exiſtens non differt ab ipſa exiſtentia, benè tamen quoad* eſſe cognitum. 55.9
Eſſe *exiſtentiæ quid ſit.* 688.17
Eſſe in *nullam habitudinem eſſentialem dicit neceſſariò ad aliud, in quo eſt*, eſſe *autem* ab *dicit dependentiam eſſentialem ad illud, à quo eſt aliquid.* 218.3. *& 2*
Eſſe *primum forma ſubſtantialis generabilis menſuratur ævo, ſed comitatur* mutatum eſſe *terminans motum diſpoſitionis, quod menſuratur* nunc *temporis.* 172.12
Eſſe *quale eſt a forma.* 697.7
Eſſe quod nequit ſine alio, nec eſt poſterius eo, eſt idem ei realiter. 73.21
Eſſendi in *eiuſdem modi plura poſſunt eſſe ſimul.* 218.3
Eſſentiale *non eſt ſub omni reſpectu prius notionali.* 27. 23
Eſſentialia in diuinis ſunt in duplici differentia. 28. *col.* 2
Eſſentia *Dei, ſecundùm Henricum, nata eſt tantùm facere vnum conceptum realem.* 448.4
Eſſentia diuina eſt actus primus, & principaliter concurrens ad productionem Spiritus ſancti. 20.26
Eſſentia diuina eſt communicabilis, non poteſt tamen diuidi 424.4
Eſſentia diuina eſt entitas abſolutiſſima. 86.43
Eſſentia diuina eſt infinita radicaliter, & formaliter, ex ſe, à ſe, & per ſe. 23.34
Eſſentia diuina eſt prior attributis. 249.23
Eſſentia diuina eſt prior natura proprietatibus hypoſtaticis. 19.22
Eſſentia diuina eſt ratio intelligendi ſe, & omnes creaturas intuitiuè. 472.5
Eſſentia diuina eſt ratio magis principalis producendi Spiritum ſanctum, quàm voluntas. 562.5
Eſſentia diuina eſt ſimpliciter ratio eſſendi. 157.3
Eſſentia diuina, & intellectus in Patre ſunt memoria perfecta. 22.34
Eſſentia diuina ex ſe ſola communicabilis. 372.36
Eſſentia diuina poteſt intelligi ſine relatione. 80.19
Eſſentia diuina quomodo communicetur. 28. *col.* 1
Eſſentia diuina quomodo contineat creaturam. 86.41
Eſſentia diuina quomodo contineat relatiua. 63.6
Eſſentia diuina quomodo ſit in tribus perſonis. 884.2
Eſſentia diuina quomodo ſit obiectum adæquatum motiuum. 850.2
Eſſentia diuina ſola poteſt omnia repræſentare. 486.22
Eſſentia eſt ratio partialiter ſpirandi ſpiritum ſanctum, vt cognita, & amabilis. 20.26
Eſſentia hominis quomodo prior exiſtentia eiuſdem. 359.4
Eſſentia hominis ſicut ab æterno habet eſſe *poſſibile præciſè, ita exiſtentia in* eſſe *poſſibili præciſè conuenit eſſentiæ hominis.* 358.4
Eſſentia idem realiter quod exiſtentia. 38.7
Eſſentia poteſt accipi multipliciter. 76.5
Eſſentia quomodo communicetur tribus ſuppoſitis. 377.6
Eſſentia quomodo moueat intellectum diuinum. 12 10
Eſſentia quomodo ſit eadem cum exiſtentia. 359.5
Eſſentia ſola eſt primus terminus formalis generationis diuinæ. 20.25
Eſſentia, & exiſtentia eſſe *ſunt idem realiter.* 766. *in com.*
Eſſentiam diuinam eſſe primum obiectum intellectus diuini, quomodo intelligat Scotus. 12.13
Eſſentiam totam anima complecti, poteſt intelligi dupliciter. 767.2
de Eſſentia alicuius aliquid eſſe poteſt dupliciter intelligi. 369.25
de Eſſentia Angelica. 777.8
de Eſſentia omnia originantur. 100.139
Eſſentias diſtingui ſpecie, an ſint, quarum potentiæ diſtinguuntur ſpecie. 113.6
per Eſum *ligni vitæ non reſtauraretur perfectè quod perderet natura.* 812.4

E X

Excellentia *duplex.* 546.1. *& 2*
Exceſſus *triplex potuit eſſe in appetitu Beatitudinis.* 540.9
Exiſtentia *Angeli non poteſt eſſe menſura ſui ipſius.* 156.1
Exiſtentia an ſit gradus intrinſecus. 358.3
Exiſtentia diſtinguit vltimatè. 381.6
Exiſtentia, & eſſentia poſſunt conſiderari multipliciter. 358.3
Exiſtentia hominis non includit alias differentias. 380.2
Exiſtentia quomodo vltimus actus. 830.3
Exiſtentia vna quo ſenſu poſſit eſſe menſura alterans. 163.1
Exiſtentiæ conditiones quæ ſint. 49.2
Exiſtentiam Angeli, & menſuram eius eſſe inſeparabiles, & tamen diſtingui realiter, non ſtant ſimul. 146.7
in Exiſtentia actuali Angeli an ſit aliqua ſucceſſio formaliter. 124.1 *& ſeq.*
in Exiſtentia Angeli non oportet ponere aliquam menſuram intrinſecam aliam à natura rei menſuratæ. 156.1
Expoliatio *quomodo data ſit homini.* 814.6

F A

Facere *quid ſit.* 1. *A*
Factibile *à ſolo Deo, ab eodem ſolo deſtruibile.* 981.4
& Factum eſt veſpere, & mane dies vnus, *qualiter diſtin-*
gui

qui debeat. 700.D
Fallacia *conſequentis quæſt.* 154.18

F E

Ferrum *infixum corpori quare non poſſit extrahi ab infigente.* 564.10

F I

Fides *eſt duplex.* 906.1.*in com.*
Fieri *in alio puncto immediatè poteſt multipliciter intelligi.* 297.20
Figura *manifeſtatiua ſpeciei.* 257.28
Filius *eſt ab eſſentia,vt principio* quo, *à Patre vt principio* quod. 24.35
Filius generatur continuè,id eſt,natiuitas eius ſempiterna eſt. 156.3
Filius impropriè dependet ab eſſentia. 861.2
Filius in diuinis quomodo dependeat à Patre. 65.13
Filius quomodo non producatur de lapide. 861.2
Filius reprobi qui nunc eſt,fuiſſet electi filius,ſi innocentia perſeuerajſet. 822.3
Filij perſona a ſola eſſentia habet perfectionem infinitam. 20.25
Filij in ſtatu Innocentiæ creuiſſentne in corpore, & ſcientia ſicut modo. 825.*in text.*
Filij procreati in ſtatu naturæ innocentiæ an fuiſſent ſtatim confirmati in iuſtitia. 818.1
Filios Adæ eſſe debitores iuſtitiæ originalis. 957.9
Finitum *nullum poteſt vnitiuè includere perfectionem charitatis.* 852.9
Finitum poteſt repræſentare infinitum. 456.13
Finiti ad infinitum quomodo nulla ſit proportio. 461.13

F L

Fluxus *alicuius formæ de neceſſitate menſuratur tempore, dum ſucceſſiuè acquiritur.* 173.1
Fluxus, & refluxus maris cuinam ex cauſis cœleſtibus adſcribendi. 738.10
Fluxus & refluxus maris per quid fiant. 740.12
Fluxus maris irregularis cauſa quæ. 739.3
Fluxus maris tardioris,& celerioris quæ cauſa. 739.4
Fluxus & refluxus varietas in diuerſis locis vnde oriatur. 740.12.
in fluxu,& refluxu maris quanta varietas. 738.10

F O

Fœmina *quare non differat ſpecie à viro.* 430.7
Forma *an ſit de eſſentia materiæ.* 695.40
Forma cauſa principalior aſſimilationis eſt diſtinctionis geniti. 429. 22. *eſt ratio diſtinguendi principaliter.* 421.2
Forma duplex. 678.7
Forma ignis per Dei potentiam poſſet eſſe ſine compoſito, & ſine materia, & ſic propria productione produci. 249.24
Forma illuminans lunam non eſt lux. 711.6
Forma naturalis non ſubeſt creaturæ ſecundùm inclinationem naturalem. 476.14
Forma non generatur ſed compoſitum. 884.
Forma omnis denominat ſubiectum,cui inhæret. 716.27
Forma omnis, quæ quantùm eſt ex parte ſua,nata eſt acquiri per motum, licèt actu non acquiratur,menſuratur tempore,& quali. 186.65
Forma omnis quomodo non menſuretur tempore. 174.7
Forma oppoſita ſpeciei qua ſit. 717.28
Forma perficiens quomodo perfectior perfectibili. 230.14
Forma quæ menſuratur tempore,qua ſit. 174.7
Forma quare dicatur actus entitatiuus,& etiam materia. 674.8.
Forma quid ſit. 690.20
Forma quomodo contineat materiam. 203.9
Forma quomodo dicatur eſſe ad ſe. 90.96
Forma quomodo ſit poſterior materia. 690.23
Forma quomodo producatur. 786.2
Forma quomodo ſit verè indiuiduum. 248.20
Forma ſeparata à materia quomodo habeat totam perfectionem ſpeciei. 427.10
Forma vna tantùm eſt in Sole. 474.13
Forma caſus eſt duplex. 678.7
Formam ſeparabilem eſſe à materia. 698.10
Formæ, ſecundùm quam poteſt eſſe ſucceſſio in motu, nulla pars eſt inducibilis, ſed qualibet ante aliam. 280. 55. *Contra quam concluſionem variè arguitur. ibid. & 281 per totum.argumentum ſolutiones habentur.* 282.63.& 64.& *ſeq.*
Formæ perfectiores,& imperfectiores quæ ſint. 117.13
Formæ ſubſtantiales an ſuſcipiant magis,& minùs. 752.2
Formæ ſunt ſicut numeri *explicatur.* 427.8
de Formalitatibus *doctrina pulcherrima,& breuis.* 175.1

F R

Fractionis *radij quæ cauſa.* 712.17
Frigefactionis *aquæ quid ſit principium.* 777.8
Frigus *intendendum nullum habet* eſſe *ſimpliciter, licèt habeat primũ in* eſſe *quieto,& concluſio eſt Scoti.* 287 81.*contra quam arguit quibuſdam obiectionibus ibid.& ſeq.quæ ſoluuntur.* 288.82.& *ſeq.*
Fruitio *in patria & in via quomodo differant.* 116.10

F V

Fuiſſe,eſſe,& fore *in Angelo,quoad ſe.* 139.21

G E

Generans, & *genitum quomodo non conueniant.* 341.16
Generans ſeclusò omni accidente diſtinguitur à genito. 392.14
Generatio *ſit in inſtanti, nec inconueniens videtur ſubſtantiam generari in tempore.* 247.17
Generatio in creaturis quomodo dicat mutationem. 54.4
Generatio poteſt eſſe abſque contradictione,ſine corruptione,& latio ſine perditione loci. 215.4
Generatio quando præmittitur, tunc præceſſit corruptio. 52.20
Generatio quomodo ſit mutatio totius in totum. 666.7
Generatio quomodo ſit perpetua. 430.9
Generatio quomodo terminetur ad ſingulare. 386.3
Generatio vnius quomodo corruptio alterius. 56.12
Generationem licèt Philoſophus dixerit eſſe ad ſaluandum eſſe *diuinum,alia tamen eſt cauſa magis pracipua.* 428.11
in Generatione,quæ eſt à priuatione ad formam,includitur nouitas. 50.16
Genitus *miraculoſe ſine congreſſu non contraheret originale.* 947.5
Genus *& differentia dicunt alium conceptum.* 412.12
Genus non prædicatur per ſe de differentia. 366.15
Genus quid ſit. 344.29
Genus ſibi determinans, determinat ſibi ſpeciem. 682.4
Genus phyſicum quid ſit. 642.12

Index rerum.

I D

Ideæ *diuinæ non repræsentant contradictoria.* 493.11
Idea practica quomodo non dentur in Deo. 9.7
Ideæ practicæ, secundùm Henricum, non sunt in intellectu Patris, sed Filij. 7.7
Ideæ quomodo ponantur. 601.3
Ideæ quomodo ponantur in intellectu diuino. 15.20
Idem *essentialiter aliqua sunt dupliciter.* 77.7
Idem realiter quæ dicantur. 79.15
Identitas *essentialis potest multipliciter contingere.* 77.7
Identitas omnis multipliciter inferri potest ratione contradictionis. 62.2
Identitas rationis, ex natura rei, & formalis quæ. 75.1 & 2
Identitas realis quæ sit, & propriè sumpta super quo fundetur. 79.14
de Identitate reali supposita quadam. 144.2

I G

Ignis *cur indigeat pabulo.* 737.7
Ignis potest habere aërem pedalem propinquum, secundùm quantitatem, licèt nulla pars aëris illius sit aquè immediatè propinqua igni pedali. 279.50
Ignis quomodo corrumpat formam aquæ. 157.6
Ignis quomodo non possit calefacere lignum. 609.1
Ignis si possit inducere primam partem motus, & simul non posset inducere æqualem, an tunc motus componeretur vel ex mutationibus immediatis, vel ex mutationibus & quietibus. 275.31
Ignis si possit inducere aliquod primum in motu immediatè, an vera propositio. 273.25. *& seq.* 274. *per totum.*
Ignis elementum non residet in centro mundi. 736. 4. *varia de eo sententia. ibid. residet in concauo Lunæ ibidem.*
Ignorantia *accipitur dupliciter.* 845.1
Ignorantia facti quid. 845.2
Ignorantia quæ fuit in peccato Adæ. 844.3
Ignorantia quomodo dicatur esse in aliquo. 818.1

I L

Illuminans *quomodo disponat ad videndum aliquid in verbo.* 632.25
Illuminari *nemo potest, nisi aliquid in se recipiat.* 603 14
Illuminatio *est terminus alterationis.* 320.7
Illuminatio in Angelo quæ sit. 633.1
Illuminatio non est terminus motus localis. 322.18
Illuminatio quid sit. 632.25
quod Illuminatur *an sit tenebrosum.* 632.26

I M

Imaginabile *non est medium inter sensibile, & intelligibile.* 490.7.637.31
Imago *duplex.* 450.1. *dupliciter accipitur.* 456.15
Imaginis partes quomodo æquantur quoad obiecta. 470 10
Immediatum *potest accipi dupliciter.* 267.35.288.84
Immensitas *quid sit.* 472.6
Immortalitas *animæ non potest demonstrari via naturali.* 787.6
Immortalitas capitur duobus modis. 810.1
Immortalitas status innocentiæ in quo consistebat, & vnde proueniebat proximè. 927.13
Immortalitas primi status qualis. 923.5
Immutari *quid sit.* 265.31.268.5
Immutatio *est primum* non esse *alterationis.* 265.31
Imperfectio *nulla repugnat alicui nisi propter perfectionem.* 374.2
Imperfectum non causat sufficienter perfectius se. 804.9
Imperfectius non potest esse ratio cognoscendi perfectius. 600.1
Impossibile *maius non est dandum ob minus impossibile.* 26.20
ex Impossibili sequitur quodlibet. 49.3
Impossibilia plura sequi possunt ex vno impossibili. 179 24
Impressiones *à quo generentur.* 740.5

I N

Inclinatio *naturalis non est actus elicitus.* 541.10
Inclinatio non indiuiduat absolutum. 423.4
Indifferentia *duplex, & quid sit.* 361.1
ex Indistinctione *relationis à fundamento quatuor inferuntur absurda.* 60.5
Indiuiduum *an magis compositum quàm natura.* 414.16
non est simpliciter simplex. ibid.
Indiuiduum nullum est mensura cæterorum eiusdem speciei. 336.3
Indiuiduum quando recipit prædicationem in quid *naturæ in communi, recipit tantùm ratione naturæ contractæ.* 367.20
Indiuiduum quodlibet superioris speciei est perfectius quolibet indiuiduo inferioris speciei. 110.3
Indiuiduum quomodo constituatur. 378.13
Indiuiduum vagum qui cognoscit, determinatum potest cognoscere. 602.12
Indiuidui ratio explicatur. 383.3
Indiuidua accidentia non possunt per se existere. 243.2
Indiuidua actu existentia si tantùm essent mille, quot essent naturæ actu contractæ in reali actuabilitate. 367.21
Indiuidua duo an possint concurrere ad eundem effectum. 641.11
Indiuidua duo eiusdem speciei realiter non possunt comparari ad inuicem. 359.8
Indiuidua quomodo conueniant in specie. 410.4
per Indiuiduationem *quid intelligatur.* 385.1
Indiuisibile *an possit moueri.* 292.6
Indiuisibile in se quantùm ad suũ esse *existentiæ non certificatur per diuisibile, sed benè certificari potest quantùm ad eius durationem.* 178.19
Indiuisibile nullum contingit moueri. 150.5
Indiuisibile potest mensurari mensura diuisibili. 132.15
Indiuisibile quid sit secundùm aliquos. 256.27. *& quid instans, & punctus secundum eosdem. ibid.*
Indiuisibile quomodo immediatum parti, vel è conuerso. 267.35
Indiuisibile quo sensu per se terminet. 147.5
Inesse *alteri contingit dupliciter.* 88.50
Inexistens *alteri nihil potest per se stare, falsa propositio.* 249.20
Inferius *idem est formaliter superiori.* 75.2
Infinitas *numeralis indiuiduorum non est impossibilis successiuè.* 56.13
Infinitum *formaliter nihil est, quod per identitatem non est Deus.* 20.26
Infinitum intensiuè accipitur hîc dupliciter. 247.16
Infinitum esse secundùm locum quid sit. 129.9
Infinitum in actu quis teneat posse dari. 55.11
Infinita sunt ab arte relinquenda, *quomodo intelligendum,* 418.11
Ingeniosior *tot eget speciebus, quot tardior.* 486.21
Inhærentia *duplex.* 69.5

Index rerum.

G R

Gradus *intrinſecus rei non variat rationem formalem eius.* 179.21
Gradus ſpecificans, & indiuidualis in quo differant. 109.1
Gratia *an ſit virtus.* 906.1.*in tex.*
Gratia duo facit. 901.3
Gratia, & charitas an diſtinguantur. 907.4
Gratia & charitas quomodo differant. 907.4
Gratia non eſt intenſibilis in infinitum. 174.28
Gratia omnis eſt charitas, non è contra. 907.4
Gratia operans quæ ſit, & quæ cooperans. 503.*D.*
Gratia quid dicatur. 907.4
Gratia quomodo perficit animam. 899.6
Gratia quomodo radix omnium bonorum. 898.1
Gratia ſanctificans multorum pro hoc ſtatu eſt intenſior, quàm aliquorum pro ſtatu innocentiæ. 924.6
an Gratia ſit in eſſentia animæ, vel in potentia. 897.1 *& ſeq.*
Gratia vt condiſtincta à iuſtitia originali, perfectior, & imperfectior eſt illa, diuerſo modo. 952.13
Gratiæ, & charitatis effectus idem. 907.3
ad Gratiam ſe non diſponentem faciendo opera præcepta, peccare durum eſſet. 912.4
Gratiam ſufficientem dari ad omne præceptum adimplendum. 1005.24
de Gratia perfecta, & imperfecta fruſtrà ponitur fugà. 512.5
Gratificare *non eſt agere.* 900.7
Gratificari *poteſt accipi dupliciter.* 901.2
Gratuitorum *ſpoliatio per peccatum in quo conſiſtat.* 929 21
Graue *an moueatur primò primitate cauſalitatis præcisè* 314.14
Graue cur frangat illud cui ſuperponitur. 306.7
Graue eſt in perfecta potentia obedientiali ad Deum. 478.5
Graue mouet ſe effectiuè. 312.
Graue mouet ſe primo, & quâ primitate. 314.14
Graue non mouet vnam partem ſui per aliam. 308 10
Graue per ſe mouet leue ſibi annexum. 306.6
Graue poteſt moueri ab aliquo agente, quod tamen nec ſe toto, nec ſecundùm aliquam partem eſt æquè propinquum agenti, ſed tantùm ſecundùm punctum. 280.53
Graue prius cauſat effectum in ſe, quam in alio. 307.8
Graue quomodo non moueat ſe. 313.19
Graue reſpectu vbi *principium actiuum æquiuocum.* 307.8
Grauia à quibus moueantur. 305.3
Grauia, & leuia quare moueantur in ipſorum loca. 313.18 316.5
Grauia & leuia quomodo poſſint mouere ſe. 311.11
Grauia & leuia quomodo ſint principia agendi, & patiendi. 310.10
Grauia ſe mouere ratione oſtenditur. 306.5

G V

Guttæ *vltima virtute præcedentium cauantium lapidem, anfert aliquam partem, & quomodo.* 265.32 2673

H A

HAbitus *non generatur in naturaliter inclinatis.* 484 18
Habitus non magis repræſentat exiſtentiam, quàm non exiſtentiam. 437.7
Habitus quomodo generetur ex actibus. 1036.3
Habitus quomodo reducat intellectum ad actum, ſecundùm Henricum. 467.4
Habitus virtutum infunderentur paruulis pro ſtatu innocentiæ. 926.11
Hæcceitas, *& natura quomodo differant.* 365.12
Hæcceitas quomodo accidens naturæ. 394.19
de Hæcceitate actu contrahente naturam aliud eſt loqui, & aliud de illa non contrahente. 367.20
Hæreſis *Pelagianorum quæ ſit.* 908.*A.*

H O

Homo *ab æterno habet eſſe obiectiuum.* 358.4
Homo an ſit magis homo à maſculo, quàm à fœmina. 120 27
an Homo ante lapſum nouerit Deum diſtinctè. 454.8
Homo eſt vnum obiectum intelligibile. 362.2
Homo fortaſſis pro ſtatu innocentiæ aliquam diſplicentiam pateretur in parte ſenſitiua. 927.12
Homo habuiſſetnè in ſtatu innocentiæ notitiam diſtinctam abſtractiuam Dei. 459.6
Homo in communi quomodo ſit compoſitus. 402.2
Homo operari poſſet facilè ſine vllo dono ex parte ſenſitiuæ partis. 926.12
Homo peccans poſſetnè differre à non peccante abſque ablatione vllius qualitatis. 922.4.*in comm.*
Homo peccator, & homo in puris naturalibus quomodo differant. 928.27
Homo poteſt comparari ad tria. 104.147
Homo primus ſi inficeret ſuam carnem, idem eſſet de aliis peccantibus. 947.6
Homo prius determinatus eſt ad beatitudinem, quàm ad generari ab hoc vel illo homine. 822.2
Homo productus ab alio homine magis habet vnitatem ſpecificam ab ipſo Deo, quàm ab homine. 120.26
Homo qualem rectitudinem haberet in ſtatu naturæ puræ. 927.16
Homo quando ſupponat perſonaliter. 346.37.347.40
Homo quomodo conſtituatur. 412.13
Homo quomodo dicatur factus in animam viuentem. 807.*A*
Homo quomodo menſuret omnia animalia. 338.5
Homo quomodo pro ſtatu iſto non concurrat ad ſpeciem ſenſibilem. 659.1
Homo quot modis fuerit tentatus. 828.*D*
Homo, vel Angelus cuius iuſtitiæ debitor. 518.11
vox homo *vt ſæpiùs prolata dicitur eadem numero, ſic loca in eodem ſpatio ſuccedentia dicuntur idem numero, ſcilicet per æquiualentiam.* 193.9
Hominis eſſentia poteſt conſiderari in duplici eſſe. 359.4
Hominis eſſentia quomodo prior ſua exiſtentia. 359.4
Hominis exiſtentia poteſt annihilari. 358.2
Hominis ſtatus triplex. 810.1
Hominis voluntas quid poſſit per ſe, & per gratiam. 872.*Q.*
Hominem primum habuiſſe virtutes Sanctorum teſtimoniis affirmatur. 918.*B.*
Hominem ſine gratia poſſe vitare peccatum, ſed non reſurgere à peccato. 915.7
Homines in ſtatu Innocentiæ naſcerentur per propagationem carnalem. 825.1
Homines primi carnerunt rebellione. 924.7
Homines quomodo naſcerentur in ſtatu iunocentiæ. 826.2

H V

Humanitas *non eſt ratio diſtinguendi.* 429.3

Index rerum.

Inharentia non eſt eſſentia accidentis. 69.6
Inharentia ſi eſſet ipſum accidens, quid ſequeretur. 60.5
Iniquus, *habet à ſe voluntatem malam, à Deo verò poteſtatem iuſtè accepit.* 556.1
Innocentia *accipitur tribus modis.* 810.1
Innocentia & peccatum quomodo opponantur. 512.1
Innocentia vniuerſali ſtante non eſſet corruptio defectu alimenti. 812.6.813.6. *nec corruptio ab extrinſeco continente ibid. nec violentia.* *ibid.*
Inſeparabile *aliquid eſt ab alio dupliciter.* 74.22
Inſeparabile eſſe aliquid ab alio, poteſt dupliciter intelligi. 97.123
Inſtans *cui, ſecundùm Henricum, corrumpitur per quoddam inſtans temporis.* 130.12
Inſtans, cum ſit indiuiſibile, quomodo caufetur in inſtanti. 159.12
Inſtans eſt terminus finiti. 147.6
Inſtans idem manere toto tempore, non eſſe de mente Philoſophi. 147.4
Inſtans omne eſt initium, & finis temporis, & quia non datur primum, vel vltimum nunc, *& idem eſt de* mutato eſſe *in motu.* 148.6
Inſtans primum inter non eſſe *&* eſſe *formæ inducendæ ſi non eſſet, inter contradictoria eſſet medium.* 267.35.270 13
Inſtans primum naturæ, in quo primus ordo originis. 16 13. *& ſecundum, in quo ſecundus.* *ibid.* 14
Inſtans temporis eſſe quid poſitiuum probatur. 258.3
Inſtans vnum tantùm ſecundùm ſubſtantiam, diuerſum tamen ſecundùm eſſe. 149.1
Inſtanti in tempore quid immediatè ſuccedat, oſtenditur. 259.29
Inſtans ſui non eſſe, *& primum inſtans ſui* non eſſe, *differunt.* 135.
in Inſtanti aliquo, in quo per mutationem ſubitam inducitur aliquis gradus frigoris incompoſſibilis calori, in illo primo calor non eſt, & vſque ad illum calor fuit. 283.73 *contra quam Scotus variè obiicit. ibid. & ſeq. & obiectiones ſoluuntur.* 286.75. *& ſeq.*
Inſtrumentum *non agit niſi vt motum.* 770.16
Intellectio *aliqua poteſt ineſſe Angelo præciſè cum aliquo inſtanti temporis noſtri, & poſt illud inſtans poteſt habere aliam intellectionem immediatè.* 172.13
Intellectio *Angeli ævo menſuratur.* 170.8
Intellectio Angeli, & hominis quomodo ſit eadem ſpecie. 118.17
Intellectio Angeli poteſt intendi, & remitti. 184 59
Intellectio Angeli quomodo poſſit durari. 174.8
Intellectio Angeli ſi menſuraretur ævo, quid fieret. 168.7
Intellectio concurratne ad volitionem. 887.21
Intellectio dependet ab intellectu, & obiecto. 120.25
Intellectio dicitur operatio. 861.1
Intellectio duplex. 532.8
Intellectio eſt de genere permanentium. 169.1
Intellectio eſt prior volitione. 1055.10
Intellectio immediatè perficit intellectum. 9.8
Intellectio in quo immediatè recipiatur. 6010.3
Intellectio quid ſit. 485.3
Intellectio vna perfectior alia. 473.9
Intellectionem producere contingit dupliciter. 485.1
Intellectiones eiuſdem non habere præciſè ſimiles menſuras, inconueniens. 170.6
Intellectiones quomodo dependeant ab intellectu. 120.25
Intellectiones quomodo diſtinguantur ſpecie. 169.4
in Intellectionibus an ſit ſucceſſio. 170.6
Intellectualitas *Angeli, & hominis anima an ſit eiuſdem rationis.* 112.5. *& an idem ſit dicendum de viſu aquilæ & bouis.* 112.5
Intellectus *agens & poſſibilis in Chriſto.* 489.5
Intellectus agens, phantaſma, & obiectum quo ordine concurrunt ad notitiam. 439.12
Intellectus an agat per modum naturæ. 890.2
Intellectus Angeli, & animæ quomodo poſſint eſſe eiuſdem ſpeciei. 114.4
Intellectus Angeli quomodo non cognoſcat infinita. 247.17
Intellectus Angelicus an intelligat ſingulare. 596.2
Intellectus Angelicus nunquam eſt in potentia ad actum. 435.2
Intellectus cogitur ab obiecto, voluntas non. 578.27
Intellectus dicatnè totam eſſentiam animæ. 767.1. *& quomodo complectatur eam.* *ibid.*
Intellectus diuinus dicitur formaliter beatus, & quare. 19.24.
Intellectus diuinus quomodo cognoſcat futura contingentia. 36.16
Intellectus diuinus quomodo cognoſcat. 494.2
Intellectus diuinus quomodo producat filium. 861.2
Intellectus diuinus quomodo ſit operatiuus, & productiuus ad intra. 21.31
Intellectus eodem modo mouet ad primam volitionem, & ad ſequentes. 563.7
Intellectus eſt immediatè creatus à Deo. 473.6
Intellectus eſt immediatum principium intelligendi. 764.4
Intellectus & anima non diſtinguntur realiter. 441.8
Intellectus, & voluntas formaliter diſtinguntur 121.30
Intellectus & voluntas quomodo non diſtinguantur per obiecta. 867.14
Intellectus, & voluntas quomodo fuit prius naturâ intellectione, & volitione. 19.22
Intellectus, & voluntas ſunt idem realiter, differunt formaliter, vel ex natura rei. 23.35
Intellectus & voluntas ſunt portio ſuperior, & inferior, diuerſo ſub reſpectu. 832.4
Intellectus finitus quomodo cognoſcat finitè infinitum. 646.3
Intellectus intelligatnè ſeipſum. 765.5
Intellectus non eſt mouens, & motum. 44.40
Intellectus non eſt pura potentia. 764.5
Intellectus non poteſt determinare voluntatem ad alteram partem. 889.22
Intellectus non poteſt producere actum in voluntate. 1018.3
Intellectus non poteſt ſe moderari, voluntas poteſt ſe, & alias. 541.11
Intellectus noſter, & Angelicus quomodo differant. 435.2
Intellectus noſter intelligit vnum diſtinctè, & plura indiſtinctè. 1051.10
Intellectus noſter quare nunc ſe non intelligat ſine ſpecie. 443.13
Intellectus quomodo dicatur determinatus ad cognoſcendum ſingulare. 644.36
Intellectus quomodo dicatur portio ſuperior & inferior. 864.6
Intellectus quomodo moueatur à ſenſibili. 641.10
Intellectus quomodo poſſit errare. 542.3
Intellectus quomodo ſit vniuerſalium, & ſenſus ſingularium. 348.42
Intellectus reſpectu obiecti quomodo ſit mouens motum. 439.12
Intellectus ſi eſſet organicus, non poſſet omnes formas recipere ſecundùm eſſe *immateriale.* 445.16
Intellectus ſi non eſſet actiuus, non intelligeret ſine principio informante. 438.10
Intellectus Angelici, & anima an ſit idem obiectum. 114.4
Intellectus diuini duplex obiectum. 12.11
Intellectus, & voluntatis obiectum idem. 863.6
Intellectum noſtrum non poſſe pro nunc moueri niſi à phantaſmate. 654.4

Intellectum perfectiorem ſtat eſſe magis determinatum, & determinabilem imperfectiorem. 644.36
Intellectum quomodo nominet Ariſtoteles. 891.2
Intellectu nullo exiſtente eſſet vnitas aliqua realis. 344.30
Intelligentia *quomodo habeat punctum immediatè propinquum: & quomodo ab illo punctò motus orbis non incipiat.* 280.54
Intelligentia ſi imprimeret nobis ſpecies, non eſſemus in potentia accidentali ad intelligendum. 653.3
Intelligentiæ habuerunt nouum eſſe *poſſibile.* 880.5
Intelligere *formaliter quid ſit.* 642.13
Intelligi *aliquid ſub ratione vniuerſali dupliciter poteſt intelligi.* 432.14
Intelligibile, *& ſenſibile ad idem concurrere.* 638.33
Intendere *quid ſignificet.* 1011.2
Intentio *an ſit actus ſolius voluntatis.* 1010.1.1013.6
Intentio, & vſus an differant. 1011.3
Intentio propriè quid ſit. 1013.6
Intentio quid ſit. 706.3
Intentiones ſecundæ quomodo ſint productæ ab intellectu diuino. 22.32.
Intentiones ſecundæ potiùs relinquuntur, quàm cauſentur. 22.33
Intentiones ſecundæ quomodo in nobis producantur. 16.14
Inuoluntarium *omne non eſt pœna.* 927.15

I R

Irascibilis *paſſiones ex quo oriantur.* 534.2

I V

Iuſtitia *infuſa quæ ſit.* 521.8. *& quæ acquiſita.* ibid.
Iuſtitia originalis dicit quandam naturalem qualitatem ſecundùm Henricum. 921.2
Iuſtitia originalis fuit donum ſupernaturale. 923.4
Iuſtitia originalis in Angelo. 953.16
Iuſtitia originalis non eſt gratia ſanctificans. 924.6
Iuſtitia originalis non neceſſitabat voluntatem. 821.4
Iuſtitia poteſt eſſe dupliciter debita. 957.11
Iuſtitiæ affectus quid ſit. 536.5
Iuſtitiæ carentia ex actu proprio non eſt originale. 953.16
Iuſtitiam originalem diſtingui à gratia quo ſenſu dicat Doctor. 925.10.928.7
Iuſtitiam originalem in Adamo an neceſſe ſit ponere eſſe donum aliquod ſupernaturale. 919.1. *& ſeq.*
de Iuſtitia originali plures ſententiæ. 924.6
Iuſtus *poteſt facere aliqua opera bona non motus ex charitate.* 912.4

L A

Lazari *voluntas in morte non habuit volitionem immobilem.* 560.4

L E

Leo *comedens hominem contraheret fomitem, ſecundùm Henricum.* 946.5
Lex *natura tota poſſitnè ſeruari ſine gratia.* 916.18
Leges ſunt decem. 832.3

L I

Libertas *eſt perfectio ſimpliciter.* 1076.2
Libertas non eſt in eo, qui non poteſt ſe determinare ad actum. 888.22
Libertas non mutatur niſi voluntas, vt prior actu, aliter ſe habeat. 560.5
Libertas voluntatis quare dicatur iuſtitia. 540.9
ſine Libertate non ſtat peccare. 540.8
Lignum *an calefaciat ſe.* 885.6
Lignum fit immediatè calidum in puncto & in inſtanti, illiuſque pars ante partē alteratur in infinitum. 280.54
Lignum ſcientiæ boni, & mali non ideò minùs diceretur, ſi primi parentes non peccaſſent. 784.F
Lignum ſcientiæ boni, & mali quare ſic vocatum. 783.F
Lignum non comburere ſe, ſicut voluntas vult ſe, vnde conſtet. 882.18. *declaratur hoc.* 883.20
Limitatum *nihil continet identicè oppoſita formaliter.* 61.8
Linea *irrationalis quæ dicatur.* 233.13.236.30
Linea pedalis an poſſit diuidi. 254.10
Linea recta tangit circulum in puncto. 231.11
Linea ſi eſſet prior puncto, & punctus non identificetur ſibi, deus poſſet eam facere ſine puncto. 258.3
Lineæ termini ſunt duo puncta. 150.7
Lineam ducere contingit à puncto in punctum. 231 12
Lineam eſſe terminatam poteſt dupliciter intelligi. 257.3

L O

Locatum, *inquantùm locatum non includit qualitates naturales.* 244.4
Locatum poteſt capi duobus modis. 195.6
Locatum quomodo reſpiciat locum. 244.5
Locus *ab oppoſitis tenet in cauſis præciſis.* 117.15
Locus an ſit corruptibilis. 196.8
Locus an ſit in loco. 211.38
Locus eſt immobilis localiter, etiam per accidens, aliàs quieſcens mutaretur localiter. 193.8
Locus eſt paſſio quantitatis. 212.42
Locus, qualitercunque ſupponat, eſt paſſio quantitatis. 206 21
Locus quare dicatur immobilis. 195.3
Locus quomodo habeat locatum. 212.43
Locus quomodo ſit incorruptibilis. 195.6
Locus quomodo ſit incorruptibilis, explicatur. 193.9
Loci definitio. 192.6.194.2
Loci immobilitas explicatur. 193.7
Loci naturalitas vnde. 194.10
Locum diuiſibilem acquirere poteſt dupliciter intelligi. 297 19
in Loco eſſe naturaliter competit corpori. 197.16
Loca continua quæ ſint. 215.1
Locutio *duplex in mentibus Angelorum.* 627.21
Locutio quomodo in poteſtate loquentis. 617.23
Loquens *prius in ſe elicit intellectionem.* 617.22
Loquens quandoque generat ſpeciem, quandoque actum, quandoque vtrumque in audiente. 611.20
Loqui contingit dupliciter. 640.4

L V

Lucifieri *peccatum an fuerit ſuperbia.* 545.1
Lumen *an ſit qualitas realis, an verò intentionalis.* 707.9
Lumen eſt propriè qualitas intentionalis, & ſpecies viſibilis impreſſa lucis. 707.10
Lumen eſt qualitas. 707.8
Lumen maius requiri ex parte obiecti, quam medij. 709 15
Lumen non eſt forma ſubſtantialis, nec materia prima, nec aliquid ſubſtantiale. 707.8
Lumen non eſt particula ſubſtantialis producta ex materia corporis illuminati. 706.6
Lumen non producit calorem. 717.29
Lumen non ſolùm eſt qualitas intentionalis virtualiter, ſed etiam formaliter. 708.11

Lumen omne est species intentionalis. 715.23
Lumen quomodo necessarium ad videndum. 708.12
Lumen quo sensu frangatur. 711.7
Lumen quo sensu qualitas realis. 707.9
Lumen requiritur ex parte medij ad videndum colores. 708.12.*ad videndum etiam lucida.* 709.14
Lumen secundarium quandoque reflectitur. 715.23.*sed nunquam diffunditur per reflexionem à corpore polito ibid.*
Lumen secundarium quid, & quid primarium. 715.23
Lumen, si non esset species lucis, positum super oculum impediret visionem. 706.3
Lumini conueniunt omnes conditiones speciei impressæ. 707.11
Lumen non esse substantiam, probatur. 706.6.707.7
Lumen primarium totum produci à lucido primario immediatè probatur. 717.30
Lumina duo dari in eodem medio. 712.8
Luminaria *quâ vtilitate facta sunt cælo.* 720.G
Luna *quomodo causet fluxum, & refluxum matris.* 739.11 *non mediante luce ibid.*
Lunam esse causam fluxus, & refluxus maris. 739.3
Luxuriosi *magis quare aliqui sint.* 537.6
Lux *est qualitas.* 705.5. *& educitur de potentia materiæ. ibid.*
Lux non est substantia, cuius contrarium senserunt veteres quidam. 704.2
Lux quænam fuerit facta primo die creationis mundi. 716.25
Lux quomodo frangatur. 716.26
Lux vtrùm gignat lumen tanquam propriam speciem sensibilem sui. 703.1.*& seq.*
Lucis descriptio. 705.5
Lucis species perfectior est, quàm species colorum. 717.28
Lucis species priùs concurrit ad visionem quàm species coloris. 706.3
Luces an dentur diuersæ specie. 704.4

L Y

Lychetus *fecit quæstiones in Metaphysicam.* 196.7

M A

Magi *Pharaonis quomodo ranas fecerint.* 805.11
Magnitudo *sicut est diuisibilis in infinitas partes sic motus & tempus, sed non est similitudo per omnia.* 269.24
Maius, *& minus sunt tantùm passiones quanti finiti.* 246.14
Malitia *an sit in actu voluntatis.* 1045.1
Malitia ex obiecto contrariè & priuatiuè eodem mod. opponuntur bono. 566.12. *aliæ duæ sumptæ priuatiuè, & contrariè non conuertuntur.* 567.12
Malitia naturalis quid sit. 1027.2
Malitia quomodo sit in sermone, & voluntate. 1058.16
Malitia triplex oppositæ triplici bonitati. 566.12
Malum *culpæ vnde sit.* 986.4
ad Malum aspiciens nullius operatur. 980.2
Maria *habuit eandem maternitatem ante, & post resurrectionem.* 104.28
Maria quamdiu potuit esse in gratia. 282.60
Mare *mediterraneum non ita sensibiliter fluit, sicut alia, & quare.* 739.3
Mare quot horis circumeat terram. 740.12
Maris fluxus, & refluxus vnde proueniat. 738.10
Materia *an sit de numero actiuorum.* 679.11
Materia an sit per se cognoscibilis: 679.11
Materia distinguitur realiter à forma. 63.4
Materia est causa distinctionis minùs principaliter. 680.12
Materia est infimum ens. 696.42
Materia est in se cognoscibilis, & à quo. 685.6
Materia est propter formam quomodo. 111.1
Materia & forma quomodo non sint eiusdem speciei. 676.2
Materia, & forma quomodo sint primò diuersa. 676.1
Materia habet partes substantiales. 683.5
Materia non est scibile per se, *explicatur.* 676.19
Materia prima quare sit ingenerabilis, & incorruptibilis. 56.11.*est tota producta per creationem.* 56.12
Materia priùs origine creatur quàm forma. 682.3
Materia præsupponitur actioni naturæ. 32.4
Materia quale ens. 670.1
Materia quando causet. 691.24
Materia quare dicatur ens in potentia. 671.11
Materia quid sit. 676.20
Materia quomodo actus, & non actus. 673.15
Materia quomodo habeat ideam. 698.2
Materia quomodo habeat propriam existentiam. 694.34
Materia quomodo habeat respectum ad formam. 107.152
Materia quomodo non sit causa formalis, nec è cõtra. 397.9
Materia quomodo non sit potentia. 698.1
Materia quomodo non sit quid. 678.6
Materia quomodo prope nihil. 683.6
Materia quomodo sit ens absolutum. 684.2
Materia quomodo sit ens in actu. 680.13
Materia quomodo sit in actu entitatiuo. 692.27
Materia quomodo sit verè vna numero. 685.6
Materia, secundùm Auerroëm est aliquid existens per se. 673.5
Materia separata esset in loco definitiuè. 683.5
Materia separata est ens. 692.28
Materia si multiplicat indiuidua, indiuiduum carens ea videretur esse infinitè perfectum. 427.9
Materia si non sit alia entitas à forma, mutatio substantialis non est possibilis. 666.7
Materia vbi esset sine forma. 685.4
Materiam cognosci ex transmutatione. 676.20
Materiam creari, & non existere est contradictio. 675.16
Materiam esse entitatem realiter distinctam à forma. 671.11
inter Materiam, & formam quæ differentia. 692.28
Materiam perficere contingit dupliciter. 757.3
Materiam quomodo sumat Philosophus. 419.20
in Materia an sit ratio seminalis ad formam naturaliter educendam de ipsa. 798.1.*& seq.*
de Materia duplex sermo. 497.13
de Materia, & forma notabile. 197.14

M E

Medicus *vt sanabilis aliud à se ipso vt sanans.* 889.24
Medium *agenti inferiori non est necessariò medium superiori.* 637.31
Medium debiliori, non est fortiori. 489.7
Medium est duplex. 691.26
Medium, in quo fit fractio radij, quando est densius, radius frangitur ad perpendicularem, & quando rarius à perpendiculari. 712.17
Medium intrinsecum, & extrinsecum quid. 44.2
Medium magis inest vni extremo, quàm vnum extremum alteri, & quando. 446.17
Medium naturale an sit sine qualitatibus naturalibus. 244.3
Medium simul radio recto, & reflexo illuminari & quare. 711.7

Index rerum.

Memoria *an ſit ratio producendi intellectionem.* 475.15
Memoria diuina priùs eſt operatiua quàm productiua. 15.19
Memoria fœcunda eadem præintelligitur in tribus perſonis. 25.38
Memoria fœcunda quid includat. 861.2
Memoria quid includat. 19.23
Memoria, vt de ea hîc agitur, quid ſit. 20.28
in Memoria aliquid eſſe, quid ſit. 20.28
in Memoria quod eſt, effectiuè concurrit. 16.15
Menſura *cui non eſt poſita ab Ariſtotele.* 134.8
Menſura duplex, & prima quomodo dicatur eſſe vna. 341.18
Menſura duplex, intrinſeca, & extrinſeca. 338.7
Menſura eſt duplex. 338.5
Menſura & menſuratum quomodo ſe conſequuntur. 134.7
Menſura, & menſuratum ſunt vnigenea. 338.5
Menſura quare dicatur indiuiſibilis. 178.18
Menſura quid ſit. 175.8
Menſura quomodo ſit perfectior menſurato.. 350.47
Menſura triplex pro nunc. 177.17
de Menſura menſurante aliquod quantum in ſe aliud eſt loqui, & aliud de menſuráte quoad durationẽ. 178.19
Menſura durationis ſecundùm Scotum ſunt tres. 175.*col.*2
Menſurare *quid ſit.* 154.10.155.1
Menſurare tripliciter conuenit quantitati. 154.10
Menſuratum *annihilari per ſe, & conſeruari inſtans præcisè illud, eſt impoſſibile.* 159.10
Meritum, *& demeritum vbi manent tranſacto actu.* 953.15
Meritum & præmium an ſint ſimul. 507.2
Meritum principaliter ex fine, & gratia. 1029.4
Meritum quomodo præceſſerit præmium. 510.16
Meriti radix vbi conſiſtat. 505.2

M I

Minimum *an poſſit dari.* 243.2
Minimum naturale an detur, & non Mathematicum. 238.15
Minimum naturale ſi daretur, non prohibet diuiſibilitatem quantitatis. 241.43
Minimi ſecundùm materiam, & formam diſtinctio quid ſit. 239.1
Minimum non dari in motu. 242.20
Minimum primum, & primam mutationem non dari in motu oſtenditur. 264.31
Miſeria *duplex eſt.* 513.3
Mixtio *quomodo miſcibilium vnio.* 756.8
Mixtum *à quo generetur.* 757.2
Mixtum omne eſſet duo ſuppoſita, ſi maneret forma elementi. 753.5
Mixtum quomodo generetur ex elementis. 754.4.755.7
Mixtum non generari per elementum effectiuè. 755.7

M O

Mobile *idem, ſiue idem* mutatum eſſe *eſt vnum, & idem ſecundùm ſubſtantiam, ſed diuerſum ſecundùm aliam, & aliam comparationem.* 152.13
Mobile poteſt conſiderari tripliciter. 148.8
Mobile quando localiter mouetur, actu eſt in vno vbi *medio, & ſub extremis non actu.* 152.12
Mobile quando recedit à loco ſibi adæquato, ita quòd totum moueatur, ſemper habet alium, & alium reſpectum ad continens. 207.26
Mobilis primi motu Ceſſante, fierent generationes. 747. *in text.*
Mobilis ſicut non poteſt dari prima pars, ſic nec vltima, & quare. 280.52
Mobilis ſubſtantia quâ menſura menſuretur. 152.11
Mobile primum eſſe probatur. 727.3
Modum *exiſtendi quæ habent eundem, menſuram etiam habent eiuſdem rationis.* 180.26
Mori, *& pati rebellionem non eſſet pœna in ſtatu innocentiæ.* 927.14
Mors chriſti fuit volibilis. 1072.1
Mortis *in genere duplex cauſa poſt lapſum.* 812.3
Mora *ſecunda Angelorum non fuit indiuiſibilis.* 512.8
prima quando fuerit. *ibid.*1
Morula *aliqua an fuerit in creationem, & beatitudinem Angeli bona.* 502.1
Morulæ plures neceſſariò dandæ in Angelis. 523.15
Motum *an ſemper in ſpatio ſibi æquali.* 289.36
Motus *aquæ ſurſum, ne detur vacuum, nõ eſt violentus.* 813.7
Motus à quo cauſetur. 184.60
Motus cæli an naturalis. 199.12
Motus continuus quid dicatur. 219.1.*in comm.*
Motus eſt naturalis, ſi potentia paſſiua inclinat ad eũ. 802.5
Motus generationis diſtinctus eſt à motu corruptionis, & quare. 216.6
Motus grauium, & leuium quare dicatur naturalis. 313.18
Motus intenſionis frigoris, & motus remiſſionis caloris concurrunt ſimul ab inſtanti immutationis. 283.66. *contra quam concluſionem Doctor varias facit obiectiones. ibid. & 67. quæ ſoluuntur.* *ibid.* 68. *&* 284. *per totum.*
Motus in vacuo an eſſet velox, vel tardus. 501.43
Motus localis cæli eſt verè continuus, & diuiſibilis. 209.31
Motus localis ſit in tempore. 196.9
Motus non eſt ad relationem. 40.5
Motus primus an ſit in tempore. 162.4
Motus quomodo cauſa caloris. 791.4
Motus quomodo fiat. 269.23
Motus remiſſionis formæ, & intenſionis oppoſitæ ſimul incipit. 265.31
Motus ſolus menſuratur tempore. 185.63
Motus vnde dicatur naturalis. 312.16.*& ſeq.*
Motus incompoſſibilitas vnde. 215.4.216.6
Motum eſſe naturalem reſpectu principij paſſiui non actiui. 307.9
in Motum omnem neceſſe eſt terminari per aliquod mutatum eſſe, *quod menſuratur inſtanti.* 269.23
Motu locali quomodo ſint duo vbi *motus.* 217.6
in Motu quæ reſiſtentia faciat ſucceſſionem. 299.40
Motus, qui ceſſarent ceſſantibus motibus cælorum. 748.15
Motus non fieret in vacuo, & quare. 302.4
Mouens *& motum non neceſſariò diſtingui ſubiecto.* 880.12
Mouens & motum quomodo ſint ſimul. 607.8
Mouens, & motum ſunt ſimul, *explicatur.* 608.18
Mouens lapidem non poteſt incipere motum, niſi tranſeat infinitas partes. 280.
Mouens motum poteſt intelligi dupliciter. 438.11
Mouens ſe per cognitionem diuiditur in duo. 314.12
Mouere *vt motum, & agere in virtute ſuperioris quid ſit.* 439.12
Moueri aliquid in inſtanti eſt impoſſibile. 209.30
Moueri aliquid ſimul poteſt, & quieſcere ſine contradictione. 214.3
Moueri definitiuè quid ſit. 229.11
Moueri, *& mutari quomodo differant.* 223.2
Moueri localiter an aliquid dicatur. 198.17
Moueri *omne præcedit* mutatum eſſe *in infinitum, & omne* mutatum eſſe *præcedit* moueri *in infinitum an vera propoſitio.* 271. 15. *& ſeq. contra vtramque partem arguitur ſubtiliter.* *ibid.* *&* 272. *per totum.*
nihil Mouet ſe primò *explicatur.* 314.13
nihil Mouet ſe vniuocè ad illud, quod habet, *explicatur.* 311.12
Mouetur aliquid multis modis. 316.3
quod Mouetur, partim eſt in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, explicatur. 290.38
quòd mouetur, partim eſt in termino *à quo*, & partim in termino

termino *ad quem*, quomodo intelligendum. 293.7. & *seq.*

M V

Mulier *quomodo concurrat ad prolem.* 660.6
Mutari *ad aliud quid sit.* 68.3
Mutari propriè est respectu subiecti, & qualis. 276.38
Mutari propriè quid sit. 152.12.174.*col.*1.224.5. 265.31
Mutari quid sit, controuertitur. 275.32. & *seq.* 276. *per totum.* 224.5.35.11
Mutatio *aliqua potest dari, quæ nec est principium nec finis motus.* 269.24
Mutatio duplex. 68.4
Mutatio duplex. 258.*col.*1
Mutatio dupliciter potest intelligi, cùm quæritur an Angelus possit moueri in instanti. 324. & 325.2
Mutatio est principium motus futuri, & finis præteriti. 150.3
Mutatio instantanea duplex. 330.8
Mutatio prima non datur, vbi motus sequitur. 330.8
Mutatio quomodo differat à termino. 107.154
Mutatio quomodo non eadem forma, nec forma. 107.153
Mutatio relatiua sine absoluta non datur in alio extremorum. 67.15
Mutationis naturalis varij respectus explicantur. 104 29
Mutatum esse *quo ab agente perfecto inducitur frigus, quo casu non esset principium motus intensionis.* 273 65
Mutatum esse, *quo substantialis forma inducitur sicut non est propriè terminus motus præcedentis dispositionis, sic* mutatum esse, *quo inducitur qualitas aqua non est principium motus intensionis illius qualitatis ei.* 383.65
Mutationes *duæ non sunt simul.* 521.9

N A

NAtura *an possit esse sine singularitate.* 357.7
Natura communis dicit imperfectionem. 378.7
Natura communis quomodo non sit de se hæc. 391.4
Natura cur non possit esse differentia individualis. 365 15
Natura distinctè cognoscibilis, licèt supposita ignorentur. 457.15
Natura diuina est prior natura supposito. 13.15
Natura est recta cum voluntate obliqua. 518.9
Natura humana an de se est tantùm hæc. 347.39
Natura humana dupliciter potest considerari. 363.8
Natura humana, & Angelica possunt capi dupliciter. 431.12
Natura non est de se hæc. 357.7
Natura non intendit hoc statim non esse, quod producit. 172.13
Natura non intendit infinitatem, sed benè pluralitatem. 427.10
Natura nulla creata potest impedire naturales actiones. 1054.6
Natura omnis præter diuinam est multiplicabilis. 423.5
Natura prior est singularitate. 364.9
Natura qualibet creata habet vnitatem minorem numerali. 335.2
Natura quando sit indifferens ad omne individuum. 375.1
Natura quomodo principium. 803.3
Natura vt actu contracta pro hæceitate de quo prædicetur. 367.20
Natura notabilis distinctio. 358.1
Natura ordo in diuinis est simpliciter primus. 19.22
Natura ordo individuis quomodo accipiatur. 16.13
Natura ordo quomodo accipiatur. 24.36
Natura prioritas duobus modis sumitur. 24.36
Naturæ vnitas negatiuè communis. 357.7
Naturam esse in eodem numero potest intelligi multipliciter. 411.8
Naturam non diminui in se per peccatum, aliàs tandem consumeretur. 981.4
Naturam non habere esse *realiter nisi in individuo, quomodo intelligendum.* 364.9. & *seq.*
Natura simul aliqua esse, intelligi potest dupliciter. 92.102
Naturalitas *sumitur à principio intrinseco passiuo.* 801.5
Naturaliter merè *potest accipi dupliciter.* 613.5

N E

Necessarium *non præsupponit contingens.* 10.8
Necessaria, & impossibilia quomodo non sint in tẽpore. 163.4
Negatio *negata quid sit.* 129.10
Negatio negationis affirmatio positionis 126.7

N I

Nihil *vt notat ordinem, potest dupliciter intelligi.* 31.2
de Nihilo esse *intelligibilis non potest aliquid fieri simpliciter, benè tamen de nihilo essentiæ.* 38.7
de Nihilo *potest duobus modis accipi.* 31.2
de Nihilo *potest multipliciter intelligi.* 31.2
Nilus, *& Ganges sunt Phison, & Gehon.* 793.10

N O

Nolle *deordinatum supponit* velle *deordinatum.* 535.4
Nomen *cur non sit impositum ad significandum speciem albedinis, sit verò ad significandum speciẽ lucis.* 716.28
Notitia *eadem, quæ est in Filio, est in Patre, & Spiritu sancto.* 9.7
Notitiam intuitiuam, & abstractiuam dari in intellectu ostenditur. 453.6
Nouitas *non potest esse in mensura quin sit in mensurato.* 134.5
Nouitas quomodo sit ex parte producti, & non producentis. 34.8

N V

Numerus *quadratus nunquam potest esse precisè duplus ad alium numerum quadratum.* 235.28
Numerus quadratus quid sit. 235.27
Nunc *quomodo idem secundùm substantiam, & diuersum secundùm* esse. 151.10. & 11
Nunc *tẽporis est aliud, & aliud secundùm substantiã.* 149.2

O B

OBiectum *dicitur primum dupliciter.* 644.35
Obiectum est duplex. 866.11.1012.3
Obiectum est prius actu intelligendi. 337.2
Obiectum formale, & materiale quæ sint. 863.5
Obiectum intellectus diuini duplex. 12.11
Obiectum intellectus quale. 489.4
Obiectum nolitionis est sola miseria. 1070 3
Obiectum per se dupliciter contingit. 492.2
Obiectum primarium, non verò species eius per speciem reflexam videtur. 714.21
Obiectũ primũ intellectus diuini quomodo accipiatur. 12.12
Obiectum primum intellectus quid sit. 542.22
Obiectum primum prius naturaliter præsens, quàm secundum. 10.9
Obiectum quomodo non sit præsens in se. 494.3

Index rerum.

Obiectum secundarium intellectus diuini quomodo accipiatur. 12.12
Obiectum secundarium non est in essentia diuina. 20.28
Obiectum secundum duplex. 10.9
Obiectum sensus quà vnitate vnum. 336.4
Obiectum sensus quid sit. 340.14.353.57
Obiectorum distinctio quomodo faciat ad distinctionem potentiarum. 865.7
Obstinatio *propriè quid sit.* 574.9
Obstinationis hominis damnati, & Diaboli communis causa danda est. 559.4

O D

Odiens *Deum quomodo velit eius* non esse. 528.2
Odire Deum grauissimum est peccatum. 1070.3

O M

Omnipotentia *est in Patre à se, non ab alio.* 28.*col.*2
Omnipotentia tantùm respicit esse *actualis existentia.* 37.17

O P

Operari *vt* quo *non est per accidens.* 778.14
Operatio *Angeli an mensuretur euo.* 165.1.*& seq.*
Operatio Angeli mensuratur simili mensurâ, quâ mensuratur existentia eius. 168.*in comm.*
Operatio beata an mensuretur euo, sicut non beata. 182.51
Operatio intrinseca Intelligentiæ quid sit. 174 8
& quid extrinseca eiusdem. *ibid.*
Operatio nostra nulla est ex natura sua acceptabilis ad ad vitam æternam. 571.3
Operatio omnis ad intra est à memoria diuina. 23.34
Operatio quomodo dicatur beata. 183.53
Operationis vnius per se est vnum per se principium. 768.13
Operationes Angeli, via, & patria mensurari euo, & quare. 166.4
Operationes intellectus quomodo sint priores operationibus voluntatis. 176.13
Opinio *communis de suppositis diuinis qua sit.* 13.16
Oppositum *vnum eodem modo repugnat alicui, quo aliud repugnat.* 366.16
Opposita nata eidem inesse ordine naturæ, vt priuatio, & forma, non sunt simul duratione, secus est de oppositis priuatiuè. 51.19
Oppositorum vnum si est causa alicuius oppositi, an suum oppositum sit causa similis oppositi. 820.4
Oppositionis extrema an sint realia. 342.2
Opus *linguæ cur distinguatur ab alijs.* 1060.18
Opera meritoria sunt multiplicia. 951.2

O R

Ordo *ad peccatum multipliciter capitur.* 580.4
Ordo triplex, & quid vterque. 18.21
Originale *quomodo propagatione transfunditur.* 949.8
Originis *ordo datur in diuinis quoad intellectionem & productionem creaturarum, sed non est origo simpliciter.* 17.16
Originis ordo duplex. 19.23
Origine prius quid sit. 18.21.24.36

P A

PAradisus *an adhuc extet, & an cum sua amenitate.* 793.11
Paradisus an sit locus conueniens habitationi humanæ. 788.1.*in text.* 790.3
Paradisus à quo principio plantatus. 783.*E*
Paradisus cur non possit adiri. 794.13
Paradisus erat locus terrestris. 790.2
Paradisus in quo loco est. 789.3
Paradisus non erat immediatè sub cælo Lunæ. 792.7
nec constitutus in superiori, aut media regione aeris. 792.8
Paradisus quomodo non fuerit coopertus aquis diluuij 792.8.*in qua parte terræ situs incertum est.* *ibid.* 9. *de situ eius circa fines Mesopotamiæ rationes pro, & contra.* *ibid.*& 10.
Paradisus vbinam situs. 791.4
Paradisi ex Constitutione ad orientem non potuit colligi circa quam determinatam mundi partem fuit. 791.5
Paradisi locus qualis sit, & vbi. 783.*E*
Paradisi magnitudo quanta fuit. 794.14
ex Paradiso egredi possent aliqui reliquum orbem lustraturi. 794.14.21
de Paradiso varia sententiæ. 790.2
Pares *in via non sunt dispares in termino.* 523.16
Pars *minima sensibilis sitne magis approximata potentiæ sensitiuæ.* 262.9
Pars non est in Prædicamento. 248.19
Pars potest multipliciter accipi. 245.10
Pars qualibet habet propriam haccèitatem, & hoc ante diuisionem. 248.19
Pars quo sensu æqualis toti. 246.14
Pars secundùm speciem quid sit. 814.4
Pars sensibilis quantumcunque minima an possit cooperari aliis partibus ad sensum immutandum. 260.5.261 *per totum.*
Partem distare potest dupliciter intelligi. 279.49
Partem esse perfectè propinquam agenti potest dupliciter intelligi. 280.52
Partem tangere potest intelligi dupliciter. 297.21
Partes eiusdem proportionis, & eiusdem quantitatis quomodo differant. 154.17
Partes subiectiuæ, & homogeneæ quomodo differant. 395.1
Patuuli *in limbo an sciant se esse priuatos gloria, dubium est: & Esto sciant, non tristabuntur, & quare.* 962.4
Parnulorum limbi quis locus post iudicium. 963.2
Passio *propria essentialiter inest ipsi homini, & quo sensu* 77.7
Passionibus subiecti quare actu non sciant perfectè quod faciunt. 1021.6
Pater *producit lapidem prius origine, quàm filius, quomodo, tamen Filius eadem productione, & in eodem instanti matura.* 17.18
Pater quomodo dicatur prior natura Filio. 24.36
Pater si per impossibile esset solus, potuisset tamen creare nundum. 28.*col.*2
Patrem operari in Filio, vel per Filium, *ex quo sensu dicatur, aperitur.* 702.*H*
à Patre hoc determinato esse non requiritur ad esse hunc hominem. 822.3
Paternitas *à quo dependeat in* cognosci. 86.44
Paternitas in Diuinis quomodo incommunicabilis. 424.2
Paternitas quare sit incommunicabilis. 425.5
Paulus *in raptu vidit essentiam Dei.* 454.8
Paulus quomodo cognouerit Deum. 452.8
an Paulus recordabatur essentiæ visæ. 459.7. *& quomodo* 465.27

Index rerum.

P E

Peccandi *potentia an sit à Deo.* 1075.1077
Peccandi potentia potest dupliciter accipi. 1076.1
Peccans *an sit debitor iustitiæ.* 518.11
Peccare non stat sine libertate. 540.8
Peccare posse, & potentia ad peccandum differantne. 578.25
Peccare posse non est libertas secundò, explicatur. 851.9
Peccare posse quomodo sit libertatis creatæ. 851.8
Peccator *an possit se disponere ad gratiam ex puris naturalibus.* 572.6
Peccatorem nullum opus bonum facere, ad quod non tenetur, peruersor videtur qui putet. 912.4
Peccatum *actuale quid sit.* 1045.1
Peccatum Adæ occasio peccati filiorum. 821.6
Peccatum Adæ quale fuit. 834.2
Peccatũ Æuæ gratius peccato Adæ per se, è conuerso accidentaliter. 837.4 *fuit simpliciter grauis. ibid. in comm.*
Peccatum Angeli quomodo non fuerit superbia. 548.2
Peccatum an pertineat ad liberum arbitrium. 581.7
Peccatum an possit esse à Deo. 979.1
Peccatum an possit esse in cogitatione. 1041.1
Peccatum an sit per se priuatio boni. 971.1
Peccatum an sit pœna peccati. 676.1
Peccatum an sit priuatio gratiæ. 981.5
Peccatum causa peccati. 821.5
Peccatum definitur ex Augustino. 981.7. *Item & Ambrosio.* *ibid.*
Peccatum Diaboli quale. 544.14
Peccatum duobus modis potest accipi. 915.3
Peccatum duplex. 511.3
Peccatum duplex. 985.3
Peccatum est omne quod ex fide non est. 1019.3
Peccatum est primario in voluntate. 1044.1
Peccatum ex ignorantia quotupliciter contingat. 844.1
Peccatum ex ignorantia triplex. 844.2
Peccatum ex malitia quid sit. 1068.5
Peccatum ex malitia quomodo dicatur contra Trinitatem. 1067.4
Peccatum formaliter est in actu voluntatis. 1062.6
Peccatum in Spiritum sanctum quare irremissibile. 1069.7
Peccatum in quo consistat. 980.3
Peccatum luciferi an fuerit superbia. 545.1
Peccatum luciferi quale fuerit. 545.1
Peccatum mortale, & veniale quid. 832.3. *in comm.*
Peccatum mortale, & veniale qui differant. 833.5
Peccatum mortale, & veniale quid sit. 1040. *E*
Peccatum mortale, & veniale quomodo distinguuntur. 832 3. *in text.*
Peccatum originale an contrahat quilibet propagatus ab Adam secundum legem communem. 935.1. *& seq.*
Peccatum originale an sit carentia iustitiæ talis. 935.1
Peccatum originale per quæ iniret. 992.15
Peccatum originale quid sit. 936.1
Peccatum originale remittaturne in Baptismo. 944.1
Peccatum possitne esse in sermone. 1043. 1. *& an in opere. ibid.*
Peccatum primi hominis an fuerit ex ignorantia. 843.1
Peccatum primum Adæ quale fuerit. 835.2
Peccatum primum Angeli ad quid reducendum. 546.17 *& an fuerit maximum.* 547.18
Peccatum primum Angeli quodnam fuerit. 562.6
Peccatum primum Angeli reducendum ad concupiscentiam oculorum. 546.17
Peccatum primum hominis in statu innocentiæ potuitne fuisse veniale. 830.1. *in text.*
Peccatum quando sit veniale. 857. *H*
Peccatum quare dicatur contra naturam. 581.8
Peccatum quomodo contra naturam. 578.26
Pectatum quomodo corrumpat gratiam. 985.11
Peccatum quomodo culpa, & pœna. 1005.23
Peccatum quomodo dicatur grauius. 838. *cel.* 11
Peccatum quomodo opponatur gratiæ. 157.6
Peccatum quomodo sit in voce. 1059.2
Peccatum quomodo sit in voluntate. 1057.4
Peccatum quomodo sit voluntarium. 1045.1
Peccatum veniale vnde dicatur. 830.1. *in comm.*
Peccatum vnum duobus modis grauius alio. 836.2.
Peccatum vtrum sit à bono sicut à causa. 966.1. *& seq.*
Peccati actus sequitur cognitionem practicam. 521.7
Peccati formale quomodo causetur. 995.9
Peccati grauitas specifica, & numerica vnde desumenda. 984.9
Peccati malitia quomodo sit à Deo. 574.20
Peccati quiditas in quo consistat. 981.6
Peccato originali debeaturnè tantùm pœna damni. 960. 1. *& seq.*
Peccatum esse pœnam peccati. 1004.22
ad Peccatum in Spiritum sanctum tria requiruntur. 1069.6
Peccatum non esse priuationem virtutis acquisitæ. 981.5
ad Peccatum non requiritur, quòd sit in potestate habentis. 952.14
Peccatum nullum esse si Deus ad actum concurrat immediate. 991.3
Peccatum quà pœna est, non esse à Deo. 1005.25
in Peccato Adæ quæ ignorantia. 844.3
Peccata Dæmonum non sunt demeritoria. 579.28
Peccatorum diuisio in septem mortalia qualis. 546.16
Peccatorum diuisio quid sit. 547.2
Perfectibile *non potest esse suum perfectum quantumcunque crescat in perfectione.* 852.3
Perfectio *Deitatis quomodo mensuram Deitatis adducit.* 177.15
Perfectio essentialis duplex. 338.7
Perfectionis est in causa posse habere effectum coæqualem. 43.3
quod Perfectum *est in natura inferiori, dandum est superiori.* 488.4
Permanens, *& successiuum habent suum* esse *quantum ad primum, & vltimum.* 135.16
Permanens quomodo possit mensurari. 160.13
Permanens si est continuum, successiuum erit tale. 230.10
Permanentia mensurantur euo. 149.3
Permanentia omnia an mensurentur æuo. 170.8
Permanentia omnia desinerent esse, nisi potente manu Dei conseruarentur. 181.48
Permanentia qua mensura mensurentur. 131.20
Perpetuum *naturaliter nihil est, excepto Deo.* 180.13
in Perpetuis non differt esse à posse, *quomodo intelligenda.* 53.3
Personæ diuinæ quomodo incommunicabiles. 377.6
Personæ tres principium vnum creaturæ. 11.11
Pertransiri *potest diuersimodè accipi.* 290.38

P H

Phantasma *an possit causare speciem intelligibilem.* 495.3
Phantasma est causa partialis speciei intelligibilis. 440.2
Phantasma non est in Angelo. 880.3
Phantasma non habet pro subiecto Spiritu proprium. 657.7
Phantasma quid sit. 658.1
Phantasma quomodo cõcurrat ad speciẽ intelligibilẽ. 639.34
Philosophi *quid senserunt de creatione.* 26.21

P L

Planeta *quilibet an habeat integrum orbem.* 729.7
Planeta quilibet an vnicum tantùm cælum habeat. 730.9

Index rerum.

Plato *quare Socrates iunior, vel minor appellatus.* 145.3
ad Plura *eiusdem ordinis nihil essentialiter dependet.* 475 12
Pluralitas *numeralis requirit maiorem perfectionem.* 471.2

P O

Pœna *omnis positiua est à Deo, sed non omnes priuatiua nisi permissiuè.* 1006.25
Pœna quomodo ordinet culpam. 1004.22
Pœna quomodo sit causa culpæ, vel semen causæ originalis. 954.17
Portio *superior est respectu æternorum.* 861.1
Portio superior, & inferior quomodo dicatur. 865.8
Portio superior potest accipi duobus modis. 864.7
Portio superior quæ, & quæ inferior. 832.4
Portio superior quid contineat. 860.2
Portionem vtramque, superiorem scilicet, & inferiorem re non distingui. 862.3
in Portione inferiori dantur gradus. 864.7
Potentiale *& eius actuale an sint eiusdem generis.* 673.15
Potentia *absoluta, & ordinata differunt.* 570.18
Potentia accidentalis est proxima, essentialis, remota. 653.3
Potentia ad scientiam est ad actum primum, & ad considerationem ad actum secundum, & quomodo se habeat ad vtrumque. 305.3
Potentia ante actum est obiectiua. 54.7
Potentia contradictionis quomodo ante actum. 517.7
Potentia duplex. 670.1
Potentia dupliciter sumitur 762.5. *potest tripliciter accipi.* 764.2
Potentia est duplex. 113.1
Potentia materiæ realiter eadem cum ipsa. 395.3
Potentia nulla ad contradictoria. 383.4
Potentia nulla creata habet obiectum non abstractum pro adequato. 865.6
Potentia peccandi est libertas. 1077.3
Potentia productiua quare non habeat obiectum, nec actum adæquatum. 470.10
Potentia subiectiua, & actus non sunt opposita. 689.19
Potentia subiectiua & obiectiua quomodo differant. 670 10
Potentia visiua non potest facere differentiam distinctè inter minimam partem coloris in infinitum & maximam. 263.13
Potentia vt est principium operationis, accipitur dupliciter. 764.2
Potentia nobilitas, & perfectio extrinseca arguitur ex nobilitate obiecti. 264.14
Potentiæ passiuæ, quâ Angelus possit esse in loco, quæ sit ratio. 200.2
Potentiam habere ad non esse in peccato aliud est, & aliud ad non peccandum. 578.26
in Potentia simul esse, & in actu quomodo stent. 313.1
de Potentia, vt est differentia entis. 573.8
in Potentia aliquid potest esse dupliciter. 670.2
Potentiæ animæ quare dicantur instrumenta animæ. 901.4
Potentiæ distinguuntur per obiecta, *quomodo intelligenda.* 866.11
Potentiæ quæ respiciunt æterna. 860.2
Potentiæ sensitiuæ quare acquirant obiecta distincta. 866 12
Potentiæ sunt in triplici genere. 54.6
Potentiæ tres in portione inferiori explicantur. 860.2
Potentiarum rebellio & mortalitas esse tenè in puris naturalibus. 923.6
Potentiis inferioribus in statu innocentiæ sua dona inesse nt, vt perfectè, & sine dolore obediant voluntati. 923.5
Potentias non esse partes essentiales, nec integrales. 767. *in text.*

P R

Præcepta *non necessariò complenda ex charitate.* 912.3
Prædicamentum. Ad aliquid, *quomodo sit distinctum ab aliis secundùm* esse. 99.106
Prædicamentum relationis est aliud à Prædicamento absoluto. 99.107
Prædicamenti vnius nihil constituitur per aliquid alterius. 384.7
Prædicamenta an sint ad inuicem diuersa. 96.119
Prædicamenta quomodo dicantur decem entia. 99.105
Prædicamenta quomodo sint primò diuersa. 102.142
Prædicari *in* quid *quid sit.* 368.22.372.34
Prædicati *per accidens rationem integrant duæ conditiones.* 103.146
Prædicatio *speciei de suis inferioribus quid sit.* 367.20
Prædicationes exercitæ quæ sint. 347.39
ex Præmissa *de possibili vt* nunc, *& alia de possibili pro alio* nunc *quare non sequatur conclusio de possibili simpliciter, & absolutè.* 251.24
Præmium *quomodo præcedat meritum.* 508.5
Præsentia *quomodo sit relatio realis.* 223.5
Præsumptio *an sit peccatum intellectus.* 546.3
Præsupponi *aliquid contingit dupliciter,* 801.3
Pærens *primus habuit potentiam ad mori.* 814.4
Primò *accipitur duobus modis.* 316.3. *& 4*
Principians *immanenter necessariò debet esse in actu per illud, quo principiat.* 435.4
Principium *formaliter productiuum intellectionis quid sit.* 19.23
Principium practicum dicitur synderesis. 1022.12
Principium quo, *& principium* quod *non idem respectu eiusdem.* 8.4
Principia Prædicamentorum an sint eadem. 96.118
Prius, *& posterius vt cognoscantur in motu, quid requiratur.* 149.3
Prius naturâ alio est etiam prius duratione. 161.16
Prius naturâ duplex, positiuè scilicet, & priuatiuè. 30.3
Prius naturaliter potest esse sine posteriori. 388.9
Prius natura positiuè est prius duratione, quomodo vera. 161.25
Prius natura potest sumi duobus modis. 31.3
Prius natura sumitur pro prius perfectione. 997.15
Prius esse sine posteriore non est intrinsecè contradictio. 130.13
Priora *quomodo propinquiora primo in cognoscendo.* 486.21
de Prioritatibus *originis, natura, & durationis declaratio notabilis.* 18.21
Priuatio *an accipiat in se magis, & minus.* 984.9
Priuatio iustitiæ originalis, & gratia absolutè non repugnant, de facto sic. 955.19
Priuatio magis intrinseca materiæ, quàm forma. 30.3
Priuatio principium per accidens naturæ. 676.19
Priuatio quomodo præcedat habitum. 785.3
Priuatio quomodo prior natura ipsa forma. 31.3
per Priuationem solam nihil repugnat alicui. 374.2
Priuationes quæ necessario oppositæ. 683.6
Priuationes quomodo distinguantur specie, & numero. 984.9
Producens *naturale potest habere coæuum productum, licet causa naturalis non possit.* 47.11
Producere *seipsum quomodo aliquid possit.* 25.38
Produci *frustra quid sit.* 22.32
Productio *ad intrà est prior productione ad extrà.* 13.15
Productio ad intrà præcedit productionem ad extrà. 10.8
Propagatio *libidinosa requiraturnè, vt contrahatur originale.* 954.18

Index rerum.

Proportio *ſeſquialtera quid contineat.* 233.2
Proportionalitas *indifferens ad ſimile,& diſſimile.* 644. 36
Propoſitio *contingens de futuro, & de poſſibili quomodo differant.* 520.6
Propoſitio mediata quæ dicatur. 355.65
Propoſitiones primi modi quomodo ſint veræ. 359.7
Propoſitiones ſingulares an determinatè inferant vniuerſalem. 254.8
Propoſitiones ſingulares de poſſibili abſolutè ſumptæ non inferunt formaliter vniuerſalem de poſſibili. 251.24. *& vt inferant ſufficienter,quomodo debeant accipi.* ibid. 25
Proprietas *hypoſtatica quomodo dicat imperfectionem.* 378. 8
Proprietates perſonales pullulant ab eſſentia diuina. 23. 35
Prouidentiæ *geminum opus.* 797. G

P V

Pueri *pro ſtatu innocentiæ ſucceſſiuè creſcerent,nec poſſent ſtatim ambulare.* 826. 2. *citius tamen ambularent, & creſcerent tunc.* ibid. *non haberent pro ſtatu illo ſcientiam,ſed eſſent neſcij,non tamen ignorantes.* ibid. 3. *non haberent habitus ſcientificos ſpeculatiuos.* ibid.4.
Pulchritudo *quid ſit.* 1027.1. *in com.*
Punctus *an poſſit moueri.* 292.6
Punctus an poſſit per ſe exiſtere. 281. 59
Punctus eſt aliquid poſitiuum. 257.3
Punctus omnis in cælo eſt Oriens,& Occidens. 190. 4
Punctus in actu quid ſit. 55. 10
Punctus in quolibet indiuiſibili eſt in ſpatio ſibi æquali non autem ſemper. 294.13
Punctus quicunque natus eſt terminare,& fundare lineam. 232.13
Punctus quomodo moueri poſſit ſuper planum, quin hoc ſit ex tantùm punctis. 291.39
Punctus ſi eſſet aliud à linea,accideret ipſi lineæ. 258. 3
Punctus ſi eſſet ſeparatus non poſſet percipi à ſenſu. 264. 15
Puncta *infinita tranſire in actu, poteſt intelligi dupliciter.* 224.7

Q V

Quadratus *conſurgit ex numero in ſe multiplicato.* 232.13
Quadratum eſt vndique æquilaterum, quadrangulus non. 199.12
Quadratum, & quadrangulus quomodo differunt. 201.4
Quæſtio *omnis facta per interrogatiua pertinentia ad* vbi *prædicamentum,quærit de loco.* 205. 18
Qualitas *facilitans generatur ex actibus cognitiuis ſingularis.* 645.37
Qualitas,quæ eſt via ad generationem, poteſt dici ratio ſeminalis. 805. 11
Qualitas ſenſibilis ſecundùm Philoſophum, non habet minimum. 238.16
Qualitatem morbidam non dari, quæ ſit originale. 946.4
Qualitates actiuæ ſequuntur formas ſubſtantiales cæleſtes. 705.4
Qualitates elementares non manere in mixto, ſed ſimiles eis. 756.8
Qualitates ſenſibiles ſunt determinatæ ſecundùm ſpeciem, & quo ſenſu. 240.41
Quantitas *an moueat.* 492.2
Quantitas corrupti præſupponitur indiuiduationi geniti. 393.16
Quantitas eadem in genito & corrupto. 389. 10
Quantitas eſt ratio diuiſibilitatis. 240. 41
Quantitas interminata,& terminata quid dicant 389.10. 390.1
Quantitas non eſt diuiſibilis in infinitum,inquantùm ſenſibilis. 260.4
Quantitas non eſt in exiſtentia Angeli,& quare. 156. 1
Quantitas non eſt ratio diuiſibilitatis in indiuiduo. 391. 12
Quantitas quomodo non ſit ratio indiuidualis. 385.1
Quantitas ſola ratio recipiendi. 865.10
Quantitas virtualis attenditur penes perfectionem intrinſecam. 133.4
Quantitati tripliciter conuenit menſurare. 154. 10
Quantum *molis prius diuidendum per finitum,& infinitum,quàm per maius,& minus.* 52. 20
Quantum naturale an ſit diuiſibile in infinitas partes. 240.37
Quantum naturale, quà quantùm ſemper eſt diuiſibile, non quà naturale. 239.18
Quantum non petit diuidi in partes eiuſdem, vel alterius rationis, *explicatur.* 391.13
Quantum nunquam poteſt diuidi niſi diuiſâ paſſione ſiue qualitate ſenſibili. 260.4
Quantum quo ſenſu ſit diuiſibile in infinitum. 259.30
Quanti alicuius pars quomodo dicatur pars ſecundùm ſpeciem, & formam, & quomodo ſecundùm materiam. 249.39
Quiditas *an ſit communicabilis.* 424.4
Quiditas creata eſt communicabilis,& diuiſibilis in plura. 425.7
Quiditas omnis an communicabilis. 425.5
Quiditas omnis, quantum eſt de ſe, eſt communicabilis. 423.3
ad Quiditates diſtinctas cognoſcendas ponendæ ſunt in Angelo ſpecies diſtinctæ. 478. 15
Quieſcens *per vnam horam an ſit neceſſe quieſcere in vltimo inſtanti illius horæ.* 319.6
Quieſcens ſecundum vbi *quid ſit.* 204.16
Quieſcere *ſecundum* vbi *quid ſit.* 209.32
Quies *quomodo opponatur motui.* 173.3
Quies vnde dicatur menſurari tempore. ibid.
Quieti quomodo conueniat menſurari, & quâ menſurâ. 171.11

R A

Radius *non ſemper frangitur ad eandem partem mediy.* 712.17
Radius perpendicularis non frangitur. 713.17
*Radius rectus quid ſit.*712.17. *& quid reflexus.* ibid. *Item quid fractus.* ibid.
Radius rectus, reflexus, & fractus quoad omnes ſuas partes à quo procedant. 713. 18
Radij ſolares quare noctu non videantur. 711. 6
Rana *ſi non eſſet generatiua, adhuc produceretur rana.* 742.17
Ratio *cognoſcendi vna, neceſſariò habet vnum obiectum.* 469.8
Ratio formalis creandi quæ ſit? 11.11
Ratio ſeminalis in quo ſit? 803.7. *& 1. com.*
Ratio ſeminalis non fuit in coſta Adæ. 805.12
Ratio ſeminalis quid ſit. 799.1.804.8
Ratio vna agendi an habere poſſit actum ſibi adæquatum. 470.9

Ratio vna creata non potest repræsentare tot, quin plura. 469.7

R E

ad Realitatem *scientiæ non requiritur, quòd extrema propositionis sint realia.* 85.40
Rebellio *an fuisset in puris naturalibus.* 946.4
Rebellio in quo consistat, & an daretur in statu naturæ purę. 922.4. *in com.*
Rebellio partis inferioris contra rationem essetnè in puris naturalibus. 921.3. *in text.*
Rebellio quomodo reprimeretur in statu innocentiæ, diuersa sententia. 925.8
Rebellio quomodo tollatur, & an fuisset in statu purę naturę. 925.9
Receptiuum *formæ intentionalis, non est receptiuum formæ realis.* 445.16
Receptiuum immediatum esse plurium potest dupliciter intelligi. 765. 6
Receptiuum non semper est eiusdem generis cum recepto. 762.5
Recipiens *re distinguitur à recepto.* 666.8
Recordari *de Deitate prius visa quomodo quis dicatur.* 459.6
Rectitudo *habitualis quæ sit.* 833.4
Recto *quod necessariò conformatur, non potest non esse rectum.* 849.5
Reflexio *vnde oriatur.* 712.17
Relatio *ad Deum, etsi inseparabilis sit, tamen per accidens prædicatur de fundamento.* 101.26
Relatio alia dependens essentialiter, alia accidentaliter, alia nullo modo. 882.17
Relatio an possit esse idem cum fundamento. 81.25
Relatio creaturæ ad Deum est eadem adæquatè fundamento, explicatur. 75.25
Relatio creaturæ ad Deum terminatur ad ipsum. 73.1
Relatio dependet à termino. 40.3
Relatio eadem realiter fundamento, distincta verò formaliter. 96.121
Relatio est accidens secundùm Henricum. 73.1
Relatio fundatur in relatione, sed non datur hinc processus. 74.22
Relatio fundatur semper in absoluto, saltem remotè. 70. 17
Relatio hominis ad Deum licèt sit eadem realiter cum homine, non tamen formaliter, & quiditatiuè. 71.3
Relatio in creatura formaliter distinguitur ab illa. 99. 135
Relatio in quo fundetur immediatè. 69.6
Relatio non est de ratione potentiæ. 768.13
Relatio noua realis non est in Deo. 91.98
Relatio omnis intrinsecus adueniens est indiuisibilis. 89. 93
Relatio omnis quomodo fundetur in aliquo fundamento. 84.36
Relatio, quæ inest intellectui diuino ad creaturam quomodo non sit ei idem realiter, cùm non possit separari ab eo. 74.22
Relatio quomodo cognoscatur. 481.3
Relatio quomodo identificetur realiter fundamento. 88. 49
Relatio quomodo possit cognosci. 461.15
Relatio quomodo sit eadem fundamento. 104. 148
Relatio quomodo suscipiat magis, & minùs. 92. 102
Relatio rationis an fiat de nouo ab intellectu diuino. 36. 13
Relatio rationis duplex. 63.8
Relatio realis semper inter extrema realia. 181.46
Relatio seipsa refertur ad fundamenta. 67.16
Relatio si esset idem fundamento, albedo vt duo *esset perfectior albedine vt octo, & quare.* 61.8
Relatio, si non distingueretur à suo fundamento, quatuor inferrentur absurda. 60.5. *probantur. ibid. &* 63.5
Relatio triplex in creatura ad Deum. 71.19. 72.5
Relatio vnionis si esset idem naturæ, sine incarnatione homo esset Deus. 60.5
Relationis cognitio à quo causetur. 64.9
Relationis distinctio quomodo nobis innotescat. 67.16
Relationis identitas ad suum fundamentum. 58.3
Relationem mutuam non esse in tertio modo relationorum communis tenet expositio. 100.113
ad Relationem non est motus. 40.3
ad Relationem non est motus, sed mutatio. 69.4
Relationem realem negare quid sit. 66.15
Relationes creaturarum ad Deum sunt eiusdem rationis. 70.19
Relationes in creaturis quomodo sint accidentia. 103. 145
Relationes non possunt existere sine extremis. 779. 17
Relationes omnes ex eo quòd dicantur ab aliquibus, entia rationis. 64.11
Relationes primi, & secundi modi relationorum quæ sint. 91.98
Relationes quomodo dicant imperfectionem. 376.3
Relationes quomodo formaliter dicantur de Deo. 68.1
Relatiua *contraria non sunt secundæ intentiones.* 100. 109
Relatiua quæ realiter opposita nequeunt esse simul. 882. 17
Relatiua quæ sint simul naturâ. 92.103
Relatiuorum tertius modus quomodo differat à primo & secundo. 95.114
Repræsentans *per se non adæquatur repræsentabili simpliciter.* 456.12
Repræsentatiuum *Dei distinctè sitnè possibile dari.* 462. 19
Repugnare *aliquid alicui intelligi potest dupliciter.* 377.4
Respectus *idem semper remanet idem, termino, & fundamento eodem modo se habentibus, & quo sensu.* 210.35
Respectus nullus ad causam variat rationem formalem eius. 179.21
Respectum ponere sine termino impossibile est. 210. 34
Respectus duo, id est, receptiui materiæ, & informatiui formæ. 105.30
Respectus, qui concurrunt ad mutationem passiuam, assignantur. 105.29
Res *non potest de hac fieri non hac sine mutatione substantiali.* 383.3
Res omnis imaginabilis an absoluta. 85.38
Res vera quid dicatur. 370.28
Reuelari *aliquid alicui quid sit.* 601.4
in Reuelatione *esse quid sit.* 600.11

S A

Sanitas *est tantùm formaliter in animali.* 697.8
Sapientia *duplex.* 908.2
Sapientia infinita, & bonitas infinita differunt formaliter in diuinis. 118.17
Satiatio *est per actus.* 898.4

Index rerum.

S C

Scientia *aliquando ponitur pro memoria fœcunda.* 9.7
Scientia duplex est in Deo, secundùm Henricum. 9.6
Scientia sitne incorruptibilis? 458.1. *& si sic, quomodo? ibid.*

S E

Securitas *potior pars Beatitudinis.* 820.1
Semen *non est ratio generandi substantiam.* 781.23
Semen non esse actiuum respectu generationis. 804.9
Semen non informari anima. 946.5
Semen quid sit. 804.8
Semen viri, & mulieris quomodo differant. 806.2
Sensibile *an sit obiectum intellectus nostri?* 441.4
Sensibile est etiam intelligibile. 643.14
Sensibile, & intelligibile quomodo differant? 643.14
Sensibile quare non causet immediatè intellectionem, sicut intelligibile? 438.10
Sensibile si inquantùm actu perceptibile diuideretur in infinitum, an sensus cresceret in infinitum. 262. 10. 263. *per totum.*
post Sensibilia minùs excellentia minùs sentimus non sic de intelligibilibus. 633. *in tex.*
Sensus *possitne intendi in infinitum?* 220. 3
Sensus potest comparare vnum ad aliud. 354.15
Sensus quomodo sit singularium, & intellectus vniuersalium. 348.42
Sensum esse singularium contingit dupliciter. 340.14
Separabilia *minùs sunt, quæ magis sunt vnum.* 683.6
Sermo an sit in potestate voluntatis? 1058.16
Serpens *quare dictus calidior cunctis animantibus.* 827.*B*

S I

Simile *vbi fundetur?* 352.53
Similitudo *sumitur dupliciter.* 339.11
Similitudo vt cognita est duplex. 465.26
Similitudinis fundamentum quid sit? 339.11
Singulare *an possit intelligi?* 641.9
Singulare est causa partialis cognitionis. 494. *col.* 1.
Singulare quomodo dicat indiuisionem? 351.53
Singulare quomodo non sit per se intelligibile? 415.2. *de eo non est scientia. ibid.*
Singulare determinatum quare nos exprimamus per vagum? 603 13
Singulare intelligere perfectionis est. 600.11
Singulare non esse definibile. 414.17
Singulare non esse propriè scibile, nec definibile. 645.37
Singularium non est definitio. 348.43
Singularitas *quid sit?* 496.8
Situs *est duplex, & quid vterque dicat?* 391. 3
Situs quo modo prior quantitate? 391.4

S O

Socrates *& Plato in quo conueniant.* 343.24
Socratem existere in aliqua vltima superficie, potest intelligi duobus modis. 210.36
Sol *comburit stuppam.* 736.3
Sol non habet omnem, nec aliquam partem aëris illuminabilis æquè immediatè propinquam, imò simpliciter nullam. 279.50
Sol quomodo concurrat vt causa cum causis secundis. 625. 13
Sol generat mineram. 608.17
Sol, supposito quòd illuminet simul aërem, non sequitur tamen quod aliqua pars sit se totâ æque immediatè propinqua. 280.52
Sol virtualiter calidus quare non possit formaliter calefieri, sicut ignis. 881.15
Sole, & stellis calidis accedentibus ad zenith augentur ignis, & aër, eisque recedentibus, terra, & aqua. 735.2. *in text.*
Soles plures esse non repugnat. 248.17

S P

Spatium *totum à cælo ad terram quomodo repleatur aëre.* 737.6
in Spatio diuisibili esse potest intelligi dupliciter. 298. 22
Species *Dei plus conuenit cum eo, quàm cum vlla creatura.* 456.13
Species essentiæ diuinæ an naturalis. 454.7
Species essentiæ diuinæ representaret eam adæquatè in ordine ad actum, quem intellectus creatus potest habere. 456.13
Species externa visibilis representat tantùm obiectum à quo producitur. 714.20
Species intelligibilis albi an perfectior albo? 481.17
Species intelligibilis alicuius obiecti existens in aliquo intellectu non potest causare aliam eiusdem obiecti in eodem intellectu. 613.8
Species intelligibilis an habitus. 485.18
Species intelligibilis an sit causa partialis cognitionis abstractiuæ? 452.9
Species intelligibilis à quo dependet? 441.6
Species intelligibilis est causa partialis producendi cognitionem hominis. 475.8
Species intelligibilis non dat actiuitatem intellectui, nec è contra. 439.11
Species intelligibilis quomodo concurrat ad speciem abstractiuam? 628.25
Species intelligibilis quomodo detur? 464.26
Species intelligibilis quomodo dicatur habitus. 480.2
Species intelligibilis quomodo fiat? 613.9
Species intelligibilis quomodo non possit causari. 1050.3
Species intelligibilis quomodo sit causa partialis locutionis? 495.4
Species intelligibilis quomodo vocetur habitus. 1048.2
Species intentionalis aliquando videtur? 715.24
Species intentionalis quomodo est ratio videndi non visa? ibid.
Species licèt concrearentur simul cum intellectu, esset tamen in potentia ad eas. 636.30
Species non representat plura in obiecto perfectiori. 486. 21
Species per quam videtur obiectum, ab ipso producitur. 713.19
Species quacunque excludit suum oppositum. 717.28
Species quando videri possint, & quando non? 715.24
Species quare non denominet medium, vt illuminatum luminosum? 711.8
Species quomodo contineat indiuidua? 203.9
Species quomodo sit indiuisibilis, & quomodo diuisibilis. 418.11
Species quomodo sit totum esse? 415.19
Species representans Deum an representaret personas naturaliter. 457.16
Species sensibiles de nouo adeptæ quomodo possint esse in Angelis, cùm non habeant phantasias? 613.8
Species visibilis est per se visibilis. 710. 5
Species vna sensibilis generat aliam. 611.20
Species intelligibili accidit quod sit permanens. 479.1
in Specie atoma quomodo dicatur fieri comparatio. 341.19

in Specie conuenire potest intelligi dupliciter. 418.10
de Specie intelligibili notabile. 451.5
Species non sunt visibiles, nisi quando contiguantur opacis. 710.5
Species sunt sicut numeri, *explicatur.* 480.17
Species superiores non includunt inferiores. *ibid.*
Sphæra *super planum mota tantùm describit lineam in plano.* 289.36
Sphæra tota quando esset in vacuo, & solùm punctum tangeret plenum. 290.38

S T

Status *præsens non potest ratione cognosci esse in pœnam peccati.* 922.4. *in com.*
in Statu innocentiæ quomodo omnes fuissent confirmati. 819.3
in Statu primo alij ante alios fuissent translati. 812. 5.
non fuisset corruptio defectu alimenti. *ibid.* 6
in Statu primo habuissemus ne corpora immortalia. 810.1. *& seq.*
Stella *omnis mouetur solum motu sui orbis.* 727.2
Stellæ agunt in mixta perfecta. 741.14
Stellæ concurrunt ad productionem viuentium perfectorum, & quomodo? 742.15
Stellæ non mouentur in canalibus, aut concauitatibus. 727.2
Stellæ non possunt necessitare voluntatem. 744.22
Stellæ quo motu moueantur. 726.2
Stellarum distantiæ differentiam à se probatur non esse in eodem cælo. 726.2
Stellas, & cometas, quæ de nouo apparent, produci infra cælum. 738.9
Stellas quare videamus diu ex puteo, & extra puteum non. 632.26

S V

ex Subiectione *partis inferioris ad superiorem duo oriuntur.* 925.8
Subiectum *est causa passionis impropriè.* 97. 126
Subiectum quomodo dicatur mutari. 174.6
Substantia *diuiditur in simplicem, & compositam.* 666.9
Substantia est prior accidente. 386. 5. *quomodo sit prior quantitate.* 387.6. *est vna vnitate numerali.* *ibid.*
Substantia, & accidens analogantur in ente. 699.4
Substantia ignis, vt prior quantitate est diuisibilis in infinitas substantias, includitque infinitas hæcceitates. 248. 19
Substantia materialis an sit per quantitatem indiuidua. 382.1. *& seq.*
Substantia materialis an sit hæc, & indiuidua per materiam. 401.1. *& seq. an per aliquam entitatem positiuam, per se determinantem naturam ad singularitatem.* 403. 1. *resoluitur quòd sic.* 406.9.409.1. *& seq.*
Substantia materialis vtrùm ex se, siue ex natura sua sit indiuidua, vel singularis. 334.1. *& quomodo hoc debeat intelligi.* 335.1
Substantia materialis vtrùm per aliquid positiuum intrinsecum sit de se indiuidua. 373.1. *declaratur.* 374. 2. *an per actualem existentiam sit indiuiduale.* 379.1
Substantia mobilis pro quo sumatur, cùm dicitur nunc *mensurare substantiam mobilis.* 153.15
Substantia mobilis quomodo mensuretur æuo? 154.18
Substantia necessariò generatur à substantia. 770.16
Substantia non est per se sensibilis. 704.3
Substantia prior accidente tripliciter. 72. 20
Substantia qualibet naturalis composita est ex infinitis substantiis. 247.
Substantia quod semel est, nunquam est accidens. 704.3
Substantia quomodo faciat accidens. 762.5
Substantia sua est Angelo ratio essendi in loco. 198.11
Substantia tota coordinatio prior est accidente. 384.5
de Substantia genita, qua habet esse *existens extra suam causam aliud est loqui, & aliud de re genita non habente per se tale* esse. 187.68
Substantiæ separatæ an sint alicubi per operationem & non aliter. 189.1
in Substantiis homogeneis non potest dari aliquod singulare, quin illud sit diuisibile in infinita singularia. 248. 19
Successio *in æuo, & euiterno.* 133.2
Successio in mensura petit successionem in mensurato. 129. 10. *in tex.*
Successio in motu essentiali vnde causetur. 303.7
Successio in motu, qua est secundùm prius, & posterius vnde accipiatur? 233.5
Successio lationis vnde. 290.38
Successio probatur in Angelo ex mutabilitate de non esse *ad* esse. 126. *& ex ratione conseruationis eius.* 125.4. *ex eius etiam duratione.* 126.7
Successionis causa in motu quæ. 301.1
Successionis in motu locali duplex causa. 292.6
Successionem in motu qua resistentia facit. 299.40
Successiuum *duplex.* 133.1
Successiuum non est compositum ex indiuisibilibus. 233.3
Successiuum per quid dicatur esse in actu. 259.1
Successiua posse esse æterna non admittit Doctor. 51.20
de Successiuis regulæ aliquæ. 136.15
Superbia *quid sit.* 534.2
Superficies *quomodo contineat Angelum.* 203.9
Superficies quomodo dicatur alba. 411.10
Superficiei quare non sit alia mensura, inquantùm superficies, & alia inquantùm susceptiua albedinis. 149. 9
Superius *vniuersaliter nunquam est de essentia inferioris.* 370.28
Supernaturale *duplex.* 604. *in com.*
Suppositum *nihil est propriè, quod natum est esse pars alterius.* 245. 10
Suppositum quales negationes dicat. 376.3
Supposito repugnat communicari. 377.5
Supremum *inferioris est infimum superioris quando.* 484.19
Suspensio *ab omni actu an sit sine actu.* 577.24

S Y

Syllogismus *practicus quid sit.* 528.4
Synteresis *an sit in voluntate.* 1017.1.1019.1. 1022.4
Synteresis an sit ponenda in parte intellectiua. 1022.2
Synteresis quid sit. 1019.1
Synteresis quid sit secundùm Henricum? 1018.1

T A

TAle *aliquid dicitur esse tripliciter.* 407.10
Tale esse per se, & primò differunt. *ibid.*
Tale quomodo dicatur aliquid actu, & potentia. 880.12
Tale virtualiter an possit fieri formaliter tale. 881.14. *& 15*

T E

Tempus *an distinguatur realiter à motu?* 153.17
Tempus continuum quid sit. 219.1. *in com.*
Tempus discretum apud Thomistas quid sit. 176.13
Tempus discretum reijcitur vt superfluum. 324.5.325.1
Tempus est duplex, & quid sit vtrumque. 164.3
Tempus etiamsi sit idem motui, est eius mensura. 163.4

Index rerum.

Tempus menſurans quietem non eſt propriè tempus,& ſuppoſito quòd ſit,ſunt tamen ibi plura tempora. 275.
Tempus non eſt ſine nunc *quia motus non eſt ſine mobili.* 150.4
Tempus noſtrum eſt duplex. 325.2
Tempus ſequens inſtans quietis eſt diuiſibile in infinitas partes. 269.22
Tempus vnde menſura alicuius mobilis poſſit dici. 152.11
Temporis principium eſt indiuiſibile. 150.5
in Tempore eſſe quid ſit. 164.3
Tendere *in aliud poteſt dupliciter intelligi.* 1011.1
Tentatio *exterior quæ ſit,& à quo fiat.* 829.E
Tentatio interior quæ ſit,& à quo fiat. *ibid.*
Terminatio *in obiecto poteſt intelligi duobus modis.* 461.14
Terminus à quo *mutationis non eſt poſitiuus.* 105.30
Terminus formalis diuinæ generationis eſt eſſentia diuina. 19.25
Termini lineæ ſunt duo puncta. 150.6
Termini ſunt in duplici differentia. 91.101
Terra *ſub æquinoctiali linea eſt habitualis,& alicubi temperata.* 791.5
Terra ſub æquinoctiali linea quomodo ſecundùm Doctorem,intemperata. 791.5

T H

Theologus *qualiter debeat diſcordare à Philoſopho in agnitione primi motoris.* 426.6

T O

Totum *eſſentiale an ſit commune ſuis partibus.* 78.12
Totum de parte ſubiectiua prædicatur, de quantitatiua non. 391.12
Totum eſſentiale diſtinguitur à ſuis partibus. 695.38
Totum integrale an dicat tertiam entitatem aliam à partibus. 250.25
Totum integrale ſi dicit aliam entitatem a partibus habet hæceitatem eandem realiter ſibi; ſi verò non dicat, qualibet pars habet propriam hæceitatem contrahentem illam partem ad eſſe *indiuiduale.* 248.19
Totum poteſt ſe mouere, ſed qualibet pars non, & quare? 248.17

T R

Trinitatis *imago conſiſtatne tribus potentiis animæ rationalis realiter diſtinctis.* 760.1
Triſtitia *videtur maxima pœna hominis & quare.* 561.2

V A

in Vacuo *an videretur aliquid.* 605.16

V B

Vbi *poteſt accipi dupliciter.* 211.40
Vbi *quid ſignificet.* 205.19
Vbi *quomodo ſit in locato.* 244.5
Vbi *duo, inter quæ eſt motus localis, de neceſſitate correſpondent duobus locis ſpecie diſtinctis.* 196.10
Vbi *infinita media ſunt inter duo* vbi. 222.8
Vbi *infinita quomodo ſint inter duo* vbi. 223.3

V E

Velle *actuale non datur ſine actuali intellectione.* 1049.7
Velle *amicitia,& concupiſcentia quomodo differant.* 535.3
Velle *Dei duplex eſt.* 1001.19
Velle diuinum manens idem ſimpliciter aliquando dicitur neceſſarium,aliquando contingens. 35.12
Velle *eſt duplex.* 536.2
Velle liberè quid ſit. 1012.4
Velle ſempiternaliter aliud eſt, & aliud velle pro ſempiterno. 38.8
Velle *vnum in voluntate diuina.* 850.3
ad Velle *in ſpecie non ſufficit notitia in genere.* 1049.8
Verbum *eſt de memoria Patris.* 15.18
Verbum non perficit intellectum Patris. 7.7
Verbum quare non producat verbum,explicatur. 18.18
Verbum quomodo habeat eſſe *à memoria.* 15.20
Verbum quomodo ſit de ſeipſo. *ibid.*
Verbum ſecundùm Henricum eſt ſolius Patris originaliter,& productiuè, & quomodo hæc intelligatur. 8.3

V I

Violentum *quare non perpetuum.* 578.26
Violentum quare nullum ſit perpetuum? 557.1
Violenti *Definitio explicatur.* 802.6
Vir, *mulier,& ſerpens in nobis ſunt,& quomodo.* 856.G
Viri, & mulieres quomodo non fuiſſent æquales numero in primo ſtatu. 824.4
Virtus *creata an poſſit agere in inſtanti.* 511.2
Virtus eadem cur inclinet ad bonum proſequendum, & malum fugiendum. 1022.5
Virtus maior non requiritur in conſeruando,quàm in generando. 186.66
Virtus nulla creata poteſt producere duos effectus æquè intenſos,& æquè perfectè,ſicut quemlibet ſeorſum. 623.9
Virtus ſuperior poteſt impedire inferiorem. 616.19
Viſibile *ſi eſſet perceptibile in infinitum, an ſenſus creſceret in infinitum.* 262.9
Viſio *quæ ſit.* 376.2
Viſio quare non poſſit fieri in vacuo? 608.18
Viſio reflexa quomodo poſſit dici reflexa. 628.23
Viſiui *appetitus eſt circa pulcherrimum viſu.* 537.6
Vitia *non ſunt connexa, nec vnum peccatum expellit habitum virtutis moralis.* 914.6
Viuentia *an habeant maximum, & minimum, & inanimata non.* 264.31
Viuentia ſola habent formas ſubſtantiales plures. 704.4

V L

Vlua *non eſt menſura ex natura rei panni.* 155.11

V N

Vnio *in compoſito quid ſit.* 91.99
Vnionis relatio ſi eſſet idem naturâ, ſine incarnatione homo eſſet Deus. 60.5
Vnitas *an detur minor vnitate numerali.* 338.5
Vnitas indiuidui ſequitur entitatem determinantem naturam. 407.9
Vnitas minor vnitate numerica probatur. 335.3
Vnitas omnis realis ſi eſt numerica, omnis diuerſitas realis erit numerica. 336.5
Vnitas propria ſequitur quodlibet ens. 384.6
Vnitas quadruplex. 673.14
Vnitas quid ſit. 672.13
Vnitas quot modis dicatur. 341.17
Vnitas ſpecifica an ſit realis. 542.21
Vnitas ſpecifica,& indiuidua vnde. 407.11
Vnitas ſpecifica & multitudo numeralis non opponuntur. 348.41
Vnitas ſpecifica poteſt dupliciter accipi. 120.24
Vniuerſale *an ſit reale.* 369.26
Vniuerſale à parte rei negatur. 407.10
Vniuerſale completum eſt tantùm vnum numero. 361.2
Vniuerſale completum quomodo prædicetur in quid. 362.3
Vniuerſale in actu definitur,& negatur à parte rei. 360.8. & ſeq.
Vniuerſale in actu quid ſit. 361.1
Vniuerſale non eſt primum obiectum intellectus Angelici. 644.35
Vniuerſale quomodo ſit prius notum. 348.45
Vniuerſale cognoſci contingit dupliciter. 340.13
Vniuerſalia quomodo ſint in ſingularibus. 371.32
Vniuerſalia ſecundùm ſe exiſtunt. 387.8
Vniuerſalitas *ſecundæ intentionaliter ſumptæ, & ſingularitas*

ritas ſunt modi inter ſe repugnantes. 337.1
Vniuerſi *connexio ſecundùm Dionyſium.* 467.5
Vnum *accipitur multipliciter.* 337.3
Vnum numero eſſe poteſt intelligi tripliciter. 411.9. *& vnum ſpecie dupliciter.* ibid.11
Vnum per ſe eo magis faciunt aliqua, quo magis ſunt diſtincta. 674.16

V O

Voce immutante auditum, memoria recordatur rei, ſignificata, ſi nouit ad eã ſignificandam impoſitã fuiſſe. 1058.17
Volendi *actum an aliud aliquid cauſet effectiuè in voluntate.* 873.1. *& ſeq*
Volendi modus eſt duplex. 565.2
Volitio *cur dependeat ab obiecto, cùm non ſit eius cauſa.* 883.20
Volitio duplex. 532.8
Volitio efficax, & inefficax quomodo differant. 528.3. *ineffi-cax ſufficit ad meritum & peccatum.* ibid. *quid ſit, & an ſit impoſſibilium.* 529.4
ad Volitionem ſufficit apprehenſio. 844.3
in Volitione omni datur quid, *&* cur, *&* quomodo. 1011.2
Volitum *omne non eſt cognitum.* 056.15
Voluntas *Angeli mali an receptiua actus meritorij.* 569.14
Voluntas an poſſit eſſe cauſa volitionis. 519.3
Voluntas an poſſit habere duplicem conſenſum. 914.1
Voluntas an poſſit velle ſuum non eſſe. 529.7
Voluntas an reſpectu actus gratuiti, vel glorioſi ſit principium ſupernaturale. 458.4
Voluntas an ſit cauſa ſupernaturalis. 459.5
Voluntas an ſit cauſa totalis volitionis. 572.5
Voluntas an ſola cauſa peccati. 988.6
Voluntas antecedens in donante ſufficit ad rationem debiti in recipiente. 957.11
Voluntas cauſat ne intellectionem. 1052.12
Voluntas conſona volũtati naturali an ſemper recta. 541.10
Voluntas creata neceſſariò vult vltimum finem. 853.8
Voluntas creata poſſitne actu auerti ab vna perſona, quin virtualiter auertatur ab aliis, vel an actu ab vna, quin actu ab aliis. 1067.1
Voluntas creata poteſt odire Deum interpretatiuè, non formaliter. 531.6
Voluntas creata propria cauſa peccati. 995.10
Voluntas creata quare ſtatim ponat ſuum effectum, niſi expectet maiorem opportunitatem, voluntas diuina non ſic. 39 [illegible]
Voluntas diuina concurrit ad omnem actum. 996.5
Voluntas diuina impeccabilis, & quare. 1003.20
Voluntas diuina non eſt aſtricta ordini priori. 657.3
Voluntas diuina quare non ſemper cauſet bonum. 997.15
Voluntas diuina quomodo contineat virtualiter totam quiditatem hominis. 496.10
Voluntas diuina quomodo poſſit ſe extendere ad omne id, ad quod ſe extendit creata. 849.5
Voluntas diuina quomodo regula noſtra. 1003.21
Voluntas diuina ſemper eſt prior ipſo actu. 34.9
Voluntas eliciens an ſit prior actu elicito. 41.5
Voluntas eſt cauſa prima volitionis, ſicut & ſecunda. 514.
Voluntas eſt principium volitionis. 764.2
Voluntas etiam quà libera, eſt paſſiua, & non tantùm actiua. 882.16
Voluntas immediatè, & non per aliquam qualitatem dominatur inferioribus potentiis. 920.3
Voluntas liberè agit. 565.3
Voluntas non debet eſſe aut recta rectitudine excludente rebellionem, aut curua curuitate peccati. 929.19
Voluntas non poteſt cauſare ſpeciem intelligibilem. 1051.3
Voluntas non poteſt peccare niſi habeat omnia requiſita ad benè agere. 998.17
Voluntas noſtra tenetur ſequi voluntatem diuinam. 852.4
Voluntas poteſt eſſe impoſſibilium, ſecundùm Philoſophum. 528.2
Voluntas poteſt imperare intellectui. 1047.2
Voluntas poteſt peccare ſine qualitate rectificante. 921.3. *in comm.*
Voluntas præter habitus nullo alio dono intrinſeco indigebat. 926.11
Voluntas principium partiale meriti, non potens ex ſe habere conprincipium, ſcilicet gratiam. 569.15
Voluntas quando dicatur libera. 41.5
Voluntas quare defectibilis. 1076.2
Voluntas quare non eget concauſis, vt amet diuerſa obiecta, ſicut eget intellectus, vt intelligat diuerſa. 484.20
Voluntas quare non poſſit retrahere appetitum à ſuo delectabili. 922.4. *in tex.*
Voluntas quare peccet. 852.4
Voluntas quicquid poſſet per qualitatem rectificantem poſſet ſeipſa. 921.4
Voluntas quomodo commoda nequeat non velle. 1021.5
Voluntas quomodo conuertit, & auertit intellectum à conſideratione aliorum. 1052.11
Voluntas quomodo ex parte cauſæ ſit cauſa per accidens peccati. 995.10
Voluntas quomodo habeat immediatam actionem ſuper intellectum. 1055.11
Voluntas quomodo imperet intellectui. 616.17
Voluntas quomodo poſſit appetere impoſſibile. 531.6
Voluntas quomodo poſſit eſſe cauſa ſui actus. 886.7
Voluntas quomodo poſſit peccare. 542.3
Voluntas quomodo ſit cauſa per accidens reſpectu peccati. 995.9
Voluntas quomodo ſit cauſa volitionis. 890.1
Voluntas ſi non eſt actiua, nec libera. 896.6
Voluntas ſi tantùm eſſet paſſiua, non eſſet libera. 874.2
Voluntas ſola eſt libera. 1023.5
Voluntas vt cauſa quomodo prior actu. 561.3
Voluntatis duo actus. 1057.1
Voluntatis libertas quare dicatur iuſtitia. 540.9
Voluntati naturali conſonè velle, an ſit rectum. 541.10
Voluntatem habere ens pro obiecto quomodo intelligatur. 530.2
Voluntatem impedire aliud eſt, & aliud poſſe eam impedire. 616.19
Voluntatem, quà defectibilis non eſſe per ſe cauſam peccati. 987.14
Voluntate complacente intellectioni, firmatur intellectio. 1052.10
in Voluntate nihil eſt, quod eam poteſt ad malum vel bonum neceſſitare. 1018.2
in Voluntate quomodo ſit peccatum. 1057.4
Vox non cauſat conceptum ſignificati. 1058.17

V V

ad Vulnerationem *quid per ſe requiratur.* 929.20
Vulneratio in naturalibus facta per peccatum quid ſit. 929.21
Vulnus *quid ſit.* 985.10

FINIS.

ERRATA.

Pag. 7. l. penult. leg. *præcedentem.* 183. col. 1. l. 43. leg. *reſpondendo.* ibid. l. 44. leg. *quam.* 232. l. 28. leg. *aut.* 264. n. 31. l. 12. leg. *Quantum.* 267. l. 24. leg. *præexiſtenti.* 304. in Schol. l. 1. leg. *mouent.* 577 in Schol. l. 2. leg. *eos* 618. col. 2. n. 25. l 24. leg. *cognoſcente.* 1019. l. 3. leg. *Quid.*